



THESAURUS MONUMENTORUM ECCLESIASTICORUM ET HISTORICORUM,

SIVE

HENRICI CANISII LECTIONES ANTIQUÆ,

Ad Sæculorum Ordinem Digestæ

VARIISQUE OPUSCULIS AUCTÆ,

Quibus

PRÆFATIONES HISTORICAS, ANIMADVERSIONES CRITICAS, ET NOTAS IN SINGULOS AUCTORES ADJECIT

JACOBUS BASNAGE,

Cum Indicibus Locupletiſſimis.

TOMUS III.



AMSTELÆDAMI,

APUD RUDOLPHUM ET GERHARDUM WETSTENIOS

MDCCXXV.

VITA
SANCTI
BURCHARDI
HERBIPOLENSIS
EPISCOPI.
AUCTORE
ANONYMO.

EX

MS. membranis Monaſterii Aichſtadienſis
Ordinis Prædicatorum

A CANISIO

In lucem producta.

CANISIUS

Ad Lectorem.

Trithemius de viris illustrib. Ord. S. Benedicti lib. 3. c. 186.

Burchardus Episcopus Herbipolensis ex Monacho, natione Anglicus, vir sanctus & Deo dilectus, qui multis fertur claruisse miraculis: sedit in Pontificatu Wirtzburgensi annis novem, à S. Bonifacio Moguntino Archiep. ordinatus. Claruit anno Dn. 750. Cujus festum 6. Idus Octob. colitur. Ejus autem vita diligenter conscripta est. Hæc Trithem. qui ibid. l. 4. c. 184. hæc de eodem: Burchardus Monachus cujusdam cœnobii in Anglia, socius & comes peregrinationis S. Bonifacii Martyris, & ab eo Herbipolensis Episcopus consecratus, sedit annis novem: Vir sanctissimæ conversationis, qui multis virtutibus & signis clarus effulsit. Moritur autem anno Domini 759. Indictione XII. Hæc Trith.

Extat apud Surium Tom. 5. vita S. Burchardi scripta ab Egilwardo Monacho cœnobii S. Burchardi, prope Herbipolim, unde conjectura est, vel hunc Egilwardum esse scriptorem vitæ S. Kiliani, quam hic edimus; vel certè scriptor vitæ S. Kiliani, & hujus quam damus S. Burchardi, idem est. Cum in vita S. Kiliani in fine promittat vitam sancti Burchardi.

JACOBI BASNAGII

IN

BURCHARDUM

ET SCRIPTOREM VITÆ EJUS

OBSERVATIO.

Sæc. X. Anno. 910.

I. De Burchardo. Egilwardus vita Burch.

I. Uit *Burchardus* natione Anglus. Tradunt quidem nonnulli *Germanos fratres Burchardum & Swithunum magni Bonifacii Episcopi non solum conterraneos, sed etiam consanguineos fuisse*; Sed quam hæc à vero sint aliena facile patebit. Primo enim *Swithunus* & *Burchardus* non potuerunt esse Germani fratres; cum Swithunus Wintoniensis non nisi sæculo post Burchardum vixerit. 2° Quanquam *Burchardus* ejus-

ejusdem Gentis ac *Bonifacius* fuerit, nihilominus ipsius consanguineum fuisse, nullo prorsus argumento, imo contra veritatem asseritur. SÆC. X.

Ad *Bonifacium* tunc temporis fama maximâ gaudentem, & Moguntinum Præsulem, advenit *Burchardus*, ab eoque Wirtzburgensi Episcopatui destinatus fuit. Hujus urbis, quæ ad Moenum sita est Franconiæ primaria, sub Archiepiscopo Moguntino primus Episcopus aliquando creditur *Kilianus*: sed illud honoris Burchardo debet tribui. *Kilianus* equidem harum regionum incolas Gentiles Christiana fide imbuerat; sed nondum erecta ibi sede Episcopali illam hoc titulo non potuit obtinere. *Bonifacius* provinciam in tres Parochias discrevit, quarum una Wirtzburgum fuit, in quâ primùm Episcopus constitutus est Burchardus. ANNO. 910.

II. Ipsius ordinationem Romæ factam à *Zacharia* Pontifice contendit Anonymus in vita quæ hic editur. Sed error facile deprehenditur, cum toto Zachariæ Pontificatu ne semel quidem Romam petierit Bonifacius; & ipse Burchardi fuit ordinator, teste Sigeberto. Tempus ordinationis diversa plane ratione computant Historici, dum alii an. 746. alii 750. alii denique 751. indicant. Erat jam Episcopus Wirtzburgensis, cum ad Zachariam Legationem nomine Pipini obiret anno 751. Non potuit igitur hoc anno ordinari, quemadmodum asserit Egilwardus. Deinde adfuit Germanico Concilio anno 742. ibique primus post Bonifacium nominatur Burchardus, Ottilono teste, in vita Bonifaciana. Debuit igitur ad sedem Episcopalem promoveri ante annos superius memoratos. Tertio, Epistola Zachariæ Pontificis, qua confirmatur ordinatio Burchardi, data est *Indictione XI. Constantini 24. imperii ejus solius anno secundo.* Observat Baronius mendum irrepsisse in indictionis nota, legique debere indictione X. quippe quæ conciliari aliter nequeat cum Constantini anno secundo. Indictio autem decima an. 742. indicat. Denique Zacharias dum Pontificatus initio Encyclicas ad Episcopos Germaniæ transmitteret Epistolas, Burchardum cum cæteris recenset. Ordinatus igitur fuerat jam Episcopus, facileque credam, ad annum 742. quo Zacharias illum confirmavit, habitaque est Synodus Germanica, ipsius ordinationem debere referri. II. *De ipsius ordinatione.* *Ottilonus vita Bon. l. 1. c. 34.*

III. Burchardum posteritati commendavit non modo dignitas Episcopalis, sed præcipue legatio nomine *Pipini* ad *Zachariam* Pontificem, ut ejus nutu exueretur imperio *Childericus*, ipsique committeretur regia in Gallos Authoritas. Longa & diserta Burchardi oratio ad Pontificem habetur apud Æmilium de Gestis Francorum; Si tamen est genuina: quippe Stylus est Æmilii, qui, more veterum, Orationem finxit, propriumque fœtum sub nomine Burchardi protulit. Zachariam primo attonitum & stupefactum aliquandiu hæsisse, nec tam momentosam cogitationem suscipere ausum fuisse; postea vero Fulradi Abbatis & Burchardi præsulis postulatis annuisse, refert idem Æmilius. III. *De legatione ad Zachariam.*

IV. An eodem anno Burchardus obierit, dubium esse potest, cum novem Episcopatus anni tantum ipsi tribuantur. Ipsius ætatem & Episcopatum longe protrahit Egilwardus, qui vitam Burchardi concinnavit. Obiit, inquit ille, anno *incarnationis Domini* 791. *post acceptum Episcopatum anno* 40. Sed procul dubio turpiter erravit Egilwardus. Quippe vita Bonifacii à Willibaldo exarata, a Canisio superius edita, nuncupatur *Lullo & Megingozo Episcopis.* Megingozus autem vices Burchardi in sede Wirtzburgensi obiit, ab eo ante mortem indicatus. Debuit igitur diem clausisse Burchardus dum scripta est a Willibaldo Bonifacii vita: Debuit illa vita scripto mandari saltem anno 786. quo è vivis excessit Lullus. Sed longe anterius scripta fuit illa vita, & ni fallor, an. 760. deinde vero Wunibaldus, Willibaldi frater, obiit anno 771. qui IV. *Vita S. Burchardi. c. 11.* *Willibald. vita Bonif. prolog.*

SÆC. X. ANNO 910.

triennio ante mortem Wirtzburgum petens ibi Megingozum, Burchardi Succesſorem, jam Epiſcopum allocutus eſt. Obierat igitur Burchardus ante annum 767. & cum a Trithemio & Mariano Scoto novem regiminis tribuantur anni; debuit ad ſuperos transmigrare Burchardus anno 751. quo Româ ad ſuos rediit. Fides Mariano forſan non habebitur, eo quod ipſe, qui novem annis ſedem occupaſſe narret, illum anno 750. ordinatum fuiſſe contendat, ſicut & Trithemius; Unde patet non omnino nobiſcum convenire Marianum Scotum. Sed cum ab una parte eruatur genuinus annus ordinationis Burchardi a Concilio Germanico, cui adfuit; ab altera parte vero conſtet ex Mariano & Trithemio ſediſſe IX. annis: ſequitur obiiſſe anno 751. Deinde vero non ſibi ipſi conſtat Marianus; fatetur enim jam ab anno 746. conceſſam Bonifacio facultatem ſedes Epiſcopales erigendi: At quomodo tantum temporis effluxiſſet inter facultatem a Pontifice conceſſam & Burchardi ordinationem, qualis habetur apud Marianum? Sed de Burchardo ſatis, cujus hic vita leviter deſcribitur.

Mar. l. 3. cap. IV. p. 394.

V. *De Scriptoribus vitæ Burchardi.*

V. Bini Scriptores Burchardi vitam poſteris mandarunt Anonymus & Egilwardus, qui anonymum deſcripſit. Autumabat *Caniſius* vel Egilwardum ab ipſo edi, vel ſaltem eundem eſſe autorem qui vitam Kiliani & Burchardi ab ipſo editas exaraverat. Argumento fuit ipſi, quod Kiliani Hiſtoriographus polliceretur vitam Burchardi olim exaraturum: Neutrum tamen verum eſt. 1°. Non hic editur Egilwardus, cujus opus Surius in lucem protulit. Deerat quidem nomen; ſed author Burchardum appellat *Patronum noſtrum*, & Burchardi Cœnobium tanquam ſuum indicat: quæ conveniunt Egilwardo, qui in Burchardi Monaſterio in vicinia Herbipoleos vitam degebat, dum vitæ patroni ſui exarandæ manus apposuit. 2°. Nec ejusdem authoris ſunt vitæ Kiliani & Burchardi, a Caniſio editæ: pollicebatur Egilwardus ſe olim vitam Burchardi ſcripturum; & revera ſtetit promiſſis: ſed vita quam Caniſius e tenebris luci mandavit, non eſt Egilvardi, ſed Anonymi, quem Egilwardus ipſe indicaverat tanquam ſe vetuſtiorem. *Excerpſimus*, inquiebat, *quædam ex nonnullis antiquiorum relationibus ſimpliciter exaratis, quæ in noſtras manus devenerunt.*

VI. *Vita Anonymi.*

VI. Tempus quo vixit Anonymus ille, qui Caniſio debetur, incertum eſt; Vixiſſe tamen ſæculo decimo ineunte non levis eſt conjectura, ex eo quod Tranſlationis Reliquiarum Burchardi Hugonis Epiſcopi juſſu factæ nullam fecerit mentionem. Vixit Hugo an. 980. Hanc nos ſequimur conjecturam; quanquam objici poſſet breviſſimam eſſe illam de Burchardo narrationem, in qua ne quidem de legatione apud Pontificem meminit; cæteraque ad Burchardum pertinentia ſunt omiſſa. Agit præcipue Scriptor de Tranſlatione Reliquiarum Kiliani, quas *igne probatas* fuiſſe narrat, pro more hoc ſæculo adhuc vigente.

INCI-

INCIPIT VITA S. BURCHARDI EPISCOPI.



Errenarum motus curarum; si divino adjutorio trahatur ad respectum miserationis divinæ, qualiter æterna scientia Sanctos suos justificaverit, mens humana & sollicitudinibus pressa inutilibus solvitur, ultroque remunerationis præmio non fraudatur. Oportet ergò, ut ad B. Burchardi Pontificis laudes, styli seriem vertamus, quatenus dum ejus merita recolimus, orationum emolumentis fulciamus. Neque enim metuendum, ut in laudibus beatorum virorum fideliter prolatis, modum possit excedere veritatis, piæ narratio devotionis. Quidquid itaque de omnibus rectè fatemur, & de uno quoque profari non dubitamus. quando sic Sanctorum fraternitas jungitur, ut omnia in omnibus Christus habeatur, eàque concordià membrorum connexio capiti copuletur; quo diversorum retributio meritorum una sit exultatio omnium. Quapropter datur nobis licentia faminis, servato ductu Catholicæ narrationis. *Præfatio.*

Venerabilis Burchardus, Anglorum genere nobilis, nobilior factus prosecutione divinæ religionis. Hic ab annis puerilibus Deo se vovens, quantum ætas permittebat puerilis, festinabat ad studium bonæ operationis. Tandem relicta Brittannia, peregrinationis obtentu, in quandam Galliæ partem, transacto salo, pervenit. Ibique tam diu sub habitu perigrini delituit, quo audita fama egregii præsulis Bonifacii, incenderetur ardore visendi Pontificem, sanctitatis fama vulgatum. Is etenim Mogontiorum tunc præerat urbi: vir sermone clarus, aspectu jucundus, moribus probus. Ad quem venerabilis Burchardus cum venisset, ab eo gaudenter susceptus est. *Bonifatii nativitas.*

Ferunt autem sanctum Pontificem primo aspectu præfati viri, prophetico repletum spiritu adhærentibus sibi ministris tale protulisse vaticinium: *Gaudete fratres, ecce misit nobis Dominus virum contubernialem, cui committi debeat ovile Dominicum in Wirzburgensi urbe à B. Kyliano collectum.* Quibus auditis venerabilis Burchardus, primo oneris magnitudinem expavit; postremo memor divinæ visæ dispensationis, tale fertur dedisse responsum: *Etsi tanto videor indignus officio, divina tamen dispensatione imponendo mihi oneri non obluctor. Qui enim misericorditer onus imponit, credo, quia clementer levabit.* Ex eo tempore sanctissimus præsul Bonifacius solerti indagine perquirebat, quibus efficere modis valeret, quod divina noverat sibi gratia revelatum. Tandem divino instigatus adminiculo, concessu Pipini illustris Regis, qui tunc Franciæ regimen dispensabat, Romam petiit, prædicto Burchardo comite. Præerat autem tum Romanæ Ecclesiæ Zacharias summus Pontifex, dominico ovili aptissimus, summi Pontificatus infulæ non incongruus. Hic amplo sinu charitatis viros ex Germaniæ partibus adventantes, Romam colligere solitus erat, volens novellæ plantationis in fide Christi gentes ducere ad expetitionem loci, ubi pastor Ecclesiarum, doctorque gentium humanis corporibus habebantur. Cui tamen cum Magontini archipræsulis innotuisset adventus, præmeditari cœpit, si quid cum tanto viro dignum Deo cooperari valeret. Audiverat enim jam dudum sanctitatis ejus famam longè lateque vulgatam. Veruntamen cum ad hoc perventum esset, ut mutuis colloquiis post sibi datos amplexus fruerentur, cœpit Romanus Pontifex percontari, quo rudis adhuc Germanorum fides religionis munimine fulciretur, utrumne gentibus novæ eruditionis splendeat inextinguibilis lucerna divinæ respectus. Huic B. antistes Bonifacius, cum de omnibus, quibus interrogatus fuerat, veram reddiderat sententiam, in extremis *Ordinatur Episcopus à Zacharia.*

SÆC. X. ANNO. 910.

tremis fassus est, hoc sibi maximè fore veniendi negotium, ut Wirzpurgense oppidum diocœsi suæ vicinum Episcopali munio sacraretur. Tunc Romanus Pontifex primo percunctari cœpit, quæ huic officio legaretur persona, dicens, non rudibus congruere officium, secundum Apostoli præceptum. Dehinc si Episcopio prædia sufficerent, quibus pauperum necessitas Clericorumque sustentari possit inopia; asserens Episcopum Dei familiæ dispensatorem.

Beatus igitur Bonifacius munificentia charitatis præditus, prædiorum Episcopii sui partem Romano Pontifici complacitam Wirzpurgensi Episcopio delegavit, ut futurus ibidem Episcopus, sicut consors existeret divini laboris, ita etiam fieret particeps temporalis sustentationis, juxta illud Apostoli: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. His ritè peractis à Romano Pontifice iterum persona disquiritur, quæ huic officio idonea destinetur. Veruntamen venerabilis præsul Bonifacius Burchardum in medium deducens, cœpit illum dignis laudibus prosequi, dicens, hunc juvenili ætate ab occiduis partibus advenisse, secumque usque ad perfectam ætatem degentem, se nihil in eo reperisse, quod pontificali officio videatur contraire, ac per hoc se illum pontificali infula credere dignum. Ad hæc summus Præsul hilari vultu inquit, Agamus, frater, Deo gratias, quia à solis ortu usque ad occasum laudatur nomen Domini. Ab occasu venisse dicis, per quem ortum veri solis rudibus in fide populis divina pietas ministrabit. Perficiamus quod divina credimus ordinatione dispositum. Sicque consecrato Burchardo Episcopo, acceptis à Romana sede privilegiis uterque præsulum proprias sedes repetere contendunt, quos Romanus pastor talibus prosequitur votis: Vadite, inquiens, ô fratres charissimi, cooperatores divini seminis, crescat fructus vestri laboris; nec valeat inimicus, vobis torpentibus, in agro dominico serere, quod tempore messis debeat incendio tradi; prosequaturque vos auxilium divinæ protectionis, qua janitor cœlestis aulæ defensus est, ne à sathana velut triticum cribraretur. His dictis, arripuerunt iter, ad sedes proprias remeantes. Quo peracto, in divinis laudibus, & spiritualibus canticis tandem uterque præsul Wirzburgense oppidum pervenit. quibus inibi habitantium, & ex vicinis locis occurrens multitudo hominum copiosa, supplicibus clamabat vocibus, dicens, Venite patres, venite servi Dei excelsi, venite liberatores animarum nostrarum; augmentate divini verbi semina, à beato Kyliano nobis olim monstrata, quo vomere sermonum vestrorum exculta tellus nostrarum mentium, dignos ferre queat fructus proventuum.

Quibus auditis uterque Præsulum præ gaudio lachrymas fudisse memoratur. Tandem egregius Archipræsul Bonifacius inquit, Felix eris Wirzpurch, & inter Germaniæ non ignobilis urbes, & quamvis his temporibus quarundam civitatum postrema habearis, tamen exornata corporibus Martyrum inferior non haberis. In numero Trinitatis tribus fulciris martyribus, ad suppletionem tetradis, probitas Burchardi accessit Pontificis.

Clavatio corporum Kiliani &c.

Dum hæc ita gererentur, ad locum orationis perventum est, fusisque precibus, & ritè omnibus, quæ ad præsens negotium pertinebant, peractis, sanctus Bonifacius ad propria repedavit. At hunc venerabilis antistes Burchardus sedula meditatione cœpit perquirere, qualiter commissas sibi oves benè regendo in extremo examine superni judicis euge dominicum possit promereri. Erat enim mitis eloquio, vultu clarus, vigiliis atque orationibus, eleemosynisque, quantum facultas suppetebat, deditus, ætate vergens in senium, ita ut in omnibus pontificali officio videretur idoneus. Sicque factum est, ut pænè ab omnibus amaretur; non enim poterat non amari, quem replebat gratia cœlestis beneficii. Prærogativa autem fulciebatur, ut dignè ab omnibus amaretur. Dehinc meditari cœpit, ut corpora B. Martyrum Kyliani & sociorum ejus de loco, in quo ab infidelibus temerè posita fuerant, levarentur. Pro certo namque noverat non diligenter fuisse reconditos, quos clam audiverat interfectos. Collecto denique Clero & populo, indixit jejunium, ut digni possent reperiri, à quibus sancti Martyres permitterent sua corpora moveri. Constituta autem die elevationis Martyrum, maxima rusticorum multitudo confluxit Wirzpurch, alii religionis studio; alii convenerant illecti miraculorum indicio, alii recuperandæ sanitatis desiderio. Tunc venerabilis Pontifex Burchardus ad locum sepulturæ accessit, acceptoque sarculo primus fodere cœpit, subvenientibus sibi ministris, quos ad hoc opus delegerat. Sed postquam tellus egesta est, non alta scrobe inventa sunt corpora Martyrum, ita fragrantia, ut omnium circumastantium nares suavitate odoris tanti replerentur. Elevatis denique corporibus, ingens factus est populorum concursus, multitudinisque stipata congestio. Elaborabat nempe popularis ille conventus, si quis posset feretrum tan-

tangere, aut transitu succumbere, alii elevatis manibus, gratias Deo referre; eratque vox omnium una: Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tanta verò miraculorum insignia operatus est Dominus per Sanctos suos, ut si qui forte aderant, qui in fide titubarent, visis tot signis, solido robore credulitatis firmarentur. Miraculis igitur comitantibus, hymnis perventum est ad locum, ubi Sanctorum corpora condenda erant, quæ diligenter recondita usque in præsentem diem hymnis & orationibus frequentantur. Venerabilis tamen sacerdos Burchardus in loco, ubi sanctorum Martyrum corpora humo tegebantur, vigiliis, orationibus, ac Missarum frequentationibus indeficienti studio vacabat, metuens ne fraus antiqui furis à thesauris divino igne probatis, per desidiam se removere valeret; aut dum ipsi minus diligenter custodiunt, inertem custodem, & se non integrè diligentem contemnerent. Certus itaque sanctus vir de præmio æternæ remunerationis, solerti cautela semet undique muniebat, quatenus pulsanti Domino januam, qui eum familiæ suæ præfecerat, confestim aperiret, accensisque lampadibus nulla per ipsum mora foret, quin æterno convivio cum prudentibus virginibus reciperetur. Hac denique expectatione sollicitus, in divino opere, nec calliditate antiqui serpentis poterat devinci, nec senectutis gravitate tardari; in effecto virilem animum gerebat. Tandem advenerat jam tempus, quo sancta anima mole corporis solvenda erat, comperiensque sanctus vir per corporis ægritudinem vicinam instare sibi carnis dissolutionem, vocatis fidelibus, qui in præsenti adesse poterant, divini verbi pabula in extremo quoque præsentis vitæ termino ministrare curavit, monens illos viam veritatis insistere, charitatemque, in qua summa virtutum consistit, inviolabiliter observare. Posthæc extremi muneris benedictione prolata, corporis ac sanguinis Christi viatico munitus, amissa mole terreni corporis migravit ad cœlum, ubi accepta singulari stola fælicitatis, expectat ultimum resurrectionis diem, in quo duplici vestitus ornamento nil sibi deesse lætetur, per eum, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. AMEN.

SÆC. X. ANNO. 910.

Miracula.

Burchardi mors.

FINIS.



SYNO-

SYNODUS

ENGILENHEMENSIS.

A Canisio primùm edita ex m. s. Cod. Monasterii Weingartensis.

JACOBI BASNAGII

IN

SYNODUM

ENGILHEMENSEM

OBSERVATIO.

Sæc. X. Anno 948.



N editione Labbeana hic est titulus: „ *Concilium Engilenhemense*; in quo Artaldo sedes Remensis restituta, Hugo „ comes Ludovico Regi perduellis excommunicatus est „ præsente Marino sedis Apostolicæ legato. Celebratum Indictione VI. septimo idus Junias anno Christi 948. Agapiti II. Papæ an. II. Ludovici ejusdem Transmarini regis, qui Concilio aderat, anno XIII.

Satis nota Synodi causa; geminæ scilicet controversiæ: prior de regno ipso inter Ludovicum & Hugonem Comitem Parisiensem, qui a plurimis annis ipsum bello civili fatigabat: altera de Episcopatu Rhemensi inter Artaldum & Hugonem, quem annos decem natum, contra Canones, Episcopali Ministerio admoverat parens Hebertus.

SYNO-

SYNODUS ENGILENHEMENSIS.

Sæc. X. Anno. 948.



*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo quadragesimo octavo, Indictione VI. VII. Idus Januarii. Anno Serenissimi Regis Ottonis XIII. ipso quoque cum Illustrissimo Rege Ludovico in præsentia manente, sancta ac generalis Synodus apud Engilenhem in Ecclesia sancti Remigii Confessoris Christi, in pago Nagavvi dicto collecta est, præsidente videlicet domni Agapiti Papæ * Apocrisario venerabili Polimarciensis Ecclesiæ Episcopo, Marino, & considentibus Archiepiscopis Wichfredo sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo; Frithurico sanctæ Moguntinæ sedis Archiepiscopo; Rhotberto sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo; Ardoldo sanctæ Rhemensis Eccl. Episcopo; Adalgago (a) sanctæ Hainmeburgensis Eccl. Archiep. Richgauvone Wangionensis Eccl. Archiepiscopo; (b) Keroldo sanctæ Juvanensis (c) Eccl. Archiep. Udalrico Augustensis Eccl. Episcopo; Bernardo Habalrestensis Eccl. Episc. Dudone Padebrunnensis Eccl. Episc. Cuonrado Constanciensis Ecclesiæ Episcopo; Starcando Eistettensis Ecclesiæ Episcopo; Reginbaldo Nemetensis Ecclesiæ Episcopo; Bobbone Wirciburgensis Eccl. Episcopo; Adalberone Metensis Eccl. Episcopo; (d) Gochlino Tullensis Ecclesiæ Episcopo Berengero Virdunensis Ecclesiæ Episcopo; Balderico Trajectensis Ecclesiæ Episcopo; Wichardo Basilensis Ecclesiæ Episcopo: Duodone Osneburgensis Ecclesiæ Episcopo; Eberiso Mimidonensis Ecclesiæ Episcopo; Hildiboldo Mimigardevurdensis Ecclesiæ Episcopo; Varaberto Tungrensis Ecclesiæ Episcopo; Volgberto Camaracensis Ecclesiæ Episcopo; Rudolfo Lugdunensis Ecclesiæ Episcopo; Michaele Radesbonensis Ecclesiæ Episcopo; Adalberto Lauriacensis Ecclesiæ Episcopo; Liopdago Ripuensis Ecclesiæ Episcopo; Oredo Suevicensis Ecclesiæ Episcopo; Reginbrando Arusuensis Ecclesiæ Episcopo; cum cœtu Abbatum, Canonicorum, nec non & Monachorum; unius spiritus amore ferventium, quatenus cœlitus adminiculati zizania divini cultus agro ab inimica manu superseta, Canonicarum sarculis sententiarum radicitus exstirparentur.*

Baron. ex Frod. 7. Idus Junii.

* apocrisiario.

Igitur recitato primitus Evangelio, oramineque finito & sanctorum Canonum quamplurimis institutionibus linguarum clavibus coram reclusis, Missus Apostolicæ Sedis chartam suæ legationis honorificè protulit; in qua pro debitæ reverentiæ dono Romano Pontifici exhibendo commoniti sunt, ut universalis Ecclesiæ puppis exoptatæ tranquillitatis portui secura succedat, seque procelloso tribulationum turbine vexari diutius non timeat. Significatum est autem in ejusdem recitaminis sententia prædictum Præsulem Marinum ab ipso universali Papa tali tenore ad nostros fines directum fuisse, quo in omni Ecclesiasticarum legum discussioni ipsius existens Vicarius, quæcunque liganda essent, Apostolica auctoritate ligaret: & quæ solvenda viderentur, parili solveret potestate. Hujusmodi proculdubio affaminis tam salubri missatico gloriosissimi Reges præfati cum Pontificibus, omniumque Clero congratulantes, ut dignum fuit, se in omnibus consentire & obedire professi sunt. A quibus auctorante & confirmante legato Apostolico capitula subsequentia statuta sunt.

Dehinc ex sessionis suæ loco se subrigens inclytus Rex Ludovicus ad præsentiam serenissimi Regis Ottonis, totiusque sanctissimi Concilii unanimitatem satis lacrymosi conquestus protulit querimoniam, videlicet quod regia privaretur potestate à quodam Principe Hugone nominato, quondamque sibi subjecto, cujus anxietate & multimodæ reclamationi condolentes in unitate Spiritus coadunati sanctissimi Patres ejusmodi super hac re sententiam protulere.

(a) Lege Adeldanus Hammaburgensis, Sirmund. Basn.
(b) Alias Herolfus, alias Geroldus. Flodoardus habet Herolдum Histor. Rhem. l. 4. c. 35. Basn.
(c) Ergo Juvaniensis Ecclesia erat Episcopalis jam eo tempore. Basn.
(d) Sirmundus legebat Gosleno. Basn.

Reclamatio Ludovici, qualiter Hugo Comes illum de regno suo privavit.

CAPUT I.

NUllus deinceps regiam potestatem præsumat populari, seu aliquam maculum sibi fallaciter exhibere: Decrevimus enim Toletani Concilii judicium exequendo, Hugonem Regis Ludovici Regni invasorem & raptorem excommunicationis gladio feriendum, nisi fortè tempore statuto ad Synodale Concilium veniat, & à tam nefaria protervitate satisfaciendo resipiscat.

Item reclamatio Ardoldi Episcopi, qualiter Hugo Pseudoëpiscopus Sedem suam illicitè invasit.

CAPUT II.

ARdoldus Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopus propria de Sede expulsus ex canonica auctoritate in pristinum honorem inthronizatus; Hugo autem, qui ejus Sedem contra fas sibi usurpat, anathematis est mucrone multatus, ejusque ordinatores, & qui ab eo sunt ordinati, nisi VI. Idus Septembris Treviris veniant, & ibi pro erratibus dignam satisfaciendo pœnitentiam subeant, similem excommunicationis sententiam sustineant.

Item reclamatio Rudolfi Lugdunensis Ecclesiæ Episcopi.

CAPUT III.

DE antedicto Hugone Comite, qui Ruodolphum Lugdunensis Ecclesiæ Episcopum propria de Sede, non caussa alicujus criminis, sed pro fidelitate Ludovici præfati Regis proprii senioris expulit, decrevimus in sancta Synodo eum pro hac re, sicut de præscripta, excommunicandum, nisi veniendo satisfecerit.

CAPUT IV.

UT Laici sine Episcopali licentia Presbyteris Ecclesias dare vel dimittere non præsumant.

CAPUT V.

UT nullus Laicorum Presbyterum flagitare seu fatigare, vel aliquam sibi injuriam inferre audeat.

CAPUT VI.

UT Paschalis hebdomada festivè tota celebretur; & in Pentecosten II. III. IV. feria non minus quam dies Dominicus solemniter honorentur.

CAPUT VII.

IN Letania majore jejunium, sicut in Rogationibus ante Ascensionem Domini, exerceatur.

CAPUT VIII.

UT oblationes fidelium quater (*a*) altari deferantur, nihil omnino ad Laicalem pertineant potestatem, dicente scriptura, *qui altario deserviunt, de altario participentur.*

CAPUT IX.

UT decimæ, quas Dominus præcipit in horreum suum deferri, si Ecclesiis Dei non fuerint redditæ, sed nefaria cupiditate, quæ sævior Ætnæ ignibus ardet, à secularibus fuerunt retentæ, sæcularia super hoc non exerceantur judicia, nec in forensibus discutiatur caussis, sed in sancta Synodo ab ipsis sacerdotibus, quorum deputatæ sunt usibus, quid exinde debeat actitari certis diffiniatur promulgationibus.

CAPUT X.

UT Evangelica auctoritate & sacrorum Canonum institutione, pœnasque proponere * divini judicii, ut nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cavendum est quippe, quod de earum moribus actibusque beatus Paulus testatur Apostolus. Quod planius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri, quàm admoneri videatur.

* *videtur aliquid deesse.*

Finis Synodi Ingelheimensis. (*b*)

SYNO-

(*a*) Leg. Quatenus; aliter nullus esset sensus. Sic & Labbeana editio T. IX. p. 625. BASN.

(*b*) De hac Synodo multa Card. Baronius Tom. X. anno Christi 948. ex Frodoardo. CAN. Hic addenda forent quæ Flodoardus habet Historiæ Rhemensis l. 4. c. 35. sed cùm ea leguntur non modo apud Flodoardum ipsum, sed & in editione Labbeana Conciliorum tomo IX. p. 626. Hic omittenda credidimus. BASN.

SYNODUS AUGUSTANA.

Sæc. X. Anno. 952.

Primùm a Canisio evulgata ex m. f. (a) Cod. celeberrimi Monasterii Weingartensis.



Cum excellentissimus, piissimusque Otto Rex, superna attractus clementia non minus de negotio spiritali, quàm de statu Christiani imperii * *tractare, inprimis Pontificum, aliorumque primatum suorum communi consilio fretus anno Incarnationis DCCCCLII. Indictione X. Anno verò Regni ejus XVI. sub die VII. Id. Aug. placitum, conventumque Synodalem Augustæ fieri decrevit, quatenus concordi diligentia, tàm sancti Cleri, quàm populi Ecclesiæ stabilitatis profectus & totius Christianitatis utilitates tractarentur. Cujus divinæ rei dispositionem per reverentissimi, atque prudentissimi Frithurici Maguntinæ Sedis Archiepiscopi industriam maximè gubernari deliberavit. Heroldo etiam (b) Juvanensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Manase quoque Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Petro Ravennati Archiepiscopo, cæterisque, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, subnotatis Pontificibus huic discussioni operam exigentibus, Udalrico Augustensis Ecclesiæ Episcopo: Annoni Wangionensis Ecclesiæ Episcopo; Starcando Eibstensis Ecclesiæ Episcopo; Cunrado Constantiensis Ecclesiæ Episcopo; Poponi Werziburgensis Ecclesiæ Episcopo; Godefrido Nemetensis Ecclesiæ Episcopo, Harberto Curiensis Ecclesiæ Episcopo. Vudoni Argentinensis Ecclesiæ Episcopo; Lantberto Frisingenensis Ecclesiæ Episc. Hugone Aritiensis Eccl. Episc. Michael Radesboriensis Ecclesiæ Episcopo; Adelberto Pataviensis Ecclesiæ Episcopo; Luidfrido Picinensis Ecclesiæ Episcopo; Gisibrando Terdonensis Ecclesiæ Episcopo; Antonio Bricsiensis Ecclesiæ Episcopo; Vultoni Cumano Episcopo; Deodato Parmensis Ecclesiæ Episcopo; Vuittoni Mutinensis Ecclesiæ Episcopo; Adelhardo Regenensis Ecclesiæ Episcopo; Sigolfo Placentinæ Ecclesiæ Episcopo; Adalgiso Aquenensis Ecclesiæ Episcopo, cum eorum unanimis diligentia, huic Ecclesiastico negotio vigilanter instaret, omnibus ratum putabatur, principem regni beatæ matris Ecclesiæ devotum filium postulare, quatenus ibidem divina discutientibus interesse dignaretur. Tum die præfinito eo veniens dulcisona modulationum jocunditate, honorificè, uti regiam dignitatem decuerat, ab omnibus acceptus, Missæ celebratæ finita satisfaciendo Pontificum petitioni cum insigni privatim turba Synodum intravit. Interim reverendus Mogontinæ Sedis Archiepiscopus Frithuricus se è solio erigens, humiliter, strenueque sermonem regulari studio congruentem protulerat, deinde cuncta, quæ de jure Ecclesiastico juxta Canonicam auctoritatem & imitanda Sanctorum Patrum decreta erant ventilata pronuncians; in hisce omnibus huic rei necessariis se in commune ejus præsidium sentire postulabat. Quibus rex superni amoris igne succensus, & zelo divini amoris animatus, mentis, corporisque nisu Ecclesiasticarum rerum auxiliatorem, defensorem promptissimum se esse promittendo certificavit. Hac videlicet promissione audita regali, prælibatus Archiepiscopus residens communi cæterorum assensu, capitula subsequentia titulari præcepit.*

* *Missa celebrata.*

CAPUT I.

Si quis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque uxorem acceperit, à sibi injuncto officio deponendus est; sicut in Concilio Carthaginensi tenetur, cap. 25.

CAPUT II.

Episcopos, Presbyteros, vel aliquem de Clero, canes venandi amore, vel accipitres habere non licet, sicut in Concilio legitur Toletano cap. X. Quisquis autem perso-

(a) Errabat procul dubio *Binius*, qui hanc Synodum sub Johanne XII. collocabat; nam ad ann. 952. sine dubio revocanda est; tuncque sedem Romanam tenebat Agapetus. Basn.

(b) dicitur Herolfus in Catalogo Episcoporum Salisburgensium. Mutaverunt nomen editores Conciliorum & Geroldum posuerunt: quod miror, sed *Juvanensis* dicebatur olim Abbatia sive Ecclesia Salisburgensis. Basn.

SÆC. X. ANNO. 952.

personarum hujusmodi in hac voluptate denudatus fuerit, quamdiu in illa detestabili voluptate detinetur, ab omni Ecclesiastico officio cesset.

CAPUT III.

EPiscopus, Presbyter, aut Diaconus aleæ vacans, si ab hoc interdicto opere cessare noluerit, velut in Canone Apostolorum habetur capitulo quadragesimo secundo, deponendus erit.

CAPUT IV.

NUllus in Clericatus officio manens mulierem subintroductam secum habitare permittat. Si verò aliqua suspicionum maculis adsparsa contra hæc agere tentaverit, ab Episcopo vel ejus misso virgis cæsa detondeatur. Si autem sæcularis potestas hoc fieri prohibuerit, regia potestate fœmina coacta prælatæ sententiæ subjaceat.

CAPUT V.

DIversa sæcularis vitæ negotia fugientes, & Monasticæ institutionis normam aggredientes extra claustrum sine licentia proprii Abbatis ire non licet: sed tantummodo jejunio & orationi vacare, in locis quibus renunciaverunt seculo permanentes, sicut in Concilio Chalcedonensi præcipitur.

CAPUT VI.

OPortet etiam Episcopum, in cujus diœcesi cœnobium situm est, Monachorum providentiam gerere, & si aliquid correctione dignum repperit, corrigere festinet.

CAPUT VII.

CLericis Monachicum habitum sequi cupientibus, & pro remuneratione divina sæcularibus spretis arctiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab Episcopo denegetur, sed potius eum in tali conversatione perstare exhortari conetur, sicut in Concilio Toletano habetur capitulo L.

CAPUT VIII.

SAnctimonialis, quæ spontanea voluntate, strictiori vitæ proposito se alligare voluerit, nulla re obstante, id quod bona intentione disposuerat peragendum, ab Episcopo impediatur.

CAPUT IX.

UT laici Presbyteros sine conscientia & consensu proprii Episcopi ab Ecclesiis eis canonicè commendatis non ejicere præsumant, nec alios locum eorum subire faciant; quia ut ab Episcopis ordinantur, ita necesse est ab ipsis Ecclesias procurandas accipiant, sicut in Concilio habetur Arelatensi cap. IV.

CAPUT X.

UTt omnis decimatio in potestate Episcopi sit, & si neglecta fuerit, quidquid inde emendandum sit, coram Episcopo, ejusve misso corrigatur.

CAPUT XI.

EPiscopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant. Cæteri autem Clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes, ad continentiam cogantur.

Finis Synodi Augustanæ:

Illustriss. Cardinalis Baronius Tom. X. Annalium Anno Christi 952.

QUo etiam Anno, Augusti mense, Augustæ Rhetiæ provincia publicus habetur conventus Episcoporum, nec non Principum Francorum, Saxonum, Bavarorum, Alemannorum, & Longobardorum, ubi Berengarius cum filio Adalberto sese subjiciens Ottoni, ab eo, ut subditus, recipit regendam Italiam, &c.

VITA

VITA
SANCTI
WILLIBALDI
EPISCOPI
AICHSTADIANAI
AUCTORE
ANONYMO.
A CANISIO
EX

Membranis MS. Monasterii Windbergensis in Bavaria primùm in lucem edita.

CANISIUS

Ad Lectorem.

Sæc. X. Anno. 985.



Ita hæc debebat suprà collocari sub finem Hodœporici S. Willibaldi. Sed non habui; sub finem editionis sum primùm nactus, humanitate Reverendissimi Patris ac domini Andreæ Vogelin Abbatis in Windberg Ordinis Præmonstratensium. In m.s. non erat appositum ullum auctoris nomen. sed conjectura mihi pæne certa est, esse Reginoldum, qui teste Molano, Bruschio, & Baronio scripsit vitam S. Willibaldi, quem, ubi nominat, ait Patronum nostrum. *Item sub finem:* Auxiliare tuis tibi à Christo collatis, *&c. ubi videatur quis audire Episcopum Aichstadianum pro suis Aichstadianis ad primum Aichstadianorum Episcopum & Patronum preces fundentem. Præterea cùm dicat Bruschius Reginoldum fuisse virum doctissimum; certè hic stylus doctus & elatus illo turgido dicendi genere, quod illius ævi doctiores affectabant, ostendit auctorem. Ut proinde, nulla possit esse suspicio de auctore illo vel illa, quæ vitam S. Wunibaldi scripsit, (quam supra dedimus) seque testatur etiam S. Willibaldi vitam scripsisse. Vide quæ notavi ad Lectorem supra &c. Hoc tamen verum est, auctorem hujus vitæ S. Willibaldi plurium scripta de S. Willibaldo legisse: ita enim ait:* Prout Deus & Dominus omnium contulit legenda in secula pauca constrinximus.

JACO-

JACOBI BASNAGII IN SCRIPTOREM VITÆ S. WILLIBALDI OBSERVATIO.

I. TErtia est hæc *Willibaldi* vita a *Canisio* edita: Illam Reginoldo tribuit. Fuit Reginoldus Episcopus Eistetensis anno 989. quo obiit. Dicebatur sui sæculi *Chrysostomus*; Sic enim eum appellat Anonymus, qui Catalogum Episcoporum Eistetensium scripsit sæculo undecimo: *Chrysostomus noster Reginoldus.* Willibaldo devotissimus ille primus Episcopi defuncti corpus in Cryptam transtulit; infelici tamen successu: *Perceperat* enim Scriptor indicatus, *veridicâ Patrum relatione omnes qui Willibaldi Reliquias inspexerant, annum integrum non implevisse. Quid autem ipsi Episcopo acciderit, non dicendum est per singula.* Supervixit quidem Reginoldus annos plurimos, cum hæc translatio referatur ad *annum* 186. *depositionis Willibaldi.* Obierat Willibaldus an. 786. debuit igitur Reliquiarum Translatio fieri anno 972. post quem septemdecim annos in vivis fuit Reginoldus. Innuit tamen Author Anonymus mala quædam obvenisse, quæ silentio maluit involvere quam illa Posteritati mandare. I. *De Reginoldo.*

II. Reginoldum authorem esse vitæ Willibaldi, non ausim cum Canisio asserere. Dubitavit olim Mabillonius, & merito quidem; narrans enim Anonymus, de quo supra, translationem Reliquiarum a Reginoldo factam, asserit *pulcherrimum Carmen ipsum fecisse.* Carmine Reginoldus cecinerat laudes Willibaldi, sed prosa ejusdem vitam jam a plurimis memoratam confecisse non dicitur: quânam igitur Ratione poterit ipsi tribui hoc opusculum? Cum tamen ignotus author incertaque sit ætas, Canisio aliquatenus obsequentes illud opus Reginoldi nomine insignitum reliquimus, & Sæculo decimo, quo scriptum fuisset, assignavimus. II. *An sit Author vitæ Willibaldi.*

III. Elato turgidoque gaudet stylo hic scriptor; phalerataque ejus verba ab eloquentia Chrysostomi longe recedunt. Cæcitatem Willibaldi, quam omiserant cæteri, retulit; narrat enim dum peregrinaretur repente cæcum factum fuisse, sed postea ut miraculo divinitus fuerat obcæcatus, sic etiam miraculo deperditum luminis usum recuperavisse: quæ an vera sint, judicet Lector, cum absque ulla ratione nisi probationis causa hoc evenisse fateatur. Ut cæteri Scriptores, Willibaldi vitam ab eo tempore quo fuit Episcopus, digito tantum tetigit ipsum tamen Patronum frustra numquam invocatum asserit. *Quis inopum inedia squalore fœdatus alimoniam non invenit? quis peccatorum pondere prægravatus dum ei vulnus inflictum ostendit, onerosus abscessit?* Nequidem Deus omnibus talia annuit! Hanc vitam cum cæteris ex indicata causa noluit edere Mabillonius. III. *De Operâ Reginoldi.*

VITA

VITA SANCTI S. WILLIBALDI EPISCOPI.

Sæc. VII. Anno 985.



Riginem egregii confessoris Christi atque Pontificis Willibaldi Saxonica tellus excepit, & tanta fœcunda de prole felix feliciter exultavit. Verum post eum salsivaga ponti lympha perlambens orientis patribus destinavit: ut quem illa meruit per naturam, Bojaria mereretur habere per gratiam. Is igitur cùm lepidis in primordio delicatæ teneritudinis educantium foveretur adulationibus, blandoque parentum præcipuè. Affectu puerulus nutriretur, prosperum dierum rotantium cursu triennii pervenit ad calcem.

Will. ægrotat infans. Cumque futurus Dei Tyro infantiales adhuc teneri corporis gereret artus, quædam illum repentina in viridi membrorum compagine tetigit ægritudo; tantoque corporis est arreptus incommodo, ut molestia prægravante, exigua stringerentur membrorum compagia, & vix in eo vitalis permanens flatus, vicinum jam jamque minaretur exitium. Cumque pater & genitrix anxii cordiflua sæpius sæpiusque protraherent suspiria, & ægrotantis, peneque seminecis sui editi præstolarentur egressum, viscerali, & inopinata affligi cœpere mœstitia, quòd soboli sibi cœlitus attributæ lues tyrannica, & exitiale discrimen ex improviso lugubrem minarentur excessum. Et quem à primordiali infantia ablactatum atque consotum usque ad triennium educaverant, & vitæ superstitem relinquere anhelabant, jam extinctum avara tegerent gleba.

Sanatur. Miserator ergò & misericors Dominus, qui infirmitatem sæpe suis incutit Sanctis, ut invalitudo fortes per ipsum virtutis recipiat vires, noluit beati puerulí Willibaldi adhuc terræ mandare corpusculum, ejusque mundum cum sanctis cœlo suscipere flatum, verùm ut per orbem jam fide firmus lucrator existeret animarum, & spiritualium pastor ovium, ipse qui ei exstitit ægro infirmitatis exordium, medelæ contulit incrementum. Salubri namque parentis ipsius consilio inito, vivificæ eum sanctæque crucis obtulere vexillo, ut si per ipsam, per quam salus data est mundo exitiali vita redderetur puerulo, sacri ordinis primordio attonsum monachico donarent cœnobio. Statimque ut concepti ipsius fœlicis voti thesaurum tristia labia pendulis vocibus extulerunt, ipsa quæ dudum in puero grassabatur morti vicina infirmitas, quasi quadam hostili manu repulsa, cessit fugiens pristinæ sanitati. Læti sunt de tanto, quod optaverant munere, laudes Christo promunt corde & corpore, & votum quod fideliter voverant, ocius conantur implere.

In Monasterium mittitur. Ergò cum eum ad quinquennii metam temporis rota devolveret, & spiritalis in eo germen sapientiæ jam jamque feliciter pullularet, parentes desiderabilis voti non immemores sui, ad sacræ cœnobialis vitæ rudimenta eum parare festinant, ut quem Christus salutari reddiderat vitæ per vexillum crucis vivificæ, vivendum eum, & non moriendum, jam spiritaliter in æternum contemplativæ traderent vitæ. Affectui denique animi prompti comitatur effectus. commendant namque eum, cui divina gratia jam fuerat prævia, cuidam nomine Thealoreto ad cœnobium destinandum, de se suisque omnibus provide eum dispensare, disponereque rogantes. Quem cum ad monasterium, quod ab incolis dicitur Waldheim prospero calle perveherent, tantæ indolis puerum illuc cœlesti munere destinatum venerandi Abbatis Eguivaldi vocabulo, ad tyrocinium sacræ militiæ, manibus tradunt. Qui protinus ac si donum cœlitus destinatum cum consensu Sanctorum inibi demorantium fratrum, liberaliter, futurum,

turum Christi sacerdotem in teneris infantiæ suscipiens artubus, & thesaurum dominicum fideli mente complectens, cœnobialis vitæ eum subdidit institutis. Cumque sacras Davidici carminis paginas solerti mentis intentione puerulus discendi gratia peragrasset, hagiographorum se statim sedulus subdidit instrumentis, sanctissimis pridem psalmorum ablactatus uberibus, ita ut ab ejus ore infantis & pene lactentis vocem sibi Christo perficeret laudis, sicque crescente in eo membrorum compagine, crevit etiam post circulum dierum cœlestis observantia disciplinæ, & totius forma justitiæ. Totus namque in amore Dei conversus, nihil temporale, nil voluit habere carnale, excepto quod natura labilis carnis haud potuit denegare. Sumebat quotidiè miles Christi fortissimus arma cœlestia, & cristato vertice galeam salutis æternæ, in stadio contra hostem antiquum præsentis vitæ acriter pugnaturus, Spiritus Sancti machæra fulgebat aucta. Tum denique in abdita mentis ejus quiete salubris oritur cogitationis effectus, qualiter cuncta quæ sunt caduca respueret, & illa quæ necem & mortuos non sequuntur solicitus declinaret, & non solum oblectantes mundi divitias, mulcentesque seculi pompas, verum nota linqueret arva, & patrios desereret fines peregrinationis angustiis pro deliciis uteretur, quod postea rei probavit eventus.

SÆC. X. ANNO 985.

Postquam igitur sanctus adolescens Willibaldus in eo, cui se totum commiserat, spei & desiderii sui anchoram defixerat, conceptum jam dudum & abditum patefecit occultum; & genitorem in remotioribus super hoc negotio humiliter consulens monet, ut votivæ suæ voluntatis consilio & libenter præberet assensum, & filius peregrè proficiscens, patris in eundo frueretur consortio, ob amorem cœlestis patriæ, toto postulat mentis conamine, asserens ei mundi divitias falsas, & in perpetuum perituras, & simul cum mortis dispendio relaxandas, male homini in seculo vivere, nihil aliud fore, nisi ipsi gehennæ incendia cumulare: è contra bona cum fide agenti & in ipsis perseveranti, & post corporis dissolutionem in perpetuum cum sanctis Angelis vivere, & nihil aliud agere quàm Deum in æternum laudare. Tum pater adhuc liberorum & conjugis amore sollicitus, inhonestum & crudele cunctis esse testatur, ut orbatos patre liberos alienis quasi prædam relinquens, tellurem per tanta sali discrimina adiret ignotam. At miles Christi jam petra firmissima solidatus, nec genitoris lenociniis frangitur, nec seculi gaudiis revocatur, quin potius iteratis adhortationum elogiis & precibus indefessis, & modò delicias paradysi, spemque sine fine vivendi illi opponens, modò flammivoma baratri tormenta objiciens desiderabilis voti potitur tandem effectu, & de patris jam lætatur assensu. Itaque volvente temporum climate, & vergente annorum curriculo, cum æstatis fornax jam exordium posceret, commoda itineris secum tollentes, cum cœtu commeantium collegarum, juncto etiam B. Wunibaldo germano fratre, ad loca destinata perveniunt, quæ prisco nominantur vocabulo hamelea mittha, (*a*) secus portum, quod dicitur Hamwich. Ibique castra metantes paulolum temporis demorarunt, flamina navigii præstolantes.

Patrem trahit ad peregrinandum.

Adveniente præterea optati temporis hora, qua suis classem placidis pontum suscepit undis, naulo impenso, pennigerum ascendere celocem, Circio flante, crepantibus remis, rugosi investigabiles marmoris venas jam læti sulcantes. Cumque vasti æquoris moles cæruleas citato navium cursu prospere transegissent. Christum cum eis in sanctis suis habitantem habentes portum salutis inveniunt, ipsique immensas gratias agunt, ibique figentes tentoria, urbis proximè Rotumacum vocabulo mœnia adeunt, & multa sanctorum illic oratoria perlustrantes, ipsi quem sponte peregrini sequebantur, totos se cum lachrymis commendarunt. Dein iter arripientes, postquam Gorthonicum * pervenerunt urbem, quæ vocatur Lucca, præfati duo cum patre intravêre germani, patris illic ægritudine prægravati, ruri ossa avaro mandantes. Inde profecti arduos alpium vertices petierunt, angustos itineris calles nivis & glaciei nitore micantes, & mortem quasi transeuntibus minitantes, semper oratione vincentes. Postquam autem Italicam transiêre tellurem, egregiis Apostolorum Petri sese dedêre præsidiis, gratias agentes vivficæ Trinitati, ovium quoque Christi pastori, quod de innumeris terræ & ponti periculis fuerant liberati. Quo etiam aliquandiu commorantes, vitaque ac religione monachica præpollentes, dum febris incendio urerentur, & eis jam mors ac si exitium intrepida minaretur, meritis & precibus sanitati pristinæ sunt sanctorum restituti.

Adveniunt Rothomagum.

** f. Dertonicum in Liguria.*

His igitur ritè dispositis, pro quibus atletha DEI fortissimus Willibaldus Romam visitaturus advenerat, cum ad sublimioris ac rigidioris vitæ fastigium scandere sedulus anhe-

Willibaldus vult petere Hierosolymam.

(*a*) leg. Hamelea muttha, id est, ostium fluminis apud Anglos ad Vectiam insulam. BASN.

SÆC. X. ANNO 985.

anhelaret virtutes, quotidie in se virtutibus cumulans cœpit jam peregrinus seculo, iterum peregrinari velle, & ut Hierosolymam Christo favente, ipsum ibidem adoraturus pergeret, mente tractare. Cujus sancta & pia cogitatio, sicut à Deo initium sumpsit: ita per ipsum effecti finem accepit. Cœpit itaque ambulare, confidens; divina protegit ubique virtute: & quanto in labore extitit promptior, tanto in charitate firmior, & in fide fuit constantior. Peragratis ergò haud absque nimio labore, nativitatis, educationis, baptismi, passionis, resurrectionis, in cœlum ascensionis Dominicæ, sed & multis aliis locis, quæ compendii omisimus gratia, cum iterum sanctus sanctam civitatem Hierusalem videre conaretur, Christum natum & passum in ea cupiens adorare, B. Matthiæ Apostoli Ecclesiam petiit, ibique se ejus orationibus communivit. Tum subitò inter sacros Missarum concentus luminis privatus est dignitate, quod beato viro non ad injuriam superna contulit pietas, verum ad solitæ probationis emolumentum, & ad fidei constantissimæ donum. Memor namque Abraham patriarcham in filio fuisse tentatum, & hæreditariam benedictionem in secula meruisse; Job quoque & Tobiam in carnis tentatione fore probatos; quia & ipse cum sanctis tentari meruit, totis nisibus exultavit. Sanctorum denique corpore cæcus, non mente, loca circuiens, tandem civitatis sanctæ portas ut optaverat introivit. Mirum dictu, quia mira faciens ipse est Christus. Cumque basilicam, in qua vivificæ crucis vexillum fuerat inventum, coecus intraret, illicò lux olim amissa, tetras discutiens tenebras, micuit in patulo, roseumque jubar radios à se ignivomos nitendo demittens, futuri Pontificis soles implevit, & densæ noctis horrore fugato, præclari luminis diem extendit. Crux nempe sancta, quæ ei dudum spacium contulit vitæ, ipsa levamen, & medela in recuperanda extitit luce. Igitur beatus virtutem ipse cœlestem agnoscens, & quia ut probaretur tentari meruit, sollicita mente pertractans, vocem extulit laudis, & Christum regnantem adoravit in sanctis.

Coecus fit Willibaldus.

Luminis usum recuperat.

Hactenus de origine & labore beatissimi Willibaldi, prout Deus & Dominus omnium contulit, legenda in secula pauca perstrinximus, nunc qualiter ad Pontificii pervenerit dignitatem, compendiosa quoque lectione tractemus. Lustratis itaque tot ac tantis maris, terræ fluctuumque spaciis, quibus in fame & siti, in frigore & nuditate, in corporis crebra infirmitate, in ergastuli horrendo squalore peregrinus, & exul in peregrinatione sua Christo studuit militare, cum comitibus, quos secum in via tulerat, B. Benedicti Abbatis, gratia orationis, adiit monasterium, decimum jam, quo patria rura reliquerat, transiens annum. Ubi haud plures cum Abbate monachici cultus Christi reperiens milites, cœpit & ipse jam Monachus ibidem Domino strenuè militare, & seipsum benè vivendi formam cunctis ostendere, & quosdam monitis à seculo revocans, quosdam jam revocatos exemplis imitabilibus animans, velut præclara in domo Domini ardens lucerna, alios ad ardendum lucendumque accendere, ita ut eos, quos illic invenerat, jam pietate vinceret, constantia superaret, charitate inferiores ostenderet, patientia impares demonstraret, humilitate cunctos ante omnia superaret. Nec mirum ergo, si in eo tantarum virtutum exuberaverit plenitudo, cum fontem virtutum meruerit in se habere manentem. Velut enim prudentissima apis graminorum diversorum flosculos legens, prius favos, dein natos, postea dulcia mella congerminat, ita beatus jam ab Angelis ad Pontificii dignitatem electus, dum passim circuivit innumera loca sanctorum, quidquid dignum & habile vitæ spiritali audivit & vidit, mente quasi cruribus inhærendo suspendit. Cumque Evangelii dulcedinem frequentius stillantem mentis aure percepit, favis jam glutino tenaci compositis, natisque in ipsis fide Christiana firmatis, stillantia prædicationis mella diffudit, cunctisque ad percipiendum ferculum obtulit.

Willibaldus fit Monachus Casin.

Interea cum iterum nutu divino Romam cum quodam obnixè postulante Hispaniensi Presbytero feliciter introisset, & cœli janitoris Petri Apostoli suffragia implorasset, Gregorius tunc Apostolicæ sedis culmine nitens, qui tertius in Episcopatu Gregorius appellatus est, beati viri adventum fidelium relatu comperiens, blanda eum voce ad se venire præcepit. Qui veniens, & terræ se pavimento prosternens, benigna humilitate salutantem Apostolicum resalutat, & fletibus suspiria utrinque miscentes de sua invicem visitatione laudant Dominum exultantes. Cujus cum Papa benignissimus peregrinationis seriem, ipso referente, libenter audisset, & de ejus virtutis constantia attentius miraretur, inter melliflua eorum affamina, ut sanctæ memoriæ Bonifacii Episcopi se exhibere deberet obtutibus, ipso scilicet destinante, Pontifex intimando narravit. Quod vir Dei audiens, placidis ac sale conditis se excusare nisus est verbis, non quod tanti viri ad sacra seipsum detrahere vellet præsentia, verum ut arcisteriali jam jugo constrictus, nunquam sine Abbatis sui licentia pergere judicaret dignum.

Willib. fit Episcopus.

dignum. Tandem precibus & exhortationibus, auctoritate quoque Apostolica victus iturum se fore promisit. Accepta itaque benedictione Pontificis venerandi monita ejus pia conatur implere, & ad contemplandam faciem Præsulis Bonifacii iter fæliciter tendere. Quo cum Christo ducente cursu prospero pervenisset mutuis se sancti vocibus salutarent, & invicem amplexantes lachrymis se osculati sunt profusis. Non post multum verò temporis eum ad Pontificii infulam sublimare desiderans, suæ quendam dioecesis locum, qui usque hodie Eistadt vocitatur, ei munifica liberalitate contradidit, atque ad speculandum ipsum illo destinavit. Quo illum postea ad presbyteratus promovit officium, sciens jam per omnia esse dignissimum. Deinde vergente unius temporis lustro, in pago, qui vocatur Thuringia, junctis sibi B. Burchardo, & Vuizone Episcopis, ad Episcopatus eum provexit honorem, cum esset unius & quadraginta annorum ætatis. Ordinantes ergò de omnibus beati inter se Pontifices, prout tempus dictaverat, rebus, novum Christi antistitem Willibaldum ad cathedram suæ sedis remittunt. Ubi quanta, monasterio constructo, seipsum abstinentia maceraverit, quantosque usque ad vitæ suæ terminum, ad amorem cœlestis patriæ, verbis & exemplis accenderit, quoque virtutum nitore refulserit, nullus viventium enarrare poterit. Quis igitur unquam peregrinorum ad patronum nostrum veniens victus, aut tegminis petiturus solamen, vacuus ad alios pertransivit? Quis inopum inediæ squalore fœdatus, alimoniam non invenit? Quis peccatorum pondere prægravatus, dum ei vulnus inflictum ostendit, onerosus* accessit? Huic ergò non fuit de crastino cogitare, ut avaritia in eo charitatem extingueret, & cupiditas misericordiam superaret, verum Christi Evangelium semper in pectore versans, totum quod habuit, in fratrum & pauperum solatio erogavit, & pauper ipse pauperibus ministravit. Nec enim favor humanæ laudis quasi arundinem aura commovit, quin potius in prosperis tutus, in adversis semper pacificus extitit. Quid plura? dum Spiritus sancti diversorium fore promeruit, totius in se virtutis formam ostendit. O virum prudentem, & per secula imitandum, qui domum supra petram ædificans, fluminum flaminumque formidines non expavit, in cujus ore dolum veritas non invenit, & ideo sibi in sacerdotem elegit. Hunc sane beatum supra suam familiam Dominus statuit, & dapes verbi divini benignus impendit, & ut esurientibus in tempore edulium competens ministraret edocuit. Ipse nimirum nunc, & semper jam cum Angelis in cœlo tripudians cunctorum ore laudatur, & ut cunctis propitiari clementissima pietate dignetur, ab omnibus exoretur. Dicentes cuncti proclament fidelium assistentium universi: Willibaldi pater & Pontifex, educator & alitor, rector & pastor nostri miserere. Miserere viduis, miserere captivis, auxiliare orphanis atque pupillis, subveni precibus destitutis, & lapsis præsentibus, atque futuris, opem fer viventibus cunctis fidelibus atque defunctis, & præcipuè tuis tibi à Christo collatis, Per eum, qui cum Patre & Spiritu S. sine fine regnat & permanet in æternum. Amen.

SÆC. X. ANNO. 985.

* l. abscessit.

FINIS.



CHRONICON
HIPPOLYTI THEBANI,

Ex Codice m. ſ. Bibliothecæ ſereniſſimi Maximiliani Principis Bavariæ &c: primum editum ab Henrico Caniſio SS. Canonum Profeſſore Ingolſtadii.

CANISIUS
AD
CHRONICUM HIPPOLYTI.

Sæc. X. Anno. 990.

*Ippolyti Thebani, quem nunc luce donamus, meminit Epitome Geſnerianæ Bibliothecæ his verbis:* Hippolyti Thebani de cognatione Chriſti lucubratiuncula, ex opere ejus Chronico decerpta. Græcè exſtat Romæ in Bibliotheca Vaticana. *Ibidem eadem Epitome.* Hippolytus Thebanus conſcripſit Chronicon, ex quo Joannes Sambucus deſumpſit & tractavit libellum de ortu & cognatione Virginis Mariæ. *Prior inſcriptio non multum abit à titulo codicis Bavarici, quo nos uſi; ſuſpicionemque movet, non tam eſſe opus integrum; quàm integri operis fragmentum &* ἀποσπασμάτιον, *quod & ipſa brevitas credere ſuadet, & Turrianus, qui, ut dicemus, Hippolytum vidit, fragmentum appellat. Citatur Hippolytus à Glyca 3. part. Annalium, & à Franciſco Turriano in Apologia pro domo Lauretana adverſus Calumnias Vergerii. Recitat ex eodem nonnulla Nicephorus Calliſtus, lib. 2. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 3. Sed fallitur, ut & recentiores cum illo, quando quæ ſunt Hippolyti Thebani, tribuunt Hippolyto Portuenſi Epiſcopo; ſcriptori valdè vetuſto; (de quo vide Trithemium de ſcriptoribus Eccleſiaſt. & Baron. in Martyrolog.) cùm Hippolytus noſter vixerit poſt tempora Simeonis Metaphraſtæ; qui Sanctorum hiſtorias aliquot voluminibus collegit: Hunc enim Simeonem citat iſte Hippolytus. Quocirca ruere neceſſe eſt ſuſpicionem Epitomes Geſnerianæ; ſuſpicantis hunc noſtrum Hippolytum eſſe illum, cujus S. Hieronymus in libro de viris illuſtribus meminit.*

Porrò de veritate Chronologiæ, quam Hippolytus ſtatuit, nolim cum quoquam contendere. meum conſilium fuit Hippolytum ex Bavarico codice bona fide exſcriptum, pari fide vulgare; Chronologiam autem illius aliis examinandam relinquere.

JACO-

JACOBI BASNAGII

IN

HIPPOLYTUM THEBANUM

OBSERVATIO,

Itemque varia ejus fragmenta.

I. HIppolytos non ſatis accurate diſtinxerunt quamplurimi. I. *Hippolyti duo.* Fefellit viros doctos non modo nominum conſonantia, ſed forſan titulus *Chronicorum* utriusque operi affixus. Obſervat vir eruditus olim apud Græcos ο & ω nullo cum diſcrimine indicari: Unico circulo repræſentari ſolebant, ſed poſtea, ut proſodiæ ratio haberetur, tonusque longior poſſet effici, immutata fuit pauliſper hujus litteræ figura, virgula ipſi addita: Inde concludit, *Hippolytum Portuenſem* forſan ſcripſiſſe χρονικὸν, non χρονικῶν *Libros Chronicorum*, ut hodierno die legitur. Id quod optime conveniret cum opuſculo *Hippolyti Thebani*, quod χρονικὸν, *Chronicum* dicitur. Falſa quidem conjectura viri docti, quippe in monumento antiquiſſimo quod effoſſum eſt Romæ, in quo habetur Indiculus operum *Hippolyti Portuenſis*, a *Scaligero*, *Grutero* & aliis editus, legitur χρονικῶν *Liber Chronicorum*. Leve tamen diſcrimen, ideoque facile fuit viris eruditis in eo decipi, & dum *Chronicum Hippolyti Thebani* manibus tererent, genuinum *Hippolyti Portuenſis* fœtum eumque antiquiſſimum, eodem fere titulo indicatum, recuperaſſe ſibi finxerunt. Diverſis tamen temporibus diverſoque fine ſcripſerant *Hippolyti*, quorum *Portuenſis* ad Sæculum tertium debet referri; *Thebanus* vero Sæculum decimum non anteceſſit. *Hippolytus Portuenſis* ſcripſerat Libros χρονικῶν πρὸς Ἕλληνας *Chronicorum ad Græcos*, ut *Moſem* cæteris ſcriptoribus antiquiorem, ab eoque Græcos multa hauſiſſe demonſtraret, Antiquitatem, quam venditabant gentiles, fictam probaturus, artium, ſcientiarium cultusque idololatrici novitatem vindicaturus. Id tentaverat prius *Julius Africanus*, quem poſtea totum deſcripſit *Euſebius*. Methodo igitur Patribus uſitata per ſeriem Chronologicam Religionis Judaicæ & inde Chriſtianæ veritatem antiquitatemque aſſerebat *Hippolytus Portuenſis* in Chronicis. Alio plane fine Chronicon ſuum concinnavit *Hippolytus Thebanus*, qui præcipua rerum momenta methodo Chronologica leviter perſtrinxit. Sic bini cenſeri debent Hippolyti, diverſorum plane Chronicorum authores.

II. *Bivarius*, qui duos notaverat Hippolytos, in eo tamen peccavit, quod II. *Metaphraſtis ætas.* poſteriorem jam ante *Epiphanium* vixiſſe contendat: *Ante Epiphanium docuit Thebanus Hippolytus, Magos a Nativitate Salvatoris veniſſe Bethleemum poſt biennium*: quæ leguntur in Chronico quod Caniſius edidit. Non animadvertit Bivarius authorum Epiphanio multo recentiorum Teſtimonia ab Hippolyto proferri: *Bivar. comm. in Flav. Dextr. an. 3. p. 14.* Ætas tamen Hippolyti ſatis incerta & ſub judice lis eſt. Non fuit antiquior *Gregorio Nicomedienſi*, *Georgio Chronologo*, & *Simeone*

SÆC. X. ANNO 990. *Metaphraste*, quos laudavit: *Sic enim Eusebius*, *Eustathius*, *Georgius Chronologi— Metaphrastes declarat & Nicomediensis— Fidem habeo sententiæ Domini Simeonis*, πείθομαι τοῖς λόγοις τοῦ κυρίου Συμεών. Georgius ille Chronologus ab Hippolyto indicatus fuit procul dubio *Syncellus* sub Patriarcha Tarasio, qui Constantinopolitanam sedem tenuit Sæculo octavo desinente. Is *Eusebium* & *Julium Africanum* compilaverat. Si credas *Combefisio*, vixit *Gregorius Nicomediensis* sæculo septimo, sed facile arguitur erroris; quippe cum Gregorius fuerit Photio devinctissimus, ducentis annis discrepat ipsius ætas ab ea quam ipsi assignavit Combefisius: unde concludas, nec octavo, nec nono sæculo vixisse Hippolytum. Fuit etiam posterior *Simeone Metaphraste*. Sed de tempore quo vixit *Metaphrastes* summa est dissensio, varias in partes abeuntibus Criticis. *Molanus* ad Martyrologium *Usuardi* adnotavit *Metaphrastem* vitam Epiphanii hausisse ex relatu Joannis ejus discipuli, qui vixit an. 430. Antiquissimus foret Metaphrastes si ita se res haberet; sed non observavit Molanus, Vitas quæ nomen Metaphrastis præferunt, ab eo non fuisse scriptas, sed solummodo compilatas e Veterum scriptis; quod occasionem erroris præbuit. *De vitis Sanctor. qui non sunt in Calendar.* Eidem lapidi pedem impegit *Ribadaneira*, qui ex vita Alypii conjicit Metaphrastem ejus fuisse discipulum, ita ut ad *Heraclii* Imperatoris tempora referri deberet. Longe dissentit *Blondellus* in Chronologicis versatissimus, *Blondel. Genealog. Franc. Plenior assert. p. 126.* cujus hæc sunt verba: *Metaphrastes homo post annum Domini* 1080. *defunctus*, *ad portenta fundenda natus*. Sed accuratius omnibus *Leo Allatius* de Simeonum scriptis.

Suplem. p. 592. Oudinus sibi finxit Allatium Metaphrastem alligasse, certis argumentis, contra Scriptorum fidem, ad annum 1314. cujus mentem ob rationum momenta *libenter amplectitur*. Sed sibi ipsi contradicit Oudinus in posteriori opere seu commentario de Script. Eccles. T. II. qui Hippolytum anno 1170. adscribit; *Allat. de Sym. Script. diat. p. 38.* quanquam Metaphrastem laudaverit. Deinde Allatius 1°. conqueritur acerbe de Reformatis, qui *Metaphrastem scriptorem oppido recentem appellarunt*, ipsumque postea nolentes, vel parum cauti, Apostolis parem & ὁμόχρονον fecerunt. In eo fuit error *Gesneri* & aliorum quorumdam, quod *Hippolytum Thebanum* cum *Portuensi* unum eundemque fecerint, cumque Hippolytus Simeonem laudaverit; inde concludebat Allatius, futili tamen ratione, eos Simeonem Apostolis parem dixisse. Quamquam nugatorium sit argumentum, nihilominus inde probatur facile, ipsum Simeonem non adeo recentem autumasse, ut illum decimi quarti sæculi scriptorem fecerit. 2°. disertis verbis affirmatur eo ab Allatio, Simeonem sub Leone sapiente muneribus publicis functum *scripsisse*. Illum igitur ad initia decimi sæculi retulit.

Peccavit tamen *Allatius Vossium* exagitans, quasi Simeonem sub *Constantino Duca*, vel saltem circa illa tempora posuisset: eam fuisse mentem *Vossio* probat ex eo, quod Metaphrastis ætatem ex ætate Pselli indicet, quasi coævi fuerint, quod tamen evenisse nemo sit dicturus. At quisquis Vossium legerit, vix illa Allatio dormitanti condonabit; quippe Metaphrastem sub Leone Philosopho Basilii Macedonis filio vixisse contendit; deinde vero quasi ducentorum annorum intervallum inter Psellum & Metaphrastem computat. Denique objicit sibi Vossius hæc verba Pselli, *non eum veluti abscissum aut divisum fuisse dicunt ii qui viderunt*: quasi probarent Psellum hæc audivisse ab iis qui viderant Metaphrastis transitum ad Superos: Respondetque, illa non audivisse Psellum ab iis qui Metaphrastem viderant, sed ex eorum scriptis hausisse. Probat igitur Vossius neutiquam Psello parem fuisse Metaphrastem, eumque Leonis temporibus assignat. Unde

Unde mirari ſubit ab Allatio confutari Voſſium, qui ipſius ſententiam ediderit & tueri ſit conatus. SÆC. X.

Nec multo felicior adverſus *Bollandum* Allatius, dum magno impetu contendit *Simeonem ſub Leone ſcripſiſſe*. Primo enim junior debuit eſſe Metaphraſtes qui ſub Leone imperatoriæ virtutis tyrocinia ponebat ſub veterano duce, Hymerio nempe, ducendi exercitus peritiſſimo. De numero annorum quo natus erat tunc temporis, vitilitigare poſſint Allatius & Bollandus. Provectæ ætatis tunc temporis non fuiſſe ſemper conſtabit, ut qui tyro inter milites dicebatur. Junior ergo ſub Leone vixit, triginta forſan annos natus a vita *Theoctiſtæ* lucubrationes ſuas eſt exorſus. Subtiliter nimis diſtinguit Allatius inter vitas Sanctorum ab ipſo concinnatas & alia Metaphraſtis opera, quibus prius forſan incubuerat, quorum nec veſtigium apparet, nec titulos indicare poteſt Allatius. Denique diffiteri nequit Leonem jam obiiſſe, ubi prodiit in lucem vita Theoctiſtæ, cum Metaphraſtes ipſum μακαρίτην appellet & inter Beatos recenſeat. Concludendum igitur, non ſub *Leone*, ſed ſub *Conſtantino Porphyrogenneta* ſcripſiſſe Metaphraſtem an. 920. ANNO 990.

III. Cum ſæculo decimo vixerit Metaphraſtes, ipſo anterior eſſe non poteſt Hippolytus, quod probandum ſuſceperamus. Supereſt indagandum, an ipſi coævus, an vero mortuo Metaphraſte, eum *Dominum* appellaverit? Sunt qui putent Metaphraſtem ab Hippolyto *Dominum* κύριον vocari, eo quod authoritate polleret apud Imperatorem; eo enim nomine honorifico amicos & dignitate florentes compellabant recentiores Græci: Quin imo ipſi Imperatores hunc honoris titulum non dedignabantur κῦρ. Μανουέλης. κῦρ. Κωνσταντῖνος παλαιολόγος *Dominus Manuel*, *Dominus Conſtantinus Palæologus*, ἐπὶ τῆς βασιλείας κυρίου Ἀνδρονίκου, inquiebat Codinus, *ſub imperio Domini Andronici*. Inter Apophtegmata Patrum narratur Moſem Abbatem clericum factum, reſponſum feciſſe ei qui jam totum album diceret, κυρὶ ὁ πάπας ἢ καὶ τὰ ἔσω, *Domine Papa utinam & interius*; hinc interpretes ſæpius nobis *Cyros* protrudunt, quaſi Domini nomen proprium ſit. Imo apud *Harduinum* legitur *ſurſac*: Quis divinaret, intelligi debere κυρ. Ισαάκιος, *Dominus Iſaac*? Abbreviarunt ſcilicet Græci recentiores ex κύριος, κυρι, κυρ, & inde Latini *cyr* & *ſur* fecerunt. Nullum ſupereſt dubium, quin nobilioribus dum viverent deferretur is titulus. His adde, nec *Euſebium* nec *Georgium Syncellum* nec *Gregorium Nicomedienſem*, Euſebio multo recentiores hoc titulo inſigniri apud Hippolytum. Quod argumento eſt, illum a cæteris ob dignitatem & munus publicum, quo fungebatur Metaphraſtes, diſtinxiſſe Hippolytum, ideoque ipſum & Metaphraſtem ὁμοχρόνους merito dicas. Vereor tamen ne argumentum non omnes pungat. Verum etenim, mortuos beatosque ſæpius κυρίου nomine cohoneſtari. Coſmas & Johannes in Typico Sabæ cap. 7. appellantur κῦρ. ſic & Theophanes & Joſeph, qui in numerum beatorum recenſebantur. Κύριος potuit appellari Metaphraſtes ab Hippolyto duplici ratione, primò, quod tunc multis variiſque ſcriptis nuper defunctus Metaphraſtes celebris volitaret per ora virûm, famâque gauderet maxima; deinde vero, quia forſan beatis illum accenſebat Hippolytus. Facile credam igitur, nonniſi mortuum & ad ſuperos tranſlatum Metaphraſtem Domini titulo fuiſſe cohoneſtatum. Inde ſequitur Hippolytum nonniſi decimo ad finem vergente, vel etiam undecimo ſæculo vixiſſe. Scripſit Metaphraſtes ſub *Conſtantino Porphyrogenneta* imo & *Romano* Imperatoribus; ad annum igitur 960. & ultra vitam produxit: Exceſſerat è vivis jam per aliquot annos Metaphraſtes, ubi laudatus eſt ab Hippolyto; non poteſt III. Hippolyti ætas.

igitur

SÆC. X. ANNO 990. igitur Hippolytus inter Scriptores recenseri, nisi ad finem sæculi decimi; quemadmodum contra vulgarem sententiam apposuimus. Conjecturam nostram firmat, quod nullus præter Glycam, sæculi duodecimi Scriptorem, Glycas ann. p. 3. Hippolyti mentionem fecerit. Nec incelebris fuit; nam sæculo sequenti Chronologus quidam, editus a *Lambecio* & *Combefisio*, ipsum laudavit: Sæculo decimo quarto *Nicephorus*; quanquam quæ sunt *Hippolyti Thebani*, turpi anachronismo tribuerit *Hippolyto Portuensi*. Vero simile non fit Hippolytum, si ineunte sæculo decimo vixisset, ignotum fuisse ad duodecimum usque, qui postea toties fuerit a cæteris Chronologis memoratus. Melius igitur vel ad finem decimi sæculi vel etiam ad undecimum refertur.

Verum equidem, quæ superius diximus de Simeone Metaphraste, labascere, imo ruere, si valeat sententia *Emanuelis Schelstrate*, qui Codici Vaticano addictus, illa omnia quæ Hippolytus computat ab initio mundi ad Christi nativitatem, imo quæ de Paschate refert, ab amanuensi addita contendit. Si enim hæc vera forent, ab Hippolyto non laudaretur Simeon Metaphrastes, sed a Græculo, qui eum descripsit. At probaturi sumus codicem Canisii Vaticano debere præferri, ubi de operibus Hippolyti agemus.

IV. Tractatus de XII. Apostolis est Hippolyti Thebani. IV. Restitui debet Hippolyto Thebano Tractatus *de duodecim Apostolis, ubinam quisque eorum prædicaverit ac ubi consummatus sit.* Illum *Combefisius* ex Bibliothecæ Regiæ apud Gallos codice 1920. descriptum Hippolyto Portuensi vindicare conatus est: Sed primo habetur indiculus operum Hippolyti Portuensis jam sæpius à nobis indicatus; in eo vero nequaquam memoratur tractatulus a Combefisio editus, nisi velit aliquis latere sub hoc Titulo ἀποστολικὴ παράδοσις *Apostolica Traditio.* At illa Traditio nihil continebat aliud præter ipsam Apostolorum Doctrinam, quæ scripto mandabatur à viris piis, ne fucum facerent Hæretici, qui multa obtrudebant tanquam ab Apostolis prolata: Sic enim Hippolyti temporibus plurimi Patres Apostolicæ Traditionis seriem repræsentarunt. 2°. Verum quidem est manuscriptum codicem nomen Hippolyti præferre; sed inde ne statim conjicias illum Hippolytum esse tertii sæculi martyrem, apud Veteres magnæ autoritatis? Sic *Baronius* tribuit Hippolyto tractatum de 72. discipulis, qui non est ipsius, sed nescio cujus *Dorothei.* Mirabatur Baronius in eo *Laudatum nescio quem inter Carthaginenses Episcopos reponi*, deceptus ignorantia Linguæ Græcæ, in qua *Epænetus* legebatur. Sic etiam Carolus Basilicæ Petri Historiâ Mediolanensis Ecclesiæ tribuit Hippolyto eundem Tractatum de LXXII. Discipulis; indeque elicit argumentum, Ecclesiam Mediolanensem a Barnaba primum erectam p. 22. fuisse; cum tamen ipsius non sit opus. Nihil igitur moramur nomen Hippolyti regio Codici præfixum, præcipue cum alter sit Hippolytus Thebanus, cui possit tribui illud opusculum 3°. Traditio de Peregrinationibus Apostolorum & præcipue de Thoma, quæ legitur apud Hippolytum, octavo vel nono sæculo nata mihi videtur. Unde statim conficitur illum Indiculum, sic enim appellare licet, non esse Hippolyti Portuensis, sed potius Thebani. Hæc est de S. Thoma Traditio: *Thomas cum Parthis, Medis, Persis, Bactris, Margis prædicasset, abietina lancea quatuor sui corporis partibus confossus est Calaminæ, quæ est urbs Indiæ, illicque sepelitur.* Quod Combefisius reddidit *abietina lancea* confossus est, mutata lectione Græca debet forsan reddi *laceratus est*; non enim legendum, si credas viro docto, ἐλατίνη, sed ut apparet in codice, ἐλαχίδη, voce decurtata ab ἐλαχιδιάσθη, quod *lacerare* significat. Sed hæc pauci sunt momenti. Alia invaluerat prioribus sæculis

Traditio

Traditio ab Eusebio confirmata, non Thomam, sed Bartholomæum ex Discipulis Christi ad Indos penetrasse eosque Christiana fide imbuisse. Latebat igitur Eusebium cæterosque, quanto potius Hippolytum, quidquid de Thoma legitur in Tractatulo de duodecim discipulis. Illa Traditio de Thoma apud Indos sepulto occurrit primum in Græca versione Catalogi Scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymi, qui de suo hæc addidit: *Thomas, quemadmodum traditur, Parthis & Germanis &c: prædicavit Evangelium, dormivit in civitate Calamina quæ est Indiæ.* Duplex error: nam primo quid Germani cum Indis Bactris & Thoma? Deinde urbs *Calamina* omnibus ignota e cerebro fabulonum hic prodit. Suspicatur Kerkerus legendum *Calurmina*, asseritque vocem esse Malabaricam, quæ significat *supra petram*, quia Thomas cæsus est Meliaporæ super petram: Ita ipsi retulerat ex Malabarum fastis homo fide dignissimus. Sed quis Neotericis hic de Thomæ differentibus fidem habere velit? Ignota veteribus Meliapoura; quomodo lapis in vicinia Meliapouræ a tot sæculis notus esse potuit? quis veterum Thomam lapidem singulis diebus orationis causa ascendisse ibique dilaceratum memoriæ prodidit? Nova fuit igitur illa Traditio, ab interprete Hieronymi adinventa. Quis autem fuerit Interpres ille, nondum constat: Si *Sophronium* agnoscas, septimi sæculi fuerit author. Sed forsan aliquis multo recentior has fabulas de Thoma ex incerta Traditione promulgavit. Produnt hominem incautum & turpiter errantem Germanorum conversio, & urbis Calaminensis, quæ nusquam apparet, indicatio. Eandem fabulam sæculo nono ex Anonymo descripsit *Oecumenius*, quia tunc vulgari cœperat, Anonymus vero quæ de *Germanis* & urbe *Calamine* jam observavimus, totidem verbis inculcat: quod nobis argumento est, locum priorem emendari non posse, nec legi debere vel *Caramanis* vel *Armenis* Germanorum vice, vel *Calurmina*, ut volunt viri docti; cum utique legatur *Germanis* & *Calamina*. Traditur ab Indis apud ipsos vel persecutionum vi, vel etiam peste defecisse olim Episcopos & Sacerdotes, ideoque confugisse ad Babylonicum Patriarcham, qui Religionem Ecclesiamque restauraret. Missum a Patriarcha *Marthomam* hoc est *Dominum Thomam*, Nestorii erroribus imbutum, qui Christianæ fidei facem injuria temporum extinctam de novo apud ipsos accendit. Vixit autem ille *Marthomas* vel Nestorii sæculo, vel secundum alios ad an. 800. Inde credunt multi haustam fuisse fabulam de Thoma Apostolo apud Indos prædicante. Saltem verum est non fuisse notam ante sæculum vel octavum vel nonum: quam cum indiculo suo inseruerit Hippolytus, facile conjicias, hujus Indiculi scriptorem non esse Hippolytum, jam tertio sæculo notum, sed Hippolytum Thebanum, qui fabellam recens excogitatam ubique suo tempore receptam propriam fecit: Adjici potest *Theodorum Metochitam* decimi quarti sæculi Scriptorem quæ de Joanne habet nempe *à Nerva fuisse revocatum ab exilio, ejusquæ reliquias postea quæsitas fuisse sed non inventas*, totidem verbis ab Hippolyto, quem laudat, desumpsisse. Videas igitur authores sæculo undecimo posteriores Hippolyti tractatum de duodecim Apostolis indicasse, ejusque verba scriptis suis inseruisse. Hoc nemo fecerat antea, quod argumento est firmissimo, non *Hippolytum Portuensem*, ut *Combefisius* voluit, hujus indiculi fuisse Parentem, sed *Hippolyto Thebano*, qui decimo sæculo vixit, debere restitui.

Apud Hieron. T. I. p. 547. deest. in edit. Lat.

V. Alterum Hippolyti Thebani genuinum opus est Chronicon, cujus fragmentum Canisius edidit. Suspicionem jam moverat Canisio integrum opus non esse, titulus ex Gesneri Bibliotheca *Hippolyti Thebani de cognatione*

V. De Chronico Hippolyti.

SÆC. X. ANNO. 990.

Christi Lucubratiuncula ex ejus opere Chronico decerpta. Moverat etiam brevitas operis quod è tenebris eruebat.

Adsunt & alia plurima idem probantia, quæ non viderat Canisius. Reperit Lambecius in Bibliotheca Cæsarea Vindoboniensi, quam tanta cum diligentia perlustravit, Fragmentum ex Hippolyti Chronico circa Genealogiam Mariæ Virginis, incipiens ab his verbis, quæ laudata fuerunt Nicephoro sub Hippolyti Portuensis nomine, & leguntur, aliqua tamen cum discrepantia apud Canisium Ἰάκωβος ὁ γεγονός. Illud Fragmentum denuo edidit Lambecius Bibliothecæ Vindoboniensis Libro tertio p. 46.

Alium Codicem nactus Emanuel Schelstrate in Bibliotheca Vaticana, cujus erat præfectus dum viveret, fragmentum integrum ex Hippolyti Chronico edere sibi visus est: Nos quia nec prolixum est & discrepat multum ab editione Canisiana, hic integrum subjecimus, judicium nostrum postea laturi, & varia discrimina observaturi.

Ex MS. Codice Græco 573. Bibliothecæ Vaticanæ.

HIPPOLYTI THEBANI ex commentario ejus Chronico de prosapia D. N. Jesu Christi.

(a) INcarnatus igitur est Dominus noster Jesus Christus anno 5500.

Sub Augusto Imperatore natus est in spelunca, mense Decemb. die 25.

Ab Adam usque ad Noë anni 2242.

Et à Noë usque ad Abraam anni 1170.

Et ab Abraam usque ad Moysem anni 444.

Et à Moyse usque ad David anni 599.

Et à David usque ad Christum anni 1045, simul anni 5500.

(b) A Christi incarnatione autem usque ad magorum adventum anni duo.

Et à fuga in Ægyptum usque ad mortem Herodis filii Antipatri anni tres.

Habitarunt in Ægypto Heliopoli juxta Memphin annis 3.

A regressu verò ipsorum ad propria in Galilæam, usque ad mortem Archelai anni * 19.

Cum Archelao moritur & Augustus anno 88. regni 56.

ΙΠΠΟΛΥΤΟΥ ΤΟΥ ΘΗΒΑΙΟΥ ἐκ τοῦ χρονικοῦ αὐτοῦ συντάγματος περὶ τῆς συγγενίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

ἘΓένετο τοίνυν ἡ ἐνανθρώπησις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔτους εφ.

Ἐπὶ Αὐγούστου βασιλέως γεγένηται ἐν σπηλαίῳ μηνὸς Δεκεμβρίου κε.

Ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Νῶε ἔτη βσμβ.

Καὶ ἀπὸ τοῦ Νῶε ἕως τοῦ Ἀβραὰμ ἔτη αρο.

Καὶ ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως Μωσέως ἔτη υμδ.

Καὶ ἀπὸ Μωσέως ἕως Δαβὶδ ἔτη φϛθ.

Καὶ ἀπὸ Δαβὶδ ἕως τοῦ Χριστοῦ ἔτη αμε, ἅμα ἔτη εφ.

Ἀπὸ δὲ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς τῶν μάγων παρουσίας β.

Καὶ ἀπὸ τῆς εἰς Αἴγυπτον φυγαδείας μέχρι τῆς τελευτῆς Ἡρώδου υἱοῦ Ἀντιπάτρου ἔτη γ.

Παρῴκησαν ἐν Αἰγύπτῳ ἐν Ἡλιοπόλει τῇ κατὰ Μέμφιν ἔτη γ.

Ἀπὸ δὲ τῆς πρὸς Γαλιλαίαν εἰς τὰ ἴδια αὐτῶν ἐπανόδου μέχρι τῆς τελευτῆς Ἀρχελάου ἔτη ιθ.

Σὺν τῷ Ἀρχελάῳ τελευτᾷ καὶ Αὔγουστος ἔτη πη. βασιλεύσας ἔτη νϛ.

A

(a) Hæc omnia desunt in editione Canisii, usque ad hæc verba: *A Christi Incarnatione.*

(b) Hic incipit fragmentum Hippolyti Thebani à Canisio editum, sed plerisque in locis interpolatum, ut illud cum hac nostra editione conferenti facilè constabit.

* Legit Canisius θ. anni 9. quæ lectio erronea est, & ex ipso textu refelli potest.

(c) A morte verò Archelai usque ad Baptismum Christi an. 3. Simul an. 30.

A Baptismate autem Christi usque ad lapidationem Zachariæ an. unus.

(d) A morte verò Zachariæ usque ad Joannis filii ipsius mortem, sub Herode juniore Archelai filio in carcere patratam, annus unus.

Et à morte Joannis usque ad salvificam passionem menses 6.

Vixit enim Joannes Baptista annis 33. triginta quidem in eremo; tribus verò annis baptizavit in Jordane prædicans pœnitentiam. Sicque Dominus noster Jesus Christus triginta annis in juventute vixit.

Post baptismum verò elegit discipulos, ut prædicarent regnum suum, usque ad crucem annis 3.

Unde Patres in Nicæna Synodo statuerunt, ut non ordinarentur presbyteri ante triginta annos, dixeruntque sufficere discipulo, ut sit sicut magister; & servo, ut sit sicut dominus ejus.

A salvifica verò passione, & ascensione, usque ad Stephani lapidationem anni 7. & ab illa usque ad lucem, quæ Paulo apparuit, menses sex.

Et à Pauli baptismate ac prædicatione usque ad Dominæ nostræ perquàm immaculatæ assumptionem sunt anni tres. Simul anni 44.

Vixit enim inter homines purissima Deipara in templo annis 14. in domo Joseph mensibus 4. & annuntiatio ei facta est, & concepit, peperitque Dominum nostrum Jesum Christum, simul annis 15.

Ab incarnatione verò Christi vixit annos 33.

Usque ad assumptionem Christi in domo Joannis anni 11.

Ita ut omnes ejus anni sint 59,

Porrò hic est Joannes, quem diligebat Christus, fuitque virgo & Evangelista, Mansit Hierosolymis in domo sua, Ecclesiarum matre, ad quam confugerunt Apostoli propter metum Judæorum.

† Ibi præparatum fuit & Pascha: ibi

Ἀπὸ δὲ τελευτῆς Ἀρχελάου μέχρι βαπτίσματος τοῦ Χριστοῦ ἔτη γ. ὁμοῦ ἔτη λ.

Ἀπὸ δὲ τοῦ βαπτίσματος τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς τοῦ Ζαχαρίου λιθοβολίας ἔτος α.

Ἀπὸ δὲ τῆς τελευτῆς τούτου μέχρι τῆς Ἰωάννου υἱοῦ αὐτοῦ τῆς ἐπὶ Ἡρώδου τοῦ νεωτέρου υἱοῦ Ἀρχελάου ἐν τῇ φρουρᾷ γεγονυίας ἔτος α.

Καὶ ἀπὸ τελευτῆς Ἰωάννου μέχρι τοῦ σωτηρίου πάθους μῆνας ϛ.

Ἔζησε γὰρ Ἰωάννης ὁ Βαπτιστὴς ἔτη * λγ. τὰ μὲν λ. ὑποχωρῶν ἐν τοῖς ἐρήμοις, τὰ δὲ τρία βαπτίζων ἐν Ἰορδάνῃ, καὶ κηρύττων μετάνοιαν. ὡσαύτως καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς τριάκοντα ἔτη ἐν τοῖς παιδικοῖς διῆξε.

Μετὰ δὲ τὸ βάπτισμα ἐπελέξατο τοὺς μαθητὰς κηρύσσειν τὴν αὐτοῦ βασιλείαν ἕως σταυροῦ ἔτη γ.

Ὅθεν οἱ ἐν Νικαίᾳ πατέρες διετάξαντο, μὴ χειροτονεῖν πρεσβύτερον πρὸ ἐτῶν τριάκοντα, ἀρκετὸν εἰπόντες τῷ μαθητῇ τὸ τοῦ διδασκάλου, καὶ τῷ δούλῳ τὸ τοῦ κυρίου αὐτοῦ.

Ἀπὸ δὲ τοῦ σωτηρίου πάθους, καὶ τῆς ἀναλήψεως ἄχρι τῆς τοῦ Στεφάνου λιθοβολίας ἔτη ζ. καὶ ἀπὸ ταύτης μέχρι τοῦ φανέντος τῷ Σαύλῳ φωτὸς μῆνες ϛ.

Καὶ ἀπὸ βαπτίσματος καὶ κηρύγματος Παύλου μέχρι ἀναλήψεως τῆς δεσποίνης ἡμῶν ὑπεραμώμου ἔτη τρία. ὁμοῦ ἔτη μδ.

Ἔζησε γὰρ σὺν τῇ ἀνθρωπότητι ἡ πανάγιος θεοτόκος ἐν τῷ ναῷ ἔτη ιδ. ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωσὴφ μῆνας δ. καὶ εὐηγγελίσθη, καὶ συλλαβοῦσα ἔτεκε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. ὁμοῦ ἔτη ιε.

Ἀπὸ δὲ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ ἔζησεν ἔτη λγ.

* Ἕως ἀναλήψεως τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωάννου ἔτη ια.

Ὡς εἶναι τὰ πάντα αὐτῆς ἔτη νθ.

Οὗτος δὲ ἐστιν Ἰωάννης, ὃν ἠγάπα ὁ Χριστός, ὁ παρθένος, καὶ εὐαγγελιστὴς ὅστις ἔμενεν ἐν Ἱεροσολύμοις τὴν τῶν ἐκκλησιῶν μητέρα εἰς τὴν αὐτοῦ οἰκίαν, εἰς ἣν ἔφυγον οἱ Ἀπόστολοι διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων.

† Ἐκεῖ ἡτοιμάσθη καὶ τὸ πάσχα, ἐκεῖ

pri-

(c) Hæc omninò aliter habentur apud Canisium.
(d) Hic nonnulla alia interseruntur apud Canisium.
* Legit Canisius λϛ. seu 36. sed erroneè, non enim vixit ultra 33. annos, unde nostra lectio retinenda.
* Aliter hæc habet Can. ita legens: καὶ μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ κυρίου, ἔζησεν σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ ἔτη ια. *Et post Domini assumptionem cum discipulis ejus vixit in domo Joannis Evangelistæ annis* 11. Quæ lectio genuina est, & confirmat sententiam Apollonii, quod Apostoli post resurrectionem Christi 12. annis in Judæa permanserint.

† Hæc omnia mirum in modum interpolata sunt apud Canisium, qui multò plura refert, quàm hic habentur. Refert enim Apostolos ibi à Domino ipso tonsuram accepisse & in clerum ascitos fuisse, quorum ne quidem verbum in hac nostra editione.

Sæc. X. Anno 990.

primò myſterium diſcipulis traditum fuit: ibi poſt reſurrectionem Dominus illis apparuit: ibi Spiritus Sanctus illapſus eſt diſcipulis: ibi Thomæ oſtendit typos clavorum: ibi Apoſtoli in primum Epiſcopum ordinarunt filium Joſephi, fratrem Domini, non filium Zebedæi, fratrem Joannis, Zebedæus enim propriam navem habens appellatur, & præcipuorum, qui in Galilæa erant, virorum fuit primus.

§ τῶ Θωμᾶ.

καὶ τὸ πρῶτον μυστήριον ἐτελέσθη τοῖς μαθηταῖς, ἐκεῖ ἐφάνη αὐτοῖς καὶ ὁ κύριος μετὰ τὴν ἀνάστασιν. ἐκεῖ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κατῆλθε τοῖς μαθηταῖς. ἐκεῖ καὶ § τῶν Θωμᾶν ἔδειξε τοὺς τύπυς τῶν ἥλων. ἐκεῖ πρῶτον ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησαν οἱ Ἀπόστολοι τὸν υἱὸν Ἰωσὴφ τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίυ, οὐκ τὸν υἱὸν Ζεβεδάιυ τὸν ἀδελφὸν Ἰωάννυ· ὁ γὰρ Ζεβεδαῖος ἰδιονάυκληρος λέγεται, τῶν δὲ ἐν Γαλιλαίᾳ ἐπισήμων ἀνδρῶν πρῶτος ἦν.

* Lege Ζεβεδαίυ Ἰωάννης.

Poſt mortem verò (Zebedæi) Joannes patris ſui hæreditatem diſtraxit in Galilæa, & Hieroſolymis domicilium comparavit, unde ut dicitur de ipſo, Erat notus Pontifici.

Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν * Ἰωάννης τὴν ἐν Γαλιλαίᾳ κτῆσιν τοῦ πατρὸς ἀπέδοτο, καὶ ἐκτήσατο ἐν Ἱεροσολύμοις, ὅθεν ὡς λέγει περὶ αὐτοῦ τὸ ἦν γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ.

(e) Hic recepit ſanctiſſimam Deiparam in domum ſuam usque ad reſurrectionem ipſius, & poſtea cum prædicaſſet verbum, & ipſe aſſumptus eſt (f).

Οὗτος ἐδέξατο τὴν παναγίαν θεοτόκον ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ μέχρι τῆς ἀναστάσεως αὐτῆς καὶ μετὰ τοῦτο κηρύξας τὸν λόγον καὶ αὐτὸς ἀνελήφθη.

Jacobus autem factus primus Epiſcopus Jeroſolymitanus, frater quidem Domini ſecundùm carnem eſſe dicitur, filius verò fabri Joſephi ex carnali uxore ejus. Quatuor enim filios habuit Joſeph, (g) Jacobum, Simonem, Judam, & Joſeph: & duas filias Eſther & Martham ex uxore ſua Salome, quæ fuit filia Aggæi fratris Zachariæ, patris Joannis, filii Barachiæ, filii Abiæ Sacerdotis.

Ἰάκωβος δέ ὁ γεγονὼς πρῶτος ἐπίσκοπος Ἱερυσαλήμ, ἀδελφὸς μὲν τοῦ κυρίυ κατὰ σάρκα λέγεται εἶναι, υἱὸς δέ τοῦ τέκτονος Ἰωσὴφ ἐκ τῆς βιωτικῆς αὐτοῦ γυναικός. τέσσαρας γὰρ ἔσχεν υἱοὺς ὁ Ἰωσὴφ, Ἰάκωβον, Σίμωνα, Ἰοῦδα, καὶ Ἰωσὴφ, καὶ β' θυγατέρας, τὴν Ἐσθὴρ, καὶ τὴν Μάρθαν ἐκ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Σαλώμης, θυγατρὸς Ἀγγαίυ τοῦ ἀδελφοῦ Ζαχαρίυ τοῦ πατρὸς Ἰωάννυ, υἱοῦ Βαραχίυ, υἱοῦ Ἀβία τοῦ Ἱερέως.

(h) Et tunc quidem viduus erat Joſeph: adeò ut Joannes Baptiſta & Salome ſint fratrum germanorum liberi. Aggæus enim Barachiæ filius erat patruus Joannis. Similiter & Zacharias frater Aggæi patruus Salomes uxoris Joſephi fabri. Erant porrò ſanctæ Dominæ noſtræ Deiparæ ex Bethleem tres ſorores à Bethleem filiæ Mathan Sacerdotis, & Mariæ uxoris ejus regnante Cleopatra & Sopare Perſa, ante regnum Herodis Antipatri. Primæ nomen erat Maria; ſecundæ verò Sobe; tertiæ autem Anna. Nupſit igitur prima in Bethleem, & genuit Salomon obſtetricem. Secunda autem ſimiliter in Bethleem, & genuit Eliſabeth: & tertia in terra Galilææ, & genuit Mariam matrem Dei. Quarè Salome obſtetrix, Eliſabeth, & ſancta Deipara ſunt trium ſororum filiæ: atque hinc Joannes Baptiſta & Dominus noſter erant con-

Καὶ τότε ἐχήρευσεν Ἰωσὴφ, ὡς εἶναι δὲ τὸν βαπτιστὴν Ἰωάννην καὶ τὴν Σαλώμην ἀδελφῶν τέκνα ἀρρενικῶν. ὁ γὰρ Ἀγγαῖος υἱὸς Βαραχίυ θεῖος ἦν Ἰωάννυ. ὁμοίως καὶ Ζαχαρίας ἀδελφὸς Ἀγγαίυ θεῖος Σαλώμης τῆς γυναικὸς Ἰωσὴφ τοῦ τέκτονος. Αἱ δὲ τῆς ἁγίας Δεσποίνης ἡμῶν θεωτόκυ ἀπὸ Βηθλεέμ τρεῖς ἦσαν ἀδελφαὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ θυγατέρες Ματθὰν τοῦ ἱερέως καὶ Μαρίας τῆς αὐτοῦ γαμετῆς ἐπὶ τῆς βασιλείας Κλεοπάτρας, καὶ Σώπαρος τοῦ Πέρσου πρὸ τῆς βασιλείας Ἡρώδυ τοῦ Ἀντιπάτρυ. ὄνομα τῇ πρώτῃ Μαρία. τῇ δὲ β' Σωβὴ, καὶ τῇ τρίτῃ Ἄννα. Ἐγήματο οὖν ἡ πρώτη ἐν Βηθλεὲμ, καὶ ἔτεκε Σαλώμην τὴν Μαίαν· ἡ δὲ β'. ὁμοίως ἐν Βηθλεὲμ, καὶ ἔτεκε τὴν Ἐλισάβετ. καὶ ἡ τρίτη εἰς γῆν τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐγέννησε Μαρίαν τὴν θεοτόκον. ὡς εἶναι τήν τε Σαλώμην τὴν Μαίαν, καὶ τὴν Ἐλισάβετ, καὶ τὴν ἁγίαν θεοτόκον θυγατέρας ἀδελφῶν τριῶν θηλειῶν. ἐντεῦθεν ἦν ὁ Βαπτιστὴς Ἰωάννης καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ἀνεψιοί. υἱὸς δὲ τοῦ Ἰωσὴφ λέγεται

(e) Hæc non habentur apud Caniſium, quæ tamen notanda ſunt, multa enim nos docent.

(f) Caniſius habet Joannem Epheſi in Aſia obdormiſſe in Domino, quod traditioni Eccleſiæ magis congruit.

(g) Caniſius habet de Jacobo, quod eum Chriſtus & Apoſtoli in Epiſcopum ordinarunt, cum tamen poſt Chriſti mortem Epiſcopus ordinatus ſit à duobus vel tribus Apoſtolis.

(h) Hic multa variant apud Caniſium.

consobrini. Christus verò filius Josephi dicitur, tum quòd una cum filiis suis eum nutriebat, & tum quòd erat ex cognatione Aggæi fratris Zachariæ sacerdotis, filii Barachiæ.

ὁ Χριστὸς ἐκ τε τῆς συναναστροφῆς τῶν υἱῶν αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῆς συγγενείας Ἀγγαίου ἀδελφοῦ Ζαχαρίου τοῦ ἱερέως τῶν υἱῶν Βαραχίου.

Aliud Fragmentum Hippolyti Thebani ex M. S. Codice Græco Urbino-Vaticano ante 600. annos sub Alexio Comneno Constantinopoli, ut ex ejusdem imagine libro præfixa apparet, conscripto.

INvenimus autem in divina Scriptura, quòd decimo sexto anno ætatis suæ sanctissima Domina Deipara Salvatorem & Dominum nostrum Jesum Christum pepererit: baptizata verò sit à Petro, & Joanne Apostolis, ipsos autem baptizarit Christus. Vixit verò post salvificam Passionem Deipara annos XI. fueruntque omnes totius vitæ ejus anni sexaginta unus. Vixit autem & Divus Joannes Theologus usque ad Domitianum Imperatorem Romanorum, (i) adeò ut omne vitæ ejus tempus sit centum & decem annorum.

Εὑρίσκομεν δὲ παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ ὡς ἐν τῷ ἑξ καὶ δεκάτῳ χρόνῳ τῆς ζωῆς αὐτῆς ἡ παναγία δέσποινα θεοτόκος τὸν Σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγέννησεν. ἐβαπτίσθη δὲ παρὰ Πέτρου καὶ Ἰωάννου τῶν Ἀποστόλων, αὐτοὺς δὲ τούτους ἐβάπτισεν ὁ Χριστός. Ἔζησε δὲ μετὰ τὸ σωτήριον πάθος ἡ θεοτόκος ἔτη ια. ὁ δὲ τῆς ζωῆς αὐτῆς χρόνος εἰς καὶ ἑξήκοντα. Ἐβίωσε δὲ καὶ ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ θεολόγος μέχρι * Δομετίου Βασιλέως Ῥωμαίων, ὡς ἐκ τούτου εἶναι τὸν ἅπαντα τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον δέκα πρὸς ἑκατόν.

* Δομιτιανοῦ.

VI. Discrimina inter editionem Canisii & Codicis Vaticani.

VI. Primum discrimen ab ipso exordio occurrit; desunt enim apud Canisium verba illa ἐγένετο τοίνυν ἡ ἐνανθρώπησις *incarnatus igitur est Jesus &c.* quæ leguntur in codice Vaticano; unde concludit Schelstrate Canisianum codicem fuisse mutilum a fronte, deinde depravatum in fine; quippe ibi additum fuerit computum annorum a creatione mundi ad Christi incarnationem, quod nullo modo conciliare possis, cum codice Vaticano. In Vaticano codice computantur anni a creatione ad incarnationem 5500. at in fine Canisianæ editionis numerantur 6000. Sed levis error non codicis, sed interpretis, quippe sic habent Græca μεσοῦντος τοῦ ἑξακισχιλίου ἔτους *Dimidiato sexto millenario sæculo*; ἔτος enim sæcula sæpius ut annos denotat. Diviso temporis spatio quod effluxerat a creatione mundi ad incarnationem Christi in sex partes vel sex Sæcula, quorum singula mille annos implevere, ad dimidium sexti millenarii natus erit Christus, secundum Græcos, & circa annum 5500. aliter enim quid sibi vellet illud *Dimidiato*, quod omisit interpres, qui ibidem asserit non dimidiato anno, sed 25. Decembris natum esse Christum: Conveniunt igitur absque ullo discrime hæc duo loca, & ubique asseritur anno 5500. natum esse Christum. Firmat conjecturam nostram quod statim adjicitur absque ulla ambage εὕρωμεν ἀπὸ τοῦ πρωτοπλάστου Ἀδὰμ ἕως τοῦ Χριστοῦ ἔτη ͵εφ *hanc rationem sequentes reperimus ab ipso protoplasto Adam ad Christum usque annos* 5500. Sic sibi constabit author.

Superest tamen disquirendum, an Vaticano codici præferri debeat editio Canisii, in qua deest exordium paucarum linearum, sed quæ amplior multo circa finem. Hæc enim *Nascitur itaque Dominus* & quæ sequuntur, ab amanuensi addita suspicatur *Schelstrate*. Nos vero Codicem quem ille nactus est in Bibliotheca Vaticana, decurtatum, Bavariensem vero, quo usus est Canisius, magis integrum censemus.

Primo

(i) D. Hieronymus affirmat, eum post obitum Domitiani rediisse ex Pathmo Ephesum, ibique Ecclesiam rexisse usque ad Trajani tempora.

SÆC. X. ANNO. 990.

Primo fidem facit illud *igitur* ἐγένετο τοίνυν ἡ ἐνανθρώπησις, à quo Chronicon incipit in codice Vaticano: Illa procul dubio non sunt Hippolyti, qui his verbis seriem Chronologicam non potuit incipere; sed excerptoris, qui ex Chronico Hippolyti Genealogiam Virginis descripserat. Melius Hippolytus noster qui anno incarnationis primum indicato, postea quot sæcula ab Adamo ad Christum usque fluxerint, computat.

Secundo non diffitendum, præter Vaticanum Codicem, Cæsareum quem viderat Lambecius, eadem habere; sed præterquam ille codex Cæsareus *mediocriter antiquus est*, continet tantum Fragmentum de Genealogia Christi, ut ipse præfert titulus. Avulsum igitur fuit illud Fragmentum e Chronico ab authore qui id unum intendebat, ut Genealogiam Christi explicaret; ideoque potuit ab ipso mutari, & verisimile est factum fuisse. Deinde quot alii MS. Codices eadem ac Bavaricus repræsentant? In Bibliotheca Cæsarea Vindobonienſi est codex 304. fol. 257. ubi sic habet titulus & principium. ἱππολύτου Θηβαίου ἐκ τοῦ Χρονικοῦ αὐτοῦ συντάγματος, ἀπὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ κυρίου μέχρι τῆς τῶν μάγων παρουσίας ἔτη β Hippolyti Thebani ex Syntagmate Chronico *à Christi nativitate Domini usque ad præsentiam magorum anni duo.* In alio Codice 336. ejusdem Bibliothecæ sic legitur: ἐκ τοῦ Χρονικοῦ βιβλίου Ἱππολύτου ἑρμηνεία, πόσον καιρὸν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς τὸν κόσμον μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν. Hoc est: *Ex Libro Chronico Hippolyti expositio, quantum temporis Dominus noster Jesus Christus habitaverit in mundo post assumptionem humanæ naturæ.* Variat quidem titulus, sed narratio incipit ipsissimis verbis quæ leguntur prima fronte apud Canisium, ἀπὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως *a nativitate* &c. Adjicitur quidem in eo Codice πρὸ γὰρ τοῦ γεννηθῆναι αὐτὸν ἐφάνη ὁ ἀστὴρ τοῖς μάγοις. *Nam antequam nasceretur, apparuerat stella Magis*, quod forsam additum ab aliquo recentiori Græculo. Ille codex Cæsareus fuerat olim *Sambuci*, qui primus Latine tantum Hippolyti Chronicon Patavii edidit an. 1556. Fateor equidem illum Codicem desinere ad hæc verba, *filius vero Joseph esse ferebatur quorum, filiorum ipsius ex priori conjuge frater putabatur.* Denique apud *Nisselium* in quinta parte Bibliothecæ Vindoboniensis indicatur codex 107. in quo incipit Chronicon Hippolyti iisdem verbis quæ leguntur apud Canisium; ideoque codex Bavaricus cæteris præferendus videtur, quanquam aliqua sint forsan emendanda.

Nessels Catal. Bibl. Cæsar. MS. p. 409. 439. Lambecius Bibl. Vindobon. T. III. p. 46.

p. 156.

VII. *Aliud discrimen inter Vaticanum Cod. & Bavaricum.*

VII. Observavit Emanuel Schelstrate aliud discrimen inter Codicem Vaticanum & Bavaricum. Sic enim legitur in Vaticano ubi agitur de ætate B. Virginis: ἕως ἀναλήψεως τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Ἰωάννου ἔτη ια. *usque ad assumptionem Christi, in domo Joannis anni XI.* Melius editio Canisiana καὶ μετὰ τὴν ἀνάληψιν, *post assumptionem.* Quippe a Joanne recepta non fuit Virgo nec in ipsius ædibus habitavit, nisi post mortem filii jam crucifixi. Deinde enumerati fuerant jam anni 33. quos vixerat virgo dum Christus his in terris degeret, nec debuerunt denuo inculcari: Denique consentit Codex MS. Bibliothecæ Vindoboniensis 334. antiquus, a Busbeckio Constantinopoli comparatus, quanquam aliquo cum discrimine; sic enim habet ille codex apud Nisselium fol. 243. p. 2. Ex Hippolyti Thebani Syntagmate Chronico Testimonium, quod Beatissima virgo Deipara Christum peperit anno ætatis decimo sexto & *post passionem Dominicam vixerit annos undecim, in universum autem sexaginta unum, item quod Sanctus Joannes passioni Dominicæ superfuerit annos nonaginta.*

VIII. *Observatio Hist. circa tonsuram.*

VIII. Reprehendit Schelstrate in editione Canisiana legi Discipulos à Domino edoctos in ædibus Johannis tonsuram accepisse, & in Clerum fuisse ascitos,

ascitos, quorum ne verbum quidem in editione sua: Et revera non fuit ita antiquus mos Clericos tondendi, ut ad Apostolos, imo & ipsum Christum possit referri. Sunt qui *Diodorum*, *Alexandriæ* necatum, *eo quod Cirros puerorum licentius detonderet, id quoque ad deorum cultum pertinere existimans*, putent ab ipso ordinatos lectores pueros quos detondebat. Indeque antiqua tonsuræ vestigia eliciant, qui voluerint: Sed falluntur; quamquam enim verum sit Constantii Imperatoris temporibus vix *Ephebos* electos fuisse Lectores, cum tamen Diodorus fuerit Comes, non Episcopus; quæ referuntur ab Ammiano Marcellino de cirris puerorum ab ipso detonsis, ad tonsuram Ecclesiasticam non possunt pertinere. Illud tamen religionis causa facere sibi finxit, quia scilicet luxuriantibus capillis deliciari non licitum videbatur Christianis, illis præcipue qui morum severitatem profitebantur: quin imo aliqui devotiores ad cutem usque sese radebant. Quod observare licet apud Salvianum de Gubernatione Dei libro octavo. Inde Originem duxit Tonsura Ecclesiastica; sed non nisi Sæculo sexto invaluit apud Clerum: Nihil igitur dubii potest esse, quin erraverit Hippolytus, qui tonsos a Christo Apostolos in ædibus Joannis repræsentaverit. Sed ideone dicat illud Chronicon Hippolyto debere abjudicari? Nequaquam. Sunt enim plurimi qui Tonsuram ad ipsos Apostolos referant. Baronius ipse non dubitat quin ex Apostolica Traditione & exemplo fluxerit. Observat *certa assertione legi* apud Bedam, Petrum in Coronæ formam attonsum fuisse, in memoriam spineæ illius Coronæ, quam gestaverat Dominus. Quin imo ut Apostolos olim detonsos fuisse demonstraret, protulit nummum Theodosii, in quo Senioris Theodosii *veram certamque vultus effigiem intueris, ex adversa vero parte Joannem & Philippum: habes etiam ex his, unde antiquum sacerdotalem habitum discas, simulque tonsuram Ecclesiasticam intelligas.* Observarunt viri docti hanc effigiem non esse Theodosii Senioris, ut conjecerat Baronius, sed Theodosii Junioris, qui tricennalia vota hoc anno solvebat: Deinde vero effigies illæ ex adversa parte nummi repræsentatæ non sunt Johannis & Philippi, sed Theodosii & Valentiniani junioris, non sacerdotali sed Consulari habitu indutorum. Imperatores autem radiato capite in nummis exprimi, mirum videri non debet, hic enim mos solitus prioribus sæculis; nec tum Divorum vel ipsius Christi, sed Imperatorum capita tantummodo radiis circumdabantur. Quam igitur turpiter erravit Baronius circa tonsuram nemo non videt; inde tamen patet voluisse illius tonsuræ antiquitatem ab ipsis Apostolis imo & Christo repetere. Palatius qui recens Gesta Pontificum descripsit, asserit Petrum ab Hierosolymitanis detonsum; quod Hierosolymitanam cladem aperte nimis prædixisset; sed quæ tunc temporis dedecori fuit tonsura, numine annuente, Petro volente, ipsius successoribus & toti Clero gloriosa facta est. Sic unusquisque tonsuram Apostolis ipsis varia methodo vindicare conatur. Protulit Codicem Theologicum Græcum Nisselius ex Bibliotheca Vindoboniensi no. 154. qui olim ad Mathiæ Corvini Bibliothecam Budensem pertinuit, in quo quatuor Evangelistæ depicti apparent, Lucam vero cum *Corona Monachali vel clericali notari vult* Nisselius. Cum sæpius a plurimis sæculis referantur Apostoli attonsi, nihil mirum videri debet, si illam, quamtumvis incertam falsamque Traditionem secutus sit Hippolytus eamque Chronico suo inseruerit.

Ammian. Mar. l. 22. c. 11. p. 354.

Baron an. 58. p. 565. & 566. an. 394. t. 4. p. 690.

Notis. diss. de numism. Licin. c. 3. Pagi Diss. Hypatica p. 3. c. 14. p. 284.

Palat. in Petro T. 1. p. 12.

Nisselsi Catal. Bibl. Vindob. p. 232.

IX. Unum observabo circa Genalogiam Virginis & Christi, quam tanti fecerunt plurimi, ut legatur aliquando in fronte Evangelii Sancti Lucæ: Ipsam Historiæ suæ Nicephorus inseruit & laudatur a multis. In ea, qualis habetur apud Nicephorum, Canisium, Schelstrate, legitur, Josephum duxisse *Salomen* Aggæi filiam, ex ea quatuor habuisse mares, binas fœminas *Ester & Mar-*

IX. Obs. circa Genealogiam Joannis. L. 2. c. 3. p. 135.

Sæc. X. Anno. 990.

Martham: afferitur deinde Salomen, Elisabetham & Mariam fuisse *trium sororum filias* ideoque Johannem Baptistam, Elisabethæ natum, esse Christi Consobrinum. At aliter plane res sese habet in Fragmento Hippolyti, quod inter monumenta Apostolica protulit Cotelerius, quodque hic subjiciendum putavimus: Excerptum est ex Cod. MS. Regio. 1296.

Sanctissimus autem Patriarcha Hierosolymorum magnus Sophronius encomio celebrans Johannem Evangelistam docet Ecclesiam Dei, quod Pater Theologi extitit Zebedæus, mater vero illius Salome, ipsa filia Josephi, qui Josephus quatuor habuit filios, filias tres; filios quidem Jacobum, Simonem, Judam, & Josephum. Filias vero Esther, Martham & Salomen, quæ fuit uxor Zebedæi, mater autem Johannis. Hinc Salvator erat Johannis avunculus, ut pote frater Salomes filiæ Josephi.

Coteler. Mon. Apost. t. 1. p. 279.

Ἐγκωμιάζων δὲ τὸν εὐαγγελιστὴν Ἰωαννὴν ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Ἱεροσολύμων ὁ μέγας Σωφρόνιος διδάσκει τὴν τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαν ὅτι πατὴρ τοῦ θεολόγου ὁ Ζεβεδαῖος ἦν, Σαλώμη δὲ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, θυγατὴρ οὖσα αὐτὴ τοῦ Ἰωσήφ. ὃς τέσσαρας υἱοὺς εἶχε, καὶ θυγατέρας τρεῖς. υἱοὺς μὲν Ἰάκωβον, Σίμωνα, Ἰούδαν, καὶ Ἰωσήφ. θυγατέρας δὲ τὴν Εσθὴρ, τὴν Μάρθαν, καὶ τὴν Σαλώμην ἥτις ἦν γυνὴ μὲν Ζεβεδαίου, μήτηρ δὲ Ἰωάννου. ἐντεῦθεν ὁ σωτὴρ θεῖος ἦν Ἰωάννου, ὡς ἀδελφὸς τῆς Σαλώμης τῆς θυγατρὸς Ἰωσήφ.

In eo differt descriptum illud Fragmentum Hippolyti e Bibliotheca Regia Gallorum, quod filiam Josephi *Martham* appellet: sic Canisius in editione sua, sic Bibliothecæ regiæ MS. Codices 1026. & 2441. sed aliter Nicephorus, qui *Thamar* habet, ut & Lambecius l. 3. c. 46. & Codices Regii n. 750. 2374. & 2004. Leve quidem illud discrimen. Sequitur majus; nam 2°. tribuuntur hic Josepho filiæ tres, adjiciturque cæteris *Salome*, quæ non recensetur nec apud Canisium, nec apud Schelstrate, qui Vaticanum codicem descripsit: Non deest tamen huic Fragmento autoritas sua, Epiphanius enim, qui binas tantum filias Josephi recensuit, posteriorem natu Salomen appellavit. Deinde testem sui propositi Sophronium Hierosolymitanum laudat Hippolytus; & revera in codice Regio n. 750. & n. 2375. leguntur excerpta ex Johannis encomio a Sophronio concinnato, in quibus Hippolyti sententia confirmatur disertis verbis Σαλώμη γὰρ ἡ τὸν μέγαν Ἰωάννην κυήσασα τοῦ μὲν Ἰωσὴφ θυγατὴρ ἐγένετο, *& enim Salome, quæ magnum Joannem genuit, erat filia Josephi*: Metaphrastes in Chronico nondum edito, quod servatur in eadem Bibliotheca Regia n. 2216. eadem totidem pene verbis, ac Hippolytus, inculcat: Denique apud Cosmam Vestiarium augetur numerus filiarum Josephi tresque computantur: quod ad liberandam Fragmenti fidem suffecerit: Mirare tamen tot discrimina rerum in opusculo etiam brevissimo.

X. *Fragmentum Hippolyti de Constantino & Crispo L. 5. Ep. 8. p. 57.*

X. Non omittendum aliud Hippolyti Thebani Fragmentum, unde deducas facile, opus integrum manibus nostris non versari, indeque plurima discas. Innotuerat olim *Sirmondo*, qui hæc inseruerat notis ad *Sidonium Appollinarem*. Legerat scilicet in collectaneis antiquis θεαμάτων urbis Constantinopolitanæ *Constantinum Crispo* filio a se interfecto, cum facti errorisque dolore ictus esset, statuam argenteam auro superfuso, capite aureo, cum hoc titulo posuisse: ἠδικημένος υἱός μου *filius meus injuria læsus*, cujus rei Vindices laudabat *Herodotum atque Hippolytum Chronographos*. Herodotus nemini notus est. Ideo suspicio non levis est, legi debere *Herodionem*; Hippolytus vero Chronographus est procul dubio Thebanus; ab eo enim tempore quo commentarium suum vulgaverat Sirmondus, edidit Combefisius de *Originibus Constantinopolitanis* incerti authoris demonstrationes Chronographicas, in quibus non modo

An 1664. p. 1. & 4.

eadem

eadem repetuntur, ſed plurima ex eodem Hippolyto adjiciuntur, quæ cum ſint alicujus momenti & pertineant ad Hipolytum, hic integra annectere viſum eſt.

Sæc. X. Anno. 985.

Caſtrum Panormum à Panormo quodam Græco conditum eſt, duplici muro conſtructum atque ferro æréque commixtum. In ejus Portâ Septentrionali ſtabat turris ſquallida, ac biceps muliebris ſtatua: ubi & memorandum quidpiam accidit. Cùm enim Caſtrum illud ſævo arderet incendio, ac Urbe totâ unà cum muris ſolo æquatâ, ſtetit turris illa portæ in quâ & ſtatua erat collocata. Sed & ſæpius igne propius accedente, velut quodam fugante, flamma ab ſtatuâ ulnas quinque recedebat. Suſtulit Choſroes Perſarum tyrannus, hactenuſque in Perſide colitur, uti Vivarii præfectus illic captus, ac fugâ elapſus declaravit, in Hippolyti Chronico, quod tertio vulgatum eſt. Quære narrationem eximiam.

Τὸ δὲ Πάνορμον Κάστρον, ὑπὸ τοῦ Πανόρμου Ελληνος ἐκτίσθη, διπλότειχον ὑπάρχον, σιδήρου καὶ χαλκοῦ δίκην ἀναμεμιγμένον. ἐν δὲ τῇ πρὸς βοῤῥᾶν πόρτῃ τοῦ αὐτοῦ Κάστρου, ἵστατο στυράκιον ἠχμῶδι, καὶ στήλη γυναικεία δικέφαλος· ἔνθα καὶ θέαμα γέγονεν. ἐμπυρισμοῦ γὰρ ποτε τὸ κάστρον κατειληφότος, καὶ πάσης τῆς πόλεας ἐδαφισθείσης μετὰ καὶ τῶν τειχῶν, ἵστασθαι τὸ πυργίον ἐκεῖνο τῆς πόρτης, ἔνθα καὶ ἡ στήλη συνίστατο. ἀλλὰ πολλάκις καὶ τοῦ πυρὸς προσεγγίζοντος τῷ τόπῳ, ὡς ὑπό τινος διώκοντος αὐτὸ, ὄπισθεν ὡς ὀργυιὰς έ. ὑπεχώρει τῆς στήλης. αὕτη δὲ παρελλήφθη ὑπὸ Χοσρόου τοῦ Περσῶν τυράννου, καί ἐστιν εἰς Περσίδα λατρευομένη ἕως τοῦ νῦν, καθὼς ὁ Παραδείσιος διαιτὴς ἐκεῖσε κρατηθεὶς καὶ ἐκφυγὼν, δῆλα πεποίηκεν ἐν τῷ χρονικῷ Ιππολύτου, τὸ τριτὸν δημοσιευόμενον. ζήτει ἱστορίαν ἐξαίσιον.

Statua incantata flammis intacta.

Locus nuncupatus Smirnyum, prope quadruplicem porticum, Septentrionem verſus ſubterraneam ſpecum habet decem ulnarum: in ea novem ſtatuæ, haud procul à ſancti Theodori ſacrâ æde. Sunt verò ſtatuæ, * tres quidem Conſtantini Magni, ejuſque uxoris Fauſtæ, & Hilarionis Præpoſiti; quarta Chriſpi filii Conſtantini: cui Herodotus & Hippolytus Chronographi, tradunt fuiſſe caput à patre amputatum: cujus & necis dolore affectus pater, dies quadraginta, ut ferunt, eum luctu proſecutus eſt, nec corpus lavans, nec ſe lectuli quiete recreans. Fecit autem ſtatuam ex argento puro, multo auro inaurans: unum caput ex auro puro puto, inſcriptis in fronte his verbis, FILIUS MEUS INJURIA AFFECTUS. Hoc ille propoſito, ſenſuque pœnitentium more inclinans, religioſéque procumbens, veniam delictorum à Deo expoſcebat. Reliquæ autem ſeptem ſtatuæ ſunt, Severi, Harmati, Xeuxippi, Vigilantii, qui Vigilantii ædes extruxit, & Eleutherii, qui in Senatu Palatium condidit, Hi omnes gladio animadverſi, erectiſque ſtatuis, ab eo qui injuriâ læſerat, veniam exorabant. Tranſiitque mos iſte in liberos, exque illis in alios, ad uſque tempus Valentis Ariani. Ariani itaque non ferentes quam à Conſtantino cladem acceperant, in eâ quam diximus quadruplici porticu, ad ſancti Theodori templum, ſtatuas terrâ obruerunt.

Τὸ δὲ καλούμενον Σμύρνιον, πλησίον τοῦ τετραδισίου ἐμβόλου, ἔχει ὑποκάτω τῆς γῆς, τὸ πρὸς βοῤῥᾶν μέρος, ὀργυιὰς ί. στῆλαι, θ'. πλησίον τοῦ ναοῦ τοῦ ἁγίου Θεοδώρου. εἰσὶν δὲ αἱ στῆλαι, αἱ μὲν τρεῖς Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου καὶ τῆς γυναικὸς αὐτῆς Φαύστης, καὶ Ιλαρίωνος πραιποσίτου, καὶ τοῦ παιδὸς τοῦ τρίτου Κωνσταντίνου τοῦ ὁμωνύμου, ὃν Ηρόδοτος καὶ Ιππόλυτος χρονογράφοι λέγουσιν ἀποκεφαλισθῆναι ὑπὸ τοῦ πατρός· ὃν καὶ λυπηθεὶς ὁ πατὴρ μετενόησε, καὶ ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῷ μ'. ἡμέρας, ὡς ὁ λόγος ἔχει, μὴ λουσάμενος τὸ σῶμα, μὴ ἀναψύξας ἐν κοίτῃ. ἐποίησε δὲ τὴν στήλην ἐξ ἀργύρου καθαροῦ, βάψας αὐτὴν χρυσῷ πλείστῳ. τὴν δὲ κεφαλὴν μόνην ἐκ χρυσίου ταλείου, γράφουσαν ἐν τῷ μετωπιδίῳ, Ο ΗΔΙΚΜΕΝΟΣ ΥΙΟΣ ΜΟΥ. ταύτην στείλας, μετάνοιαν βαλὼν ἐλιπάρει Θεῷ, ὑπὲρ ὧν ἐπλημμέλησεν. αἱ δὲ λοιπαὶ έ. στῆλαι ὑπάρχουσι Σεβήρου, Αρμάτου, Ξευξίππου, Βηγλεντίου τοῦ τὰ Βιγλέντια κτίσαντος, καὶ Ελευθερίου, τοῦ εἰς τὸ Σενάτον τὸ παλάτιον κτίσαντος. οὗτοι πάντες ξίφει παρεδόθησαν, καὶ ὑπὸ ἀδικήσαντος στηλωθέντες, συγχώρησιν παρὰ τοῦ πλημμελήσαντος ἐδυσωποῦντο. παρέλαβον δὲ καὶ τὰ οἰκεῖα τέκνα τοῦτο αὐτὸ ποιεῖν, καὶ ἐκ τούτων πολλοὶ, ἕως Οὐαλῆ τῶν Αρειανοῦ. οἱ οὖν Αρειανοὶ μὴ φέροντες τὴν ἧτταν τὴν διὰ Κωνσταντίνου, ἐν τῷ εἰρημένῳ τετραδισίῳ ἐμβόλῳ, πλησίον τοῦ ἁγίου Θεοδώρου, ταύτας κατέχωσαν.

* quatuor. *Conſtantini Magni ſtatua ac eorum quos ille injuſte ſuſtulit.*

Sæc. X. Anno 990. XII. *Errores Hippolyti.*

XII. Quamquam *Chronographi* titulum ferat *Hippolytus*, varia tamen in brevi opuſculo peccavit circa temporum ſeriem, ita ut merito Caniſius cum quoquam de iſtius Chronologiæ veritate contendere denegaverit. Multa habet incerta & falſa. Argumento ſint priora verba, in quibus biennium a nativitate Chriſti ad Magorum adventum effluxiſſe docet, cum tantummodo fuerint aliquot menſes, vel dies; nec ſaltem intercedere potuerit tantum temporis ſpatium inter Chriſti nativitatem & mortem Herodis, quæ evenit anno urbis conditæ 750. quo computabantur 70. ætatis ſuæ anni, imperii 37. ab eo tempore quo donatum fuerat ab Auguſto & Antonio: nec morari debet nos longum iter *Magis* tam brevi intervallo conficiendum; quippe prius fuerant moniti ex novæ ſtellæ apparitione, quod etiam legas in Codice quodam MS. Hippolyti πρὸ γὰρ τοῦ γεννηθῆναι αὐτὸν ἐφάνη ὁ ἀστὴρ τοῖς μάγοις *nam antequam naſceretur apparuerat ſtella magis.* Sed hæc de Hippolyto ſatis.

Hic titulus erat in codice m. ſ. Bibliothecæ Maximil. Bavariæ Pr.

EX HIPPOLYTI THEBANI
Chronico commentario.

Ex Codice MS.

(*a*) A Chriſti nativitate uſque ad Magorum præſentiam, anni ſunt duo. Et à fuga in Ægyptum, uſque ad mortem Herodis filii Antipatri, anni tres, dies quinque. Habitârunt autem in Ægypto Heliopoli, quæ ad Memphin, Joſeph & Maria cum Jesu, annis tribus, diebus 20. Poſt ipſorum verò regreſſum, ut in Galilæa habitarent, uſque ad mortem Archelai, anni ſunt * 9. dies 17. unà cum Archelao Auguſtus quoque moritur. Vixit verò annis 88. & imperavit annis 56. Ab Archelai porrò morte, uſque ad Chriſti baptiſmum, quem à Joanne in Jordane accepit, anni ſunt 16. dies 30. A baptiſmo, uſque ad Zachariæ lapidationem, annus unus. (Interea * enim, dum ſacris ipſe operaretur de more, lapidibus jactis, & in caput contortis, eum trucidârunt: corporeque raptato, in valle Joſaphat ſuſpenderunt.) A Zachariæ autem lapidatione, uſque ad Joannis filii ipſius mortem, ſub Herode juniore, Archelai F. in carcere patratam, annus unus. A morte Joannis, uſque ad ſalvificam paſſionem, menſes 6. Triginta enim & ſex * annos Joannes Baptiſta vixit. Triginta quidem annis verſatus eſt in deſerto: aliis verò 6. in Jordane baptiſmum adminiſtrabat, prædicans pœnitentiam. Sic Dominus Jesus Christus, trigeſimum ætatis ſuæ annum agebat. Poſt baptiſmum verò receptum, adſcivit ſibi delegitque diſcipulos, cum iiſdem ſuum regnum promulgans uſque ad ſalutiferam paſſionem, annis tribus. Idcircò Nicænæ Synodi

* Leg. 19.

* Hæc deſunt in codice Vaticano.

* Leg. λγ. an. 33. ſic Vaticanus codex B.

ΙΠΠΟΛΥΤΟΥ ΤΟΥ ΘΗΒΑΙΟΥ
ἐκ τῆς χρονικοῦ αὐτοῦ συντάγματος.

(*b*) ΑΠΟ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ, μέχρι τῆς τῶν Μάγων παρουσίας ἔτη δύο. καὶ ἐκ τῆς εἰς Αἴγυπτον ἀναχωρήσεως, μέχρι τῆς τελευτῆς Ηρώδου υἱοῦ Αντιπάτρου ἔτη τρία, ἡμέραι πέντε. παρῴκησαν δὲ ἐν Αἰγύπτῳ ἐν Ηλιουπόλει τῇ κατὰ Μέμφιν, ὅ τε Ἰωσὴφ, καὶ ἡ Μαρία σὺν τῷ Ἰησοῦ ἔτη τρία, ἡμέρας εἴκοσι. μετὰ δὲ τὴν ἐπάνοδον αὐτῶν ἐπὶ τῆς οἰκήσεως αὐτῶν τῆς Γαλιλαίας μέχρι τῆς τελευτῆς Αρχελάου, ἔτη ἐννέα, ἡμέραι ἑπτακαίδεκα. σὺν τῷ Αρχελάῳ τελευτᾷ καὶ Αὔγουστος. ἔζησεν δὲ ἔτη π η. ἐβασίλευσεν ἔτη ν ϛ. ἀπὸ δὲ τῆς τελευτῆς Αρχελάου μέχρι τῆς ἐν Ιορδάνῃ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ὑπὸ Ιωάννου βαπτίσματος αὐτοῦ ἔτη ι ϛ. ἡμέραι λ. ἀπὸ δὲ τοῦ βαπτίσματος μέχρι τῆς Ζαχαρίου λιθοβολίας, ἔτος α. ἐν γὰρ τῷ ἱερατέυειν αὐτὸν κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ, λιθοβολήσαντες αὐτὸν, καὶ κροταφήσαντες, ἀπέκτειναν. καὶ σύραντες ἐκρέμασαν αὐτὸν εἰς τὴν κοιλάδα τοῦ Ιωσαφάτ. ἀπὸ δὲ τῆς τοῦ Ζαχαρίου λιθοβολίας μέχρι τῆς Ιωάννου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ τελευτῆς, ἐπὶ Ηρώδου τοῦ νεωτέρου τοῦ υἱοῦ Αρχελάου, ἐν τῇ φρουρᾷ γεγονυίας, ἔτος α. ἀπὸ δὲ τῆς τελευτῆς Ιωάννου, μέχρι τοῦ σωτηρίου πάθους μῆνες ϛ. λϛ. γὰρ ἔτη ἔζησεν ὁ Ιωάννης ὁ βαπτιστὴς, λ. μὲν ὑποχωρῶν ἐν τοῖς ἐρήμοις. τὰ δὲ ἄλλα ϛ. βαπτίζων ἐν τῷ Ιορδάνῃ, καὶ κηρύσσων μετάνοιαν. οὕτως ὁ κύριος Ιησοῦς Χριστὸς λ. χρόνους ἐν τοῖς παιδικοῖς αὐτοῦ χρόνοις δῆλει. μετὰ δὲ τὸ βάπτισμα ἐπελέξατο ἑαυτῷ τοὺς μαθητὰς,

(*a*) Jam monuimus initium hujus Chronici defuiſſe in codice Caniſii. Basn.

(*b*) Illud Fragmentum in codice Cæſareo 29. Evangelio S. Lucæ præponitur. Lambec. Bibl. Vind. l. 3. p. 47.

SÆC. X. ANNO 990.

Synodi trecentorum duodeviginti divorum patrum Canones, jubent, decernuntque, ut ante annum 30. nullus in Presbyterorum allegeretur ordinem. Sufficit enim, aiunt, discipulo, ut sit sicut Magister ipsius: & servo, ut sit sicut ejus Dominus.

χηρσύσων σὺν αὐτοῖς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ μέχρι τοῦ Σωτηρίȣ πάθȣς; ἔτη γ. διὸ καὶ οἱ ἐν Νικαίᾳ κανόνες τιη. θεοφόρων πατέρων παρακελεύονται. πρὸ τριάκοντα ἐτῶν μηδένα χειροτονεῖσθαι πρεσβύτερον. ἀρκετὸν γάρ φησι τῷ μαθητῇ, εἶναι, ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ τῷ δούλῳ ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ.

A salvifica verò passione, & ascensione Christi, usque ad S. Stephani primi Martyris lapidationem, usque ad lucem, quæ Saulo visa est, eique apparuit, menses sunt sex (a) atque à luce, quæ ipsi Saulo apparuit, & ab ejusdem Baptismo, & prædicatione, usque ad S. Mariæ Virg. assumptionem, (b) anni tres, dies 44. Vixit autem in terris sanctissima Deipara & Virgo, annis 59. Et hoc quidem pacto: In templo annis 14. in domo Joseph mensibus 4. statimque salutata est, & divini partus internuncium à Gabriele Archangelo accepit: & cùm concepisset Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, peperit eundem 25. Decembris die... annos nata 15. Vixit verò Domino nostro Jesu Christo, in humana natura hic vivente annis 33.* Post Domini autem assumptionem, & ascensionem, cum ipsius Discipulis, in domo Joannis Evangelistæ, vixit annis 11. dies... sunt verò anni omnes vitæ ipsius Virg. & matris, undesexaginta. Hic porrò ipse est Joannes, quem diligebat Dominus, qui Virgo fuit: qui & Evangelium, conscripsit, quique perstitit Hierosolymis in S. æde Sionis dicta, templorum omnium matre. hoc ipsius erat domicilium. Illuc igitur Apostoli, propter metum Judæorum, confugerunt. Illic foribus clausis, discipulis suis apparuit Dominus, posteaquam à mortuis exstitit: & Spiritum sanctum, & pacem eisdem dedit. Illic die octavo Thomam nutantem certum reddidit Dominus, lateris sui plaga, & clavorum forma, & effigie demonstrata. Illic Domino Servatori nostro Paschalis agnus, quem cum suis ederet Discipulis, fuit apparatus. Etiam inde hymno dicto, in olivarum montem, in

* Vide Observationes prævias. n. VII. BASN.

Ἀπὸ δὲ τοῦ Σωτηρίȣ πάθȣς, καὶ τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ, μέχρι τῆς λιθοβολίας τοῦ ἁγίȣ ϛεφάνȣ τοῦ πρωτομάρτυρος. * μέχρι τοῦ φανέντος τῷ Σαύλῳ φωτὸς μῆνες ϛ. καὶ ἀπὸ τοῦ φανέντος αὐτοῦ φωτὸς, βαπτίσματός τε * αὐτῷ, καὶ κηρύγματος μέχρι τῆς ἀναλήψεως τῆς ἁγίας παρθένȣ Μαρίας ἔτη γ. ἡμέραι μδ. ἔζησε δὲ ἐπὶ τῆς γῆς ἡ ἁγία θεοτόκος, καὶ παρθένος ἔτη νθ. οὕτως. ἐν τῷ ναῷ ἔτη ιδ. καὶ ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωσὴφ, μῆνας δ. καὶ εὐθέως εὐηγγελίσθη ὑπὸ τοῦ Γαβριὴλ. καὶ συλλαβοῦσα ἔτεκε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τῇ κε τοῦ δεκεμβρίȣ μηνὸς, ἡμέρα.. ἔτη ιε καὶ ἔζησεν ἐπὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησοῦ, ἔτη λϛ. καὶ μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ κυρίȣ, ἔζησεν σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωάννȣ τοῦ εὐαγγελιστοῦ ἔτη ια. ἡμέρας... γένονται ἔτη τῆς ζωῆς αὐτῆς νθ. οὗτος δὲ ἐστιν Ἰωάννης, ὃν ἠγάπα ὁ κύριος, ὁ καὶ παρθένος, ὁ τὸ καθ' ἑαυτὸν εὐαγγέλιον συγγραψάμενος, ὅς τις ἔμεινεν ἐν Ἱεροσολύμοις εἰς τὴν λεγομένην ἁγίαν Σιὼν τὴν τῶν ἐκκλησιῶν μητέρα. αὕτη δὲ ἦν ἡ οἰκεία αὐτοῦ. ἐκεῖ τοίνυν ἔφυγον οἱ Ἀπόστολοι διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰȣδαίων. ἐκεῖ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐφάνη ὁ κύριος, μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ τῶν νεκρῶν, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς πνεῦμα ἅγιον, καὶ τὴν εἰρήνην. ἐκεῖ τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ ἐπληροφόρησεν τὸν θωμᾶν ὁ κύριος, δείξας αὐτῷ τῆς πλευρᾶς τὴν σφαγὴν, καὶ τὸν τύπον τῶν ἥλων. ἐκεῖ ἡτοιμάσθη γοῦν τῷ κυρίῳ σωτῆρι Χριστῷ φαγεῖν τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. καὶ ἐκεῖθεν ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν

Locus mutilus, desunt aliqua.

* αὐτοῦ. ἴσως.

(a) Locus mutilus est. Citatur à Glyca 3. part. Annal. cujus verba Interpres sic reddidit: neque enim jam ad manum est Græcus codex Glycæ. *De nonnullorum quidem historicorum sententia, præsertim Hippolyti Thebani, post Domini ex mortuis Resurrectionem anni septem præterierant, cùm testium veritatis princeps ille Stephanus beatum vitæ finem est consecutus. Ab ejus autem morte mensibus propè sex elapsis, Pauli vocatio facta est.* Refellit hanc sententiam Illustriss. Baronius Annal. primo, docetque Stephanum passum anno Christi 34. septimo ab Ascensione Domini mense: conversionem verò S. Pauli secundo ab Ascensione Domini anno contigisse: nempè anno Domini 36. tempore à martyrio S. Stephani multo longiore, quam statuat Hippolytus; qui tantum sex menses assignare videtur, sed locus, ut dixi, corruptus est. Similia Nicephorus lib. 2. cap. 3. CAN.

(b) Nota hic assumptam dici virginem, nec de morte, sed de ascensione ad cœlum ἀνάληψιν, quam hic indicat Hippolytus, posse usurpari BASN.

SÆC. X. ANNO. 990.

in locum Getſemane dictum, egreſſi ſunt. Ibidem primò S. Euchariſtiæ myſterium confecit Chriſtus, ſuiſque Diſcipulis tradidit, myſticumque cultum edocuit, & tonſura data in clerum aſcivit, benedictionis beneficium impendit, ſacris Ordinibus initiavit; totam omnium arcanorum, quæ in mandatis dabat, & majeſtatis ſuæ ſeriem expoſuit, gloriamque divinæ ſuæ formæ, Beatorumque, à quibus ſpectatur, ſpectaculum exhibuit, ut & magnificentiam, ornatum, ſplendoremque Eccleſiæ ſuæ: Eosdem divina corporis & ſanguinis ſui communione dignatus eſt; ut & Nicodemum ſibi & ante & poſt Reſurrectionem fidum addictumque. Ibi primarium inter omnia Chriſti myſteria, myſterium Apoſtoli peregerunt. Illic Jacobum fratrem Domini, primum Epiſcopum Dominus & Apoſtoli delegêre; non quidem Zebedæi filium, ſed fratrem Domini noſtri. Jacobus enim Diſcipulus Domini, filius quidem erat Zebedæi, Joannis autem Evangeliſtæ germanus. Zebedæus autem ipſorum pater: (c) *ἰδιονάυκληρος*, id eſt, propriam navim habens, appellatur. Ex illuſtribus verò Galileæ viris primas Joannes tenebat. Poſt ſui patris Zebedæi mortem, vendidit diſtraxitque facultates ex hæreditate Zebedæi, & Hieroſolymis aliam domum ſibi comparavit. *

Sic igitur recepit Deiparam in domum ſuam: verbum veritatis Chriſti Epheſi in Aſia prædicans: qui tandem ibidem obdormivit in Domino, ejusdem nomen & magnalia debitis laudibus proſequens.

Jacobus autem & à Domino (d) & ab Apoſtolis ordinatus Epiſcopus, frater

ἐλαιῶν, εἰς χωρίον λεγόμενον Γεθσημανῆ. ἐκεῖ τὸ πρῶτον μυστήριον ἐτέλεσεν ὁ κύριος * τοῦ πατρὸς τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. καὶ ἐμυσταγώγησεν αὐτοῖς τὴν μυστικὴν λατρείαν, καὶ ἔκειρεν, καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς καὶ ἐχειροτόνησεν, καὶ παρέδωκεν αὐτοῖς τὴν μυστικὴν λατρείαν τῶν προσταγμάτων αὐτοῦ, καὶ μεγαλείων αὐτοῦ καὶ πᾶσαν τὴν θέαν, καὶ δόξαν τῆς θείας μορφῆς αὐτοῦ, καὶ αὐτῶν τῶν μακαρίων θεατῶν αὐτοῦ, καὶ πᾶσαν τὴν δόξαν, καὶ κόσμον, καὶ ἔλλαμψιν τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ, καὶ τὴν θείαν μετάληψιν τοῦ τιμίου σώματος, καὶ αἵματος αὐτοῦ, καὶ Νικοδήμῳ τῷ πιστῷ πρὸ τοῦ πάθους αὐτοῦ, καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ. ἐκεῖ οἱ αὐτοῦ Απόστολοι τὸ πρῶτον μυστήριον τοῦ Χριστοῦ ἐτέλεσαν. ἐκεῖ πρῶτον ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησεν ὁ κύριος, καὶ οἱ Απόστολο, Ιάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου ἡμῶν. οὐ γὰρ τὸν υἱὸν Ζεβεδαίου λέγω, ἀλλὰ τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου ἡμῶν. ὁ γὰρ Ιάκωβος ὁ μαθητὴς τοῦ κυρίου, υἱὸς μὲν ἦν Ζεβεδαίου, ἀδελφὸς δὲ Ιωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ, Ζεβεδαῖος δὲ ὁ πατὴρ αὐτῶν * ἴδιον ναύκληρος λέγεται. τῶν δὲ ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ ἐπισήμων ἀνδρῶν ὑπῆρχε πρῶτος ὁ Ιωάννης. μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν Ζεβεδαίου τοῦ ἰδίου πατρὸς αὐτοῦ ἀπέδοτο τὴν κατὰ Γαλιλαίαν κτῆσιν λαχοῦσαν αὐτῷ ὑπὸ Ζεβεδαίου μέρους, καὶ ἐκτήσατο ἐν Ιεροσολύμοις.

Οὕτως τοίνυν ἐδέξατο τὴν ἁγίαν θεοτόκον εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, ἐν τῇ Εφέσῳ τῆς Ασίας, κηρύξας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας τοῦ χριστοῦ. οὕτως ἐκεῖ ἐκοιμήθη ἐν κυρίῳ δοξάζων τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τὰ μεγαλεῖα.

Ο Ιάκωβος δὲ ὁ γενόμενος ἐπίσκοπος ὑπὸ τοῦ κυρίου, καὶ τῶν Αποστόλων, ἀδελφὸς

* Fort. τῆς εὐχαριστίας

* ἰδιοναύκληρος

Fort. [illegible]

(c) Habet quidem cod. græc. *Ἴδιον ναύκληρος*, ſed leg. eſt una voce *ἰδιονάυκληρος*, ut docet Franciſcus Turrianus lib. contra Vergerium, pro domo Lauretana; qui iſta, quæ refert hîc Hippolytus, recitat fermé ad verbum ex ſcholiis quibuſdam græcis S. Chryſoſtomi ſuper Evangelia Joannis & Marci. Legatur Turrianus; qui Hippolyto multum lucis adferet. Exſcripſit eadem Nicephorus ex antiquioribus, loco paulò antè citato: apud quem Interpres transfert *ἰδιονάυκληρον*, *navis propriæ rectorem.* Sed condonemus eum lapſum unà cum cæteris viro de Nicephoro benè merito. CAN.

* Hic deſunt aliqua, quæ lenguntur in codice Vaticano. at in codice m. ſ. Vindobonienſi n. 334. fol. 243. p. 2.' dicitur Johannem Paſſioni Dominicæ ſuperfuiſſe annos 90. BASN.

(d) Jacobus autem, & à Domino, &c. Ut hæc tam intricata intelligantur, profuerit legere, quæ Nicephorus de his memoriæ mandavit, lib. 2. cap. 3. Etſi enim ipſe dicit, ſe hæc referre ex Hippolyto Epiſcopo Portuenſis Romæ; facilè tamen homonymia nominis Nicephoro imponere potuit, ut pro Thebano Portuenſem, & veterem illum Hippolytum ſubſtitueret. Adſcribamus verba Nicephori, ut tenebris Hippolyti lucem accendamus, Hippolyti, inquam, Thebani, nam priſcum illum talia ſcripſiſſe, nunquam mihi perſuaſerim. *Non importunum equidem, ut puto, fuerit,* ait Nicephorus, *præſenti inſerere hiſtoriæ, quæ divinus Hippolytus Portuenſis Romæ Epiſcopus* (πόρτου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπίσκοπος) *de Jacobo fratre Domini memoriæ mandata reliquit: Joſeph, inquiens, faber, ex uxore ſua Salome (quæ quidem filia fuit Aggai, fratris Zachariæ Prophetæ, ejusdem Joannis Baptiſtæ patris, Zacharias verò & Aggaus filii erant Barachiæ ſacerdotis) quatuor ſuſcepit liberos, Jacobum & Simonem, Judam & Joſen, & item filias duas Eſther & Thamar, ita ut Salome ipſa, & Joannes Baptiſta duorum fratrum liberi fuerint. Etenim Aggaus filius quidem eſt Barachiæ, Patruus autem Joannis. Similiter & Zacharias frater quidem Aggai, patruus autem Salomæ, Joſephi conjugis. Salomen porrò dico, non illam in Bethleem obſtetricem (illa enim Bethleemitica conſobrina Eliſabethæ erat, & item ſacræ Virg. Mariæ, ut hoc ſacrum Evangelium Lucæ indicat) ſiquidem tres fuêre ſorores Bethleemiticæ filiæ Mathan ſacerdotis, & Mariæ conjugis ejus ſub Cleopatra & Caſaporis Perſæ regno ante Herodis Antipatri filii regnum; Prima Maria, ſecunda Soba, tertia Anna nomen erat. Nupſit prima in Bethleem Maria, & peperit Salomen obſtetricem. Nupſit quoque ſecunda in Bethleem Soba, & genuit*

frater quidem Domini secundum carnem esse dicitur, filius verò Joseph fabri, ex uxore ipsius, quæ domesticæ vitæ curis, & administrationi vacabat: Simonis autem, & Judæ, & Joseph frater germanus. Quatuor enim liberos habuit Joseph, & duas filias: Esther (e) & Martham: * ex uxore sua Salome, quæ fuit filia Aggæi fratris Zachariæ, qui fuerat pater Joannis Baptistæ, Christi prodromi, filii Barachiæ, filii Abia sacerdotis. Et tunc quidem viduus erat Joseph, ut Salome, & Joannes Baptista fratrum germanorum sint liberi. Etenim Aggæus, Barachiæ filius, patruus erat Joannis. Zacharias item, frater Aggæi, patruus erat Salomes, quam Joseph faber in matrimonio habebat. Salomen autem dico, non obstetricem illam, sed Josephi conjugem. Obstetrix enim è Bethleem erat oriunda, & ipsa consobrina Elisabeth, & sacrosanctæ Virginis Mariæ. Id quæ S. Lucæ * declarat Evangelium. Tres enim sorores erant Bethleemiticæ, sacerdotis Matthan filiæ, & uxoris illius Mariæ; regnante Cleopatra Regina, & Sopatore Persa, idque antequam Herodes filius Antipatri regnum Judaicum obtineret: Nomen primæ erat Maria: nomen secundæ, Somæ *: tertia dicebatur Anna. Prima nupsit in Bethleem, & Salomen obstetricem genuit. Altera ibidem nuptui fuit tradita, & Elisabetham peperit. Tertia in Galilæa nupsit, & MARIAM Deiparam genuit: ut Salome, & Elisabeth, & S. MARIA Deipara trium sororum sint filiæ. Atque hinc Joannes Baptista, & Christus Dominus noster, consobrini esse dicuntur: filius verò Joseph esse ferebatur. Quoniam filiorum ipsius frater est, non

* Codex 29. Cæsar. habet Thamar.

* Hoc deest in cod. Cæsareo.

* Sobe.

μὲν τοῦ κυρίου κατὰ σάρκα λέγεται εἶναι, υἱὸς δὲ τοῦ τέκτονος Ἰωσὴφ, ἐκ τῆς βιωτικῆς αὐτοῦ γυναικὸς, ἀδελφὸς δὲ Σίμωνος, καὶ Ἰούδα, καὶ Ἰωσὴμ. τέσσαρας γὰρ υἱοὺς ἔσχεν ὁ Ἰωσὴφ, καὶ δύο θυγατέρας. τήν τε Ἐσθὴρ καὶ τὴν Μάρθαν, ἐκ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ τῆς Σαλώμης, θυγατρὸς Ἀγγαίου τοῦ ἀδελφοῦ Ζαχαρίου τοῦ πατρὸς Ἰωάννου τοῦ προδρόμου, υἱοῦ Βαραχίου, τοῦ υἱοῦ Ἀβιὰ τοῦ ἱερέως. καὶ τότε ἐχήρευσεν Ἰωσὴφ, ὡς εἶναι τὴν Σαλώμην, καὶ τὸν βαπτιστὴν Ἰωάννην, ἀδελφῶν τέκνα ἀρρενικῶν. ὁ γὰρ Ἀγγαῖος, υἱὸς Βαραχίου, θεῖος ἦν Ἰωάννου. ὁμοίως δὲ καὶ Ζαχαρίας, ἀδελφὸς ἦν Ἀγγαίου, θεῖος δὲ Σαλώμης τῆς γυναικὸς Ἰωσὴφ τοῦ τέκτονος. Σαλώμην δὲ φημὶ, οὐ τὴν μαίαν, ἀλλὰ τὴν γυναῖκα Ἰωσήφ. ἡ γὰρ μαία ἀπὸ Βηθλεὲμ ἐτύγχανεν, ἀνεψιὰ καὶ αὐτὴ οὖσα τῆς Ἐλισάβετ, καὶ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας. καὶ δηλοῖ τὸ κατὰ Λουκᾶν ἅγιον εὐαγγέλιον. τρία γὰρ ἦσαν ἀδέλφια ἀπὸ Βηθλεὲμ, θυγατέρες Ματθᾶ τοῦ ἱερέως, καὶ Μαρίας τῆς αὐτοῦ γυναικὸς, ἐπὶ τῆς βασιλείας Κλεοπάτρας, καὶ Σωπάτρου τοῦ Πέρσου, πρὸ τῆς βασιλείας Ἡρώδου υἱοῦ Ἀντιπάτρου, ὄνομα τῇ πρώτῃ Μαρία, καὶ ὄνομα τῇ δευτέρᾳ Σωμαί. καὶ τῇ γ. Ἄννα, ἔγημε δὲ ἡ μία ἐν Βηθλεὲμ, καὶ ἔτεκεν Σαλώμην, τὴν μαίαν. ἔγημε δὲ καὶ ἡ δευτέρα ἐν Βηθλεὲμ. καὶ ἔτεκε τὴν Ἐλισάβετ. ἔγημε δὲ καὶ ἡ τρίτη εἰς τὴν γῆν τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἔτεκε Μαρίαν τὴν θεοτόκον. ὡς εἶναι τὴν Σαλώμην, καὶ τὴν Ἐλισάβετ, καὶ τὴν ἁγίαν Μαρίαν τὴν θεοτόκον, θυγατέρας ἀδελφῶν τριῶν θηλέων. ἐντεῦθεν οὖν ὁ βαπτιστὴς Ἰωάννης, καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ἀνεψιοὶ λέγονται εἶναι. υἱὸς δὲ τῷ Ἰωσὴφ λέγεται εἶναι, ἐπειδὴ τῶν υἱῶν αὐτοῦ ἀδελφός ἐστι ἐκ τῆς συναναστροφῆς,

ex

genuit Elisabetham. Nupsit postremò & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei Genitricem, ex qua nobis ortus est Christus ipsa veritas: ita ut Salome ista obstetrix, & Elisabeth & Dei mater trium sororum reperiantur filiæ. Proinde Joannes Baptista, & Jesus verus Deus noster consobrini esse dicuntur. Josephi verò filius Christus esse dicitur, quod filiorum ejus frater esset, propter conversationem familiarem & cognationem Aggæi fratris Zachariæ sacerdotis. Hæc Nicephorus ex Hippolyto Portuensi, ut ipse putat, revera autem ex isto Hippol. Theb.

(e) Variant Veteres tum circa numerum tum circa nomina filiarum Josephi: Hieronymus non refellit, imo potius probare videtur Helvidium asserentem Josepho fuisse quatuor filios, filias innumeras: apud Epiphanium recensentur tantum binæ, Maria & Salome: in codice S. Anastasii Μάρθα καὶ Μαρία, Martha & Maria dicuntur: hic aliter plane, Esther & Martha, nuncupantur. Sic fieri solet, ubi conjecturis tantum datur locus: Alii habent Thamar. Observandum in Cæsarea Bibliotheca Cod. XXIX. haberi Fragmentum ex Hippolyti Chronico de Genealogia Christi, quod cum nostro convenit sæpius, quanquam differat aliquandó: quæ desunt apud nos ex Lambecio subjicimus. εὑρίσκομεν δὲ παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ ὡς ἐν τῷ ἑξ καὶ δεκάτῳ χρόνῳ τῆς ζωῆς αὐτῆς ἡ παναγία δέσποινα θεοτόκος τὸν σωτῆρα ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγέννησεν, ἐβαπτίσθη δὲ παρὰ Πέτρου καὶ Ἰωάννου τῶν Ἀποστόλων, αὐτὸς δὲ τούτους ἐβάπτισεν ὁ Χριστὸς, ἔζησε δὲ μετὰ τὸ σωτήριον πάθος θεοτόκος ἤδη ἕνδεκα ὁ δὲ τῆς ζωῆς αὐτῆς ἅπας χρόνος εἷς καὶ ἑξήκοντα. Quæ sic Latine reddimus, Didicimus ex Sacra Scriptura sacro Sanctam Dominam nostram Dei Genitricem peperisse anno decimo sexto ætatis suæ & baptisatam fuisse a Petro & Johanne Apostolis, quos Christus baptisaverat; sed post salvificam passionem vixit Dei genitrix annos undecim; itaque totum vitæ spatium fuit annorum 61. &c. Quomodo hæc ex Sacra Scriptura hauserit Hippolytus Thebanus, quæ non leguntur in Scriptis Sacris, sit fides penes authorem. BASN.

SÆC. X. ANNO 990.

ex eo solùm, quod unà fuerit nutritus, & educatus, verum etiam ex Aggæi fratris Zachariæ sacerdotis cognatione.

(*f*) Nascitur itaque Dominus noster JESUS CHRISTUS ex tribu Juda, & è semine David, secundùm humanam naturam, diebus postremis, 6000. à creatione mundi anno. 42. Augusti Imp. anno, mense Decembri, 25. noctis hora 10. die 1.

Sciendum verò etiam illud, ut à primordio, secundùm Hebræam computationem, mundi demonstres originem, tolle, atque aufer, à protoplasto Adam, ad usque Noe, (sub quo diluvium exstitit, suntque generationes decem) annos 2142. simili pacto à diluvio usque ad Abraham, generationes totidem, anni sunt 1270. Abraham porrò annorum erat 75. quando ex Mesopotamia in Chananæam terram commigravit: ibique annis 25. demoratus, Isaac filium progenuit. Sexagesimum annum Isaac natus, duos liberos, Esau & Jacob, obtinet. Hic Ægyptum cum 12. suis filiis, & nepotibus numero 75. subiit. Habitavit autem ipsius Gens in terra Chanaan, annis 215. deinde Ægyptum cum annis totidem incoluisset, & incremento capto, in 12. tribus esset relata, capita autem computata, mille Chiliades expleverunt. Levi quidem posteri, Moses & Aaron fuêre. Et hic quidem sacerdotio dignus est habitus. Ille autem ad imperium est destinatus. Qui quidem 80. vitæ anno Erythræum mare ingressus, calcat, populumque Hebræum Ægypto educit. Ille ipse Moyses tempore Inachi in Græcia primò omnium imperantis, floruit. Græcis omnibus antiquiores sunt Judæi, & leges: Græci, posteriores. Etenim, unum DEUM colere, ab iis, qui ætate ipsos præiêre, acceperunt. Legum porrò constitutio, seu latio, post tres, emigrationis ex Ægypto, menses per Mosen transigitur: Vox verò Dei mortalibus patuit. Morati sunt in deserto annis 40. Sub Jesu Nave F. fuêre annis 25. sub judicibus, annis 454. usque ad regnum Saulis, primi eorum Regis, sub quo, primoque illius regni anno, David nascitur. Pari ratione etiam ab Abraham ad Davidem usque generationes sunt 14. anni 1024. Atque à Davide, ad usque Babylonis transmigrationem, totidem sunt generationes, anni 609.

καὶ τῆς συγγενείας τοῦ Αγγαίυ ἀδελφοῦ Ζαχαρίυ τοῦ ἱερέως.

Γεννᾶται τοίνυν ὁ κύριος ἡμῶν Ιησοῦς Χριστὸς, ἐκ φυλῆς Ιούδα. ἐκ σπέρματος Δαβὶδ. τὸ κατὰ σάρκα, ἐπ᾽ ἐσχάτυ τῶν ἡμερῶν, μεσοῦντος τοῦ ἑξακισχιλίυ ἔτυς, ἐν τῷ μ β, ἔτει Αὐγούστυ τοῦ βασιλέως, ἐν μηνὶ Δεκεμβρίῳ κ ε. νυκτὸς ι, ἡμέρας α.

Γνωσθέον δὲ καὶ τοῦτο, ἵνα ἐξ ἀρχῆς δείξῃς τοῦ Ιυδαίυ τὰ ἀπαρχῆς κόσμυ, ἔπαρον ἀπὸ τοῦ πρωτοπλάστυ Αδὰμ, ἕως Νωὲ, ἐφ᾽ ᾧ ὁ κατακλυσμὸς γέγονε, γεγόνασι γενεαὶ δέκα, ἔτη Β ρ μ β. ὁμοίως καὶ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἕως Αβραὰμ, γενεαὶ ι, ἔτη α σ ο. Αβραὰμ ἦν ἐτῶν ο ε, ὅτε μετῴκησεν εἰς τὴν Χαναναίαν γῆν, ἐκ τῆς Μεσοποταμίας, κᾀκεῖ διατρίψας ἔτη κ ε, ἔτεκε τὸν Ισαὰκ. ξ δὲ ἔτη βιώσας ὁ Ισαὰκ, γεννᾷ παῖδας δύο, Ησαῦ, καὶ Ιακώβ. κατῆλθεν εἰς Αἴγυπτον ἅμα τοῖς δώδεκα υἱοῖς αὐτοῦ, καὶ τοῖς * ἐγγόνοις αὐτοῦ, τὸν ἀριθμὸν ο ε. παρῴκησεν δὲ καὶ τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἐν γῇ Χαναὰν ἔτη σ ι ε. οὗ τὸ γένος παρῴκησεν ἐν Αἰγύπτῳ ἔτη σ ι ε, καὶ πληθυνθὲν εἰς δωδεκάφυλον ἐλογίσθη, καὶ τὸ πλῆθος εἰς χιλίας χιλιάδας κατεψηφίσθη. καὶ τῷ μὲν Λευὶ ἀπόγονοι Μωσῆς, καὶ Ααρών. καὶ ὁ μὲν τὸ ἱερατεύειν ἠξίωσε. ὁ δὲ Μωσῆς πρὸς τὸ ἄρχειν καθίστατο. ὃς ἐν τῷ ὀγδοηκοστῷ ἔτει τῆς ζωῆς αὐτοῦ πατεῖ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, καὶ ἐξάγει τὸν λαὸν ἐξ Αἰγύπτυ. οὗτος Μωσῆς ἤκμασεν ἐν τοῖς καιροῖς Ινάχου τῆς * ελάδυ πρώτυ βασιλεύσαντος. οὕτως ἀρχαιότεροι ελλήνων Ιυδαῖοι, καὶ οἱ νόμοι: ελληνες οἱ νεώτεροι. τὸ γὰρ ἕνα θεὸν σέβειν, ἐκ τῶν πρώην παρειλήφασιν. ἡ δὲ νομοθεσία μετὰ μῆνας γ, τῆς ἐξ Αἰγύπτυ μεταναστάσεως, δίδοται διὰ Μωσέως, φωνὴ δὲ θεοῦ * δεικνυμένοις ἀνθρώποις. διέτριψαν ἐν τῇ ἐρήμῳ ἔτη μ. καὶ ὑπὸ Ιησοῦ τοῦ Ναυῆ ἀρχόμενοι, ἔτη κ ε. καὶ ὑπὸ τῶν κριτῶν, ἔτη υ ν δ. μέχρι τῆς βασιλείας Σαοὺλ πρώτυ παρ᾽ αὐτοῖς βασιλεύσαντος, ἐφ᾽ οὗ ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς βασιλείας αὐτοῦ, τίκτεται Δαυὶδ, ὁμοίως δὲ καὶ ἀπὸ Αβραὰμ ἕως Δαυὶδ, γενεαὶ δεκατέσσαρες, ἔτη α χ δ. καὶ ἀπὸ Δαυὶδ ἕως τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος,

* ἐκγόνοις

* ἑλλάδος

* δεικνυμένη

A

(*f*) Hæc & quæ sequuntur ad finem usque desunt in codice Vaticano; ea ab amanuensi addita putat Schelstrate; sed contrarium probavimus in observationibus præviis, BASN.

A transmigratione in Babylonem, usque ad Darium, anni 25. Et à Dario ad Jesum filium Josedec, anni 60. Atque ab Jesu Josedec F. usque ad Jesum, qui dicitur Christus, anni 509. Hanc rationem sequentes, calculatione annorum omnium facta, ab ipso protoplasto Adam, ad Christum usque, annorum quinque millia quingenta reperiemus.

γενεαὶ ιδ, ἔτη χθ. καὶ ἀπὸ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, ἕως Δαρείου, ἔτη κε. καὶ ἀπὸ τῆς Δαρείου, ἕως Ιησοῦ τοῦ Ιωσεδὲκ, ἔτη μ. καὶ ἀπὸ Ιησοῦ Ιωσεδὲκ, ἕως Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, ἔτη φθ..... ἡμέραι. κατὰ τὰς χρόνων ἀκολουθίας συμψηφίσαντες, εὕρωμεν ἀπὸ τοῦ πρωτοπλάστου Αδὰμ ἑώς τοῦ Χριστοῦ, ἔτη εφ.

Hoc igitur pacto nascitur Dominus noster Jesus Christus, imperii Augusti 42. mense Decemb. 25. die prima, noctis hora 10.

Εντᾶυθα τόινυν γεννᾶται ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ἐπὶ τῆς βασιλείας Αὐγούστου ἐν τῷ μβ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας, ἐν μηνὶ Δεκεμβρίῳ εἰκάδι ε, ἡμέρᾳ πρώτῃ, νυκτὸς ι.

A Christi autem assumptione, seu in cœlos ascensu, ad usque Constantinum Magnum Imp. virum pium, Deique cultorem anni sunt 297. Quibus aberrarunt nonnulli Christiani, Pascha cum Judæis celebrantes. Divinissimus autem Imp. 12. Imperii sui anno, condita, suoque nomine donata urbe Byzantii, primaque, contra stultè sapientem Arium, facta atque instituta Synodo, cum 318. divinos patres, vel potius Patriarchas collegisset; Romanum scilicet, Alexandrinum, Hierosolymorum, & Constantinopoleos Metrophanem. Episcopos: qui quidem in Bithyniæ provincia, Arium, & unà cum eôdem sentientes, sententiis suis, & anathemate perculerunt, fidemque Catholicam liquidè, purèque proclamarunt.

Ἀπὸ δὲ τῆς Χριστοῦ ἀναλήψεως ἕως Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως, καὶ θεοσεβοῦς ἀνδρὸς ἔτη σϛζ. οὓς καὶ ἐπλανῶντο οἱ Χριστιανοὶ, τὸ πάσχα ἑορτάζοντες μετὰ τῶν Ιουδαίων. ὁ δὲ θειότατος βασιλεὺς οὕτως ἐν δωδεκάτῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας * κτήσας πόλιν ἐν τῷ αὐτοῦ ὀνόματι, ἐν τῷ Βυζαντίῳ, καὶ α σύνοδον ποιήσας, τὰ κατὰ τοῦ ματαιόφρονος Αρείου, ἀθροίσας οὖν τοὺς τιη θεοφόρους πατέρας, μᾶλλον δὲ καὶ πατριάρχας, τὸν Ῥώμης, τὸν Αλεξανδρείας, τὸν Ιεροσολύμων, καὶ μητροφάνην Κωνσταντινουπόλεως, ἐν τῇ Βιθυνῶν ἐπαρχίᾳ, τὸν Αρειον, καὶ τοὺς τούτου ὁμόφρονας καθεῖλον, καὶ τρανῶς τὴν πίστιν ἐκήρυξαν.

* κτίσασι

Tunc sanè, tunc cum sanctos Patres & Patriarchas accivisset, ut in urbem regiam ingrederentur, & orationem supra urbem à se conditam funderent: Postmodò requisivit, quo pacto Pascha celebrandum; & quæ posteris generationibus tradenda methodus, ne in manifestum, notabilemque lapsum deveniretur. At illi, disputatione disquisitioneque facta initaque, temporeque non modico illic commorati, à Deo per Angelum vix ejuscemodi obtinere potuerunt oraculum: Id autem constat tredecim periodis sive revolutionibus, orsis à primi seculi primordio, & in ipso sex millesimo, decimo sexto anno desinentibus. Enumerando igitur has periodos, decima completa est anno 5320. De incepta autem undecima periodo, 186. anni abierunt, & humanam naturam induit Dominus noster Jesus Christus, ut liber Nicomediensis & Metaphrastes habent. Magnus verò Basilius dicit: Ipso quinquies millesimo, quingentesimo anno Dominus noster Jesus Christus nascitur. Itaque ex suprà dicta undecima periodo super-

Τότε δὴ τότε ζητήσας τοὺς ἁγίους πατέρας, καὶ πατριάρχας, εἰσελθεῖν ἐν τῇ βασιλευούσῃ, καὶ εὐχὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως ποιήσασθαι. μετὰ ταῦτα ἐζήτησεν καὶ πῶς τὸ πάσχα * ποιεῖν, καὶ μέθοδον † δίδονται ταῖς μετέπειτα γενεαῖς, ἵνα μὴ εἰς ὄλισθον παντελῶς ἐπιφέρωνται. κἀκεῖνοι δὲ ἐναγώνιοι γεγονότες, καὶ χρόνον οὐ μικρὸν ἐν ταύτῃ διατρίψαντες, μόλις ἠδυνήθησαν ἐκ θεοῦ παραλαβεῖν τὴν τοιαύτην δι᾽ ἀγγέλου * προῤῥήσεως, ἥτις † τὴν ιγ περιόδων, τῶν ἀρχομένων ἀπ᾽ ἀρχῆς τοῦ πρώτου αἰῶνος, καὶ ληγόντων ἐν τῷ ϛιϛ ἔτει. ἀριθμουμένων δὲ τῶν περιόδων, ἐπληρώθη ι περίοδος ἐν τῷ πεντακισχιλιοστῷ τριακοσιοστῷ εἰκοστῷ ἔτει. ἀρξαμένης δὲ τῆς ια περιόδου, ρπϛ * διήλθοσαν ἔτη * παρῆλθον, καὶ ἐσαρκώθη ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὡς ἡ βίβλος τοῦ Νικομηδείας, καὶ τοῦ Μεταφραστοῦ * περιέχει. ὁ δὲ μέγας Βασίλειος φησὶν, ἐν τῷ εφ ἔτει γεννᾶται ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς. * ὅπερ ἐκ τοῦ ἄνωθεν εἰρημένου περιόδου, ἤγουν τοῦ ια ἔτη ϛ ἄνωθεν * γίνονται. ὡς δὲ τῶν

* Fort. ποιεῖν δεῖ. † δίδοσθαι.

* ἴσως, πρόῤῥησιν. † Fort. ὤν.

* Alterum ex his redundare videtur.

* Locus mend.

* Fort. περιγίγνονται.

sunt

Sæc. X. Anno. 990.

*... *Lacuna eſt vel obſoleta antiquitatis: vel negligentia librarii.*

ſunt anni ſex. Reliqui Scriptores, ut Euſebius Pamphili, Euſtathius, Georgius Chronologi, & alii 180. duntaxat annos putant & ſtatuunt. Alii, annos*... Triginta tres annos in mundo & hac vita verſatus, & commoratus, & propter ſalutem noſtram mortem paſſus, 23. Martii fuit cruci affixus. Die 24. ſepultus: & 25. reſurrexit, die prima, nimirum Dominica: Velut Metaphraſtes declarat, & Nicomedienſis: ſeu ut cæteri, Aprilis 21. die à mortuis exſtitit. (*g*) Equidem fidem habeo ſententiæ Domini Simeonis: quippe mundi hujus molitio ab 22. Martii menſis initium accepit: lux item (ſolis) qua metimur omnia, ejuſdem menſis 25. quarto die fuit condita divinitus. Hinc enim quater decem & ſepties decem, tum quinquageſimus numerus ſunt in honore. Et attentè conſiderandum eſt; Quoniam Deus divina ſua ſapientia, in 7. ſæculis mundum fundavit: ſeptemque diebus eſt fabricatus, & de Cain dedit ultionem ſepties, de Lamech autem ſeptuagies ſepties. Enoch ſeptimum tranſtulit, velut eum, qui Deo placeret: Abraham etiam à mundi conſtitutione, multarum gentium patrem declaravit: ſed & ipſe Dominus ſeptuageſimus ſeptimus ab Adam numeratur. Etiam Pentecoſte, ſeu Quinquageſima jubilæi (*anni*) (remiſſionem dixeris) idcircò eſt in honore. Septimo quoque menſe ſolennia illa ſacrificia peragebantur.

Quod ſi voles & circa ſolis, lunæque curſum, reperire dimenſionem, cape periodum, & ſubduc per ſepties decem perque quater decem, per Solis & Lunæ dimenſionem idque tutò, citraque lapſum probabis. In gyrum autem, & orbem volve, quæ intus ſcripta, & notata ſunt, & invenies orbis conditi annos, ad Chriſti usque adventum: Et poſthæc rurſum, Chriſti pro nobis hominis facti genealogiam, & Solis, ac Lunæ periodos, paſchaleſque incipientes, & inſtantes terminos, prout ſub Conſtantino deſcripti ſunt.

λοιπῶν συγγραφῶν, Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου, Εὐσταθίου, καὶ Γεωργίου τῶν χρονογράφων, καὶ ἑτέρων ποιητῶν ϛ π μόνα ἔτη λέγουσιν ἕτεροι δὲ ἔτη... * λγ ἐν τῷ κόσμῳ διατρίψας, καὶ παθὼν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν τῇ κγ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἐσταυρώθη. τῇ κδ ἐτάφη, καὶ τῇ κε ἀνέστη ἡμέρᾳ πρώτῃ, τουτέστι, κυριακῇ. ὡς ὁ Μεταφραστὴς δηλοῖ, καὶ ἡ βίβλος τοῦ Νικομηδείας, ὡς δὲ οἱ λοιποὶ, Απριλλίῳ πρωτοληγούσῃ ἀνέστη. ἐγὼ δὲ πείθομαι τοῖς τοῦ κυρίου Συμεών. ὅτι καὶ ἡ κτίσις ἀπὸ τῆς κ β Μαρτίου μηνὸς τὴν ἀρχὴν ἔλαβε, καὶ τὸ μετρητὸν τοῦτο φῶς τῇ κ ε τοῦ αὐτοῦ μηνὸς δ ἡμέρᾳ ἐγένετο. ἐξ αὐτοῦ γὰρ, καὶ τὸ * τετρὰ ι, καὶ τὸ ζ ι, καὶ ὁ ν ἀριθμὸς ἐτιμήθη καὶ προσεκτέον τῷ λόγῳ. ὅτι ὁ Θεὸς, τῇ σοφίᾳ αὐτοῦ ἐν ἑπτὰ αἰῶσι, τὸν κόσμον ἐθεμελίωσε. ἐν ἑπτὰ ἡμέραις τὴν κτίσιν εἰργάσατο. ὅτι τὸν Κάϊν ἐκδικούμενα παραλῦσαι πεπόιηκεν. καὶ τὸν Λάμεχ ο ζ (*b*) τὴν ἀρχὴν ἔδωκεν, τὸν ενωχ ἕβδομον ὄντα, μετέθηκεν, ὡς θεάρεστον, τὸν Ἀβραὰμ καὶ (*i*) ἀπὸ κτίσεως κόσμου πατέρα πολλῶν ἐθνῶν ἔδειξεν. ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος ο ζ ἀριθμεῖται ἀπὸ Αδάμ. καὶ ἡ πεντικοντὰς τοῦ ἰωβολιμαίου, ὃ ἑρμηνεύεται ἄφεσις, διὰ τοῦτο ἐτιμήθη, καὶ ἱερατικὴ λειτουργία, διὰ τοῦ ζ μηνὸς γέγονεν. ἡ γὰρ πεντηκοντὰς ὑφειλουμένη, (*k*) α ἡμέρᾳ ἐργάζεται.

*... *deeſt aliquid.*

* *For. τετράκις.*

Ἐὰν δὲ θέλεις, καὶ περὶ ἡλίου, καὶ σελήνης τὴν μέτρησιν εὑρεῖν, κράτησον τὴν περίοδον, καὶ ὕφειλον διὰ ζ ι διὰ τετραΐδια τοῦ ἡλίου καὶ σελήνης τὴν μέτρησιν, καὶ ἀσφαλῶς ἀποδείξεις. γύρευσον δὲ ἀσφαλῶς τὰ ἐντὸς γεγραμμένα. καὶ εὕρῃς, καὶ τὰ ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἔτη, ἕως τῆς Χριστοῦ καταβάσεως, καὶ πάλιν μετὰ ταῦτα γενεαλογίαν ἐνσάρκου Χριστοῦ παρουσίας. καὶ περὶ περιόδων ἡλίου τε, καὶ σελήνης, καὶ τῶν ἀρχομένων, καὶ ἐνεστώτων πασχαλίων τῶν γεγραμμένων ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου.

DE

(*g*) Ut clariora fiant, quæ hoc loco de periodis Hippolytus ſcribit; adſcribere placet, quæ ad hunc locum Hippolyti annotavit nobilis & ampliſſimus dominus Joannes Georgius Herwardus, Bavariæ Cancellarius, vir omnis Chronologiæ peritiſſimus. Anni, inquit, 532. reddunt periodum (ſcilicet lunarem) Decem tales periodi reddunt annos 5320. His annis ex undecima periodo alii addunt ſolos annos 180. Sicque illis natus eſt Dominus noſter Jesus Christus 5500. anno mundi: quippe 6. annis citius. Nam alii prædictis decem periodis ſeu annis 5320. addunt annos 186. ita ut illis natus ſit Dominus noſter, Anno Mundi 5506. ſex annis tardius. Hæc Dominus Herwardus. Prioris opinionis eſt S. Baſilius, Euſebius, Euſtathius, & Georgius Syncellus, ut ait Hippolytus: Poſterioris autem Metaphraſtes & Nicomedienſis, Dies πρωτολήγουσα Aprilis eſt 21. dies Aprilis. Quod verò ait, Chriſtum crucifixum 23. die Martii: ſepultum 24. id ea de cauſa facere videtur, quod initium diei 24. ducat, more Hebræorum, à veſpera diei 23. Can.

* Locum de ætate Presbyterorum, ſecundùm Nicænam Synodum, citat ex Hipp. Turrianus, in ſcholiis ad ſecundum librum Conſtitutionum Clementis Romani. Can.

(*b*) Videntur hæc verba redundare, aut aliquid deeſſe. Canis. Forſan legendum τὴν δίκην δεδωκέναι *Lamechum ad pœnas luendas.* Coteler. not. in Aſterium p. 544. ſic olim tentabat, &, ni fallor, optime locum laxatum reſtituebat. Basn.

(*i*) Sic locum ſanabat idem Coteler. Ἀβραὰμ κα ἀπὸ κτίσεως κόσμου. *Abraham a creatione mundi* 21. Basn.

(*k*) Forſan leg. ὑφειλομένη πρώτη ἡμέρα ſubductus primus dies. id. Basn.

DE
S. ADALBERTO
PRAGENSI EPISCOPO
ET
MARTYRE,
OTTONI III. IMPERATORI
PERQUAM FAMILIARI,
PRUSSORUM, BOEMORUM, POLONORUM, ET HUNGARORUM
APOSTOLO.
AUCTOR ÆQUÆVUS.

A Canisio primùm in lucem editus ex Membranis MS. Monasterii Windbergensis in Bavaria, in finibus Boëmiæ.

CANISIUS

Ad Lectorem.

MARTYROLOGIUM ROM. XXIII. APRIL.

IN *Prussia Natalis S. Adalberti, Pragensis Episcopi & Martyris, qui Polonis & Hungaris Evangelium prædicavit.*

Ad quæ Baronius notat.

De eodem hac die agitur apud Bedam & Adonem. Habet ejus res gestas Sur. tom. 2. Alias ab his diversas legimus in cod. m. s. Monasterii S. Cæciliæ Transtiber. quarum est exordium: Est locus, &c. (Et sunt hæc ipsa acta quæ hîc damus) *Plura de eodem in Breviario Polonico. in Epistola Petri Damiani de renunciando Episcop. De eodem in Actis S. Stephani regis Hungariæ. Sigebert. in Chron. an. 994. Æneas Silv. hist. Bohem. c. 16. Item Chron. vet. Polon. & novissimè Mart. Chrom. de reb. Polon. lib. 3. qui eum Martyrio occubuisse refert an. Dom. 997. Dies translationis ejus agitur tertio decimo Kal. Novemb. cujus etiam rei gestæ historiam sub Othone Imp. legi in vet. m. s. ubi agitur etiam de translatione sanctorum Abundii & Abundantii.* Hæc Baron.

Fit mentio S. Adalberti in disputatione cum Rokyzana coram Gyrzicone rege Bohemiæ, quam tomo 3. Antiq. Lect. edidimus. fol. 475. (hic Tom. IV. p....)

Plurima de S. Adalberto Dubravius lib. 6. hist. Bohem. initio.

Laudat & citat hæc quæ hic damus Acta S. Adalberti Baronius tom. 10. anno 983. num. 20. & alibi.

Auctorem hunc S. Adalberto æquævum fuisse hæc probant. Ait cap. 16. *Qui modò regnat tertius, & Deo juvante, maximus Otto.* Et cap. 7. *quia secularis Philosophiæ scientissimus erat, novimus omnes.* Cap. 19. dum de Nilo Græcorum Abbate non longè à Cassino, hæc habet: *Qui & usque hodie ita amore Christi ferventem, non meminit se vidisse aliquem juvenem.* Cùm verò paulo ante eodem cap. de iisdem monachis ait; *Hi verò omnes propriis manibus victum quærentes, secundum regulam sancti Patris nostri Basilii, cælestibus vestigiis innituntur;* an fuit monachus Ordinis S. Basilii?

Sed cap. 35. itidem: *Confessoris nostri & Patris Benedicti.*

Cap. 24. *Joannis filiam, qui nunc urbis præfectus esse dignoscitur.*

Cap. 28. Dicunt autem Abba & fratres ejus de eo &c.

Cap. 42. De Joannis Canaparii visione. *ut adhuc hodie meminit.*

JA-

JACOBI BASNAGII AD ADALBERTUM ET VITÆ EJUS SCRIPTOREM OBSERVATIO.

I.  Lurimi fuerunt qui *Adalberti* vitam scripto mandaverunt ipsiusque laudes concinnarunt. Erunt tamen alii illum vix laudaturi, ob simplicitatem nimiam, quam imperite satis memoriæ mandavit ipsius Panegyrista: Cum enim socius itineris illum in Virginem a se prostratam ludi causa impulisset, ille se nuptum credidit. *O bona stultitia!* inquit author, in quâ nihil nisi quod risum moveat, facile videbit aliquis, nisi sceleris stuprique suspicionem moveat illa impulsio lapsusque, quod multo pejus foret. Bis ad regimen Ecclesiæ, quod animo lubenti susceperat, e monasterio, impellentibus Episcopis & Papa ipso, revocatus est. Deterrebatur scilicet hominum vitiis; quod imbecillem animum indicat: denique nihil egit ille quod laudes meretur. Passus est mortem ictu jaculi, quod Martyrium vocant, quia à Barbaris ipsi fuit intentata. Sed causa, non mortis genus facit Martyrem. I. *De Adalberto.*

II. Sunt qui vitam Adalberti a *Canisio* editam tribuerint *Cosmæ Pragensi de Cano*, cujus Chronicon desinit ad annum 1117. sed falli necesse est. Cum enim constet Cosmam vixisse sæculo duodecimo, non potuit eam quam post Canisium edimus vitam conscribere; quippe disertis verbis indicat author se sub Ottone III. Adalberti Gesta exarare: *Erat*, inquit, *ipsis diebus Romæ imperatrix Theophania, mater ejus qui modo regnat tertius & Deo juvante Maximus Otto.* Deinde vero *Ottonibus* fuisse addictissimum authorem illum facile probatur ex laudibus, quas non modo in tertium hujus nominis Imperatorem, sed & *secundum* congerit; quamquam aliis aliter visum fuerit, Denique hic scriptor asserit Adalbertum Ecclesiæ suæ renunciasse tribus de causis, ut *dicunt qui hujus rei ordinem ipso narrante compererunt.* Fuit igitur ille temporibus Adalberti, imo sæpe ipsius comes & socius, fuit Monachus Romæ, in Monasterio Alexiano, ubi Adalbertum vidit. Observabat autem regulam Basilii, ut patet ex ipsius dicto: *Hi vero omnes propriis manibus victum quærentes secundum regulam Sancti Patris nostri Basilii.* c. 19. Duo sunt circa priorem illam vitam observanda. 1. Priorem cæteris multo simpliciorem esse; addiderunt enim de suo, ut fieri solet, Panegyristæ qui hunc descripserunt; ideo major huic adhibenda fides. Triplicia Adalberti Acta receperat ex Bohemia *Henschenius*, quæ ob frivolas interpolationes omisit. Alia subministraverat ex Archivio Warmiensi in Prussiâ Matthias Sarbivius Vilna, quæ spurcissi- II. *De Scriptoribus qui Adalbertum laudaverunt.*

 mis

SÆC. X. ANNO. 1000.

mis fabulis repleta nauseam movent: quamquam enim Hieronymi Camaldulensis autoritate firmetur miraculum quod ibi legitur, de corpore mortuo Adalberti divina virtute nihilominus erecto, *quod accepto proprio capite in manibus eadem viâ quo venerat in Poloniam reversum, ac in civitate quæ Gnesna dicitur, a fidelibus honorifice tumulatum est*: pauci tamen erunt, qui his assensum præbebunt. Talia silet Scriptor noster cæteris antiquior & in eo multum cordatior.

Annal. p 598.

Alterum circa Adalberti vitam observandum, illam eandem esse ac olim vulgavit *Bzovius* sub Sylvestri nomine. Credidit Gerbertum, hoc est, Sylvestrum II. hujus nominis Pontificem vitam Adalberti Scripto consignasse, illamque quam e Cassinensi Bibliotheca eruerat, ipsum publici juris fecisse. Fuit vita illa opus familiaris Adalberti, qui illum nativis coloribus pinxit, Sylvester vero hanc tantum descripsit. Nulla alia ratione igitur hanc vitam Sylvestro II. tribuit Annalista nisi ob descriptionem, vel potius, ut majorem famam scripto à se edito ex nomine Sylvestri conciliaret. Observat post Henschenium *Mabillonius*, illam vitam a Bzovio vulgatam esse ipsissimam quam ediderat in lucem *Canisius*. Suspicantur viri celeberrimi, fuisse jussu Sylvestri II. exaratam, alii forsan ipsi consecratam: quod eo verisimilius fit, cum Italus Gente Romæque degeret hic author in Monasterio Alexiano, ut superius memoratum. At Bzovius, quod pace tantorum virorum dixerim, non contendit illam quam edidit Adalberti vitam Sylvestri fuisse opus; fatetur fuisse a familiari manu veris coloribus illitam.

III. *Author alius vitæ Adalberti.*

III. Præter hunc Italum Cœnobitam & Acta Adalberti ab Anonymis concinnata, Quartus recenseri debet ipsius Biographus, qui sub Henrico secundo vixit, Adalberto coævus, quique multa ab Adalberti sociis & itinerum comitibus hauserat, ut ipse testatur. Hanc posteriorem vitam Actis Sanctorum inseruit *Surius*: Mabillonius vero, qui Adalbertum Benedictinis Monachis accensuit, Fragmenta solum quædam & excerpta ex illa vita alteri subjecit, nos etiam hæc Fragmenta subjecimus, quæ lucem alteri adferre possunt.



VITA

VITA
VEL PASSIO
S. ADALBERTI
EPISCOPI ET MARTYRIS CHRISTI.



I. *Bohemiæ situs.*

Est locus in partibus (*a*) *Germaniæ*, dives opibus, præpotens armis, ferocibusque viris, quem incolæ *Boemiam* * cognomine dicunt. hujus maxima pars infidelitatis errore præventa creaturam pro creatore, lignum vel lapidem pro Deo colunt; plerique verò nomine tenus *Christiani*, ritu gentilium vivunt, quibus causa periculi, fit res salutis. Nonnulli tamen ex eadem gente & benè credunt, & pro spe futuræ mercedis bona opera agunt.

II. *Parentes Adalberti.*

Igitur in illis finibus, ubi *Christianitatis* religio pulcherrima floruit, erat vir (*b*) *Zlaunicus* nomine, potens in honore & divitiis, amore justitiæ, ac operibus misericordiæ perrarus civis, vir magnus inter ejus terræ habitatores, auro & argento locupletissimus, inter delicias fidus custos divinæ legis, ambulans solicitè juxta præcepta Sacerdotum, charus toto populo, sed propriè amicus pauperum.

Hic accepit (*c*) uxorem dignam generis sui, & ipsam honestis moribus plenam, quæ audiendo verba vitæ plus sitivit, eademque operando famem non explevit, nec delectabatur matronarum pompis, nec auro lapidibusque preciosis, pro minimo ducens quæ stulti maxima putant. Sancta erat moribus, sancta sermonibus, fortis, ut dicunt, in jejunio, familiaris Deo in oratione, mater lugenti pupillo, peregrino & viduæ gratissima soror (*d*).

Pro his ergo & his similibus, quas ambo egerant virtutibus, honoraverunt eos nobiles, & divites, & coluerunt, maximè pauperum turba.

III. *Adalbertus Sæculo destinatur.*

Itaque cum de tam prænobili conjugio sancta proles meritò foret nascitura, inter magnanimos juvenes, quos procreaverant, natus est illis puer speciosior cunctis, cui post in sacri *Baptismatis* lavachro datum est nomen (*e*) *Woytech*.

Iste quantus esset futurus cum ignoratum fuerit, parentes pepercerunt formæ ejus, & præ nimia pulchritudine, quam habuit, destinaverunt eum sæculo. Quidquid autem pius error, vel mala venia parentum in hoc deliquit, mox culpæ proditor coelestis iræ gladius correxit. Cerneres namque infantuli corpusculum subita magnitudine excrevisse, & præ nimia inflatione ventrem toto corpore majorem. Sic in horas dolore majore addito, periculum mortis imminere cœpit.

Tur-

(*a*) Boii in medio saltu ad Albis fontes, loco aperto, uberes agros, mansuro Bojohemi nomine tenuere, inquit nobilissimus M. Velserus libro 2. rerum Boicarum, initio, quem vide. Canis. Dissentiunt alii a Velsero, qui Bohemos a Sclavis originem duxisse volunt. Basn.

* Bzovius habet Sclavoniam, quia & sic nomine generico nuncupantur Boemi. Basn.

(*b*) Primæ duæ literæ in m. s. pæne erasæ erant à manu, quæ nomen corrigere voluit. Nomen & dignitas apud Dubravium qui lib. 6. histor. Bohem, hæc: Slavonicus, Libicensis Comes (sic enim qui vicariam Principis jurisdictionem regionatim per arces, vel oppida administrabant, tunc appellabantur, ut nunc quoque apud Hungaros, Comites vocantur, & apud Polonos Palatini) filium suum Voytichium, egregia indole juvenem, quem in aulam Cæsaris mittere destinarat, mutata sententia, Magdeburgum misit, ut ibi eisdem institutis & præceptis, in eodem quo Dethmarus cœnobio edoctus erat, imbueretur. Can. Legitur in Margine Chronici Magdeburgensis, antiquâ manu appositum ad ann. 981. Mortuus est hoc anno dux Slavinc, Pater S. Adalberti, Pragensis Episcopi. Basn.

(*c*) Ap. Dubravium ib. in margine vocatur Stresilava, quæ auctori familiaris ap. Sur. 23. Apr. ait fuisse ex genere Sclavorum nobilissimo. Can.

(*d*) In Chronico Magdeburgensi de ea sic legitur an. 687. Strezislava, mater S. Adalberti, Pragensis postmodum Episcopi, obiit venerabilis ac Deo acceptabilis matrona. Mab.

(*e*) Voitechus sonat exercitus consolationem, inquit auctor vitæ S. Adalberti ap. Sur. Præfuerat (inquit Dubravius lib. 6. hist. Boem. initio) Urbi Magdeburgensi Præsulis nomine Adalbertus, quem primum omnium Otto Cæsar Metropoliten ibi instituit, virum à commendatione virtutum celebrem. Huic cum Voytichius ab omni item virtute commendatus esset, solenni more eum in religione Christiana confirmat, & pro Voytichio, nomine sibi ignoto; Adalbertum eum suo vocabulo appellat, sicque deinceps nominatus est. Can. Scriptor alterius vitæ sibi finxit illam interpretationem nominis Voytech. *Consolationem exercitus* convenire etiam nomini *Aldalberti*. male omnino, inquit Mab. nam Bertus significat clarum & Illustrem, quod si verum est, nomen Adelberti indicabit virum *nobilem* & *Illustrem*. Adel enim Batavis est nobilis. Codex Cassinensis Bibliothecæ, quem viderat Bzovius, ferebat Vincentius, quæ si vera lectio, pereunt Etymologicæ subtilitates. Basn.

Sæc. X. Anno 1000. Turbantur parentes, decurrunt ubertim lachrymæ patris, & curvis unguibus lacerat ora pallida nutrix, ſtant mœſti fratres, ſævit dolor inter viſcera matris. nec vox, nec animus, nec color certa ſede manent.

Tandem ſub ipſa morte confugiunt ad pium & miſericordem *Dominum*, & quæ pro hominum neceſſitate plus omnibus Sanctis ſuccurrere ſolet, *Matrem Domini* appellant. Inde veniunt ad templum cum magna humilitate ac dejectione cordis, ponentesque puerum ſupra *Altare Sanctæ Mariæ*, votum placabile voverunt eum Domino.

IV. *Sanatur.* His ita factis averſa eſt indignatio Dei, & extenuato ventre, puer priſtinæ redditur pulchritudini. Parentes verò, qui cauſa hujus mali erant, pœnitentia ducti, glorificaverunt Dominum, qui pro melioratione hominum iræ ſuæ flagella diſponere novit.

Puer autem proficiens ætate & ſapientia, ubi tempus erat, *Chriſtianis* imbuitur literis; nec egreſſus eſt domum patris, donec memoriter didicit *Pſalterium*. Proinde pro diſcendis liberalibus ſtudiis miſit eum pater ad *Archiepiſcopum Adalbertum*, qui ab eo, quod verbis docuit, moribus & vita nusquam receſſit. *Magdeburg.* Præerat autem idem ſacræ urbi, quæ latinè *virginum* civitas, græcè *Parthenopolis* vocatur, urbs quondam nota populis, & una ex magnis urbibus, dum primus *Otto* ſceptra regalia rexit, nunc autem pro peccatis ſemiruta domus, & malefida ſtatio nautis.

V. *Confirmatus nomen mutat.* Ipſo tempore erat Magiſter ſcholarum (*f*) *Obtricus* quidam Philoſophus, ſub quo turba juvenum & liberorum copia multa nimis creſcente ſtudio floruerunt. Ergo Archiepiſcopus ille, puerum cum magna charitate ſuſcipiens, dat ſibi *Confirmationem ſacroſancti Chrismatis*, & ſuo nomine *Adalbertum* appellans, tradidit ſcholis.

Aderat ſibi diſcenti Spiritus ſemper individuus comes, & currunt divite vena ingenium, ratio, & ſenſus. Toto autem tempore ſcholaris ſtudii non æmulatus fuerat facientes iniquitatem, non ſtetit in conſilio eorum, quibus erant inutiles actus, & puerilia negotia; ſed mox ubi longius aliquo poſitus Magiſter ei locum præbuit, occultis itineribus ad SS. *Martyrum* domicilia confugit, ubi ſecundum menſuram temporis orationum vota perſolvens, rurſum ante occurſum magiſtri loco ſuo reſedit.

Noctibus quoque ut opus ſuum bonum ab humanis laudibus occultaret, circuit pauperes, debiles, & cæcos, quibus ſecundum modum miſeriarum amica ſolamina præſtat.

Verum ne à bonæ operationis ſtudio ceſſaret, pater & ejus optima mater omnia ſufficienter dederunt; quin & magiſtro ſuo aurum & argentum, & quæcunque oculis hominum digniſſima erant, offerentes, chari filii doctrinam magno pretio emerunt.

Ille vero indefeſſo curſu ad omne virtutum exercitium, ſemetipſum ſemper extendens, inter ſuos collegas pulcherrimus proceſſit. Receſſu magiſtri quando cæteri inanibus ludis & joco laborem legendi minuerunt, ille *Davidici* nectaris mella deguſtans, ſpirituali riſu ſe ſolatur. quando illi prandentes in angulis ſcholæ, dulcia obſonia magiſtro furantur, ille furtivas orationes *Dominæ* ſuæ mittens, *Angelicam* dapem ſibi mercatur.

VI. *Ejus ſimplicitas.* Videamus nunc inter alias virtutes, quas habuit, ſanctæ ſimplicitatis quàm ditiſſimus erat. Quadam die dum iret de ſcholis, unus qui erat ſocius itineris, prætereuntem puellam humo proſtravit, de cauſa ludi eum deſuper projecit; concurrunt ſcholares, & quidnam foret acturus, cum ingenti cachinno expectant. Ille autem quia veſtitam virginem tetigit, O bona ſtultitia! jam ſe nupſiſſe veriſſimè credidit; inde erigens ſe, dein viſa virgine, dedit ſe benè ſimplex puer in amariſſimas lamentationes, atque continuo imbre oculos humectans. Heu me, nupſeram inquit, & criminis machinatorem digito monſtrans, Hic me nubere fecit.

VII. *Philoſophiæ vacat.* Hæc & ſimilia his Deo plenus infantulus jam tunc agendo, multorum oculos in ſe defixit, mirantium ejus acta ac dicentium, Benedicens benedixit hunc puerum Deus, qui infra limina pueritiæ adhuc poſitus, ad optima quæque ſic arduus ſurgit. O ter quaterque beatus, ſi hæc humanitatis ſtudia tota devotione adimpleverit, & arrepti operis curſum congruo exitu terminaverit.

Quibus verò cognitus erat pater & ejus mirifica mater, Non eſt mirum, ajunt, ſi tantus

(*f*) Auctor ap. Sur. 23. Ap. dubiè. Athericus, alii Othricum vocant. CAN. Alii Stericum, alii Adhericum, alii denique Diethericum appellant, qui fuit, ut ajunt, ea ætate homo facundiſſimus & qui novus Cicero a Saxonibus haberetur, annos decem perſtitit in Schola Magdeburgenſi Adalbertus, eo miſſus ſecundum Mabillonum an. 973. BASN.

tantus est de tantis parentibus ortus. patris justitia floret in eo, & maternæ pietatis imago in purpureo pectore vernat. SÆC. X.

Quot annis studuit, incertum est: sed quia secularis Philosophiæ scientissimus erat, novimus omnes. quem Dominus, credo, ad hoc humanæ Philosophiæ studere voluit, ut post divinæ sapientiæ montes faciliore gressu scandere posset; aut potius seculi amara parvulus potare debuit, ut post vir sanctus Dei dulcia avidiore animo hauriet. ANNO. 1000.

VIII. *Patriam repetit.*

Posthæc (g) magister scholarum *Imperatoris* servitio asscriptus, accessit in regiam curtem. *At Archimandrita Adalpertus* debitum naturæ persolvens, ex pelago ad littora sempiternæ beatitudinis transvolarat. Alumnus autem ille patriam, charosque propinquos revisens, sub sacræ civitatis *Pragæ* (h) Episcopo arma Christianæ militiæ militaturus assumpsit.

Nec multo pòst cœpit languor pessimus eundem Episcopum, & detestabili fine clausura venit ei ultima dies. Nam in extremo anhelitu, cum tamen adhuc magna pars animæ superstes foret: astantibus, quorum ille adolescens unus erat, hanc fabellam ægra voce retulit.

„ Heu mihi qualis eram, & quantum mutatus ab illo; qualem me nunc esse vellem! Heu me miserum! Perdidi dies meos; jam pœnitentiæ fructus nusquam. Perii. ubi nunc honor meus & inanes divitiæ? O caro putribilis, & esca vermium! ubi nunc gloria & pulchritudo vanitatis tuæ. Decepisti me, decepisti fallax, seculum; promittens mihi annosam ætatem; & ecce insperatæ mortis gladio malè interemisti animam meam. Sed meum scelus utcunque veniabile erga pium Dominum foret, nisi quod commendatæ plebis scelera ad cumulum miseriarum accedunt. Voluptates enim & desideria eis pro lege erant, nec prohibui furentem, nec prohibere potui sponte pereuntem populum, qui adhuc hodie nil sciunt vel faciunt, extra quæ digitus Satanæ in eorum cordibus scripsit. Væ mihi, quia silui. hoc est quod dolet, dolebitque in ævum. Nam ecce diræ mortis victima in infernum recta via proficiscar, ubi vermes mei non moriuntur, & ignis meus ardebit in æternum, & ultra. Sic ait & citius obdormivit, factusque est planctus magnus super eum.

Timuerunt autem timore magno; sed præ omnibus adolescens *Adalbertus*, qui his diebus deliciosus *Miles* erat, nocte eadem sacco indutus cilicino, & caput cano cinere respergens, singulas circuit *Ecclesias*, pauperibus quoque, quæ habuit largè dispergens, se & causam suam precibus Domino commendavit.

Ipsi autem *Episcopatus* honorem jam tunc aliqui tacitis promissionibus, nonnulli publico sermone promiserunt.

IX. *Adalbertus eligitur Episcopus.*

Post mortem verò Episcopi non longè ab urbe *Praga* factus est conventus desolatæ plebis, unà cum (i) principe illius terræ; & fit diligens inquisitio, quem pro illo ponerent.

Responderunt autem omnes uno ore: Et quis alius, nisi indigena noster *Adalbertus*, cujus actus, nobilitas, divitiæ, ac vita cum honore concordant? Hic quo ipse gradiatur optimè novit, hic etiam ducatum animarum prudenter administrat.

Eodem die dominico, quando hæc electio facta est, quidam validissimo dæmone raptus, fertur in *Ecclesiam*, ubi sedes *Episcopalis* est, & cœpit palam confiteri mala sua, quorum sibi conscius erat. Tunc convenerunt ministri dominicalis mensæ, orantes pro eo, & sacris verbis inimicum prosequentes.

Exclamavit autem per os illius impurissimus dæmon, dicens. „ Quid mihi & vobis? Venistis detrudere me de hoc habitaculo meo? Quid prodest vos jactare inania verba? Ego illum, qui sessurus est in ista sede valdè timeo; cumque illum video vel audio, non ausus sum stare. Et continuò spumans dæmon murmura & horrisona verba ingeminat, & diris dentibus diu infrendens, ad ultimum exivit, homine sano.

Die postero ante ortum solis venit nuncius dicens, Quia heri dominus *Adalbertus* consensu (k) publico electus est in Episcopum. Concurrunt populus cum Clero glorificantes, & gratias agentes Domino, quia volens nolensque nequam spiritus confessus est electionem illius.

Re-

(g) *Othricum & Ottonem II. intelligit. Successit autem Othricus Adalberto Archiep. Magdeburg. sed eodem anno, quo electus, 983. dum iret Romam, obiit.* CAN.

(h) Dethmarum sive Diethmarum Saxonem intellige, de quo fusè Cosmas Pragensis Decanus in Chron. Boh. f. 12. & Dubravius. l. 6. init. CAN. Alii Totharatus, sic Bolland. melius Diethmarus seu Dethmarus, ut habet Dubravius. BASN.

(i) Boleslaus pius, Boleslai sævi filius & Successor. an. 967. BASN.

(k) Continuo Boleslaus, inquit Bohemorum Historicus, manus Adalberto injicit & frustra tergiversantem, Pontificem, magno Collegii sacerdotum assensu, declarat ac non multo post Veronam ad Othonam Cæsarem ire jubet. Apud Dubravium non fit mentio plebis suffragantis. BASN.

Sæc. X. Anno. 1000.

Rediens interea de *Saracenico* bello adiit *Veronam* Imperatorius apex, scilicet *Otto* secundus, (*l*) cui fuit manus in prælio fortis, in parvo corpore maxima virtus, Augustus melior bono patre, &, ut fama meminit, per omnia *Cæsar Christianissimus.*

Idem tunc victor, & victus, pro recolligendo milite huc venerat, volens ultum ire damna victoriæ; sed nesciens, quia mors eum proxima pulsat.

X. *Otto confirmat Electionem.*

Ad hunc ergo *Sclavonica* manus perrexit, ferens legationem de parte (*m*) *Ducis*, & obtulit electum *Episcopum*; rogans ejus manu popularem confirmari electionem.

Non minus Imperator eorum dignæ petitioni adquiescens, dat ei pastoralem virgam; & cujus *Suffraganeus* erat, *Magontino Archipræsuli* † in *Episcopum* direxit consecrandum.

Consecratus ille festo amicorum Domini Jesu *Petri* & *Pauli*, multo comitatu equitat in dulcem patriam. Equus autem, cujus tergo insederat, non more frementium equorum, nec properis cursibus gradiebatur, neque auro & argento portat fulgentia frena; sed in rusticum morem torta canabe ora strictus incessit ad arbitrium sedentis.

XI. *Pragam ingreditur nudipes.* * *proclivis an praclarus Wenceslaus.*

Ventum est ad sanctam civitatem *Pragam*, ubi Dux * præclivis *Wenezlaus* quoddam (*n*) regnum tenuit. ac in Dei servitio vivere suum egregiè perduxit. Postea verò sub impii fratris ferro nobile martyrium consumens manifestis indiciis ac ingentibus hodie usque miraculis sua merita probat. Ibi novus ille Pontifex vincula pedum solvens, nudo pede intrat urbem; huic humili & contrito corde orationis jura persolvens, magno gaudio civium *Episcopalem Cathedram* obsederat.

Erat autem cunctis diebus Pontificatus Episcopii sui piè ac fideliter serviens Domino, sed multo ac inproficuo labore, Christianitatis normam exercens; in populo res Ecclesiasticas sub æqua divisione distribuit in quatuor partes; primam partem pro necessariis vel ornatibus *Ecclesiæ*, secundam *Canonicorum* commoditatibus asscripsit, tertiam verò in agmina pauperum proflua miseratione expendens; ultimæ partis summulam pro suis usibus servat. (*o*)

XII. *Rigide vivit.*

Præterea omni die festo plurimos pauperes ad misericordiæ opera vocat, quæ eis necessaria erant, affluente copia ministrans.

Item quotidianis diebus ter quaternos habere solitus erat, quos in *Apostolici* nominis honorem dape & potu satiat.

Raro autem extra festum aliquod vidit eum meridianus sol manducantem, & nunquam media nox somno indulgentem. Stat lectus altis plumis, & ostro rigidus, die oculos hominum pascens, nocte verò aut habuit *Fratrem Gaudentium*, (*p*) aut cœcum natum; extra quos sui cubili amicissima familiaritate junctos, & se tertium, nemo quartus recubuit in una domo. Ipsi verò nuda humus, vel * lene cilicium, & lapis pro capitis sustentaculo somnum dabant. Nunquam saturo ventre ivit dormitum, & nondum expleto sopore surgit ad solitæ orationis convivia.

* *f. leve.*

Corpus verò, & corporis incentiva acerrimis attriverat jejuniis, nec ulli unquam voluptati animum dare volebat. Parva quies oculis, & nulla venia est defectis pedibus. lustraverat enim carcerem, & carcere positos, quorum longa series & infinitum agmen erat.

Nulli plus nota propria domus, quàm sibi erat, quis, quo nomine, & in qua parte cubaret infirmus, aut quot capita rediviva salus vitæ, quot fatalis hora mitteret leto.

quo-

(*l*) Non tam æquus in Ottonem hic alter auctor vitæ S. Adalberti apud Surium, sic enim ille: Otto secundus qui tum loco Patris rapidis cruribus montem imperii scandit; sed non dextro omine nec vivo maturoque sapientiæ signo rempublicam rexit. Tunc peccato Ottonis multa mala surrexere, maxima ubique & miserrima emerserunt naufragia: Respublica turpitudines passa de solio descendit, Christiana Religio lacera iram Dei sensit. Basn.

(*m*) Hunc Ducem Boleslaum vocat Dubravius l. 6.

† Willigisus erat. Sic quidem Canisius. Nos tamen sequimur Dubravium, apud quem Boleslai fit mentio perpetua. Basn.

(*n*) Forte: quondam aut quota, pro, aliqua parte. Can. leg. quondam Basn.

(*o*) Aliter posterioris vitæ scriptor 1. pars pauperibus, 2. Ecclesiæ, 3. Captivorum redemptioni, 4. Episcopo & Clero fuit assignata. Mab.

(*p*) *Fratrem Gaudentium.* Hic fuit Archiepiscopus Gnesnensis anno 996. aut circiter creatus ab Adalberto, sic enim *du Bravius*: Gaudentio Gnesnæ præsule relicto ipse ad vicinos Prussos iter vertit; Paulo ante mortem Adalberti ad Episcopatum illum promotus est Gaudentius. An vero ille fuerit Germanus frater, vel socius & contubernalis Adalberti, dubium esse potest; du Bravius enim indicat ipsum *loco fratris fuisse* quem Romæ noverat. Aliter plane author hujus vitæ, qui fratrem semper appellat, non modo carne sed & Spiritu: quæ si ita sunt, Benedictus alter septimusque frater Adalberti debet recenseris; sic enim capite 30. *Cum geminis fratribus, quorum alter Presbyter Benedictus, alter dilectus & à puero sibi comes Gaudentius erat.*

Fuerunt Adalberto fratres alii quinque, *Sobebor*, *Spitimur*, *Dobraislau*, *Porcicaslau.* Vel ut habent alii. *Sobubor Spitimur*, *Prebislaus*, *Borita*, *Gaslaus.* De eorum infelici exitu variant Historici. Scriptori nostro si credas, minæ tantum intentatæ sunt a Bohemis in fratres illos, ob adulteram, quam detinuit Adalbertus. *Habemus*, exclamabant illi, *fratres tuos*, *in quorum uxoribus prole & prædiis hoc malum ulciscamur.* Sed aberat Adalbertus, Romamque profugus petierat, cum illi a Bohemis longe antea cæsi fuerunt: Cum enim ille a Pontifice Romano obtinuisset, ut diris devoverentur Bohemi; in tanti facinoris vindictam irruerunt tumultuantes in fratres ejus, hosque morti dederunt. Cui Martyrio adfuisse credidit ipse Adalbertus, quamquam Romæ hoc momento coram Pontifice solemnia celebraret. *Credat Judæus Apella, non ego!* De tàm stupendo miraculo silet merito scriptor noster. Basn.

quorum omnium post pia obsequia sacri seminis, servus erat, ad caminum decurrit, & satione peracta, unde viverent propriis manibus se laborasse gaudebat. SÆC. X.

Hinc viator intrepidus aderat, sacris ædibus sæpius Domino precator importunus cœlestes fores pulsat, nunc longis genuum flexionibus orationem protrahit, nunc ægra suspiria cordis multo flumine rigat. ANNO 1000.

De *Completorio* usque ad *primam* non exiit sermo de ore ejus, & ad instar *Monachicæ* professionis, nocturna silentia servat.

Post *primam* pastoralibus caussis studia sua impendit, audiens diligenter, quid cum prædato paupere peregrinus & vidua ejularent.

Quando autem exteriore cura vacabat, usque ad *Missæ* celebrationem *Davidicis* utitur colloquiis. Homini non locutus est verbum, quandiu dominicæ mensæ infulatus astitit, & supra sancta sanctorum immolat angelicum panem. Post aut opera manuum laborat, aut cum charis *Capellanis* sacræ lectionis cibaria degustat. His ociis longum diem, talibus negotiis totam ducere noctem, hi sibi mores, hoc studium, hæc erat meta vivendi.

Post completorium cum solitis orationibus incubaret, quidam pauper, cui nihil præter vitam & membra impius latro reliquit, miseris ululatibus templi ostia pulsat; quo audito cum de erogatis opibus nullæ superfuissent; cœpit curiosius excogitare, quid illi dare posset; & cum nihil aliud occurreret, ingressus cubile, quod solum habuit, tulit inde sericum pulvinar. Cui abstrahens sericum, plumas circumquaque per domum respersit; deinde ad jacentis mendici clamorem recurrens, inanem purpuram in rugam complicuit, & per coeuntium januarum foramina emittens, hoc fertili dono manum pauperis accumulavit. cujus furti autor cùm lateret; cumque *Willico* domus suæ præpositus hoc inter pueros asperius inquirere vellet, prohibuit eum, dicens, Nequaquam inimicus homo hoc fecit, sed qui indigens erat, forsan pro explenda necessitate assumpsit. XIII. *Pauperi dat pulvinar.*

Inter hæc sancta opera non desierant pluere prædicationis pulchræ verba. nec sibi solum bonus, sed cum pluribus cœlestium gaudiorum particeps esse voluit; singulis compassione proximus, & præ cunctis in contemplatione suspensus: sic alta petens, ut proximorum infirma non despiceret; sic infirmis proximorum congruens, ut alta petere non desisteret; sic discretionis artem servare novit, ut esset in eo, & justè consulens misericordia; & piè sæviens disciplina. XIV. *Prædicationi dat operam.*

Ipsi autem contraria voluntate ad carnalem sensum relapsi, bonum pastorem sequi noluerunt. Novo quippe modo cùm essent cœlestibus boni pasti, peccatorum fæcibus explebantur. Ille spiritalibus adjutoriis * claves suas præmunire instat; illi destruere, quod fecit, diabolicis impugnationibus festinant: Ille à captivitate dæmonium, & vitiorum populum liberare parat; illi eo arctius se in omni peccato obligare non cessant. *leg. caulas. CAN cautius Mabil. Sæc. Ben. V.

Vidit ergo Episcopus, quia divinis legibus adversum ire, omnibus modis festinaverunt; vidit, quod obdurato corde in Deum grandia quæque, & nova scelera adimplere meditantur, vidit optimæ gubernationis frustrari lacertos, plus etiam obesse sibi, quàm populo prodesse.

Deflet ergo peccatum, & amarissimo luctu prosequitur damna perditæ gentis. Ad ultimum cogitat, melius esse relinquere, quàm in cæco & sponte pereunte populo operam perdere, quod maximè de tribus causis actum esse dicunt, qui hujus rei ordinem, ipso narrante, compererunt.

Prima & velut principalis causa, propter plures uxores unius viri.

Secunda propter detestanda conjugia Clericorum.

Tertia propter captivos & mancipia Christianorum, quos mercator videns infelici auro emerat, emptosque tot Episcopus redimere non potuit.

In somnis quoque apparuit ei Dominus suscitans eum, & de lento sopore surgere jubens. Inquit ille, Quis es tu tam imperiosæ auctoritatis, vel cujus rei gratia quietem frangere jubes? Respondit: Ego sum Jesus Christus, qui venditus sum, & ecce iterum vendor *Judæis*, & tu adhuc stertis? Ille expergefactus secum tacito corde pertractat, quidnam hæc visio vellet. Admonet solvendæ quæstiunculæ socium, elegantem virum *Williconem*. Hic honore *Præpositura* præerat cæteris. hunc vir sanctissimus consiliorum suorum participem fecit, cui cum suam visionem exponeret, respondit in propria verba, & cogitationes ille mitissimus hæros: Quando venduntur *Christiani Judæis*: hanc venditionem patitur *Jesus Christus* cujus nos sumus corpus & membra, à quo movemur & sumus. XV.

Hæc S. Episcopus, æqua lance perpendens, & ab imo cordis longa suspiria trahens, am- *Papæ visionem exponit.*

amplius ſtare timuit; ſicque conſilio doloris accepto, venit *Romam*, & *Apoſtolicæ* (*q*) *Sedis Pontificem*, quid in tanto ſuo populique diſcrimine agendum foret, gemebundis quæſtionibus inquirit.

Commendatus, inquiens, mihi grex audire non vult, nec capit ſermo meus in illis. iniquorum pectoribus dæmoniacæ ſervitutis imperia regnant; & ea regio eſt, ubi pro juſto virtus corporis, pro lege voluptas dominatur.

Ad hæc *Apoſtolicus*, Fili, inquit, quia te ſequi nolunt, fuge quod nocet. „ Operæ pretium eſt enim, ſi cum aliis fructum facere non potes, vel teipſum non perdas. Quare in eo conſilio arripe tibi ocia contemplationis, & ſede inter eos, qui vitam quietam in ſtudiis dulcibus & ſalubribus agunt.

Hac itaque velut divina reſponſione animatus, cùm ad futura ſanctorum gaudia ardenti deſiderio anhelaret; ſtatuit ſecum, natale ſuum ſolum, notioresque populos derelinquere. vult pro Domino peregrè proficiſci; atque velut ſub alio ſole inopem ducere ſenectam. Omnia dura & aſpera pro dilecto Jeſu dulcia ſibi viſa ſunt, pro divite Chriſto anguſtam pauperiem pati, non tam labor, quàm ingens amor erat. Poſt hanc ſuæ mentis deliberationem argentum pauperibus largè diſtribuens, Epiſcopalem cameram evacuavit.

XVI. *Hieroſolymam vult petere.*

Erat autem ipſis diebus *Romæ Imperatrix Auguſta* (*r*) *Theophania*, mater ejus, qui modo regnat, *Tertius*, & Deo juvante, *Maximus Otto*, cui pia cura circa pauperes cum ſummatibus viris, & benè quærentibus Chriſtum ſinceriſſima dilectio fuit.

Hæc comperto quod gratia orationis exulans ille usque *Jeroſolymam* pergere vellet, clam venire illum fecit, & argenti tantum, quantum juvenis Gaudentium vix levare poſſet, pro viatico accipere fecit. quod eadem conſequenti nocte pauperibus fideliter diviſit, atque ab uno denario totum expendens, nil ſibi retinuit.

Deinde pueris remiſſis in patriam, mutat habitum, & aſinum pro portandis oneribus mercatus, cùm tribus numero fratribus ſocium iter aſſumpſit.

Habens itaque animum *Jeroſolymis Sepulchrum Domini* inviſere, venit ad montem (*s*) *Caſſinum*, in cujus cacumine monaſterium ſedet, quod hoc in loco primus conſtruere cœpit beatiſſimus Pater Monachorum flos & gloria *Benedictus*. Ibi quoque, ut *Gregorii* mellifluum os ſonat, ultimam vitæ partem deguit, & veræ religionis exemplar omnibus, qui in Chriſto piè vivere volunt, digito conſcripſit. Hic tum, licet agnitus non fuiſſet, tamen Domino quod futurum erat, providente, honorificè hoſpitio ſuſceptus eſt.

XVII. *Ab itinere Hieroſol. revocatur.*

Poſt paucos dies cùm iter cœptum agere vellet, acceſſit ad eum illius loci Abbas, & cum ipſo admodum illuſtres viri, hæc conſilia velut à divina arce ferentes.

„ Via, inquiunt, quam beatitudinis acquirendæ cauſa cœpiſti, longè eſt à recta via, „ & ab illa, quæ ducit ad vitam. Perplexitatibus quippe fugacis ſeculi carere magna„ nimi eſt; ſed quotidiè loca nova mutare minus laudabile eſt. Sicut enim hiberni „ maris inconſtantia malum nautis, ita vagatio de loco ad locum periculum ſuis ſequa„ cibus minatur; ſtare autem loco, & ſupernis uſibus eò liberius perfrui, non nos, „ ſed præcepta majorum, virorumque fortium exempla tibi dicunt.

Quod conſilium providus heros non ſecus, quàm divinitus datum accipiens, ibi finem laboris & cætera errabundæ vagationis ponere cogitavit.

XVIII. *Hi manere recuſat.*

Hæc eo cogitante fruſtratur eum Deus, volens dilecti hominis deſideria aliquantulum dilatare, ut quanto nunc amara primum & labore parata, tanto poſt dulciora fuiſſent.

Nam cùm ibi monaſtica lege vivere vellet, cumque à minimo usque ad maximum omnes hoc libentiſſimè vellent, repentè attonitas (*t*) terribile verbum tranſverberat aures.

„ Et

(*q*) Qui fuit Benedictus ſeptimus. Canis. Sed male; nam fuit Johannes XV. qui ſedebat ab anno 985. ad 996. in eo ſcilicet deceptus fuit Caniſius, quod crediderit illud iter multo citius fuiſſe confectum; cum tamen illud ſuſceperit Adalbertus an. 989. ſic enim Chronicon Magdeburgenſe an. 990. *S. Adalbertus Roma ad S. Alexium, inſcio Abbate quis eſſet, factus eſt monachus.* Nec bene editores Conciliorum, qui alíud iter tribuunt Adalberto, ſcilicet ſub Benedicto an. 983. ſupponunt ſcilicet illi Adalbertum petiiſſe Jeroſolymam: quod refellit auctor a nobis editus. Conſilium ſcilicet mentemque mutavit & Caſſini *finem laboris & cætera errabundæ vagationis ponere cogitavit.* Basn.

(*r*) Hanc auctor familiaris S. Adalberti ap. Sur. vocat pulchrum lutum. Can. Inde patet authorem ſub Otthone III. ſcripſiſſe. Fuit autem illa Anna vel Theophania à Nicephoro imperatore prognata, hancque Luitprandus juſſu Ottonis I. in matrimonium poſtulavit pro filio Ottone ſecundo an. 968. Basn.

(*s*) *Leo Oſtienſis lib. 2. c. 17. Romam egreſſus ad ſanctam civitatem, præter ſpem imperfectum iter ſuſcepit. Nam ea via ductus ad montem Caſſinum uſque pervenit, ubi B. Benedictus poſtremo charam ſedem poſuit, ibi Abbatis & fratrum piis monitis caſtigatus, ne inutili vagatione vitam expenderet, ſed loco ſtaret. Hæc & plura alia Leo convenientia cum his noſtris actis, quæ & Baron. tom. 10. anno 983. num. 20. & 22. citat.* Canis.

(*t*) *Quod non manſerit cum Caſſinatibus, eò quod videret ſe ab illis coli ut Epiſcopum, narrat Leo Oſt. lib. 2. c. 17. Cum die quadam Seniores illi monaſterii dicerent, Bonum eſt, Pater, ut hic Deo placitam exigas vitam, quoniam cùm ſis Epiſcopus, & Eccleſias noſtras dedicare, & noſtros clericos ad ſacros promovere ordines decentiſſimè poteris, moleſtè hoc tulit. Deſcendenſque ad virum ſanctiſſimum Nilum, quem tunc ad vallem lucis cum Græcis aliquibus fratribus, religioſiſſimè converſari didicerat, devotè ſe contulit.* Can.

Sæc. X. Anno 1000.

„ Et bonum est, inquiunt, ut stes nobiscum, hîc monachicum induas habitum, „ hîc Deo placiturum vivere ducas, nostras quoque Ecclesias novo opere constructas, „ cum sis Episcopus, sacrare potes. Quo audito ille heros jam dudum intra se turbatus, hæc ira dictante reddidit, Utrum me hominem vel asinum putatis, ut cùm „ amota filiorum cura Episcopus esse desisterem, nunc sub nomine Episcopi vestras „ domos consecrarem?

XIX. *Nilum Abbatem convenit.*

Nec mora ivit deorsum per montis convexa, & quasi duorum dierum itinere acto, ad magnum virum *Nilum* perrexit; cujus nobile meritum in monastico ordine, velut novus lucifer in æthereo axe refulget: sub quo etiam duce ac divinæ artis magistro discipulorum plurima manus Deo militarunt.

Hi verò omnes propriis manibus victum quærentes secundum regulam sancti Patris nostri *Basilii* cœlestibus vestigiis innituntur.

Hac fama ductus aggreditur sanctum senem, & provolutus genibus diu profudit lachrymas, quærens ab illo responsa, & amica solatia, quem intuitus dominus *Abbas Nilus*, cujus meriti in conspectu Domini viveret, jam in primo sermone cognovit; quod & usque hodiè ita amore Christi ferventem, non meminit se vidisse aliquem juvenem.

„ Et recepissem te, inquit, dulcis nate, nisi hæc susceptio mihi meisque nocitura, „ tibi tamen minimè esset profutura. Etenim ut iste habitus & barbæ pili testantur, „ non indigena, sed homo *Græcus*, (*u*) sum; terra autem quantulacunque est, quam „ ego & mei mecum incolunt, illorum, quos tu benè fugis, propria est. Sed si quod „ Deo volente nimis vellem, unà nobiscum cohabitaveris; tollunt illi, quæ sua sunt; „ ego cum charis filiis expellor totus; tu de incerta re plus incertus eris. Quin imò „ accipe Patris consilium, & unde digressus es, repete urbem *Romam*; quò cum angelo bono te ducente perveneris, dominum Abbatem *Leonem* nobis amicissimum „ ex nostra omniumque persona salutes, atque Epistolam nostram feras in hæc verba: „ aut te apud se, quod plus volo, retineat; aut si ei difficile apparet, ad Abbatem „ sancti *Sabæ* mea vice commendet.

Hac spe confirmatus regreditur ad sacratam arcem urbium dominam & caput mundi *Romam*.

XX. *Probatus admittitur.*

Inde cui monasterio Abbas Leo (*x*) præfuisset, diligenter inquirens, ad sanctorum limina *Bonifacii* & *Alexii*, monstrante populo, perductus est. Postquam ingressus est, & cum Abbate copia datur fandi, obtulit salutationem & literas, quas miserat Abbas *Nilus*: quibus perlectis, ut ex longo usu spiritum probare doctus erat, priusquam recepisset illum, arguta arte cuncta explorat.

Primum incepit indignationem simulare, quis qua mente præditus esset, averso vultu indagare, aspera & dura illi prædicens, cunctaque arcana mentis ejus sagaci ingenio perquirens. Justum verò ac tenacem propositi virum, nec * dira hominis responsio frangere valuit, nec venientium tentationum minæ à semel arrepta voluntate revocare potuerunt.

* dura.

Abbas verò Leo ubi non solùm avertere à suo proposito, sed etiam dira prædicando plus accendere poterat, accepturum se fore illum pollicetur. Statuit autem *Dominum Apostolicum* (*y*) cum humiliato Antistite prius convenire; ut quidquid agendum foret, tanti patris sententia, suorumque *Cardinalium* consilia deliberarent.

Post hæc rite peractis omnibus, qua die *Dominus Discipulorum* suorum pedes lavit, ac linteo extersit, monachalem habitum sanctus ille *Episcopus* accepit. *Sabbato Sancto*, quando baptizati catechumeni * criminalibus vinclis solvuntur, soluta est & ipsi capite pendens, cuculla. Hinc secundum regulæ morem, fratrum numero addictus quærendum angusto calle cœpit ardentius cupere Christum.

* *Crinalibus* Can. *melius criminalibus.*

XXI. *Cum fratre suo Gaudentio.*

Duo autem ex fratribus, qui cum eo erant, jam dudum videntes, quia se monachum facere vellet, non benè relicto clipeo fugam dederunt. Solus verò *Gaudentius*, exemplo constantis viri, remanens cum beato viro, Monachicam atque probabilem conversationem consecutus est: qui etiam sibi carne & spiritu duplex germanus, & ab infantia semper fidissimus comes adhæsit.

Ipse verò omni obedientia ac humilitate ambulans inter fratres, contra bella tentationum, vitiorum intrepidus tyro accingitur; in cogitationibus suis ad humilem confessio-

(*u*) Advenerat revera e Græcia Nilus Græcosque hymnos in honorem Benedicti cecinerat, Vallis Lucii Monasterio præfuit, per XV. annos. Ejus vitam Græce scripsit Contubernalis ejus, quam Latinam fecit Matthæus Cariophilus, Iconiensis Archiepiscopus. Basn

(*x*) Hunc Leonem *Episcopum Palatii* Cangius fuisse dixit, indeque conjicit, varias apud Gentes fuisse Palatinos præsules: at Leo non fuit Episcopus, sed Abbas Basn.

(*y*) Hic titulus communis: Domni Apostolici dicebantur omnes Episcopi; sed labentibus sæculis reservatur ille Titulus Romano Pontifici. vide præfat. nostram. Basn.

SÆC. X. ANNO 1000.

fessionem semper confugiens, quassatæ mentis arcana spiritalibus viris pandere non cessavit. Cessante verò tentationum imbre, in novam messem virtutum refloruit; ac post victoriam solito clarior eluxit.

Prov. 4. Processit ergò ut lux splendens, & crevit usque ad perfectum diem.

Obedientia, qua donavit eum suus Abbas, hujuscemodi erat, ut coquinæ fratrum aquæ ministratorios usus humero apportaret; manibus quoque eorum lavandis simile obsequium ageret, sic se cunctis fratribus servire lætatur.

XXII. *Humilibus officiis vacat.* Nec moratur interea æmulus hostis, nunc aperto bello, nunc latentibus insidiis hominem DEI impugnaturus. & cum testacea vasa, nunc aqua, aliquando vino plena portaret, prædictus hostis callido astu lapsus parat, ac ut confracta in partes spargerentur efficiens, sacri viri faciem ingenti rubore perfudit.

Hæc dum multoties fierent, & ipse tot vicibus veniam prostrato corpore peteret, tandem ultor ejus confusionis respexit ad hæc negotia DEUS. Nam una dierum cum fratrum mensæ apportaturus foret merum, offenso pede corruit ipse super vias, & vas ingenti cecidit super marmora lapsu. audit à longe pater monasterii, cunctique fratres per ordinem, quomodo labitur ille heros; nescientes quia hunc casum prosperrima adversitas comitaretur; ita enim vas sanum & vini portio non minuta reperitur, ac si nulla facta foret ruina.

XXIII. *Mulierem ægram dato pane benedicto sanat.* Item nobilis quædam foemina monasterium hoc causa orationis ingreditur, & cum charitatem ibi facere jussa foret, jam septem annis panem se non gustasse profitetur. ille verò hunc abstinentiæ morem pro infirmitate ei adhæsisse recognoscens, allato pane salutiferæ *Crucis Signaculum* impressit, ac deinde prandenti matronæ apponens, In nomine Domini mei JESU CHRISTI, filia, inquit, manduca panem: non licet tibi sanctam charitatem violare, pro ejus enim amore hoc parum prandii accipere jussa es.

Ad hanc vocem credula mulier, panis munera degustans, cum gratiarum actione regreditur in domum suam. Ex hinc ergò communi cibo usa est: rem novam sibi contigisse civibus narrat, ac glorificat vox omnium Dominum DEUM.

XXIV. *Febricitantem tactu manus sanat.* Nec prætereundum est, qualiter cujusdam *Joannis* filiam, qui nunc *Urbis Præfectus* esse dignoscitur, atrocissimus febrium dolor vexare cœpit, quam cum homo DEI sacratissima sua manu tangeret, omnis languor corporis ejus imperio abscessit.

XXV. *Postulatur ut sedem Episcopalem repetat.* *Archiepiscopus* verò *Magontinus* (z) beati præsulis gregem sine pastore ire conspiciens, misit legatos (a) cum litteris, per quos *Dominum Apostolicum* de sancti viri reditu interpellat.

Facta est *Romæ* synodus (b) pro hac causa, & oritur utrinque litigium grande, ex una parte eorum, qui monachum perdere timuerunt; ex alia eorum, qui pastorem suum cum auctoritate quæsierunt. Cumque invicem pugnantibus sententiis utraque pars diu decertarent; tandem dubiam nunciorum *Primas* vix promeruit victoriam. Hic ipse *Primas* frater erat *Ducis*, cujus terræ, qui exigebatur *Episcopus*, præfuit.

Tum *Apostolicus* non tàm (c) voluntate, quàm jure DEI permotus talia respondit: *Reddimus, quod juste quærunt; Quamvis de bono patre jam degenerassent filii, Et dabimus eum hac lege. Si adierint eum, teneant cum Dei benedictione, faciantque sub ipso fructum centupulum. Si autem a consueta iniquitate sua recedere nolunt; hic noster absque periculo sui capitis malorum consortia declinet.*

XXVI. *Excipitur festive a suis.* Hæc ubi dicta dedit, finita est synodus, & soluto cœtu redierunt quisque in domum suam. Abscedunt legati, monachis tristibus, & læto animo ac magna exultatione. Cumque emenso itinere *Pragam* venirent, eunt ei obviam omnis ætas & sexus, & quasi cum ingenti gaudio acceperunt eum; dant manus ac promittunt omnia, velut quod de sua reversione oppido gauderent; & secundum ejus præcepta priorem vitam plenissime emendare vellent.

Sed paulo post cœpit eos ignavia, mollicies. Et neglectis prædicationibus itur in omne nefas. Veterum quippe vitiorum recordationibus præventi, in carnalem partem relabuntur, & pereunt labor pastoralis, & diligens cura boni patris.

XXVII. *Mulier Adulterii convicta fugit ad eum.* Inter hæc luctuosum & miserabile crimen exoritur. Mulier cujusdam *Nobilis* cum *Clerico* adulterasse publice arguitur. Quam cum more barbarico parentes dedecorati con-

(z) Villigisus, de quo supra.

(a) Radlam fratrem Boleslai & Zrahkyvam Monachum, qui Episcopus fieri noluerat. BASN.

(b) Non habetur illa Synodus Romana. Occasionem & causam tantummodo retulerunt editores t. IX. ex Actis Adalberti apud Surium. BASN.

(c) Decretum Joannis XV. anno 989. quod ex his ipsis Actis laudat Baron. an. 989. num. 2 ubi vide variam lectionem CAN. Nostra tamen est legitima. Sed forsan non omnes decretum ipsum sint cum Baronio probaturi. Nos aliqua in præfatione. Male Canis. an. 989. assignat post Baronium, cum enim per quinquennium Monachus fuerit Adalbertus, decretum illud ad annum 994. debet revocari. BASN.

conjugis decapitare quærerent, fugit illa, per celeres auras, donec voce & cursu usque ad optatum pervenerat Episcopum. Volens autem de illorum manibus mulierem liberare, clausit eam in monasterio *Sanctimonialium*, quod sub vocabulo & veneratione sancti *Georgii* consecratum firmissimis mænibus vallatur; clavim verò Ecclesiæ custodi fideliter commendat: credens, ut fæmina inter fæminas solatia doloris, & sub *Altaris Defensione* vitæ securitatem haberet. SÆC. X. ANNO 1000.

Crimen quoque in se referre voluit, ut se sceleris auctore magnum aliquid fieret, scilicet, ut pro pœnitentiæ fructibus, aut illam vitæ servaret, aut ambo simul jussi morerentur. Qua voluntate, quia martyrii coronam exposcens erat, adimpleret utique quod voluit, nisi eum prudenter Dominus Willico prohiberet.

Impia manus interea absconsæ mulieri ferrum necemque parans, armato milite *Episcopale forum* irruperunt. Quærunt & contumacibus *Episcopum* dictis, qui contra fas, & legalia jura adulteram defendere vellet. Quod ille divinæ contemplationis otio vacans, ubi aure percepit, cùm velut divisæ noctis hora esset, dicto versu fregit silentia, & in quo clausus erat, exivit de templo. Deinde qui secum erant fratribus, pacis oscula libans, Bene valete, inquit, & pro me misero ferte pia vota Christo. XXVIII. *A furentibus impetitur.*

Inde totus ardore martyrii flagrans, non tardiore desiderio & cursu, quam qui fugit hostem, sponte venit in hostem, ac medium agmen intrepido gressu incedens, Si me quæritis, inquit, præsto sum.

Unus autem ex illis, cui cum bonis semper læva voluntas erat, omnium ore talia respondit: Cassa spes martyrii te tenet, & nobilis gloria lethi. Errat pro certo hæc sanctitas, quæ nostrum vult fieri peccatum; non implebitur tua voluntas, sed agitur aliquid, quod plus dolet. Quia nisi hæc meretrix nobis citius reddatur, habemus (*d*) fratres tuos, in quorum uxoribus, prole & prædiis hoc malum ulciscamur.

Hæc dum furens *Sclavus* contra *Episcopum* delatravit, ecce corruptus auro proditor adest, qui excerpens eos clam de agmine vocat, seque itineris ducem præbens, domum in qua clausa erat, domusque custodem manifestat. Custos verò tentus ab illis, nunc minis, amicis nunc affatibus, ut illam in manus eorum redderet, diu probatur. Ad ultimum mortis timore perterritus, non sic sibi creditam cruentis hostibus prodidit fœminam. Rapitur illa infelix, frustra pressis altaribus, & sub manu conjugis capitalem jussa est subire sententiam.

Quod cum ille velut vir justus facere nollet, sub gladio vilis vernulæ truncata pœnas male usi corporis capite exsolvit.

His atque horum majoribus popularis nequitiæ studiis cum sermo docentis *Episcopi* contraire nequiret, flet bonus pastor; quia in morbido grege signa salutis nulla inesse conspexit. XXIX. *Adalbertus Romam iterum petit.*

Hinc pro spectandis sequentibus malis oculos claudere volens, dulcis *Romæ* mœnia revisit, & nave monasterii mutat pastoralia frena.

Congaudent illo redeunte monasticæ plebis sacra collegia, ac sanctitatis suæ amore pariter & utilitate perfruuntur. Dilexerunt eum omnes, sed præ omnibus *Abbas* suus: qui & post se totis cohortibus fratrum præfecerat illum. Ille autem omni vilitate & extremitate contentus, quanto magnus erat, tanto se cunctis inferiorem præbuit; quanto spiritalibus divitiis dives, tanto in oculis hominum parvus, pauper, & despectus esse cupiverat.

Dicunt autem Abba & fratres ejus de eo, quia in omni virtute ad unguem perfectus est, & extra Martyrium verè sanctus erat. sic de die in diem semper novus & seipso robustior succrescens ad divinæ contemplationis fastigia velut castissima turtur evolaverat.

Volens autem Dominus ostendere servo, cujus meriti viveret in conspectu suo, monstrat ei per visum duos ordines in cœlo, unum purpureo, alterum niveo amictu: quibus sub diversa specie singulare meritum, & propria merces; ambobus tamen esca & potus erat laus perpetua *Creatoris*. Et facta est vox ad eum dicens: Inter utrosque est tibi locus, convivatio mensæ, & aptissimus honor.

Cujus rei visionem Abbati suo cum exponeret, non hoc de se, sed velut sanctissimus *Paulus* revelationis suæ mysteria de alio homine narrat. Scio, inquit, hujusmodi hominem, cui Dominus per visum talia ostendit, & hæc ipsa donaturum se promittit. 2. *Cor.* 12.

Hoc ipso tempore iter agit *Romam Rex Francorum Otto* tertius, pulchri *Cæsaris* pulcherrima proles. Decursis quippe puerilibus annis, cum jam velut lanugine barbæ XXX. *Otto Romam petit.*

(*d*) Jam cæsi fuerant. Vide quæ supra de fratribus Adalberti diximus. BASN.

SÆC. X. ANNO. 1000.

bæ floreret, tempus & virtus major annis *Imperatoriam* sibi exposcerat dignitatem. (*e*)

Roma autem cum caput mundi & urbium domina sit, & vocetur; sola reges imperare facere; cumque *Principis Sanctorum* corpus suo sinu refoveat, merito principem terrarum ipsa constituere debet.

Summus ipsis diebus *Pontifex* acerrima febre correptus, (*f*) corpus terræ, animam cœlo, utraque in sua dimisit exordia. Rex autem *Otto* alpium nives multo milite transmeans, juxta sacram urbem *Ravennam* regalia castra metatus est. Ibi in ejus occursum veniunt epistolæ cum nunciis, quas mittunt *Romani* Proceres, & senatorius ordo; primo illius adventum, velut toto tempore paternæ mortis non visum, totis visceribus desiderare, ac debita fidelitate pollicitantur expectare. Deinde in morte *Domini Apostolici* tam sibi, quam illis non minimam invectam esse partem incommodorum annuntiant, & quem pro eo ponerent, regalem exquirunt sententiam.

XXXI. *Bruno Papa.*

Erat item in *Capella Regis* quidam Clericus *Bruno*, secularibus literis egregie eruditus, & ipse regio sanguine (*g*) genus ferens, magnæ indolis; sed quod minus bonum, multum fervidæ juventutis. Hunc quia placuit, à majoribus electum, *Magontinus Archipræsul Willigisus* & suus collega *Udelbaldus Episcopus* adduxerunt *Romam*. Proinde à *Romanis* honorifice acceptum ad hoc ordinati *Episcopi Apostolico* honore promulgarunt. Superveniens etiam *Rex Romano* more egregie accipitur. Deinde magno gaudio omnium *Imperatorium* attigit apicem.

Lætantur cum primatibus minores civitatis, cum afflicto paupere exultant agmina viduarum, quia novus (*h*) *Imperator* dat jura populis, dat jura novus *Papa*.

XXXII. *Adalbertus iterum revocatur ad sedem Pragensem.*

His temporibus Christianissimus ille *Cæsar*, cui circa servos DEI maximum studium semper & diligens cura fuit, crebro alloquitur sanctum *Adalbertum*, & habebat eum sibi familiarem, audiens libenter quæcunque sibi diceret: Archiepiscopus vero *Willigisus* veterem querimoniam canens interpellat, congeminat vota cum votis, & ut reportaret illum omnibus modis instat. In Apostolica quoque synodo canonum testimonia revolvens coram omnibus se juste petere clamat, peccatum esse, singulis Ecclesiis maritatis, solam *Pragam* viduari, juste poscentibus benevolam aurem viduæ Ecclesiæ maritum suum præbere libera mente postulans erat.

Rursum ex itinere, quo versus est ad patriam, continuis literis hoc idem reiterare non cessat, nec dimisit prius, donec pollicitus est Dominus Apostolicus facturum se esse quæ vellet.

Tristatus est autem homo DEI, quia linquere cogitur monasterium, præscierat enim, quia populum, cui postoralem curam debuit, à via sua mala nemo flectere quisset. Sed tristem ejus animum hoc valde solatur; quia si in commissis sibi animabus dignos fructus agere nequisset, extraneis & non baptizatis prædicator missus fuerat.

XXXIII. *Adalbertus dat monita imperatori.*

Ergo multis lachrymis dulce monasterium linquens, cum summæ discretionis viro Notherio Episcopo ultra *Alpes* proficiscitur. Cumque velut duorum prope mensium iter ageretur, venerunt Magontiam. Ubi regressus ab *Italicis* oris *Imperator* commoratus est, cum quo vir DEI mansit bonum tempus, quia familiarissimus sibi erat, & nocte pariter ac die, velut sanctissimus cubicularius, imperiali cameræ adhæsit. Hoc autem non sic, velut seculi aliquo amore captus; sed quia dilexit ipsum, & dulcibus dictis ad amorem cœlestis patriæ accendere voluit.

Nam die sive nocte, cum turba locum dedit, sanctis alloquiis aggreditur illum, „ docens, ne magnum putaret, se imperatorem esse; cogitaret se hominem moritu„ rum cinerem, ex pulcherrimo putredinem, & vermium escam esse futurum: Vi„ duis exhibere se maritum, pauperibus & pupillis monstrare se patrem; timere *Deum*, „ ut justum ac districtum Judicem: amare, ut pium veniæ largitorem, ac misericor„ diæ fontem: sollicite pensare, quàm angusta via, quæ ducit ad vitam, & quam „ perpauci, qui intrant per eam: bene agentibus esset ut per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus.

Ad hunc modum plura subnectens, monet charum filium præsentis vitæ bona despicere

(*e*) Romam petebat Otto Crescentium Tyrannum expugnaturus, qui ad arcem S Angeli dictam confugerat eaque non potuit expelli. BASN.

(*f*) Fuit ille Consanguineus Ottonis. Sunt qui velint fuisse creatum Pontificem ante Ottonis adventum; idque contendit Baronius. Sed ex Biographo nostro facile probatur advenisse Ottonem ante Pontificis mortem, ejusque jussu & autoritate creatum Gregorium V. Contra quem alter, Joannes scilicet, eligitur procurante Crescentio Tyranno BASN.

(*g*) *Otto Romam veniens, inquit Dietmarus lib.* 4 *gloriosè nepotem suum Brunonem Ottonis filium Ducis in loco Joannis Papa nuper defuncti, cum omnium laude præsentium constituit. Vide Baronium anno* 996. CAN.

(*h*) *Ex his confirmantur quæ de coronatione Ottonis III. disputat Baron. an.* 996. *num.* 27. CAN.

cere, æternitatis electionem desiderare, mansura quærere, in temporalibus rebus & transitoriis fiduciam non habere. SÆC. X.

Cunctis qui in regia domo erant, velut servus omnium, sic eorum vilissima quæque manibus tractat; & omni humilitate eorum servitia facit. Noctibus quoque cum carpserant somnum, calceamenta eorum componere cura fuit, à janitore usque ad principem regiæ domus omnium caligas aqua lavit, & purgatis sordibus eas suo loco restituit. ANNO. 1000.

XXXIV. *Visione ad Martyrium animatur.*

Ad hunc modum plurima servitia egit in *Camera*; quanto quæque vilissima erant, tanto libentius ea pro humilitate ministrat. Sed serviminis auctor diu incognitus latuit, donec quidam Woltharius, regius imperialis minister, & sibi dilectus cubicularius sanctum prodidit furem.

Vidit quoque ibi somnium nocte una, quod hujusmodi erat: Putabat se fratris sui curtem adire, & media curte stare domum, cujus structura aspectu erat delectabilis, parietes & tecta nivei candoris; intus duo lecti, unus sibi, alter fratri suo deputatus. Erat utique scilicet, ut decuit, multum honoris gerens, sed lectus suus omnem gloriam alterius longe præcellens totus purpureo splendore, & sericis ornamentis amictus; ad caput vero aurei staminis linteo pulcherrime redimitus; sursum verò in capite erat aureis literis scriptum: *Munus hoc* (*i*) *auctentum filia sponsatur*. Cujus visionis ordinem cum aliquibus narrando exponeret. Vide, inquiunt illi, quia Christo secundante, Martyr eris futurus. Regis filia, quæ dat tibi regia dona, hæc est domina cœli sacratissima virgo Maria. Hoc audiens ille factus est lætissimo animo, & ingressus cubiculum cordis, egit gratias sanctorum sancto, Angelorum Domino & omnipotenti Christo. Hinc matrem gratiarum quæ regis solio proxima, sedet, prona cervice & gavisæ mentis jubilo adorat; Gratias tibi, inquiens, virgo maris stella, quæ me ut pia Domina humillimum servum tuum respicere dignata es.

XXXV. *Turonos & Floriacum adit.*

Hac ipsa tempestate adiit Turoniam, (*k*) quærens auxilio sanctum senem Martinum. Nec præteriit Floriacum, quæ beatissimum corpus confessoris nostri & patris Benedicti suo grege collocare meruit. Ubi etiam quis ille sit, cæcorum visus, claudorum gressus, & cœlestium miraculorum multa millia protestantur. Horum duorum charissimorum patrum sacris confabulationibus pastus, læto animo regreditur ad imperiale domicilium.

Inde quid sibi mente foret, quæ volente *Deo* agere vellet, sub lucem proferens, cœpit cum dilecto *Cæsare* familiarem & extremum sermonem habere. Finita locutione pacis oscula invicem libant, & amplius nunquam sociandos non absque dolore separant amplexus. Vir ergo sanctus ejus charam vitam charissimo Jesu multum commendans, secundum placitum *Archipræsulis* sui ad Apostatricem gentem pergere cœpit. Sapuit ipse, quia consilio suo non obaudirent; sed ne inobediens esset, jussum iter adimplere maluit.

Hoc etiam ejus animo magnam spem tribuit, quia si non in filiis, in alienis, & in barbarismo animarum lucra congregare potuit. Erant enim multæ nationes per circuitum, per quas aut sibi martyrium aut eis baptismi gratia conferri potuit.

Gens autem hæc sceleratissima ad quam redire compulsus est, in odium sui nominis, grande nefas commiserunt. Nam parentes suos nobiles & præclaros viros misero vulnere prosternunt, fratres (*l*) fratrumque filios, masculum una cum fœmina, omnes morte sævissima damnarunt, civitates quoque eorum igne ac ferro devastantes nomina eorum bona in captivitatem redegerunt.

XXXVI. *Declinat ad Boleslaum ducem.*

Unus erat ex suis fratribus, dum hæc mala domi geruntur, cum *Bolezlao* * *Bolaniorum duce* in expeditione *Imperatoris* erat. Dux vero ille pro amore sancti fratris magnis promissis & amicis opibus eum solatur.

Ergo pro his sceleribus aditum sibi clausum iter putans ille sanctissimus heros noluit frustrari adventum suum; sed declinavit ad præfatum (*m*) *Ducem*, quia sibi amicissimus erat, & si recipere vellent per eius missos explorare potuit.

* *Al. Belaniorum.*

Quo

(*h*) Quid, auctentum, non assequor. Auctor ille apud Sur. hanc inscriptionem ita habet: Munus hoc donat tibi filia regis. CAN. Authenticum, Mab.

(*i*) Quin etiam Parisios ivisse Adalbertum scribit Anonymus, itineris causam fuisse, adjicit Bzovius, ut Dionysii Atheniensis Areopagitæ corpus ibi sepultum visitaret. De Dionysio aliter sentiunt omnes eruditi; sed alia mens esse potuit Sæculo decimo, quo summa regnabat ignorantia. BASN.

(*k*) Anonymus quinque fratres Adalberti cæsos fuisse memorat nominaque refert: alii locum Martyrii indicant, solumque Poray, sextum Germanum Adalberti, qui tunc apud Polonos versabatur, mortem effugisse asserunt, ex quo fluxit stirps nobilissima apud Polonos, albam rosam in campo rubeo deferens. BASN.

(*l*) Inde concludunt plurimi, Adalbertum dum apud Polonos degeret, factum esse Archiepiscopum Gnesnensem. Dubitant alii, eo quod tunc temporis nondum erecta esset Metropolitana sedes Gnesnensis, quæ non nisi per Gregorii VII. Legatos, mortuo jam Adalberto, instituta videtur, ipse enim Pontifex legatos misit Boleslao Polonorum duci eo quod in tanta multitudine Christianorum adeo pauci forent Episcopi, ut Episcopalis officii curam nullatenus exequi possent: Deinde vero quod illi præsulem non haberent certum Metropolitanæ sedis Episcopum, nec sub aliquo positi magisterio huc

SÆC. X. ANNO 1000.

Quo facto, è contrà illi magna indignatione remittunt ei iræ & furoris plena verba dicentes: Sumus peccatores, populus iniquitatis, gens duræ cervicis; tu sanctus amicus *Dei*, verus Israhelita: & tibi omnia cum domino. talem ac tantum non portant cohabitationes & consortia iniquorum. Et tamen unde hoc genus, ut totiens repulsos, totiens abjectos, non unius sed diversarum mentium requirat Episcopus? Agnoscimus, agnoscimus, ingeminant, quid sub colore pietatis mendosum tinniat hæc sanctitas. Nolumus eum, quia si veniet, non venit pro nostra salute, sed pro puniendis malis & injuriis, quæ de fratribus suis fecimus, & fecisse juvat. Non est qui recipiat eum, non est usque ad unum.

XXXVII. *De Hominum salute agitat.* **Al. Gaudio. codex Cass. BASN.*

Hæc & his similia audiens illusus *Episcopus*, tanto læticiæ * risu exuberat, ut poene à solito rigore magnum aliquid excederet. Disrupisti, inquit, vincula mea, tibi immolabo gloriam & sacrificium laudis, quia pastoralis curæ funes, & vincula de collo meo ipsorum refutatio liberavit. Fateor me hodie, ô bone *Jesu*, totum esse tuum, tibi dominator virtutis & æterne laus, honor & gloria. Noluisti eos, qui te nolunt, & qui à via veritatis in desideria declinant.

Inde adversus diram barbariem, profanosque idololatras, gladium prædicationis acuens, & aptans, cum quibus primum, cum quibus post dimicare oporteret, animo deliberare coepit, utrum (*n*) *Luiticenses*, quos Christianorum præda miserorumque hominum damna pascunt; an *Pruzzorum* fines adiret, quorum *Deus* venter est, & avaritia juncta cum morte est.

Tandem alternanti potior sententia successit animo, ut quia hæc regio proxima, & nota fuerat *Duci* prædicto, *Pruziæ Deos* & idola iret debellaturus.

Dux vero cognita voluntate ejus, dat ei navem & ipsam pro pace itineris ter deno milite armat. Ipse vero primo adiit urbem *Gidanie*, (*o*) quam *Ducis* latissima regna dirimentem maris confinia tangunt. Ibi divina misericordia adventum ejus prosperante, baptizabantur hominum multæ catervæ, ibi *Missarum Solemnia* celebrans *Patri* immolat CHRISTUM; cui non post multos illos dies seipsum pro hostia fuerat oblaturus.

Quidquid vero superfuit DEO; (*p*) quod ipse & novi baptizati communicarunt, colligere jubet, & mundissimo panno involutum sibi servavit pro viatico deportandum.

XXXVIII. *Ubi littus appulit.*

Postera autem die, salutatis omnibus imponitur carinæ & pelago, & tollitur ab eorum oculis nunquam postea videndus. Hinc nauticum iter velocissimo cursu peragens post paucos dies marinum littus egreditur, & reversa est navis cum armato custode. Ipse autem pro præstitis beneficiis gratiam vectoribus & vectorum domino agens, remansit ibi cum geminis fratribus, quorum alter presbyter *Benedictus*, alter dilectus & a puero sibi comes frater *Gaudentius* erat.

XXXIX. *A paganis fuste percutitur.*

Tunc magna fiducia CHRISTUM prædicantes intrant parvam Insulam, quæ curvo amne circumvecta formam circuli adeuntibus monstrat. Venientes vero loci possessores cum pugnis expulerunt eos, & quidam arrepto naviculæ remo astitit Episcopo propius, & ut forte Psalmos in libro decantaverat, ingentem ictum inter scapulas dedit. Excussus manibus volat in diversa codex, & ipse extenso capite & membris jacet humo prostratus, sed exterius afflicto corpore, quid pia mens intus ageret, risus cordis per vocis organum mox patefecit. Gratias tibi, inquit, Domine, quia & si amplius non erit, saltem vel unum ictum pro crucifixo meo accipere merui.

XL. *Ductus in villam.*

Transiens vero in aliam partem fluminis stetit ibi sabbato, vespere autem facto dominus villæ divinum heroa Adalbertum transduxit in villam. Congregat se undique

huc & illuc, pro sua ordinatione quisque vagaretur, ut ipse fidem facit Epistolarum libro secundo. Verum equidem est, plerosque qui Polonorum Historiam chartis mandarunt, ut *Miechovius*, *Gromerus*, *Herburthus*. *Bielscius*, *Strichonius*, *Decius* & *Guaguinus*, asserere Mieschonem Principem, Boleslai Parentem, Christo nomen dedisse anno 965. mandasseque omnibus incolis, ut sub confiscatione bonorum & exterminatione cum ipso baptizarentur; deinde vero baptizatum erexisse novem Ecclesias, quarum binæ fuerunt Archiepiscopales, alia scilicet Gnesnæ, altera Cracoviæ, cæteræ Suffraganeæ fuerunt. Sed quæ fides Historicis illis ab eo tempore tam longe dissitis? Dum præsertim Testimonio Gregorii septimi repugnant, quippe si, ut volunt illi, novem Episcopatus a Mieska fuissent erecti, potuissetne Gregorius querelas effundere, quod adeo pauci forent in Polonia, ut præsules officii partes sibi demandatas adimeplere non possent? Sufficiebant quippe novem Episcopatus Polonis. Deinde si tunc Metropolitana sedes fuisset vel Cracoviensis vel Gnesnensis; an potuit dicere Gregorius, Episcopos sub *nullo magisterio fuisse positos?* Non enim conqueritur ille, quod dubii hærerent præsules, an Gnesniensis vel Gracovienus Metropolitani forent suffraganei, sed quod nullum haberent Magisterium: Inde concludetur facile a nullo Primate vel Metropoli pependisse, Gnesnamque nonnisi sæculo post Adalbertum aut circiter ad Metropolitanæ sedis fastigium evectam fuisse. Denique Guaguinus ipse Adalberti Reliquias a Boleslao in Poloniam transvectas narrat, ipsum vero Gnesnensem Archiepiscopum nullo modo facit. BASN.

(*n*) Erant extra Bohemiam, eosdem putat esse Crantzius ac Lusatios, quæ pars est Silesiæ, parens Electori Brandeburgico; at Adamus c. 66. *Leuticios* appellat *Wilzos*; sunt autem Wilzi Slavorum populi; citra & ultra Poenem Cassubiæ seu Pomeraniæ fluvium habitantes Mab.

(*o*) Auctor familiaris ap. Sur. vocat Gnesnam. Otto III. ex Italia Gnesnam peregrinatus est ad sepulchrum S. Adalberti, cujus corpus æquali auri pondere redemptum fuerat. vide Dubravium lib. 6. init. Baron. an 997. num. 2. CAN. Aliis Gidanium est, Dantz. cum Mab.

(*p*) Leg. de eo; Pane scilicet consecrato. BASN.

que iners vulgus, & quid de illo foret acturus, furibunda voce & canino rictu exspectant. SÆC. X.

Tunc sanctus Adalbertus, quis & unde esset, vel ob quam causam illuc veniret, interrogatus, tali è contra miti voce respondit: „ Sum nativitate Sclavus, nomine „ Adalbertus, professione *Monachus*, ordine quondam *Episcopus*, officio nunc vester „ *Apostolus*. Causa nostri itineris est vestra salus, ut relinquentes simulacra muta & „ surda, agnoscatis creatorem vestrum, qui solus & extra quem alter DEUS non est, „ & ut credentes in nomine ejus habeatis, & in atriis immarcescibilibus cœlestium „ gaudiorum præmia percipere mereamini. Hæc sanctus Adalbertus. ANNO 1000.

Illi autem, jam dudum indignantes, (*q*) & cum clamore blasphema verba adversus eum proclamantes, mortem sibi minantur. Extemplo terram baculis percutiunt, fustes capiti ejus apponunt, & infrendunt dire dentibus in eum.

„ Magnum sit tibi, inquiunt, quod huc usque impunè venisti, & sicut celer re„ditus spem vitæ, ita tibi parvæ moræ necis damna creabunt. Nobis & toti huic „ regno, cujus nos fauces sumus, communis lex imperat, & unus ordo vivendi; vos „ vero qui estis alterius & ignotæ legis, nisi hac nocte discedatis, in crastinum deca„pitabimini.

Ipsa nocte naviculæ imponebantur & retro ducti manserunt quinque dies in vico quodam.

Hæc dum in illa geruntur parte, ecce in monasterio ubi ille talis nutritus fuerat, cuidam converso Joanni *Canapario* talia Dominus per visum ostendit. E summo cœlo velut volantia deorsum veniunt usque ad terram duo linteamina, alba sicut nix, & munda absque omni sorde & macula. ambo sua onera, singulos quidem viros de terra levant; ambo felicissimo cursu nubes & aurea sidera transnant. unius nomen, extra ipsum, qui hæc vidit, admodum paucissimi sciunt; alter vero erat, ut adhuc hodie meminit, domnus Adalbertus, cui angelus minister jam cœlestis mensæ convivia præparavit. XLI.

At Pater Nilus ignotum est, quod de eo viderit; sed dulcibus scriptis eundem virum ita alloquitur: „ Scias, dulcissime fili, quia amicus noster Adalbertus ambulat „ cum Spiritu Sancto, & beatissimo fine præsentem vitam erit terminaturus.

Item fratri *Gaudentio*, quæ opere futura erant, nocturna quies textis ambagibus dixit. Expergefactus ergo, si vellet audire somnum suum, interrogat dilectum patrem. Respondente autem ipso, Dic quid habes. XLII. *Visio Fratris Gaudentii.*

„ Vide, inquit, in medio altaris calicem aureum, & hunc vino semiplenum, „ custos vero ejus nemo erat. Me itaque volente bibere merum, opposuit se mihi „ minister altaris, & audacibus meis cœptis velut quadam imperiosa auctoritate con„tradixit, qui nec mihi nec alicui hominum licentiam dare vellet pro eo, quod tibi „ in crastinum pro mystica refectione foret servatum.

Hæc eo loquente fugit somnus ab oculis, & occupat trementia membra torpor ingens. DEUS, inquit, fili, prosperet hunc visum: fallaci somnio neminem credere oportet.

Jam exurgente purpureo die cœptum iter agunt, & *Davidico* carmine viam sibi adbreviant, & dulcis vitæ gaudium continuo appellant CHRISTUM. Inde nemora & feralia lustra linquentes, sole ascendente ad meridiem, campestria loca adierunt. Ibi fratre *Gaudentio Missam* celebrante, sanctus ille monachus communicavit. & post *Sacram communionem* pro alleviando labore itineris pauxillum obsonii accepit. & dicto versu & sequenti Psalmo surgit de gramineo cespite; & quantum jactus est lapidis vel missus sagittæ progressus loco resedit. XLIII. *Adalbertum Pagani intercipiunt.*

Hic tum cepit eum somnus, & quia diutini itineris fessus erat, pleno cornu perfudit eum soporifera quies. Ad ultimum pausantibus cunctis affuit paganicus furor & irruerunt super eos impetu magno & jecerunt omnes in vincula.

Sanctus vero *Adalbertus* stans contra *Gaudentium* & alium fratrem ligatum, Fratres, inquit, nolite contristari, scitis quia hæc patimur pro nomine Domini, cujus virtus ultra omnes virtutes, pulchritudo supra omnes decores, potentia inenarrabilis, pietas singularis. Quid enim fortius, quid eo pulchrius? quàm dulce est pro dulcissimo JESU fundere vitam! XLIV. *Hastis confodiunt.*

Pro-

(q) Narrat Dubravius Adalbertum cum indociles reperisset Prutenos sive Prussos, sibi in Grege pecudum & armentorum quæsivisse auditores; atque rem procul dubio miram contigisse, ut starent arrectis auribus Boves, equi asini, capræ, sues, & quasi bene per Adalbertum monita sentirent intelligerentque *nutu illa capitum approbabant*. Mirum potius talia ab Historico referri; hæc enim si vera forent, insulsus fatuusque fuisset Adalbertus, Albo Sanctorum nequaquam reponendus: ejus nomini detrahunt qui talia fingunt, portenta sic consarcinantes. BASN.

SÆC. X. ANNO. 1000.

Profilit ex furibundo agmine igneus *Siggo*, & totis viribus ingens jaculum movens, tranfixit ejus penetralia cordis. Ipſe enim Sacerdos idolorum; & dux conjuratæ cohortis, velut ex debito prima vulnera facit. deinde concurrunt omnes, & vulnera miſcentes iram exſaturant.

Profluit purpureus ſanguis per foramina utriusque lateris, ille oculis ac manibus ſtat orans in cœlum. Exiit rubeus amnis divite vena, & extractæ haſtæ ſeptem ingentia vulnera pandunt.

Ille vinclis ſolutis extendit manus in modum *Crucis*, & ſuppliciter fuſis precibus pro ſua & perſecutorum ſalute ad dominum clamat.

Sic illa ſancta anima carcere ſuo evolat, ſic nobile corpus protenta *Cruce* terram occupat, ſic quoque multo ſanguine vitam fundens, beatis ſedibus & ſemper chariſſimo tandem perfruitur Chriſto.

XLV. *Caput palo affigunt.* O ſanctum & beatiſſimum virum, cujus in vultu angelicus ſplendor, in corde ſemper Chriſtus erat! O pium & omni honore digniſſimum, qui crucem, quam voluntate ſemper in animo, tunc etiam manibus & toto corpore complexus eſt!

Accurrunt undique armis dira barbaries, & nondum expleto furore auferunt corpori nobili caput, & ſeparant exſanguia membra. Corpus vero loco dimittentes, caput palo fixerunt, & læto clamore ſua ſcelera laudantes reverſi ſunt unusquisque ad proprias ſedes.

XLVI. *Martyrii tempus.* Paſſus eſt autem ſanctus & glorioſiſſimus Martyr Chriſti Adalbertus nono (r) Calendas Maii, imperante rerum Domino (s) Ottone tertio pio & clariſſimo Cæſare, feria ſexta, ſcilicet, ut qua die Dominus Jeſus Chriſtus pro homine, eadem die homo ille pro Deo ſuo pateretur, cujus eſt miſericordia in ſeculum, honor, laus & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

(r) De martyrio S. Adalberti vide quæ Baron. fusè anno 997. & Dubravius lib. 6. hiſt. Bohem. CAN. alii anno 988. alii vero 997 melius hoc Martyrium aſſignant. BASN.

(s) Hic ſepulchrum Adalberti apud Polonos viſitans Boleslaum imperii Romani rebus faventem, Regem ſalutavit; quod confirmatum ab Henrico; ab eoque tempore Reges habuit Polonia. BASN.

F I N I S.



FRAG-

FRAGMENTA

EX ALIA VITA.



NAscitur purpureus flos Boëmicis; major filius ex parentibus magnis, aureum pomum exivit è nobilibus ramis. Progreditur pulcra facie, sed pulcrior fide Woytiech puerulus. quod nomen interpretatum sonat, Consolatio exercitus. Pater suus, nomine *Slawintz*, magnus & præpotens erat. Substantia ejus integra, possessio diffusa est.... Cùm esset dominus terræ, fuit tamen mediocris homo. Oratio rara, sed habitabat secum misericordia bona, neglecta * castitas, & larga pauperum cura. Mater ejus, nomine *Strziezislawa*, ex genere Boemorum erat, nobilissima claro, digna jugalis juncta digno marito: marito videlicet, qui Regum tangit lineam sanguinis: quem longe lateque jura dantem hodie tremunt, *Henrico* Regi accessit proximus nepos, &c. *ex num. 1.*

Lacte plenus interea parvulus homo febricitat, mortem vicinam parentibus minatur.... Dixerunt territi parentes tremula voce: Non nobis, Domine, non nobis vivat puer iste, sed Clericus in Dei Matris honore portet jugum tuum pulcra cervice. Sic dicunt, ponuntque super altare Virginis, &c. *ex num. 2.*

Decursis itaque rudis infantiæ balbutientibus annis,.... traditur ad ingenuam Parthenopolim, Teutonum novam metropolim, liberalibus disciplinis imbuendus. quam urbem Rex maximus, primus trium Ottonum Imperator, in magnum Archipræsulatum erexit, &, ut hodie cernere est, in pulcro litore Albis fluminis sancto Mauricio pulcherrimam domum prope construxit. Urbis Episcopus tunc erat *Adalbertus*, ipse & primus qui quem suo nomine Adalbertum vocavit, bonæ indolis puerum Woytiech sancto chrismate linivit. Hæc cùm facta essent, parentes non norunt. Postea quando finito scholæ duello domum rediit, recordata est mater pueri, quia Pruziis Episcopus gentium positus idem Adalbertus, cùm super regnum patris iter ageret, deductum fuisse filium cum ungendis pueris, ut primo chrismate liniretur. Ecce prudens lector in peccato cognosce latens mysterium, ut in peccato David & in aliis fortè erratibus bonum figurat vetus Testamentum. Bis, dum Presbyter, dum fit Pontifex, unctus; homo mortuus (*a*) quatuor dies unguento Salvatoris ad vitam suscitatur. Baptizatus ter, dum mente Christum induit, dum mente Monachum, dum sanguine Martyrem facit, summæ Trinitati invisibili Deo aptus servus præparatur. Sumo baptisma ter factum, quaternam unctionem semel errantem, & colligam in sacrum septenarium, &c. *ex num. 4.*

Igitur ad fontem scholæ hospes processit.... Scholis præerat tunc *Ottricus* quidam facundissimus, ætate illa quasi Cicero unus: cujus memoriale clarum usque hunc intra Saxoniam habetur: quem quantus foret, discipulorum facies inspecta sine lingua sonat, & per vicinas urbes circumquaque diffusa sophia digito monstrat. Hoc autem asserunt mirabile in eo, si fortè magister amoveret pedem, ut est proprium vagis puerorum animis, aliquando pereunte ludo totum consumserat diem. Cùmque perlecta lectione nec verbum saperet, & benè iratus magister flagellare inchoasset; Dimitte me, inquit, legam. Et dimissus, ut rem notam omnibus legit. Dicunt etiam tribus linguis (*b*) pro una locutum.... Auditoribus enim tunc usus erat latialiter fari, nec ausus est quisquam coram magistro linguâ barbarâ loqui. *ex num. 5.*

Annos ter ternos in arena studii palæstram exercet ingenii..... Pòst Capella Regis magistrum tulit.... Repatriat novo nomine jam adolescens Adalbertus... Hoc toto tempore adeo lascivus erat, ut homo, incubat terrenis deliciis, &c. *ex num. 6.*

Moritur Boëmiæ provinciæ Episcopus, & sicut coram adstantibus desperata voce testatur, ab nigris spiritibus ad tartareum chaos (*c*) incautè portatur. Præsens erat tunc *ex num. 7.*

Adal-

(*a*) Id est, duplex ista unctio, itemque duplex confirmatio, significant ipsius resurrectionem à peccato, quæ per Lazari quatriduani suscitationem à Christo factam designatur.

(*b*) Nempe, Latina, Boëmica, & Teutonica.

(*c*) Hæc Balbinus apud Henschenium improbat, atque planè impossibilia esse. Vide quæ superiùs de hoc Dietmaro diximus.

Sæc. X. Anno 1000. Adalbertus: ..... quem, ut ipse pòst Abbati in monasterio dixit, visionis illius magnus horror invasit, & ad primam salutem direxit. Exinde emendare mores, frena ponere animis, desideria carnis igne divini amoris excoquere cœpit.

ex num. 8. Conveniunt Dux terræ & major populus, & pro levando Pastore varias sententias dicunt. Omnes tamen ad ultimum manus levant, non habere meliorem nec similem, quem oporteret esse Episcopum, sicut indigenam Adalbertum.... Hac ipsa die ubi accepit Episcopatum, audientibus multis locutum est dæmonium.... Cui rei qui illâ horâ præsens erat *Willico*, quidam bonus & sapiens clericus, testimonium afferebat, & nos legimus, cùm ad nostrum Abbatem hoc scriptum filius mandaverat. Ipsum Episcopus Adalbertus suæ Ecclesiæ Præpositum habuit: post super cordis arida flante Spiritu-sancto, nobilem Monachum mons Casinus recepit.

ex num. 9. Igitur electus Episcopus auricomam Italiam vadit: quem Clusæ artas vias egressum prima civitas Verona recepit, quæ in fauce regni pulcrè levat caput. Ibi eum pastorali virga investivit Otto secundus, qui tum loco patris rapidis cruribus montem Imperii scandit: sed non dextro omine, nec vivo maturæquæ sapientiæ signo rempublicam rexit... Ergo archimandrita Maguntinus, gravis homo *Willigisus*, Adalberto, cui Deus interiori gratia benedixit, venerabile caput oleo unxit, & in præsentia Imperatoris ad Sacerdotis altitudinem provexit. Ea tempestate effrena gens, Lutici pagani, jugum Christianitatis deponunt, & cum quo errore adhuc laborant, post Deos alienos erecto collo currunt, & qui fugientes fugere nequeunt, Christiani multi gladio ceciderunt. Tunc peccato Ottonis multa mala surrexere, maxima ubique & miserrima emerserunt naufragia. Respublica turpitudines passa de solio descendit, Christiana Religio lacera iram Dei sensit.

ex num. 10. Actum est bellum cum Polonianis: Dux eorum *Misico* arte vicit, humiliata Teutonum magna anima terram lambit, *Otto* pugnax Marchio laceris vexillis terga convertit. Alia hora congregatus & optimus populus, & exercitus grandis valde nimis, congrediuntur cum Carolinis Francis. Cedunt hostes non ferentes virorum fortium impetum fortissimum: sed dum vino ventrique colla flectunt, regnante Ottonis infortunio, victores in turpem fugam desinunt. Ultimum & lacrymabile bellum confecit cum nudis Sarracenis, quorum dum ultra credibilem modum numerus excrevit, cæde cadaverum lassa dextera defecit, & bellantium heroum virtus fracta succubuit. Stratus ferro occidit flos patriæ purpureus, decor flavæ Germaniæ, plurimum dilectus Augusto Cæsari; qui cum stupentibus oculis nefas exhorret, tandem pudet quia mulierem audivit; tandem serò pænitet, quia infantilia consilia secutus sententias majorum projecit..... Ergo Rex puer, cernens caros ablatos, optimates occisos, nescius quò se vertat, irato Domino quò vadat, in maximam desperationem filiam criminum impegit; illud post miseriam sequens, quod quidam jacens in marmoreis hortis cantat.

Virgil. 1. Æneid. Una salus victis nullam sperare salutem.

Emisso equo dedit se in mare. Nat sonipes; ubi lassus est cessat: ipse Rex nandi peritus super undas diu natat, donec obvia navis Græcorum fessum levat, & extra spem caræ conjugi, & superstiti populo incolumem reddit. Erat in eo, ut accepimus, vivida virtus, fervida & effrena juventus: manus promta bello, sed raro umquam cum consilio. Multa bona fecit, sed ætas lubrica errare fecit, & plura præcipitatione peccavit. Prope semper perdidit diebus suis, ubi prœlium cœpit: extra Teutonum consuetudinem, pugnantibus eis secutum omne infortunium est: cujus efficiens causa erat Regis contra Dominum tacita offensa.

ex num. 11. Retro sumit iter sanctus Episcopus; venit in terram suam, pulcrè regens animam propriam, & pòst bene pascens optimis pascuis subditam plebem. De rebus autem Episcopii primam partem in agmina pauperum, secundam pro restauratione matris ecclesiæ, tertiam pro captivorum redemtione disposuit, quartam ipse cum suis cohærentibus ad necessarios sumptus recepit.... Populus autem duræ cervicis servus libidinum factus, miscebantur cum cognatis, & sine lege cum uxoribus multis.. Mancipia Christiana perfidis Judæis vendebant: dies festos confusa religione observabant; dies verò jejuniorum, voluptatibus vacantes, omnino non curabant. Ipsi clerici palam uxores ducebant: contradicentem Episcopum iniquo odio oderant, & sub tutela quique suorum contra ipsum majores terræ excitabant, &c.

ex num. 12. Itaque ad sanctam civitatem, ubi memoriale sanctum, ubi sepulcrum Domini est, pedester venire affectans; matrem Martyrum, Apostolorum domicilium, auream Romam venit. Ibi tum pulcrum lutum, Græca Imperatrix Augusta, quæ jam longos dies mortuum flevit, sepulti conjugis memoriam reparat, dulcem Ottonem eleemosynis

nis & orationibus cælo commendat. Non enim diu supervixit ille, postquam reipublicæ talem errorem genuit, tot Christianorum mortibus paganorum animos satiavit. Mira res! in tantis adversis illum circumfluentibus non resipiscit: quid contrarium ministro æterni Imperatoris egerit, quid pio Laurentio peccaverit, non recognoscit. Episcopatum (*d*) quem pater in suum honorem pretiosissimo Martyri erexit, ambitione suorum in peccatum ductus filius destruxit, non faciens ordinatè, sed quasi qui aquam in mare fundit. Episcopatum dejecit, ut plenum divitiis Archiepiscopatum ditaret. Tulit optimo Laurentio, posuit Parthenopoli Archipræsulem sancto Mauricio. Factum est scandalum in Ecclesia Dei propter hoc peccatum, donec novus Rex veterem errorem correxit, & venit post tres Ottones secundus Henricus Christianissimus.... Sed peccatum quod vivens neglexit (Otto secundus,) mortuo marito emendare uxor superstes instabat. Legatos mittit, eleemosynas & orationes multorum, quos per propitium Redemtorem appellaret, peccatorem Regem ab incendio liberat. Hæc tum ubi sanctum virum adesse cognovit Adalbertum, nominatissimum Episcopum, quem Jerosolymam properare audivit, clam ad se vocat, oransque ut pro anima Senioris oraret, massam argenti obtulit ingentem, &c.

SÆC. X. ANNO 1000.

Casinum usque pervenit, ubi beatus Benedictus caram sedem postremo posuit.... Ibi Abbatis & Fratrum piis monitis hortabatur, ne inutili vagatione vitam expenderet, sed loco staret: ita meliùs virtutum fructus congregaret..... Animadvertit..... ita esse ut dicunt. Montem festinus descendit: & quem in philosophia Christi perfectiorem discipulum invenit, Patrem *Nilum* calida spe accensus petivit, sub quo parvulus factus jugum Christi ferre, & obedientiæ aureas litteras parare satagebat. Amplexus genua senis, in hoc firmus hærebat. Non negat pater Nilus: Ast, inquit, homo ego sum Græcus. Meliùs hæc conveniunt tibi cum quibus agas Monachi Latini. Redeas Romam nutricem sanctorum filiorum: quære nobilem Abbatem amicum nostrum *Leonem*: dic me misisse te rudem discipulum ad talem magistrum.... Fecit ut homo Dei dixit: ad sanctum Bonifacium monachalem vestem accepit: sub Abbate quo dixit, Regula duce militavit &c. *ex num.* 13.

Quinquennio plenus miles in monasterio erat. *ex num.* 14.

Pòst populus terræ Episcopum suum revocant: viri sancti pappatem (*e*) *Radlam*, qui frater carnis suo Duci erat, & Christianum Zrahkwas monachum, eloquentem virum in hoc opus eligunt. Hi duo cum litteris Metropolitani Romam veniunt, de reditu Pastoris Papam appellant, populo pænitenti Patrem suum quærunt.... Amborum, Papæ & Abbatis, imperio parens, fracto suo libito, flens Episcopus ad Episcopatum redit. pro cujus regimine virgam, pro cujus pignore anulum, dante Apostolico, accepit. Dominica die veniens venit demum ad unam civitatem, ubi ipsa die erat mercatus magnus. quæ visio non parum adduxit tristitiæ sancto viro. Ad eos verò qui se reportarunt, improperando ait: „ Hæc est vestra promissio bona? Pænitentes „ vestri nec feriantur hac die sacra? Stetit tamen in Episcopio suo, pascens macrum „ populum divino pabulo. Verùm nova religio citò dorsum vertit, antiqua consue„ tudo superiorem manum tenuit....* Unde cogitans Episcopus, quod nec sibi, nec „ illis cassus labor profuisset, animæ verò suæ talis statio obesset, Pappati suo ait: „ Scias certum, aut ubi ego sum venies, aut ampliùs me numquam videbis..... Non tacendum, quòd juxtà positis Ungaris nunc nuntios suos misit, nunc seipsum obtulit: quibus etiam ab errore suo parum mutatis umbram Christianitatis (*f*) impressit. *ex num.* 15. * *ex num.* 16.

Ergo divinus heros ascendit equos, dulcem Romam revisit.... Hic secretos monasterii sinus, caram requiem intrat.... Usus verò sibi maximus erat colloquia quærere spiritualium & seniorum, qui crebrò illuc pro caritate Abbatis plures confluxerunt. Græci, inquam, optimi veniunt, Latini similes militarunt: superioribus quatuor pius *Basilius*, inferioribus magnus *Benedictus* dux sive rex erat. Inter quos medius incedens, Deum sitiens Adalbertus, verba vitæ sumit & glutit, raptusque in altum cum Fratribus, contemplatur dulcem Dominum. O quantoties obortis lacrymis memini dicentem, cùm causa ædificationis aggressus essem *Johannem* Abbatem: Ubi sunt, inquit, margaritæ meæ? ubi sunt sibi animi mei? Cùm convenirent sancti viri, pluebant ibi sermones Dei, accensæ sententiæ mutuo cursabant: arsit ignis super terram cordis: testabatur Deum præsentem unda conpunctionis. Hoc *Gregorius* Abba, hoc *ex num.* 17.

(*d*) Merseburgensem scilicet, sancto Laurentio sacrum, quem permittente Ottone II. Gisilerus Episcopus evertit, translatus in metropolim Magdeburgensem, supra pag. 583.

(*e*) Different *Pappas* & *Papas*, ut *papas* sit pædagogus, ut in hac secunda Vita Adalbertus dicitur *papas morum & magister sensuum*, num. 3. *Pappas* verò papæ discipulus. De Zrahwasso monacho infra ex Chronico Magdeburgensi.

(*f*) Id factum sub Geisa Duce, cujus filium Stephanum, Hungarorum postea Regem, baptizavit Adalbertus. Confer acta sanctorum Zoërardi & Andreæ in Sæculo sequenti.

Sæc. X. Anno 1000. hoc erat Pater *Nilus*, hoc *Johannes* bonus infirmus, hoc simplex *Stratus* (g) & super terram Angelus unus: hoc ex donis majoribus Dei sapiens *Johannes*, hoc silens *Theodorius*, hoc *Johannes* innocens, hoc simplex *Leo*, psalmorum amicus, & semper prædicare paratus.

* ex Surio. * Hunc Episcopum, quo dignum non fuit sæculum nostrum, cum sine baculo iter agens Ravennam veniret, cur sine virga pastorali vir tantus incederet, optimè cautus Dei servus Durans interrogavit. Respondens verbum memorabile ille homo, qui verè potuit loqui: „ Vivit Deus, inquit, in cujus conspectu sto, facile est gestare pe- „ dum, sed difficile reddere rationem, cùm venerit ad judicium qui non errat Judex „ vivorum & mortuorum.

ex num. 20. Hinc ad Imperatorem redit.... Ibi sopora nocte parum molli lecto requiescens, vitæ suæ desiderabilem terminum adspexit, nescius tamen ipse, quid sibi somnium vellet, donec tactus Spiritu alienigena hoc revelavit.... Erat autem in superiori parte; panno capitali aureis litteris inscriptum: „ *Munus* hoc donat tibi filia Regis. Quod somnium coram Rege cùm quibusdam familiaribus exponeret, quidam, cui vivax ingenium natura dedit, & pulcra facundia insignem fecit, *Leo* palatii Episcopus, pulcrè alludens ait: „ Homo tibi contrarius, cito invenies quod quæris: dono Virginis procul dubio „ Martyr eris. Nec minùs quod vidit de lecto fratrum, partim ante se, partim hoc anno esse completum, sic collige mecum.

ex num. 21. Quinque fratres habuit, quorum omnium animas gladius pertransivit. Ex quibus major frater servitio Imperatoris in adjutorium profectus, paganorum expugnationes adivit: ubi & cum *Boleslavo* Poloniorum Duce amicitiam junxit, querelas Imperatoris fecit, quod mala quæ nulla promeruit, Dux Bohemorum *Boleslaus* sine misericordia sibi suisque fratribus plura ingessisset. Hujus usque in adventum & seros reditus relicti domi quatuor fratres pacem impetrarunt, & ex parte Ducis securitatem & sacramenta acceperunt. Prô divinam humanamque fidem! Numquid non est Catholicus melior pagano! Væ homini, cui in cordis vena malus dolus salit. Heu nostra infelicia tempora! Sapientem vocamus, cui fallere ingenium calet: cui in ore mel, in corde fel latet. Ecce Judas qui per pacem didicit facere bellum; promittit vitam, ut inferat mortem: dat Boleslaus fidem, ut inopinato occidat fratres. Nec longe quæras exemplum: in eadem linea sanguinis frater suus sanctissimum *Wenceslaum* occidit. Inter hæc quis non deploret squalores miseriæ nostræ? quis non exhorreat cæcum natum hominem nostrum? Dum nescit cavere currens peccatum, cadit in majorem foveam: dum non vult quærere oculorum ductorem, nascitur de peccato peccatum maximum. Ita & nunc, ô homo, dum nescis cavere perjurium, incurris homicidium, nec ante desinis hoc dicto ad tuam fidem, antequam impleas illud propheticum: *Appone iniquitatem super iniquitatem*, & mox sequitur illud Evangelicum: Sanguis qui effusus, est sit super te, & super filios tuos. Igitur sacramento fidunt, quod Christiani darent; quando fratres Christicolæ Adalberti pacem putarent; liber populus per campum ambulat. Non enim data fide bellum cogitat: stat proxima periculo civitas secura. Nam & ecce hostes ex improviso veniunt, diffusa multitudine civitatem circumcingunt, in vigilia pretiosi martyris Wenceslai bella incipiunt, nihilo minùs & ipso festo oppugnare certatim insistunt. Nec juvat quod urbani diem sanctum venerari petunt: contra quos forenses verba superbiæ jaculantes, Si vester, inquiunt, sanctus Wenceslaus, noster utique Boleslaus. Et quamvis pòst caperent civitatem, pœnas dedit asperum verbum. Civium namque gladio die illo ceciderunt hostium capita multa, & omnes qui in illo consilio fuerunt, aut mortui quiescunt, aut cæci & dispersi malè vivunt. Cessit pavida civilibus bellis civitas, miserabili exsilio familiæ distractæ, bona in manus inimicorum cuncta cesserunt. Inundat planctus mulierum; stupet mortua facies puerorum, geminatis dextris virorum: stat silentium spectantium clericorum: sancti viri fratres quatuor, strenui bello, & nescii cedere loco, dum, de quo jam diximus, clericus Radla consilium dedit, parum valentia arma dimiserunt, & quam prœliando pulcram mortem putarunt, confugiendo ad ecclesiam (ut est in humanis oculis) turpem fugam acceperunt. Nam falso data est spes vivendi, & dum exeuntes ecclesiam sponte in manus hostium vadunt, fefellit dextera Senioris, & in conspectu omnium pulcra corpora subierunt capitalem sententiam. Hæc tunc: sed quando digna indigni scribimus, est mortuus furente gladio frater maximus, com-

Psal. 68. 28. Matth. 27. 25.

(g) Hi sunt quatuor Græci monachi insignes, de quibus suprà; & qui sequuntur, quatuor Latini, ad sanctum Bonifacium Romæ cum aliis suis sodalibus degentes. Nilus hic laudatus, an Rosanensis, cujus superiùs meminimus: Leo verò, an qui Nonantulanus Abbas, de quo suo loco.

completa est pii Adalberti visio tota, dum ante se bis duûm fratrum, post hoc anno maximi fratris mors est subsecuta: quorum mortibus mors sua quàm præstantior foret, quorum lecto lectulus suus quàm pulcrior emineret, omnis intelligit, qui ipsum causa Dei, illos causa sæculi, & defendendæ vitæ cecidisse cognoscit. SÆC. X. ANNO 1000.

Vidit etiam in monasterio & aliam visionem, quam non de se, sed quasi de aliquo alio reverentissimis viris ita exposuit. „ Agnosco hominem cui duos ordines in cælo „ Deus arridens digito præmonstrat: unum splendoris purpurei, alterum ultra quam „ dici potest nivei candoris. Inter hos & illos blanda vox ait: Manet te locus & cer- „ ta sedes. Ergo quem suo labori adjutorem Deus præparavit; Ducem Polonorum, servorum Dei patrem, Boleslaum, rerum dubius petit: cujus auxilio nuntios suos miserat ad insolentem uxorem, si vel stuprata ab amatoribus multis, priorem maritum accipere vellet. Interim in hac regione cum Duce nuntiorum adventum exspectat; qui cùm redeunt, qualem Episcopus amavit, plenam contumeliis legationem referunt. Bene venias, inquiunt, ad non semel refutatam mulierem. Miræ res! ad uxorem sponte venis, quem semper invitum vocare, & necesse erat tenere. scimus quæ cogitas homo. Omnino nolumus, nec est tibi locus in populo tuo, qui vis vindicare occisos fratres vulnere magno. Accipiens ille libellum repudii, ex superborum consiliis non minùs lætus efficitur, quàm homines, cùm, sicubi non sperant, læta verba & honorum oblationes accipiunt. Dirupisti, inquit ille, vincula mea. Hoc est quod exspectavi, desiderio desideravi. Ablatum est meum periculum. Quid! respondet in faciem. Qui me non vult, quomodo possum regere gregem? Euge! non timeo revocantem amplius Papam, nec tristia ferentem Metropolitæ immitis Epistolam; qui antehac paganicis operibus in fugam me excitaverunt, ecce palam verbis, Nolumus te, dicunt. Miserat his diebus ad Ungarorum Seniorem magnum, immo ad uxorem suam, quæ totum regnum viri manu tenuit, & quæ erant viri ipsa regebat, qua Duce erat Christianitas cœpta: sed intermiscebatur cum paganismo polluta Religio, & cœpit esse deterior barbarismo languidus ac tepidus Christianismus. ad quam tunc pervenientes, illinc nuntios in hæc verba Epistolam misit. Papatem meum, si necessitas & usus postulat, tene: si non, propter Deum ad me mitte eum. Ipsi verò clam chartam alia mente, aliâ sententiâ misit. Si potes, inquit, cum bona licentia, bene: si non, vel fuga fugiens tenta venire ad eum qui te desiderio concupiscit Adalbertum tuum. Ipse autem venire non potuit, vel ut homo noluit. Ut enim hodie ipsum audis dicentem, quem nunc, sicut sitiens anima frigidam aquam, totis visceribus flagrat & amat, ardua scandentem semper tunc fugiebat. Ipse tamen jam erat monachus, & (ut dicunt qui tunc temporis norant) pulcher & bonus. Ex hujus ore fateor me audisse unam rem, quam satis amo: ipsum sanctum asserit loquentem: Numquam aliquid feci propter vanam gloriam. nam ut non pulset, hoc est extra hominem: utrumque tantùm à me miserrimo omnium retro posuit pedem, à me minimo gentium longè fugit in æternum exsilium. Memoriam vero viri * sæpe pono, cujus relatione hæc scribo, quem servum Martyris agnosci volo.

num. 22.

* Radlai.



FRAG-

SÆC. X. ANNO 1000.

FRAGMENTA

Ex Chronico Magdeburgensi MS.

Adalbertus ad S. Alexium Monachus.

*Ztrahquaz Monachus, * vide supra.*

Episcopatum recusat.



NNO CM XC sanctus Adalbertus Romæ ad sanctum Alexium, inscio Abbate quis esset, factus est Monachus. Nam videns quòd grex sibi commissus semper in præcipitium iret, nec eum ad rectam viam convertere quiret; timens ne & ipse cum pereunte plebe periret, non ausus est cum eis amplius stare, nec passus est suam ulteriùs incassum prædicationis operam perdere. Sed cùm jam Romam iter arripere vellet, fortè ipso tempore *Ztrahquaz* *, filius *Boleslai*, qui sanctum *Vvenezlaum* fratrem suum interemerat, atque ad placandum hunc, de quo loquimur, Abbati sancti Emmerammi Martyris Ratisponæ imbuendum voverat & contradiderat. Qui veniebat cum sui Abbatis licentia de Ratispona post multos annos visere patriam, & cognatos, & fratrem suum Boëmiæ Ducem. Cum quo vir Dei Præsul Adelbertus secretum petiit, & multa conquestus est de infidelitate & nequitia populi, de incesta copula & inlicito discidio inconstantis conjugii, de inobedientia & negligentia Cleri, de arrogantia & intolerabili potentia Comitum. Ad ultimum intentionem sui cordis aperit, quòd vellet Romam Apostolicum consultum ire, & ad gentem apostatricem numquam redire. Inter hæc & ad hæc addidit: Et bene est, inquit, quod tu frater nosceris esse Ducis. „ Te plebs „ ista mavult dominari, & tibi magis obedire quam mihi. Tu consilio & auxilio fra„ tris superbos comprimere, negligentes arguere, infideles increpare, inobedientes „ corripere poteris. Tua dignitas & scientia, tui habitus sanctimonia multum con„ cordant ad hæc regimina. Quod ut fiat, ego tibi cum Dei voluntate & mea po„ testate concedo, & ut liceat me vivente ut sis Episcopus, apud Apostolicum votis „ omnibus intercedam. Et quem manu fortè tenebat, Episcopalem baculum ponit „ ei in sinum. Quem ille quasi furibundus in terram projecit, & hæc insuper verba „ adjecit: Nolo dignitatem in mundo; Episcopatu me indignum judicio; pastorali „ curæ non sufficio. Monachus sum, mortuus sum, mortuos sepelire non possum. „ Ad hæc Præsul respondit: Scias, Frater, scias, quod modò non facis cum bono, „ facies postea, sed cum malo tuo. Post hæc Præsul, ut proposuerat, Romam iter arripit, & gentem suis præceptis inobedientem reliquit. Eo tempore *Miseco* Polanorum, & *Bolizlaus* Boëmiorum Duces invicem sibi plurimum nocuerunt. Bolizlaus Liuticios, suis parentibus & sibi semper infideles, in auxilium sui invitat: Miseco autem Theophanu Imperatricis auxilium postulat, &c.

Adalberti fratres necati.

Adalbertus revocatur.

Anno CM XCV. post discessum beati Adalberti à Boëmia, quia Dux Boëmiæ non erat suæ potestatis, Ducis comites versi in Dei odium, patrum iniquorum pessimi filii, valde iniquum facinus operabantur. Nam quodam die festivo irrumpunt urbem Lubic, in qua fratres sancti Adalberti & milites urbis universi, velut oves innocentes, adsistebant sacris Missarum sollemniis. Et veluti lupi immanes masculum & feminam usque ad unum interficientes, quatuor fratribus sancti Adalberti ante ipsum altare decollatis, urbem incendunt, plateas sanguine perfundunt, & prædâ onerati hilares recedunt. Interfecti sunt autem quinque (*h*) fratres sancti Adalberti, quorum nomina sunt hæc: *Sobebor*, *Spitimur*, *Dobraizlau*, *Porcikaslau*. His ita peractis, Dux Bolizlaus inito consilio cum clericis, Mogontinum Archiepiscopum his sollicitat verbis: Aut nostrum Pastorem Adalbertum ad nos revoces, quod magis volumus; aut alium nobis ordina. Tunc Archiepiscopus sollicitus, ne populus nuper Christo adquisitus, in antiquum relaberetur ritum, mandat Apostolico, ut aut Pragensi Ecclesiæ suum Antistitem remitteret, aut alium ordinari sineret. Et quia in cœnobio sancti Alexii vir sanctus manebat, hunc domnus Papa & suus Abbas sic alloquuntur. „ Frater aman„ tissime, per caritatem Dei te deprecamur, ut ovium tuarum regimen dignanter re„ cipias. Si te audierint, Deo gratias: si non, fugientes te fugias, ne cum pereun„ tibus pereas; & ad exteras nationes prædicandi licentiam habeas. Exhilaratus Præsul de data sibi docendi exteras gentes licentia, non sine magna Fratrum mæstitia discessit; & cum viro summæ discretionis, nomine *Nothario*, (Præsule) adiens Archiepisco-

(*h*) Modò *quatuor*: sed quintus ad tempus evaserat, ex secundæ Vitæ num. 21. supra. Et tamen tantum quatuor hic nominantur.

Sæc. X. Anno 1000.

chiepiſcopum in palatio, rogat experiri ſi ſuus eum grex recipere vellet. Quo facto, quid ille grex reſponderit, aut quam ob cauſam eum non receperit, vel ad quas gentes inde tranſierit, quantæ frugalitatis omnibus diebus epiſcopii ſui fuerit, quanta morum honeſtate nituerit, ſcire poterit qui ejus vitam legerit. Tunc *Ztrahqvazi* (*h*) frater Ducis, de quo ſupra meminimus, videns hunc quaſi regulariter repudiari, tumido faſtu exarſit in Epiſcopatum. quem populus nequam ſtatim in epiſcopalem levat cathedram, mente tumidum, veſte compoſitum, oculis vagum, verbis vanum, moribus hypocritam, totius erroris mandritam, atque in operibus malis iniquorum archigerontam. Ventum erat ad Mogontium Archiepiſcopum: ubi peractis omnibus quæ agenda erant, dum choro melodiam modulante Archipræſul infulatus procumbit ante altare, & poſt hunc inter duos ſuffraganeos Ztrahquaz poſternitur in medio; atroci arripitur dæmonio, & quód illi vir ſanctus clam prædixerat, palam fit coram clero & omni populo. Hactenus hæc inſeruiſſe ſufficiat.

Ztrahquaz ſuperbia caſtigata.

Anno CM XCVI. poſtquam ſignifer Chriſti Præſul Adalbertus retibus Fidei cepit Panoniam ſimul & Poloniam, ad ultimum dum in Pruciam ſeminat verbum Dei, cuſpide perfoſſus VIIII. Kal. Maii capitis abſciſione optatum ſemper martyrium ſolus ex ſuis percepit abſque omni gemitu, ut in ſomnis in ipſa nocte vidit, ſuiſque fratribus prædixit. Putabam, inquiens, me Miſſam celebrare, ſolumque communicare. Sed nefandi ſceleris auctores eum jam exſpiraſſe credentes, ad augmentum ſui ſceleris divinæque ultionis corpus beatum pelago merſerunt, caput ſude conviciando figentes, ac exſultando redeuntes. Quod *Bolizlaus* Dux Poloniæ comperiens, datâ pecuniâ mercatur incliti Martyris cum capite membra. Imperator autem Romæ certus de hac re effectus, dignas Deo ſupplex retulit laudes, quòd ſuis temporibus talem ſibi per martyrii palmam aſſumpſit famulum.

Adalberti martyrium.

Anno CM XCVII. ſæpe memoratus Dux Boëmiæ *Bolizlaus* videns Pragenſem eccleſiam Paſtore deſolatam, miſit ad Imperatorem legatos, rogans ut Boemienſi eccleſiæ Epiſcopum meritis dignum daret, ne grex noviter Chriſto mancipatus redeat ad priſtinos vanitatis ritus & iniquos actus. Quippe profitetur non haberi in tota Boëmia tunc temporis clericum Epiſcopatu dignum. Fortè tum aderat in regali curia Capellanus, nomine *Thietdagus*, magnæ virtutis & ſcientiæ, genere Saxo, perfectè ſciens linguam Slavonicam. Hunc omnes Palatini, & ipſe Cæſar valde lætificatus in Pontificem Pragenſis eccleſiæ elegit, & mittens ad Mogontinum Archiepiſcopum, quòd eum in Epiſcopum conſecraret mandavit.

Thietdagus ejus ſucceſſor.

Anno CM XCVIII *Thedagus* Epiſcopus conſecratus Nonis Julii, à Clero & populo Pragenſis Eccleſiæ honeſtè recipitur, atque cum magno gaudio ad cornu altatis ſancti Viri (*k*) inthronizatur. Gaudet Dux Bolizlaus, quia Paſtor bonus gregi ſuo arridet, & grex lætus novo Paſtori alludit.

Anno M. Imperator auditis mirabilibus quæ per dilectum ſanctum martyrem Deus fecit Adalbertum, orationis cauſa eo pergere feſtinavit. Cumque ad Cicenſem veniſſet urbem, ab *Hugone* ejuſdem urbis Epiſcopo decenter ſuſcipitur. Deinde recto itinere ad Miſnenſem tendens civitatem, à venerabili EIDO ejuſdem civitatis Epiſcopo, & à Marchione *Ekkihardo*, qui apud eum inter præcipuos habebatur, honorabiliter excipitur. Decurſis tunc Mileini terminis, *Boizlaus* Dux Poloniæ ad Diedeſi pagum venienti Imperatori parato in loco, qui Ilna dicitur, ſuo hoſpitio multum hilaris occurrit. Qualiter autem ab eo honoraretur, & per ſua usque ad Gneſin deduceretur, dictu incredibile eſt. Videns autem à longe civitatem deſideratam, nudis pedibus ſuppliciter advenit, & ab Epiſcopo civitatis *Ungero* venerabiliter ſuſceptus, eccleſiam introducitur & ad Chriſti gratiam ſibi impetrandam Martyris Chriſti interceſſionem profuſis lacrymis invitat. Nec mora fecit ibi Archiepiſcopatum, ut ſpero, legitimè, ſine conſenſu tamen præfati Præſulis & ſui Metropolitani, cujus diœceſi omnis hæc regio ſubjecta eſt: committens eumdem prædicti Martyris fratri, qui & *Gaudentius*, ſubjiciens ei *Reinbernum* Salſæ * Colberienſis Eccleſiæ Epiſcopum, *Popponem* Cracuenſem, *Johannem* Vurortzlaenſem, *Ungero* Poznanienſi excepto: factoque ibi altari, ſanctas in eo honorificè condidit reliquias. Perfectis omnibus Imperator à præfato Duce magnis muneribus decoratur, & (quod maximè placuit) trecentis militibus. Diſpoſitis igitur in Slavia ſeptem Epiſcopis, à Bolizlao usque Magdaburh comitatu deducitur egregio, ubi Palmarum ſollemnia celebriter peracta ſunt.

Ottonis iter ad Martyris tumulum.

Gneſna Archiepiſcopatus inſtituitur.

* *f. Sanctæ.*

FRAG-

(*k*) Idem conteſtantur Æneas Silvius in Hiſtoriæ Boëmicæ cap. 16. & Dubravius lib. 6. ubi *Straquiquantus* appellatur, Æneæ *Statiquas*.

(*l*) Cathedralem Pragæ eccleſiam ſancto Vito nuncupavit Tuto Ratiſponenſis Epiſcopus, ſuprà pag. 111. Glaber Rodulfus in lib. 1. cap. 4. vocat *eccleſiam ſancti Martyris Vitiſclodo*; ſi non eſt mendum in editis.

Sæc. X. Anno. 1000.

FRAGMENTUM EX CHRONICO ADEMARI MONACHI ECOLISMENSIS

De S. Adalberto *& de S.* Brunone *ejus coapostolo.*

I. 

EA tempestate Ottone secundo mortuo, Otto filius ejus, tertius actu & nomine, imperio potitus est, qui philosophiæ intentus, & lucra Christi cogitans, ut ante tribunal Judicis duplicatum redderet talentum, Dei voluntate populos, in circuitu idolis deditos, ad Dei cultum convertere studuit. Etenim erant ei duo reverentissimi Episcopi, sanctus videlicet *Adalbertus* Archiepiscopus de civitate Praga, quæ est in provincia *Bevehem*; sanctus etiam *Brunus* Episcopus de civitate (*k*) *Osburg*, quæ est in provincia Bajoariæ, consanguineus ejusdem Imperatoris. Nam sanctus Adalbertus in aula Imperatoris intererat, nocte intempesta solus ad silvam abiens, ligna propriis humeris, pedibus nudis, deferebat, nemine sciente, ad hospitium suum: quæ ligna vendens victum præparabat sibi. Quod cùm post multos Imperator comperiens dies, eum pro sancto duceret, die quadam solito locutus cum eo dixit jocando: Talis Episcopus, sicut vos estis, debuisset pergere ad prædicandum Sclavorum gentes. Mox Episcopus pedes Imperatoris deosculatus, ait se hoc incipere: nec postea eum Imperator avertere potuit ab hac intentione; & rogante ipso Episcopo ordinatus est pro eo in urbe Praga Archiepiscopus quem elegerat ipse; & libenter Imperator assensit. Tum præparatis omnibus necessariis, pedibus nudis abiit in Pollianam provinciam, ubi nemo Christi nomen audierat, & prædicare cœpit Evangelium. Quod exemplum ejus secutus Brunus Episcopus petiit Imperatorem, ut pro eo juberet consecrari in sede sua Episcopum quem elegerat, nomine *Odolricum*. Quo facto & ipse humiliter abiit in provinciam Ungriam, quæ dicitur Alba Ungria, ad differentiam alterius Ungriæ nigræ, pro eo quod populus est colore fusco velut Æthiopes.

2. Sanctus denique Adalbertus convertit ad fidem Christi quatuor istas provincias, quæ antiquo paganorum errore detinebantur, scilicet Pollianam, Sclavaniam, Waredoniam, Cracoviam: quas postquam fundavit in fide, abiit in provinciam Pincenatorum, ut eis prædicaret Dominum. Illa gens nimium idolis effera, post octo dies quàm ad eos venerat, & Christum eis annuntiare cœperat; nono die reperientes eum orationi incumbere, missilibusque ferreis confodientes, Christi Martyrem fecere. Deinde secto capite, corpus ejus in lacum magnum demerserunt: caput autem bestiis in campum projecerunt. Angelus autem Domini accipiens caput, posuit juxta cadaver in ulteriorem ripam: ibi immobile & intactum & incorruptum permansit, quousque negotiatores navigio per illum lacum præterirent, qui auferentes sacrum thesaurum, patefeceruntque Sclavaniam. Quo comperto Rex Sclavaniæ, nomine *Boleslavus*, quem ipse sanctus Adalbertus baptizaverat, datis magnis muneribus, caput & cadaver excepit cum honore, & monasterium in ejus nomine maximum construxit, & multa miracula fieri cœperunt per eundem Christi Martyrem. Passus est autem sanctus Adalbertus vigesimo tertio die mensis Aprilis, id est nono Kalendas Maii.

3. Sanctus

(*m*) Brunus seu Bruno, non fuit Episcopus Augustanus ante Udalricum, ut videbimus in Sæculo sequenti.

III. Sanctus autem Brunus convertit ad fidem Ungriam provinciam, & aliam quæ vocatur Russia; Regem Ungriæ baptizavit, qui vocabatur Geitz, & mutato nomine in baptismo, *Stephanum* vocavit. quem Otto Imperator in natali protomartyris Stephani à baptismate excepit, & regnum ei liberrime habere permisit, dans ei licentiam ferre lanceam sanctam ubique, sicut ipsi Imperatori mos est, & reliquias ex clavis Domini, & de lancea sancti Mauricii ei concessit in propria lancea. Rex quoque supradictus filium suum baptizare jussit, & sanctus Bruno imposuit ipsi nomen, sicut sibi, Stephanum. Postea verò ipsi filio ejus Stephano Otto Imperator sororem Henrici postea Imperatoris in conjugio dedit. At verò sanctus Brunus cum ad Pincenatos properavisset, & Christum prædicare cœpisset illis, passus est ab eis, sicut passus fuerat sanctus Adalbertus. Nam Pincenati diabolico furore sævientes, viscera omnia ventris per exiguum foramen lateris ei extraxerunt, & fortissimum Dei Martyrem perfecerunt. Corpus ejus Russorum gens magno pretio redemit, & in Russia monasterium ejus nomini construxerunt, magnisque miraculis coruscare cœpit. Post paucos dies quidam Græcus Episcopus in Russiam venit, & medietatem ipsius provinciæ, quæ adhuc idolis dedita erat, convertit, & morem græcum in barba crescenda, & ceteris exemplis eos suscipere fecit. Odolricus autem, qui sancto Bruno successerat, ad Dominum migrans magnis virtutibus clarere meruit, ideoque monasterium foris civitatem *Osburg* ejus nomini construxit Episcopus item *Brunus* successor ejus, frater Henrici Imperatoris. Eadem verò urbs apud Romanos vocabatur Valentina, ab Imperatoris nomine, qui eam condidit primus.

IV. Quibus diebus Otto Imperator per somnium monitus est ut levaret corpus Caroli Magni Imperatoris, qui Aquis humatus erat: sed vetustate obliterante ignorabatur locus certus ubi quiescebat: & peracto triduano jejunio, inventus est eo loco, quem per visum cognoverat Imperator, sedens in aurea cathedra, intra arcuatam speluncam infra basilicam beatæ Mariæ, coronatus corona ex auro & gemmis, tenens sceptrum, & ensem ex auro purissimo, & ipsius corpus incorruptum inventum est, quod levatum populis demonstratum est. Quidam verò Canonicorum ejusdem loci Adalbertus, cùm enormi & procero corpore esset, coronam Caroli quasi pro mensura capiti suo circumponens, inventus est strictiori vertice, corona amplitudine sua vincente circulum capitis: crus proprium verò ad cruris mensuram Regis dimetiens, inventus est brevior, & ipsum ejus crus protinus divina virtute confractum est, qui supervivens annis quadraginta, semper debilis permansit. Corpus verò Caroli conditum in dextro membro basilicæ ipsius, retro altare sancti Johannis Baptistæ, & crypta aurea super illud mirifica est fabricata, multisque signis & miraculis clarescere cœpit. Non tamen sollemnitas de ipso agitur, nisi communi more anniversarium defunctorum. Solium ejus aureum Imperator Otto direxit Regi Bolislavo pro reliquiis sancti Adalberti Martyris. Rex autem Bolislavus, accepto dono, misit Imperatori brachium de corpore ejusdem sancti, & Imperator gaudens illud excepit, & in honore sancti Adalberti Martyris basilicam Aquisgrani construxit mirificam, & ancillarum Dei congregationem ibi disposuit. Aliud quoque monasterium Romæ construxit in honore ipsius Martyris.

Sæc. X. Anno 1000.

ALIUD FRAGMENTUM EX LIBELLO DE TRANSLATIONE SANCTORUM ABUNDII ET ABUNDANTIANI.



Is omnibus adjicere visum est aliud item fragmentum ex libello quodam Romæ edito apud Franciscum Zanetum anno 1584. *quo in libello nonnulla referuntur, quæ illustrandis Adalberti actis aliquid conferre possunt,*

Post multos autem annos, pace Ecclesiæ reddita, imperante domino nostro piissimo & æterno Augusto Ottone III. magno Imperatore, anno primo sanctissimi ac beatissimi apostolici summi Pontificis *Silvestri* Papæ urbis Romæ, exstitit quidam Episcopus Adelbertus nomine, omnium artium peritiâ & litterarum imbutus, & Deo amabilis, & populo prædestinato Christi vestigia imitatus, & dominicum præceptum qui dixit, *Qui reliquerit domum aut agros, aut uxorem, aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hic dum in Sclavonia esset Episcopus, & eos ire per abrupta vitiorum cerneret, Episcopatum deseruit, & monasticum habitum concupivit. Mansit autem in Ecclesia beati Bonifacii in urbe Roma dies plurimos, & ibi regulariter vitam duxit. Denique cum domnus Otto Romam venisset, quid illic vir tantus faceret inquisivit, & eum ad se venire fecit, & ei Episcopatum restituere curavit dicens, non esse bonum suam sponsam relinquere, & filios, quos Christus adoptaverat, orphanos deserere. Qui cùm invitus esset ad suum Episcopatum adductus, & à suis non esset receptus, ipse quoque quis esset apparuit, quia lumen in tenebris latere non potuit. Antiquorum præcedentium Patrum exemplum imitatus, desideravit ad palmam venire martyrii. Abiit autem in aliam Sclavoniam, in qua erant gentiles, ut eos ad Christi fidem revocaret, & relicto eorum errore Deum vivum, qui in cælis est, adorarent & colerent. Qui cùm illum audire noluissent, interfecerunt eum: & ita bonus pastor per palmam martyrii migravit ad Dominum.

Quo audito Rex, ardorem tanti Martyris non ferens, cum senatu Romano & Episcopis & clericis extra montes in Sclavoniam pergit ad educendas Romam reliquias beati martyris Adelberti. Qui manes ejus auferens, auro & gemmis mirè exornavit, & ecclesiam nomine ejus inter duos pontes fabricavit, & magnæ dignitati tradidit; nec non ortum ejus, actus, & passionem mira arte composuit, & in libello scribi fecit.

Tum cœpit inquirere corpora sanctorum Martyrum, & præcepit ut ubicumque inventa fuissent, ad ecclesiam beati Adelberti deportarentur. Et nuntiatum est illi, quod in ecclesia beati Abundii & Abundantii martyrum, quæ est juxta montem Soractis, erant plura sanctorum Martyrum corpora. Qui misit suos nuntios Episcopos & Clericos, & Monachos, ut cum omni honore & diligentia & hymnis Dei ad ecclesiam beati Adelberti ea deferrent in uno tumulo corpora beatorum Abundii & Abundantii posita, & in alio corpus beatæ Theodoræ, quæ in prædio suo eos sepelierat. Invenerunt etiam inter eos sanctos Martyres, qui habebant inauratas vestes, & mirè exornatas, & super altare eorum mensam sculptam & nimis decoratam. Et deportata sunt omnia secundum jussum Imperatoris ad ecclesiam beati Adelberti Martyris.

DE

DE ADALHAIDE

CONJUGE

OTTONIS I. IMPERATORIS,

MATRE

OTTONIS II. IMPERATORIS,

AVIA

OTTONIS III. IMPERATORIS

LIBRI DUO,

AUCTORE

FAMILIARI EJUS,
UT VIDETUR,

ODILONE CLUNIACENSI.

A Canisio primùm editi ex Membranis MS. Monasterii S. Magni ad pedem pontis Ratisponensis.

CANISIUS

Ad Lectorem.

SÆC. X. ANNO 1000.



Uis auctor fuerit, nescio. Nam nomen suum non expressit, nisi quis velit nomen latere in illis literis initio appositis: GUOT. L. ADLHIL. Ubi nota post tres primas literas, GUO, dubiam esse literam; videtur tamen, T. Tu si quid ex his literis potes, erue: sunt autem hæ literæ inscriptæ imagini depictæ in fronte libri, ubi Adalheida, ut puto, sedens in throno, sinistra pomum Imperatorium gestans, cujusdam fœminæ, ut videtur stantis, capiti imponit nescio quod tegumen seu calyptam.

Auctor in prologo testatur se æquævum. Et in cap. 3. lib. 1. ait se ab Adalheide ditatum muneribus, & honoribus affectum. Item cap. 14. lib. 1. innuit se familiarem fuisse, dum ait, Nobis astantibus.

Molanus in addition. ad Martyrolog. Usuardi, 16. Decembr. hæc: Depositio sanctæ Adelheidis Imperatricis. Ubi & hanc addit Annotationem: De Adalheide. Lupoldus Bebenburgensis in libro de veterum Principum Germanorum fide & religione, cap. 13. Si quis Adelheidis in divino cultu vigilantiam, ac aliarum virtutum ejus merita, nec non quot Ecclesias construxerit, vel reparaverit, scire voluerit, de his ex ipsius vita, quam venerabilis Odilo Abbas Cluniacensis plene descripsit, quæ in quibusdam Germaniæ ac Burgundiæ Ecclesiis reperitur, plenius poteris informari. Est MS. Marcenis. Hæc apud Molanum.

De Odilone Trithemius de script. Eccl. Odilo Abbas Cluniacensis quartus Ordinis S. Benedicti, vir sanctus & eruditus, quinquaginta & sex annis Monasterio præsidens, verbo & exemplo multorum animas direxit ad Christum, cujus vitam virtutibus & miraculis plenam Petrus Damiani Episcopus & Cardinalis Hostiensis luculento sermone descripsit. Composuit ad ædificationem fratrum suorum sermones elegantes. lib. I. Moritur sub Henrico Imp. II. Anno Domini 1048. Indictione I. ætatis suæ anno 87. primæ die mensis Januarii. Hæc Trithemius, qui lib. 3. de viris illustr. Ord. S. Benedicti cap. 235. hæc habet: Odilo Abbas quintus Cluniacensis, post S. Majolum rexit idem cœnobium 56. annis, vir miro religionis fervore spectabilis, & multis virtutibus signisque præclarus. Cujus vitam Petrus Damiani descripsit, petente Hugone Cluniacensi Abbate. Moritur tandem plenus dierum & bonorum operum, anno videlicet Dominicæ Incarnationis 1048. ætatis suæ 87. prima die mensis Januarii. Hæc Trithemius, qui in eodem lib. 3. cap. 215. de Odone hæc: Odo Monachus & discipulus præfati sancti Bernonis, Abbas Cluniacensis cœnobii ab eo primus constitutus, tanta sanctitate & religione clarus enituit; ut etiam in vita miraculis coruscârit. Ordinem S. Benedicti pœne collapsum, mirifice restauravit, ac de novo multa construxit cœnobia. Claruit Anno Domini 920. Ejus festum 13. Kal. Decembr. agitur. Hæc Trithem.

J A-

JACOBI BASNAGII DE SCRIPTORE VITÆ S. ADALHAIDIS OBSERVATIO.



Vulgaris est opinio, editam à Canisio *Adalhaidis* vitam esse *Odilonis* opusculum. *Lupoldus Bebenburgensis* Libro de veterum principum Germanorum fide ac religione, capite 13. non modo meminit istius vitæ, quam *Odiloni* vindicabat, sed asseruit illam reperiri suo tempore, hoc est, an. 1225. in quibusdam Burgundiæ & Germaniæ Ecclesiis; nec mirum, si ea potissimum indicaret loca, quippe e Burgundionum Regibus nata Germanis imperaverat formosissima *Adalhais*. *Martinus Marrier*, qui Bibliothecam Cluniacensem digessit, ipse Cluniacensis monachus, nomen *Odilonis* in codice cœnobii Martiniani se legisse asserit. Quid *Molanum*, *Vossium*, *Maillonium*, *Cave* in Historia Litteraria, cæterosque memorem. *Odilo non est hujus vitæ author.*

Alia tamen est mihi sententia, quam eruditis ponderandam, ut decet, subjicio: Non argumentis aliunde petitis eam sum probaturus, sed ex ipso autore sum adducturus: 1°. asserit author l. 1. c. 30. se ab Imperatrice sæpius auro & argento ditatum, *plurima dona suscepimus*, inquit, *sæpe indigentes nummo fecit divites auro, carentes aliquando quotidianis sumptibus fecit esse claros honoribus*. *l. 1. c. 13.* Hæc non conveniunt *Odiloni* Cluniacensi monacho & Abbati, sed potius aulico qui famelicus Imperatrici sæpius astabat, quique honores & dignitates aucupari conabatur. Secundo asserit ille, dum cœnobia peragraret Imperatrix, *Cluniacense adeo sibi familiare non esse oblitam*. Quis vero sibi fingat *Odilonem* ita jejune de monasterio Cluniacensi, cui tunc temporis præerat, fuisse locutum? Tertio laudat *Majolum* decessorem suum in Regimine Cluniacensis cœnobii: *Nec non beatæ recordationis Patrem Majolum cœlesti Gloriâ jam coronatum, quem dum in hac vita subsisteret, præ cunctis mortalibus illo ordine diligebat*; nihil vero habet quod *Odilonem* indicet. An sit verisimile se ipsum omisisse, quamvis esset Abbas ejusdem monasterii quod sæpius petebat Adalhais, & Majoli successor? Equidem verum est alibi Abbatem inducere cum Imperatrice confabulantem; sed nihil obstat quo minus ad alium quam Odilonem referatur illud colloquium, nec inde elicias, nisi conjectura mera, Odilonem fuisse, quo cum sermones tunc temporis sereret Imperatrix. Quidquid sit, non existimem *Odiloni* Monacho Cluniacensi & Abbati defuisse sæpius necessaria ad vitam, ipsumque auro & argento donatum ab Imperatrice & ad honores evectum; hæc enim non cohærent cum habitu monachali, quem induerat *Odilo*, jam novem annos ante mortem Imperatricis Abbas.

SÆC. X. ANNO 1000.

Abbas. Quarto conjecturam nostram firmat codex quem præ manibus habuit *Canisius*: observat enim illum non Odilonis nomen præferre, sed quasdam litteras authorem indicantes, quamquam quis fuerit certe divinari non possit. Illæ litteræ initiales sunt *quot L. Adlbil.* non viderat forsan Lupoldus Bebbenburgensis vitam Adelhaidis, quam audiverat in quibusdam Ecclesiis reperiri. Codices aliena nomina sæpius repræsentant, ideo non illis fides omnino habenda. Secuti sunt codices aliquot viri docti, non animum advertentes ad difficultatem superius a nobis propositam. Non diffitemur eos in diversam plane sententiam ire; sed nostram prodere non magni fuit periculi nec momenti. *Adelaidis epitaphium* hic adjicimus a Garino compositum. Garinum clericum fuisse tantummodo scimus. Impoliti, imo Barbari sunt illi versus: eos exhibebat codex Mabillonii, ideo omittere nefas duximus.

Quo vixit more regina Adaleida Romæ,
Nobis hæc Atala scribi jussit comitissa.*
Odilo quæ vidit Abbas, quæ scripta notavit,
Exemplum vitæ quo sibi captaret in ista,
Nolle malum, sed velle bonum deducere sæclum.
Regnet cum Domino semper laudanda virago,
Quæ pravos vitat, justos imitarier optet.

* al. Adela.



INCI.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM S. ADALHEIDIS IMPERATRICIS.



IN hujus igitur ætatis nostræ temporibus, cuncta disponens, totius honoris & honestatis largitor Dominus, primo *Ottone* in sceptris feliciter agente Romanæ Reipublicæ, in fœmineo sexu præstitit venerabile decus. *Prologus.*

Multorum etenim bonorum tunc accidentium, atque virtutum post *Deum* auctrix, divæ, celebrisque memoriæ, *Adalheida*, extitit imperatrix.

Quam cùm memoriæ succedentium scriptis commendare satagimus, timeo ne digne reprehendamur, ideo, quia tantæ nobilitatis atque virtutis materiem, minus idonei paupere stylo explicare conamur.

Quisquis nos reprehenderit, ut pote reprehensione dignos, sive propter incultum sermonem, seu propter rem noviter inceptam, & propter naturalis eloquii simplicitatem, sciat procul dubio, sciat, quia non invitavit nos ad hoc humanæ laudis appetitus, sed veræ & sincerissimæ charitatis affectus.

Si abhorrere vis, ut quippe merito debes, lector, nostri ingenioli rusticitatem; attende ipsius, quam commendare cœpimus, mentis & corporis nobilitatem.

Si enim expectare vis virum tanta eloquentia vel sapientia præditum, qui hujus fœminæ possit convenienter describere vitam; necesse est aut *Cicero* Rhetor revocetur ab inferis, aut *Hieronymus* presbyter transmittatur ex superis.

Si enim ille sanctus & incomparabilis in divina & humana sacer *Hieronymus* fuisset istius Augustæ temporibus, si *Paulum* & *Eustochium*, *Marcellam* quoque & * *Melanium*, *Fabiolam* quoque & *Blesillam*, *Lætam* & *Demetriadem*, (*a*) *septies percussam* commendare curavit libris & Epistolis; commendaret utique istam haud voluminibus paucis.

Si enim deest talis, ut *Hieronymus*, aut aliquis alius, liberalibus disciplinis adeo eruditus, qui possit digne tantæ fœminæ mores & vitam describere, adgrediamur nos indocti DEO juvante pro posse.

Explicit Prologus.

INCIPIT VITA.

I.

HÆc regio (*b*) ac religioso stemmate orta, cùm adhuc juvencula esset, & sextum decimum ætatis suæ ageret annum, DEO donante adepta Regale matrimonium, juncta scilicet *Regi* (*c*) *Lothario*, *Huconis* ditissimi regis *Italici* filio, ex cujus contubernio (*d*) filiam habuit, ex qua *Lotharius* Rex Francorum *Ludowigum* Regem genuit, qui sine liberis (*e*) mortuus, regio more *Compendio* dinoscitur fuisse sepultus.

Supra

(*a*) *Fort. & septiès p. De muliere Vercellensi septies icta S. Hieron. Epist. 49. ad Innocentium.* CAN.

(*b*) Filia scilicet Rudolfi & soror Conradi Burgundionum Regis. BASN.

(*c*) *De Lothario & Hugone parente Frodoardus, & Luitprandus lib. 5. c. 13. Baron, tom. 10. an. 945. &c.* CAN.

(*d*) *Puto hanc fuisse Emmam; licet Baron. an. 986. putet Emmam filiam Adelaidis ex Ottone* I. CAN.

(*e*) *Anno 987. obiit (inquit Odorannus) Ludovicus Rex juvenis, qui nihil fecit.* CAN.

SÆC. X. ANNO. 1000.

Supra dicto vero *Lothario*, (*f*) ante annum circiter tertium, postquam dominam *Adalheidam* duxerat, defuncto, remansit ipsa vidua viro, destituta maritali consilio.

Affuit ei persecutio mordax, quæ solet purgare electos, velut aurum fornax. Non ergo accidit ei tale quid propriis exigentibus meritis, sed, ut credimus, potius ex accidentibus divinæ providentiæ donis.

Affuit ei, ut vere fatear, nuto divino, exterius corporalis afflictio, ne intus cremaret eam, utpote juvenculam, incentiva carnis libido. Voluit enim eam Dominus
1. Tim. 5. tot verberibus atteri, ne secundum sententiam Apostoli *Pauli*, *vivens esset vidua in deliciis mortua.* Voluit enim eam paterno affectu tot pati pericula, ne esset indigna
Hebr. 12. illa filiatione divina, de qua loquitur scriptura: Castigat Dominus omnem filium quem recipit.

Sæpe etenim inde DEO gratias referebat, & cum familiaribus conferebat, quanta & qualia tunc temporis passa fuerat, & quam misericorditer eam Dominus de manibus inimicorum suorum liberaverat. Judicabat enim oportunius sibi fuisse, ut ad tempus temporalibus fuisset occupata anxietatibus, quàm vivens in deliciis perpetuæ mortis esset subdita legibus.

I I.

II. *Ejus captivitas.*

POstquam enim mortuus esset (*g*) *Lotharius* vir ejus, honorem *Italici* regni adeptus est quidam vir nomine *Berengarius*, qui habebat uxorem nomine (*h*) *Willam*; à quibus innocens capta, diversis angustiata cruciatibus, capillis cæsariei distractis frequenter pugnis exagitata & calcibus, una tantum comite famula. Ad ultimum tetris inclusa carceribus, liberata divinitus postmodum, ordinante Deo, imperialibus est sublimata culminibus.

In ipsa nocte qua educebatur de carcere, incidit in cujusdam harundineti paludem, ubi per dies & noctes sine cibo & potu mansit perseverans, auxilium à DEO sibi subvenire deposcens.

Tali cum esset detenta periculo, venit quidam subito piscator cùm limbo, deferens in navicula piscem, qui vocatur *Sturio*. Quas cum vidisset, interrogavit, quæ essent, aut quid agerent ibi. Dederunt sibi responsum, secundum instantem necessitatem satis congruum: Videsne quod hic humano consilio destitutæ, & quod durius est solitudine, periclitamur & fame? Si potes aliquid victus nobis impende; sin autem, solatium nobis præbe. Qui misericordia motus super eas, sicut ipse, à quo mittebatur, fuerat quondam super pauperes in deserto fame periclitantes Christus, dixit eis, Nihil nobis adest ad victus necessaria, nisi tantum piscis & aqua.

Habebat ignem secum, sicut solent illi, qui piscationis exercent negotium. Accensus est ignis, præparatus est piscis, sumpsit cibum Regina, servivit piscator & famula.

Dum hæc ita agerentur, supervenit quidam *Clericus*, qui ejus fuerat captivitatis & fugæ socius, nuncians adesse exercitum militum armatorum; qui eam cum gaudio accipientes deduxerunt secum in quoddam inexpugnabile (*i*) castrum.

I I I.

III. *Fit imperatrix.*

POstea enim consultu *Italicorum* principum, præveniente Dei gratia, de solio regni ad arcem pervenit imperii.

Hæc enim *Augustarum* omnium (*k*) *Augustissima* nominari & venerari est digna. Nemo ante illam ita auxit Rempublicam. Cervicosam *Germaniam*, ac fœcundam *Italiam*, has cum suis principibus, *Romanis* subdidit arcibus. *Ottonem* regem nobilem *Romæ* præfecit Cæsarem, ex quo genuit filium imperio dignissimum.

De nobilitate carnis satis dicta sufficiant. Nobilitatem verò mentis quo modo vel qualiter exercuit, nemo mortalium dicere sufficit. Sed ut pro modulo compendiose loquar.

Spequè,

(*f*) *Frodoardus ait veneno sublatum an.* 950. *Leo Ostiensis lib.* 1. *c.* 64. *Post annos, inquit, ferme quatuor in phrenesim subitam incidens, diem clausit extremum, &c.* CAN.

(*g*) *Berengarius Lotharium veneno sustulit, & regnum Italia invasit, & Adelaidem in vincula conjecit.* CAN.

(*h*) *Quam una cum Berengario Otto* I. *in Bajoariam exulatum misit anno* 964. *Baron. num.* 30. *& anno* 951. *num.* 1. CAN.

(*i*) *Vide Baron. an.* 950. *Adelais ad Attonem, inquit Leo Ost. l.* 1. *c.* 64. *propinquum sese in Canusinam munitissimam arcem contulit, ubi mansit quousque Otto rex veniens, Berengarium ab Italia fugavit.* CAN.

(*k*) *Duxit illam Otto anno* 951. *Patet hinc figmentum quod de Adalheide refert Damianus, quod recte refutat Baron. an.* 973. CAN.

Spequè, fide certa, gemina charitate referta,
Justa satis, fortis, prudens, nimiumque modesta
Extitit, & vixit felix, dum secula rexit,
Auxilio Domini moderantis climata cosmi.

Prolata tamen Salomonis sapientius famina, huic sanctissimæ conveniunt fœminæ. *Manus suas*, inquit, *aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus nivis; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Fortitudo & decor indumentum ejus & ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. Considerat semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt: vir ejus & laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Prov. 31.

Hæc enim, quæ de ea dicimus, non modo auditu, sed & visu, & experimento cognovimus. Multa ab ea salutis verba audivimus, (*l*) plurima dona suscepimus. Sæpe enim indigentes nummo, fecit esse divites auro; carentes enim aliquando cottidianis sumptibus, fecit esse claros honoribus.

Hæc enim ad decorem mundi, primi & maximi *Ottonis* toto orbe famosissima conjunx, & ad profectum multorum *Imperatorum* genitrix illa meruit benedictione potiri, quam meruisse legimus *Tobiam* in ejusdem patris volumine, perfrui videlicet, ut videret filios filiorum usque in tertiam generationem.

IV.

Postquam enim *Augustissimus* (*m*) *Otto* universæ carnis ingressus est viam, *Augusta* cum filio *Romani Imperii* feliciter diu gubernavit Monarchiam. Sed postquam divino nutu, ipsius *Augustæ* meritis & industria solidatum fuerat Romani principatus imperium, non defuerunt viri iniqui, qui inter eos nisi sunt disseminare discordiam. Quorum deceptus adulatione recessit corde *Cæsar* à matre.

IV. *Discordia cum Ottone II.*

Si commendaremus literis, quanta & qualia passa sit tunc temporis, derogare videremur speciem tanti generis. Non enim debemus perstringere stylo, quod cito sedavit humilis satisfactio.

Filium diligens, auctores discordiæ ferre non valens, secundum *Apostoli* præceptum; dans ad modicum iræ locum, paternum decrevit expetere regnum; ubi à fratre scil. Rege *Chuonrado* & nobilissima *Mathilde* ejus conjuge benigne & honorabiliter est suscepta. *Rom. 12.*

Tristabatur de absentia ejus *Germania*, lætabatur in adventu ejus tota *Burgundia*, exultabat *Lugdunum* quondam Philosophiæ mater & nutrix, nec non & *Vienna* nobilis sedes regia.

Postmodum verò Cæsar *Otto*, ductus pœnitentia, direxit regi avunculo legationem, & sanctæ recordationis patri *Majolo* sub celerrima festinatione; obnixius deprecans, ut gratiam matris, quam propriis exigentibus culpis, perdiderat, eorum interventionibus promereri posset; orans iterum, & obsecrans, ut quantocius possent, una cum *Augusta* matre *Papiam* ei studerent occurrere.

Tantorum enim virorum usa consilio, apud *Papiam* tempore constituto occurrit mater filio. Quo cum mutuo se cernerent, flendo & lachrymando, toto corpore solo prostrati, humiliter se salutare cœperunt.

Affuit in filio humilis pœnitudo; erat in matre liberalis remissio; permansit in utrisque de cætero perpetuæ pacis connexio.

V.

Non post multum verò temporis unico (*n*) orbata est filio, cui successit tertius ex (*o*) *Græca* genitus *Otto*. Igitur recidivis diu afflicta verberibus, non possumus enarrare per singula, quot qualiaque post mortem filii sibi successerunt incommoda.

V. *Imperium curat sub Ottone III.*

Licet

(*l*) *Autorem ab Adelhaide affectum honoribus, & ditatum muneribus.* CAN.

(*m*) *Obiit an.* 973. *de quo Witichind. lib.* 3. *in fine.* CAN.

(*n*) *Obiit anno* 983. CAN.

(*o*) *Theophania, sive Anna, quam Otto I. filio petierat per Luitprandum in legatione ad Nicephorum Imp. quam edidimus. Vide Baron. tom.* 10. *an.* 968. *&* 969. CAN.

SÆC. X. ANNO 1000.

Licet illa *Imperatrix Græca*, (*p*) sibi & aliis fuisset satis utilis & optima, socrui tamen *Augustæ* fuit ex parte contraria.

Ad postremum vero cujusdam *Græci* aliorumque adulantium consilio fruens, minabatur ei quasi manu designando dicens, Si annum integrum supervixero, non dominabitur *Adalheida* in toto mundo; quin possit circumdari palmo uno.

Mortua anno. 989. Quam sententiam inconsultè prolatam divina censura fecit esse veracem. Ante quatuor hebdomadas *Græca imperatrix* ab luce discessit; *Augusta Adalheida* superstes felixque remansit. Perseverabat autem discrimina mundi lugens & deflens, curam tamen *Romani Imperii* necessario gerens.

Otto vero tertius unici sui filius à primatibus regni felicissime & honestissime educatus, nihil erga illam egit, nisi quod illum & illam decuit. Idcirco meritis Aviæ & industria Primatum *Romani* imperii adeptus est principatum. *Imp. creatur an.* 996.

VI.

VI. *Ejus pietas.*

AB ipsa enim ætate primæva jam dicta *Imperatrix* multa ab extraneis, sive à domesticis fuerat perpessa, ut possit dicere cum Propheta: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea.* & cætera. *Psal.* 128.

Dicebat enim sæpe illud Apostolicum: *Existimo enim quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et alio loco; *Si compatimur, & conregnabimus.* Et iterum: *Si fuerimus socii passionum, erimus & consolationis.* *Rom.* 8. 2. *Tim.* 2. 2. *Cor.* 1.

Multis bonum pro malo reddidit, & secundum *Apostoli* præceptum peccantibus in se ante solis occasum dimisit. Nihil ex objectis injuriis sibi reservabat, sed totum Domino committebat, sciens esse à Domino dictum per Prophetam: *Mihi vindictam & ego retribuam.* *Ephes.* 4. *Deut.* 32. *Heb.* 10.

Parcite quæso, quibus pepercit. & dicamus pro tempore quibus in adversitatibus, quibusve studiis in prosperitatibus servire contendit.

Quot enim inprimis cum *Cæsare*, inde cum filio, & filii filio *Ottonum* videlicet & *Augustorum* & *Cæsarum*, *Deo* annuente possederat regna, tot ex propriis sumptibus ad honorem Regis Regum condidit monasteria.

In patris vero *Ruodolphi* videlicet & nobilissimi regis & Domini *Chuonradi* fratris, regni loco, videlicet *Paterniaco*, ubi matrem reginam, vocabulo *Bertham*, *Deo* in omni humilitate devotam, sepulturæ tradidit, in honorem *Dei Genitricis* monasterium condidit, & sanctissimo patri *Majolo*, suisque successoribus, sua munificentia & fratris sui *Chuonradi* regis præcepto ordinandum perpetuo commisit.

Postmodum in *Italia* juxta *Tycinensem* urbem *Monasterium* à fundamentis incepit, & ad honorem *Salvatoris* mundi honorifice imperiali auctoritate & sua largissima donatione perfecit; ac jam dicto *Majolo* ordinandum regulariter tradidit.

In *Saxonia* vero post discessum jam dicti Reipublicæ Principis, cooperante unica & sapientissima & prudentissima filia, sanctimonialium cœnobiis plurima contulit dona.

VII.

VII. *Monasteria ab ipsa condita.*

ANte duodecimum circiter annum obitus sui, in loco qui dicitur *Salsa*, urbem decrevit fieri sub libertate *Romana*, quem affectum postea ad perfectum perduxit effectum.

In ipso etiam loco *monasterium* à fundamentis miro opere condidit, & ad honorem *Dei* & *Apostolorum* Principis, tertio Imperante *Ottone*, videlicet nepote suo, in præsentiarum secum astante, quarto decimo Kalendas Decembris augustissimè & devotissimè a (*q*) *Wideraldo Argentinæ* civitatis *Episcopo* consecrare jussit.

Et ut majori auctoritate per succedentium temporum curricula, esset ille sacer locus subnixus, cum præfato *Cæsare* est etiam Episcoporum conventus à sæpe dicta & sæpe dicenda *Adalheida Augusta*, ipsius *Cæsaris* avia, convocatus.

In

(*p*) *Quippe pia, vide Baron an.* 983. *num.* 19. & *an.* 984. *num.* 6. CAN.

(*q*) *De quo Bruschius in Argent. Ep. Wildeolfus, aliquibus Wilderoldus dictus subrogatur Episcopo Baldo. præfuit annis* 17. *Etsi sint, qui duobus tantum præfuisse scribant. Errant autem isti, nam præfuit iste Episcopus verè cum Otto II. anno* 980. *in Italiam proficisceretur, qui tum isti Episcopo commendavit Alsatiam gubernandam. Postea anno* 985. *consecravit monasterium Seltziense ad Rhenum. Devoratus est à muribus, arcano, sed tamen justo Dei judicio anno* 997. 12. *Julii. Sepelitur in Eberheimmunster, cœnobio plurimum à se ditato, ac liberalissime dotato.* CAN.

In ipso etiam *Monasterio* claustrum monachis satis aptum præparavit, & secundum regulam sancti *Benedicti* ordinare decrevit. SÆC. X.

Abbatem ibi præfecit nomine *Ezzemannum*, boni testimonii virum, humana scientia & divina sapientia doctum, quem in divinis litteris habere voluit assiduè præceptorem. ANNO 1000.

Ipsum verò locum adeo ditavit & nobilitavit prædiis, ædificiis, auro, & gemmis, vestibus pretiosissimis, aliisque variis ornatum supellectilibus, ut nihil deesset illo in loco *Deo* famulantibus.

Quatuor quos supervixerat annos Creatori suo sua seque dando, pauperes Christi, & servos sibi acquisivit amicos, ut cum temporalia deficerent, in æterna tabernacula eam susciperent.

VIII.

VIII. *Ejus charitas.*

CUm igitur summis Reipublicæ fascibus implicata teneretur, variis miserorum & inopum anxietatibus subsidia præbere non dedignabatur.

Cumque mirificis, ut imperiali dignitati congruebat, valeret corpus decorare indumentis, & preciosissimis caput redimire gemmis, talibus nolebat se gravari implicamentis; sed aut pauperibus largienda decernebat, aut *Dominicæ crucis vexilla* & *Christi Evangelia* exinde adornari præparabat; sedula existens imitatrix sui Redemptoris, qui cum esset omnium altissimus, humanitatis abjecta non est dedignatus.

Innumeris præterea tam *Canonicorum*, quam etiam *Monachorum* & *Sanctimonialium cœnobiis* circumquaque per diversas orbis partes constitutis, plurima largiebatur beneficia, quatenus Deo famulantium agmina ejus munifica dapsilitate recreata, liberius sibi, Reipublicæ divinitus conferenda implorarent suffragia.

In cunctis enim quæ gessit, Justitiæ formam tenuit; communem liberalitatem servavit; credens procul dubio eum Judicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent.

Quapropter Justitia videbatur excelsa, liberalitate gratissima, beneficentiæ opera locans super *Christum*, quem beatus *Apostolus* ponit fundamentum, intelligens prudenter fidem esse fundamentum omnium virtutum.

Usa est ergò perfecta liberalitate, ut silentio, quantum valeret, opus suum tegere, & necessitatibus singulorum cuperet subvenire; quatenus eam non labia sua, sed Christi pauperum laudarent ora, ut & jam in ea impletum videretur, quod beati *Job* voce profertur: *Benedictio perituri in me veniebat.* Diligenti illud consideratione perpendere studebat juxta ipsius vatis assertionem, ut ab ejus tecto nunquam vacuo sinu pauper exiret; ut talibus intenta commerciis adquirere valeret in terra viventium hæreditatem supernæ sortis. *Job.* 29.

IX.

IX. *Burgundiam petit.*

JAm jamque ultimo ætatis suæ anno, cùm non lateret eam, ut credo, exituram de seculo, pacis, ut semper, amica, charitatisque causa paternum adiit solum, fidelibus nepotis sui *Ruodolphi* Regis inter se litigantibus, quibus potuit, pacis fœdera contulit, quibus non potuit, more solito sibi, Deo totum commisit.

De cætero quam studiose, quàm devotissime loca *Sanctorum* curavit visitare, non est nostræ facultatis evolvere. In ipso namque tempore *Monasterium* Paterniacum adiit, quod ab ipsa ad honorem *Dei genitricis* pro remedio animæ suæ matris ibi requiescentis, tam ex suis, quàm maternis rebus condidit. Et quod tunc temporis in temporali necessitate fratribus ibi Deo famulantibus defuit, ut semper erat solita, manu largissima subministravit.

X.

X. *Denariorum multiplicatio.*

ACcidit tunc aliquid novum, quod huic operi judicavimus inserendum. Fatigata ex itinere non potuit manu propria solito more eleemosynam dare pauperibus; & vocavit unum de fratribus, qui vice sua nummos daret pauperibus. Ex ejus jussu ventum est ad pauperes. Excedit numerus pauperum numerum denariorum. Timuit minister minus habere, quam indigentibus posset sufficere. Quid multa? affuit *Augustæ* meritis virtus illius, qui

Panibus ex quinis saciavit millia plebis.

Multiplicatis denariis recesserunt pauperes cùm munere læti.

SÆC. X. ANNO 1000.

X I.

XI. *Agaunensе Monasterium adit.*

EGressa inde locum *Augaunensium* petiit, ubi rupes felicissima Martyrum millia retinet corpora.

Quanta cum devotione, cum reverentia magni martyris *Mauricii*, sociorumque ejus expostulavit suffragia! Quot ejus ibi fuerunt suspiria, quot luctus, quot lachrymarum flumina! nunquam fuerunt, ut reor, ulla peccamina, quæ tunc non mererentur æterna remedia.

Si enim respiceres Augustæ faciem, excedere crederes humanam effigiem; quam, si aliud aliquid labiis promeret, nihil aliud crederes, quàm propheticum illud evolveret: *Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.* *Psal. 141.*

Quæ fuit ejus maxima tribulatio pro cunctis à lege Dei declinantibus charitativa compassio, ut posset dicere cum Propheta: *Defectio tenuit me pro peccatoribus.* Et cum *Paulo: Quis infirmatur, & ego non infirmor?* & cætera: *Psal. 11. 2. Cor. 11.*

Ita deplorabat aliorum peccata, qualiter multi non possunt propria deplorare discrimina. Lætabatur in gravitate & profectibus præteritorum; tristabatur cottidie in defectibus præsentium, maximeque futurorum. Cum enim de futuris dico, prophetiæ spiritum procul dubio eam habuisse denuncio. Id esset enim in sermone defectus, nisi essem publico documento expertus.

X I I.

XII. *Obitus Franconis Wormatiensis Episcopi.*

CUm enim ab illo sacro loco egressura, & secum staret in angulo *Ecclesiæ*, orationis gratia, quidam nuncius venit ad eam de *Italia*, *Franconem Wangionensem Episcopum* nunciavit *Romæ* fuisse defunctum. Et quia vir boni testimonii erat, domina *Augusta* valde illum diligebat, sicut & omnes bonos diligere solita erat. Et statim, ut ejus obitum audivit, ex familiaribus, qui aderant, unum vocavit, & ut pro eo domino preces effunderet humiliter rogavit: & quasi in excessu mentis ita exorsa est dicens: Quid faciam *Domine*, vel quid dicam de illo seniore nostro & nepote meo? Peribunt, ut credo, in *Italia* multi cum eo, peribit post ipsos, ut timeo, heu, misera, Augustæ indolis *Otto*: remanebo omni humano destituta solatio. Absit ô Domine Rex seculorum, ut videam superstes tam lugubre dispendium.

Tunc videres *Augustam* toto corpore solo postratam; non minus videres eam toto mentis adnisu cœlo intentam, & quasi jam Martyris *Mauritii* vestigia invenisse, ac lymphatico ore perlingere. Post paululum vero ab oratione surrexit; munera martyribus, eleemosynam dedit pauperibus.

X I I I.

XIII. *Genevam petit.*

DE hinc *Genevensium* adiit urbem, desiderans videre victoriosissimi *Victoris Martyris aulam.*

Inde *Lausoniam* venit, ibique memoriam Dei *Genitricis* devotissime adoravit. Quibus in locis à *Rege* & ab *Episcopis*, suis videlicet nepotibus honorabiliter suscepta, devenit in vicum qui vocatur *Urba.*

In ipso enim vico aliquandiu demorata, egenis supervenientibus & miseris, quotquot potuit necessaria; cum Rege & Principibus patriæ pacis, & honestatis conferens negotia; inde etiam sacris locis diversa & varia direxit donaria.

Quæ enim Ecclesia, quæ Monachorum cœnobia, sibi affinitate vel vicinitate conjuncta, quæ non mererentur habere ejus dona vel xenia?

Et ut parva de multis dicam; ipso tempore, quo instabat sibi dies supremus, beatissimum Patrem *Benedictum*, licet exiguis, tamen propriis visitavit muneribus. Nec non & beatæ recordationis Patrem *Majolum*, cœlesti gloria jam coronatum, quem dum in hac vita, subsisteret, præ cunctis mortalibus illo ordine diligebat.

Non enim oblita *Cluniacum* adeo sibi familiare cœnobium.

Ad restaurandum igitur beatissimi Confessoris Christi *Martini* monasterium, quod non multo ante fuerat igne combustum, destinavit transmittere non modicum argentum; & ad honorem altaris partem unici filii sui *Ottonis Augusti Chlamydis*.

Ut enim ad memoriam reducamus ejus dulcissima verba, ad eum cujus officio mitteban-

(r) *Casinati monasterio impetravit ab Ottone privilegia anno 964. Vide Baron.* CAN.

tebantur, ait inter cætera: Obsecro chariſſime, obsecro, ut ita alloquaris ſanctiſſimum Confeſſorem meo obſequio: Accipe, ſacerdos Dei, parva munuſcula, quæ tibi delegavit *Adalheida*, ſervorum Dei ancilla, ex ſe peccatrix, dono Dei imperatrix. Accipe unici mei *Ottonis Auguſti Chlamydis* partem, & ora pro eo ad ipſum, quem veſte diviſa veſtiſti in paupere Chriſtum. SÆC. X. ANNO 1000.

X I V.

IN illo die, in quo de ſupra dicto loco erat exitura, una eademque hora nobis peccatoribus aſtantibus, & exemplum perfectæ humilitatis reliquit, & prophetiæ ſpiritum non arroganter, ſed humiliter ſe habere oſtendit. XIV. *Ejus humilitas.*

Erat quidam ibi in præſentia ipſius monachus, qui licet eſſet indignus, *Abbas* vocari, ab ea tamen putabatur alicujus momenti. Quem cum inſpiceret, & ipſe eam eſſe intuitus, cœpit uterque flere uberius. Dicam eam tunc plus feciſſe, quàm ſi dicam multos ſanaſſe infirmos. Veſtem enim ſatis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, & ſanctiſſimis oculis & ſereniſſimæ ſuæ faciei oſculando impreſſit, eique familiariter & cum ſilentio dixit: Memento mei, fili, in contemplativis, & ſcias me non amplius te viſuram corporalibus oculis. Cum enim humanis rebus exceſſero, orationibus fratrum animam meam committo. Inde per iter, quo venerat, pervenit ad locum, ubi Deo ordinante decreverat ſibi parari ſepulchrum. * *Auctor Adalhaidi familiaris.* CAN.

X V.

IN ipſo igitur ultimo ſui temporalis curſus itinere, erigebat ſe in quantum valuit, ſuper ſe, ut divinæ contemplationi, ſpreto ſecularium turbine, liberè poſſet inſiſtere. Familiaris rei negotium erat ſibi etiam importunum. Tranſegerat jam ſtrenue *Liæ* & *Marthæ* ſatis laudabilem actum, optabat appetere *Rachelis* & *Mariæ* deſiderabile otium. Itaque lectionibus intenta, aſſidua orationibus, reſpuebat terrena, inhians tota mente cœleſtibus. Et ſi aliquis eam de ſecularibus negotiis interpellaret, non ad hoc reſponſum dabat, ſed Apoſtolicum illud lugens in corde volvebat: Miſera ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? & ſecura de ſpe divinæ retributionis ajebat: Gratia DEI per JESUM CHRISTUM. Deinde cœleſti edocta magiſterio devenit ad locum ubi ultimum ſpiritum erat redditura Deo. XV. *Lectioni & orationi vacat.*

X V I.

INſtabat enim dies, in qua devotio annua agebatur pro filii ſui *Ottonis Auguſti* memoria. Confluxerant ad eam ex adjacentibus locis, ut ſemper faciebant, pauperum plebes. XVI. *Ejus Lethalis morbus.*

Erat ei conſuetudo talis, ut in amicorum & familiarium ſuorum anniverſariis ſpirituale donativum ſuis ſpiritalibus erogaret militibus, eleemoſynam dico Chriſti pauperibus. Erat autem indigentium multitudo ordinatim conſtituta in loco, ad quos ipſa venit, & exemplo *Abrahæ* Patriarchæ Deum inter illos eſſe non dubitans, humiliter adoravit; & oblita infirmitatis ſuæ, ſuper vires ſuas tentavit aggredi; ſingulis manu propria tribuit, & quos miſerabiliores vidit, veſtimenta vel alia munuſcula dedit.

Finito iſto ſpiritali negotio, à quodam venerabili *Archiepiſcopo miſſas* petit celebrari pro filio.

In ipſa enim nocte à febre corripitur, & per aliquod dies ingraveſcente mole infirmitatis ad extremum uſque deducitur. Adhuc autem pro poſſe erat intenta in oratione, & oculis deſiderantibus Chriſtum, nihil aliud dignabatur aſpicere.

Reſumptis aliquantulum viribus corporis, muniri ſe rogavit attentius myſteriis Eccleſiaſticis. Tum *Sacri olei* unctione peruncta, *Sacramentum Dominici Corporis* humiliter & devotiſſime adorando percepit, in quem ſemper ſperavit & credidit.

Talibus fulta præſidiis, talique paſta convivio, dixit ſenioribus qui aſtabant, & Clero, ut Pſalmos pœnitentiales cantarent & nomina ſanctorum more Eccleſiaſtico recitarent. *Litania.*

Quo facto cum pſallentibus pſallebat, cum orantibus orabat, uſque ad illum locum, ubi Deum ſibi ad eſſe precabatur propitium; Erat enim ſciens cum ſorore *Moyſi* tenere *Propitius eſto. Parce nobis Domine.*

SÆC. X. ANNO 1000.

tenere tympanum & chorum, cum *David* chordas & organum. Sed assumptis cymbalis bene sonantibus sequentibus agnum tota jam versabatur in jubilum.

XVII.

XVII. *Mors.* ANno igitur instante ab Incarnatione Domini millesimo desiderans videre diem unum nescientem occasum in atriis Domini super millia, dicebat sæpe cum Apostolo: Cupio dissolvi & esse cum Christo.

Præstolans etiam in præsentiarum cum spiritali læticia ejusdem Domini nostri *Jesu Christi nativitatis* festum, cum sextum decimum diem solveret December felix, & ipsa feliciter deposito carnis onere evolavit ad purum purissimi ætheris fulgorem.

Erat enim ei cum domesticis gravis jocunditas, cum extraneis honestissima gravitas, in pauperibus vero infatigabilis pietas, in honorandis Ecclesiis Dei affluentissima largitas, erga bonos perseverans benignitas, contra impios liberalis severitas, in appetendis timor, in prosperitatibus vera humilitas, in adversitatibus patiens longanimitas, in victu cottidiano sobrietas, in vestitu etiam mediocritas, in lectionibus & orationibus, & in vigiliis & jejuniis assiduitas, in dandis eleemosynis una eademque voluntas.

Nulla eam de nobilitate carnis præpediebat elatio, nulla de potestate sibi à Deo concessa ad se trahere poterat humanæ laudis cupido, nulla de virtutibus sibi à Deo concessis præsumptio, nulla de excessibus propriis malesuada ei dominabatur desperatio, nulla de honoribus, deliciis, & divitiis mundi in eam principatur ambitio; sed comitabatur eam in omnibus omnium virtutum mater discretio. Eratque ei in fide secura firmitas, in spe firma securitas.

Sed, ut vere fatear, quæ & quanta & qualis fuerit ejus vita, clarescentibus ad sepulchrum ejus miraculorum prodigiis, virtus patefecit divina.

LIBER II.

Prologus in librum secundum.

QUia superiori stylo evidenter patet, quanta sedulitate beatam *Martham* hæc Dei ancilla imitaretur, oportet etiam aliqua supernæ speculationis indicia proferre, quibus sororem ejus *Mariam* perfectius assecutam possimus conjicere.

Insuper facili intelligentia capere valemus, qualiter ipsa corpus suum juxta Apostoli præceptum castum & pudicum servando templum Dei promeruerit pleniter effici. Nam cum per omne vitæ tempus regalibus divitiis & dignis suo generi facultatibus abundaret, carnem à primævo viduitatis tempore cilicio edomans, atque mundanæ gloriæ culmen mentis despectu conculcans, Christo soli videlicet & Justiciæ per cœlestis contemplationis desiderium in tantum astare cognoscitur, ut cum suavi voce psalmistæ concordaret, qui bonum suum non regni deliciis frui, sed Deo inhærere conclusit.

Explicit Prologus.

Incipit liber de miraculis.

Miracula. QUadam vero die cum ad refectionem corporis cum honorabili frequentia tam Clericorum quam Laicorum consederet, jamque purissimæ epulæ necessitati omnium satisfacerent, uti mos est sanctarum mentium, pro declinando favore alia foris ostendere, & alia intus agere, ipsa simulata intentione edentis, cultrum manu diutius tenuit; sicque non ad suam voluptatem, sed ad aliorum voluntatem convivium protraxit. Tunc subito faciei colore, cum mentis habitu permutato, ferrum de manu super mensam decidit; atque in hoc non insolentiæ notam accidisse, sed mira quædam per divinam relationem sensisse cum suspirio innotuit. Omni vero turba, quid hoc portenderet admirante, nec quærere præsumente, illa ad Evangelicæ perfectionis decorem celavit multitudini secreti dignitatem, solumque *Augustensem Episcopum* nomine (s) *Dudonem* sibi pro vitæ meritis familiarem jugique obsequio inhæren-

(s) *Fort. leg. Luidonem, alii Luitholdum, Luitolfum verò appellat Bulla Canonizationis S. Udalrici edit. Velseri. Sub hujus antistitis, inquit Bruschius in 24. Ep. Aug. nobilissimi M. gubernatione concidit Augustæ anno incarnati filii Dei* 994. *summa D. Virg. Basilica, eam auxiliis Adelheidis &c. magnifice iterum restaurans fortiorem ac illustriorem reddidit.* CAN.

hærentem, tali dignata est præfatione. *Nunc, pater venerabilis, multa opus est vobis consolatione, quia paries vestræ occidentalis matrinæ Ecclesiæ lapsus est divina dispositione. Tanta vero jactura non magis vestræ prudentiæ sollicitudinem ad restaurationem sui ingerit, quàm pro vestra vexatione sive communi damno Ecclesiæ vestræ menti mæroris nebulam intulit. Sed simul consolari vos in divinitatis tranquillitate jubeo & persuadeo, quæ sine mutabilitatis vicissitudine solus inaccessibile lumen inhabitans omnia quodammodo moveri pro nostro reatu permittit; sed plura ad integritatis statum ineffabili sua clementia reducet.* SÆC. X. ANNO 1000.

Præsul vero tam præsagio quam rerum damno perturbatus tempus præfatæ ruinæ diligenter notavit, nunciumque pro experienda ratione reique veritate *Augustum* festinanter direxit, cujus relatione casum contigisse & horam convenisse juxta Dei famulæ præfationem cognovit.

Alio quoque tempore huic præsagio simile prodigium ab ipsa patuit, quod tanto magis admiratione extitit dignum, quanto & loco & tempore rei eventu fuerat diversum.

Filius namque illius *Romanæ Reipublicæ Princeps* electus, dum illam *Græcam* in thalami consortium suscepisset, ejus pravo ingenio deteriori consilio deceptus regnum *Græcorum* conatus est adipisci. Igitur exercitu ex omni copia collecto fines *Italiæ* excessit, atque ita Regi *Græcorum* patrandi belli occasionem dedit, sibi vero suisque famæ ac vitæ contulit amissionem.

Interim pia mater ejus die nocteque divinis cultibus insistens felicis *Annæ* viduæ devotionem procul dubio implevit, & juxta Canonicam regulam omni diligentia exhibuit viduitatis obsequia.

Quadam vero die orationis studio pro unici filii salute totiusque regni statu obnixius intenta, dum se vivam hostiam, more solito stans ante *Crucifixum Deo* mactaret; rapta in extasi humanis visibus æstimabatur præmortua. Ad se autem post horam reversa, quid viderit memori mente tenebat, fatumque præfatæ pugnæ in spiritali sibi visu præmonstratum, non rem dicendo, sed bonorum cædem condolendo innotuit.

Ex his quidem signis patenter potest colligi, quali puritate animi fulgeret, imò quanta libertate spiritus Christo serviret occultius, cui cum Prophetis futura Dominus revelavit, cum Patriarchis fidem roboravit, cum Apostolis Evangelii perfectionem edocuit, cum Martyribus tribulationum tolerantiam tribuit, cum sacerdotibus Ecclesiæ curam indidit, cum virginibus sacris sanctissimæ mentis sinceritatem auxit, familiarem sui præsentiam cum Monachis ostendit, & cum Apostolicis discipulabus, dico viduis, à *Petro* & *Paulo* electis, & religionis officio deputatis in terris devotione præditavit, in æterna gloria sublimavit.

Curationum vero in tantam gratiam per benevolentiæ meruit opera, ut sicut egenorum inopiam eleemosynarum largitate sublevavit, ita etiam infirmorum & debilium sospitatem potenti munere restauraret.

Sed mirum in modum humanam cognitionem vitandæ insolentiæ causa fugiens, tantique muneris largitori secreto mentis placere gestiens, aut omni modo furtiva celeritate signorum efficaciam rapuit, aut si qua suorum scientiam præterire nôn potuit, ne usquam levi sermocinatione dilatarent; illam nimirum sententiam gentium Doctoris vigili sub corde revolvens: *Gloria nostra hæc est*, *testimonium conscientiæ nostræ.* Et quod ipse Dominus dextræ opus à sinistra celari præcepit, simplici prudentia in omni conversatione adimplevit. Tamen urbs super montem posita haud potuit esse in omnibus occultata. Unius namque signi flagrantia ad nostram pervenit notitiam, cujus patrandi potentiam plurimarum virtutum docemur existere causam.

Quodam vero tempore cum cœlesti meditatione occupata in conclavi sederet, omnisque arbiter, excepto claudo, abesset, villicus nomine *Huozemannus*, fide & taciturnitate illi acceptus, pulchrorum malorum attulit munus. Quod serenissimo vultu, ut hilaritatis amica erat, accipiens, unum ex multis excepit, cæteros servatori hujusmodi rerum præsentari præcepit. Sed casu accidente pomum à manu longius prolapsum est; quod statim claudus reportare jussus, obsequium renuebat, quia scabella, quibus ingressum simulabat, domina retinebat. Illo verò reluctante, rationemque debilitatis rationabiliter pro inobedientia reddente; tandem sanctorum domestica ante venerabiles *Reliquias* in conspectu suo jugiter positas adorare solebat, caput reverenter inclinavit, suosque dominos secum velle, ut claudus ambularet, affirmavit.

Mox citius dicto surrexit claudus ab imo,
Parens obsequio, fit sanus corpore toto,
Et jussus tanti retinere silentia signi,
Gaudia prodebat nec gratia tanta latebat.

SÆC. X. ANNO 1000.

Igitur eo tempore, quo beata migravit à sæculo, *Herimannus* dux *Suaviæ*, qui fratris illius *Chuonradi* filiam in conjugium acceperat, hæreditario jure res ancillæ DEI ad monasterium pertinentes occupare volebat. Sed ipsa illi & cunctis in circuitu degentibus manifestis indiciis comprobat, quod nullum hæredem præter Apostolos & eis servientes monachos relinquebat.

Erat tunc temporis forte apud eundem ducem quidam recenter visu privatus, qui olim arte *Flebotomandi* edoctus, & ea causa beatæ reginæ gratia est usus. Quia verò illius beneficentiæ nimietatem sanctitatisque claritatem experimento didicerat, orandi studio ad sepulchrum ejus veniens in adjutorium suum precibus & fletibus eam invitaverat. Cumque per omnem septimanam sacri corporis locum obsecrationis instantia frequentaret, una vice fessus, & tristis super pavimentum residens, præ tædio languentis animæ perfusus est somni humore.

Tum illi sancta *Adalheidis* per somnium admodum reverendo vultu ultra humanam speciem decora manifesta apparuit. Quare Dominus ejus *Herimannus* privatas res *Apostolorum* suæ injustæ ditioni usurparet, terribili voce quæsivit. Illo autem ignorantiam confitente, vel potius Tyrannidem *Ducis* adnectente, Vide, inquit, ut si nostris meritis sanitatem oculorum recipias, nostræ etiam legationis fidus interpres *Principem* adeas, planoque sermone hujusmodi pravitatem omnino deponere cum signo edoceas. Sin aliter, me meosque dominos bissenos *Apostolos*, totius scilicet judices orbis, proprium jus persequi sciat, ultionisque inevitabili ictu sese cum suis flagellandum prædiscat.

Cum his dictis statim homo evigilans visionis & allocutionis memoria lætificatus; pedes recedentis usque ad sepulchrum est prosecutus, ubi toto corpore prostratus tam diu orationi deditus jacuit, quousque chorus monachorum *Missæ Officia* celebravit. Ut vero primum cantor Introitum inchoavit, cœcus lumen recepit, atque gaudia sua cantantibus commiscuit.

Confestim miraculo per sonitum campanarum intimato, ab omni populo concurritur, DEI famula veneratur, lucisque repertor immo facturæ reformator ab omni sexu & conditione conlaudatur. Post hæc luminis adeptor testimonii legationisque injunctæ non immemor, Dominum suum gratulanti cursu revisit, quid in somno præmonitus foret explicuit, suique inluminationem testabatur divini examinis esse argumentum; si ipse aut aliquis potentum, sive quælibet persona ulterius in Ecclesiastica beneficia gloriosæ in Domino fœminæ præsumeret damnum inferre. Ita dux timore perculsus quidquid injusto incepto contra DEI voluntatem in DEI famulæ rebus desipuit, emendare curavit, addiditque prædicto monasterio prædium ad conficiendum sal utile situm, videlicet ad oppidum *Marsile*.

Dignum vero relatione nobis videtur quomodo *Henricus* Rex, *Georgii* Martyris singularis cultor, hujus sanctissimæ etiam viduæ supplex fieret adorator. Nam cum ad præfatum locum adepto imperio venisset, forte contigit ut ibi posito lecto pausaret, ubi sanctissima anima carnis ergastulo soluta est. Itaque imperator tantæ infirmitatis mole perculsus est, ut lecto surgere non valens suorum diversa ingenia conquireret, quid de tanti tamque subiti doloris casu sentirent. Omnes quidem una voce dicebant, illius sacri loci reverentiam talis incommodi causam. Hæc ipse secum diu volutans, & si quo alio modo venerandam *Augustam* offenderet, retractans; & pœnitentia ductus ad sepulchri sacellum se portari jussit. Et quia illius merita sine *Apostolici* decreto Clerique consensu celebrari non licuit, prædicto in loco beatæ *Mariæ* oratorium se constructurum promisit, atque Abbatem illius cœnobii, sicut ipsa constituit, ab imperatoria servitute absolvit.

Sub idem tempus venit ad eundem locum quidam eques temerarius, qui dum pauperis cujusdam bene receptus hospitio esset, parvam ejus suppellectilem diaboli instinctu male tractare aggressus est. Inter alias quidem injurias, quas hospiti suo ingessit, aves domesticas occidit, alienaque substantia fecit sibi parari cibaria. Magister vero domus in preces fletusque cum uxore profusus rogavit inprimis hominem parcere sibi per Abbatem Dominum suum, postremo per sanctæ *Adalheidis* reverentiam imploravit deponere tantam proterviam.

Ille procacitatis incepto perdurans, immo majora mala accumulans, Ego, inquit, vivus in hac nocte tui tuorumque dominor; *Adalheida* vero mortua impotens est tibi præstare tutamina. Nec mora, pro tanta calumnia supernè flagellatus, dum male partum cibum festinaret sumere, cœpit etiam manus & cætera membra mandere. Statim pro sui impotentia & furoris noxa ligatus per ejusdem noctis spatium mentis & corporis durum pertulit vinculum.

Sed

Sed cum prima luce manibus trahentium ad sepulchrum Christi famulæ invite adductus sanitatem sensuum in fratrum præsentia recepit. quia illa piissima offensionem, quam vindicabat potenter, postmodum pœnituro indulsit liberaliter. Sæc. X. Anno 1000.

Quædam sanctimonialis fœmina vocabulo *Ervowela*, cum à prima ætate claudicaret utroque pede, in proximo anno memorabilis transitus *Augustæ* sera lætificata est salute. Et quia hujus virtutis opinio populares aures attigerat prima, totius plebis conventus effectus est admodum lætus, anusque illius manibus *Crucem* & *cereum* imponens per diversas discurrendo Ecclesias laudes celebravit Deificas. *al. Ervewiza.*

Nec hoc taciturnitate prætereundum esse videtur, quod ob illius dilatanda merita cuidam ignoto homini contigisse dinoscitur. Qui dum per sylvam iter haberet, quæ rustico vocabulo nuncupatur *Biwalt*, forte ab equo juxta pascente usque ad oppidum *Salsense* comitatus est. Quam ob rem apud quendam potentem nomine *Heimonem* furti accusatus est, qui eodem tempore cum prædicto imperatore *Heinrico* illuc venerat.

Ille de incertis certam sententiam proferens, jussit hominem miseris modis flagellari, spoliari, excœcari. Mox advena cœcatus, levans ad cœlum mentem & manus, Si ego, ait, furti dolique innocens immerito tanta mala perpessus sum, tu sancta *Adalheida* redde mihi tuis precibus & meritis visum.

Post hæc cujusdam viri, nomine *Bennonis*, domo & cura receptus, post paucos dies lenito dolore ad preciosi thesauri thecam accessit, testificansque sui innocentiam, oculorum sanitatem recepit. Idem tamen medietate oculorum pupillæ divisa, veræ cœcitatis postmodum ostendit vestigia.

Inter cætera vero donaria, quæ sancto *Petro* contulit hæc sanctorum domestica, existebat quædam familia pagi *Northgowe* nuncupati accola. Quam dum quidam proterva præsumptione sibi suisque posteris mancipare tentaret, nulloque pacto repugnantem edomare sufficeret, unum istiusmodi generis *Penzonem* dictum incautius excœcavit apprehensum. Quem post aliquantos dies quiddam videre rescisscens, denuo captivans tandem altius omnem eruit visum.

Nec mora cœcus cruento miserandoque vultu turpatus, adhuc crudo vulnere monachos adiit, Dominæ suæ venerabile sepulchrum petiit, rituque rusticæ simplicitatis exprobrare cœpit illi causam tantæ calamitatis. Ergo non ante à fletu & planctu eam incusando cessavit, quàm integritatem pupillarum cum lucidissimo oculorum officio, quod non inusitatum, sed potius rarum à sanctis scimus, recepit.

Venit etiam de territorio *Mettensi* aliqua fœmina, cui divino nutu cœcitatis increvit calumnia. Hæc cum per diversa loca adipiscendæ salutis appetitu discurreret, istius sanctæ quærere subsidia, per somnia admonita est ab ipsa. Dum autem solam oculorum appeteret salutem, gratiam adepta est duplicem. Nam eodem tempore contigit *Chuonradum Romani Imperii* gloriosum principem cum thori regnique consorte *Gisila* advenisse. Cumque venerabilis regina mulierem illuminatam in præsentiarum cerneret, *Deum* bonorum Auctorem dignis laudibus magnificans, sibique consanguineæ *Augustæ* sanctitati congratulans, personam à beatitudine ejus lumine visitatam in suæ liberalitatis suscepit curam.

Fuit etiam in partibus *Galliæ* potens Comitissa muti filii mater tristis effecta. Pro hac ergo causa dum plura circuire devotè monasteria, tanta virtutum opinione audita, sacrum locum desiderabiliter petiit, trium dierum spatio inibi orationibus operam dedit. Post hæc à dono curationis prolixitate temporis desperata cùm ad propria redire disponeret, semetipsam cum puero ante altare prostravit, quod ad caput vivifici corporis consecratum est. Mater vero lachrimabili prece intenta se solam indignam & expertem fatetur, spe lætam venisse, sed tristem redire narrat. Puer autem interim subita soporis quiete solutus est. Qui transacta hora sponte sua evigilans lætus surrexit, matrem veste apprehendit, si hoc sepulchrum sanctæ *Adalheidæ* esset prima voce quæsivit, quæ sibi in somno apparens linguæ vinculum resolverit.

Eo modo matrona præ desperatione discessura reliquum diei duxit illic in lætitia, & pro sospitate filii devota & grata fratribus in sanctis suis Deum collaudantibus obtulit munuscula.

Quidam homo de *Burgundia* progenitus, ab utero matris ita extitit claudus & curvus, ut plantæ pedum ad nates, manus verò ad genua conglutinatæ viderentur. Qui dum ab hoc infirmitatis incommodo per sancti *Sulpicii* meritum liberaretur, idem alia calumnia divino nutu vexari permissus est, ut dum hujus piissimæ atque sanctissimæ fœminæ precibus curaretur, virtus præclarissimi confessoris æquaretur.

Contigit ergo hujusmodi hominem apud præfati loci Abbatem *Gerbertum* piæ memoriæ

moriæ virum cum reliquorum egenorum turba degere, matutinisque laudibus in festivitate *B. Petri Apostoli* vano auditu interesse.

Namque malorum & bonorum immemor, etiam temporis & loci venerandi contemptor cœpit cum viris & fœminis miscere verba turpitudinis, sicque cum stultorum conventiculis fecit impedimenta divinæ laudis.

Tum subito mira celeritate utraque brachia strictim in terga resilierunt, ambæque manus ejus tanta vi in se reflexæ sunt, ut disruptis digitorum nodulis, astantes maderent aspergine sanguinis. Nec tamen minori intus percussus est supplicio, ut pote arreptus dæmone pessimo, sicque duplici poena devinctus, miserabili spectaculo totius populi novit fletum & planctus.

Sed dum chorus Monachorum Dei laudes per *Missam* celebraret, omnisque plebs mœstis modis *S. Adalheidæ* merita precibus provocaret, tandem nodis brachiorum solutis adeptus est integritatem mentis & corporis.

Ipse tamen post aliquantos dies mutus effectus, ad sepulchrum ejusdem beatiss. matris, linguæ recepit usus.

Temporibus vero III. *Henrici* Imperatoris unius signi mirificus claruit eventus, per quem in sanctorum numero spiritalem potentiam illam verissima argumentatione agnovimus.

Quidam vir nomine *Burchardus*, in ministerio *Luitpoldi Mogonciensis Archiepiscopi* fideliter degens parentelæ suæ servili conditione cedit dominio venerabilis *Augustæ*. Cujus uberissima benignitate donatum majoribus suis prædium hæreditario jure absque ambigua lite possidebat, ideoque summa devotione donatricem dominam omnimodis venerari solebat. Accidit autem, ut Dux *Alemannorum Otto* de *Swinvorth*, licet Justitiæ aliarum virtutum quam plurima exempla sectaretur, tamen insaciatæ cupiditatis facibus accensus, prædiolum suæ latissimæ possessioni fortè contiguum more *Achab*, vel potius *Jezabelis*, propriæ ditioni injustè vendicare est aggressus. Ergo homo talem jacturam agrorum violenter, non legaliter perpessus, dum humanum præsidium contra tantæ potentiæ culmen desperaret, recolens animo liberalis doni privilegium, ad donantis dominæ fideliter accessit patrocinium, cartulam quoque in præfatam possessionem conscriptam, miserabili cultu afferens, sacratæ tumbæ imposuit; commoto sonitu campanarum, querelosaque adclamatione dominam suam sibi dormientem excitare se rustico more asseruit, fratrumque congregationem suum casum misereri, & solatium piæ patronæ incitavit.

Igitur fraternæ consolationis promissis delibutus, anchora spei in tantæ adversitatis fluctuationibus domum rediit roboratus. Post hæc vero prædicto Duci gravissimæ infirmitatis plaga percusso beata *Adalheida* tam severo, quàm honesto vultu, nocturno silentio apparens, horribiles minas infernalis incendii potenter indixit, nisi famulo suo injustè ablatum citius restitueret prædium.

Princeps vero tam sensatus, quàm venerabilis personæ invectiva comminatione tremefactus, injuriam patientem, calumniamque intolerabilem sustinentem festina legatione adduxit, eique amissæ possessionis jus, exposita prius miranda visione, & admodum tremenda minatione subitæ mortis, & perennis supplicii, prompto animo redonavit. Extemplo homo tanta damna expertus, & talia commoda consecutus, Domino Deo, & *S. Adalheidæ* condignas grates referens, ad ejus Monasterium gratulabundus festinavit, complura donativa Ecclesiasticis ornamentis vel necessitatibus fratrum accommoda contulit, & relata caussa vel modo restitutæ rei, nunquam cessavit à laude *S. Adalheidæ* & omnipotentis Dei.

Explicit vita sanctæ Adalheidæ Imperatricis Augustæ.

Hymnus ad vesperam.

Anni voluto tempore, festiva lux Adalheidæ, nobis beatæ claruit, qua seculum jam respuit.

Apostolici dogmatis, instructa didascalicis, sic utitur regalibus, ut usa non sit fascibus.

Fudit opes largissimas, donis replens Ecclesias, regni facultas maxima, dispersa pavit agmina.

Martham sequi decreverat, opus manu compleverat, amat *Mariam* pectore, secura Christum cernere.

Summo tonanti gloria æterna sit per secula, qui nos sacris solenniis jungat polorum gaudiis, Amen.

Ora-

SÆC. X. ANNO. 1000.

Oratio ad MISSAM.

Deus qui nobis beatæ *Adalheidæ* diem concedis venerari solemnem, fac nos ejus suffragantibus meritis tuis semper obedire mandatis. per Dominum.

Secreta.

Deus cujus filius unigenitus pro peccatis nostris sacrificium immaculatum in ara crucis seipsum obtulit, da nobis cottidianis intercessionibus B. *Adalheidæ* tales existere, ut tibi hostia viva, & sancta & immaculata effici valeamur. Per eundem.

Ad Completorium.

Divina libantes mysteria, quæ pro *S. Adalheidæ* tuæ obtulimus majestati, præsta quæsumus omnipotens Deus, ut per ea veniam mereamur peccatorum, & cœlestis gratiæ donis reficiamur. Per Dominum.

Alia.

Omnigena benedictione quæsumus Domine, benedic nos, & protege, ut qui carnem & sanguinem filii tui indigni sumpsimus, precibus & meritis *B. Adalheidæ* S. Spiritu incessanter repleamur. Per Dominum nostrum Jesum.

Alia.

Concede quæsumus omnipotens Deus, ut qui pondere aggravamur facinorum, *B. Adalheidæ* sentiamus suffragium. Per Dominum.

FINIS.



MEGINFREDI
MAGDEBURGENSIS
MAGISTRI ET PRÆPOSITI
DE VITA ET VIRTUTIBUS
B. EMMERAMMI
LIBER UNUS,
A Canisio primùm ex MS. editus.

JACOBI BASNAGII
DE
SCRIPTORE VITÆ
EMMERAMMI
OBSERVATIO.

SÆC. XI. ANNO 1010.

I. *De Meginfredo.*

I. Emini hic subjiciuntur de *Emmerammo* Scriptores. Prior *Meginfredus* antiquiorem emendavit renovavitque biographum, qui jam Emmerammi vitam scripto mandaverat. Seu depravata fuerant illius monumenta, sive potius imperite barbaroque stylo fuerant scripta; denuo huic vitæ scribendæ manum admovere coactum se sensit *Meginfredus*. Prior ille Scriptor appellabatur *Cyrinus* & *Heres*. Meginfredo nomine tantum notus videtur, credit *Surius* illum fuisse Episcopum Ratisponensem, deceptus forsan subscriptionibus Synodo Dingolvingensi anno 774. adjectis, ibi enim subsignavit *Heres*. Sed non fuit Ratisponensis Antistes, cum eam sedem tunc temporis teneret *Scritpertus*. Deinde vero Episcopus Ecclesiæ Frinsingensis appellatur ab Arnolfo. Ætas qua vixerit incerta. Vossius nomen

nomen Cyrini fictitium credidit, quia nullus inter Frinsingenses Episcopos eo nomine indicatur, quin imo nec inter Ratisponenses. Sed vixit ille an. 760. & obiit an. 783. Fuit Monachus Benedictinus, dein Abbas, denique quartus Episcopus Frinsingensis. *Meginfredus* multo notior, fuit enim inter viros suis Sæculi doctiores; monachus Fuldensis ineunte Sæculo decimo; dein ad Parthenonis regimen evectus, sive Magdeburgensis Præpositus factus est. Hoc ipsum conjecerat olim Canisius, cujus hæc sunt verba, *an Meginfredus hic est quem Trithemius in Chron. Hirsaugiensi an.* 1010. *Monachum Fuldensem celebremque Chronographum, ejusque laboribus se plurimum adjutum asserit? Certe annus* 1010. *eundem suadet, potuitque fieri ut Fuldâ Magdeburgum ad præposituram sit ascitus.* Scripserat Chronicorum libros vigintiquatuor à Trithemio sæpius laudatos. Deinde ad Emmerammi vitam emendandam se contulit. Brevis illa scriptio, quæ vix aliud contineat præter cruentam Emmerammi mortem, a Lantperto ob suspicionem de stupro Sorori illato intentatam. Vixit Meginfredus temporibus Ottonis II. & Ottonis III. deinde etiam sub Regno Henrici Secundi Imperatoris.

SÆC. XI. ANNO 1010.

II. Ipsi coævus erat *Arnolfus*, ut ipse testatur: *Meginfredum Parthenopolitanum Magistrum pauculis beneficiis paravi mihi amicum. Hunc cum audirem frequenter disputare sapienter, mirabar ejus ingenium ex quo & ipse agnovit meum studium:* Fuit quidem ex Vogburgiensibus Regulis oriundus: Neptem habuit uxorem Adalrami, fæminam piam. Sæculo renuntians, ex Comite Monachus factus est apud Ratisponam; in monasterio litteris, quod hoc Sæculo fuit infrequens, operam navavit. Binos de Emmerammi miraculis posteritati commisit libros. Fallitur vir eruditus qui utrumque in formam Dialogorum scriptum asserit, quod de posteriori tantummodo verum est. Multa habet ille portenta quæ undiquaque collegerat, dum enim Emmerammium laudat, sæpius excurrit ad alios, quorum miracula visionesque refert. Asserit sibi apparuisse Emerammum *& dixisse sermone Latino, tibi conceditur videre faciem meam, quia in laudibus meis sudasti.* Egregiam scilicet mercedem, & laborem exiguum unius opusculi munere digno compensatum! Erunt quibus risum movebunt plurima ab eo narrata prodigia. Sed qui Ratisponenses antiquitates amant, plura hic animadvertent, in secundo potissimum libro de *Wolgango* Episcopo, *Ramualdo* Abbate, aliisque Ratisponensium antistibus.

II. De Arnolfo.

III. *Emerammus* vero, cujus hic vita describitur, fuit, ut ajunt, Pictaviensis apud Gallos Episcopus, qui sedem Episcopalem Gregemque sibi commissum deserens, in Pannoniam tendere voluit, ut ibi idololatras ad Christum adduceret. Cætera legere possis apud Meginfredum. Observasse sufficiat ipsum anno 697. sub Theodone. IV. Duce Bajoariam petiisse, itaque ab eo longe temporibus & annis distabant qui vitam ipsius hic nobis mandarunt.

PRO.

Sæc. XI. Anno 1010.

PROOEMIUM
LIBRI DE MEMORIA
*B. EMMERAMMI
ET EJUS AMATORUM.

* Beati Emmerammi.



Prologus. Exod. 35. Inter cætera Mysteriorum cœlestium Sacramenta, veteris legis testantur scripta, quod ad ædificationem tabernaculi Principes tribuum, & ditiores quique in populo Dei pretiosa divino jussu, obtulerunt donaria. Quorum piæ oblationi & pauperiores eodem præcepto conducti, indices mentium devotarum, etiam pilos addiderunt caprarum. Quid autem nova lex super hac re contineat, seu qua convenientia priscæ respondeat, Christus in Evangelio suo palificat; Marc. 12. Luc. 21. qui duo pauperis viduæ minuta prætulit his, quæ divites jactabant, seu in gazophylatium mittebant. Quod quidam vir officio Apostolicus & merito, egregia prædicatione quasi de cœlo intonans, breviter perstringendo exposuit, dicens: Regnum cœlorum valet, quantum habes. Cui scilicet sententiæ concordat, Luc. 12. quod sacra Scriptura aliâs clamat: Cui plus committitur, plus ab eo exigitur.

Unde is, qui multum habet & illud Apostoli diligenter attendere debet: Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Cor. 1. Qui verò minus accepit, id ipsum minime ducat negligendum; sed de eo pro posse & nosse conetur elaborare aliquid quod utile sit. In quo haud segniter exequendo quicunque divino muneri reverentiam exhibuerit, debitum exactionis persolvit Scripturæ, Psalm. 75. quæ dicit: Vovete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera. Ex ipsius quippe donis, qui largitor est omnium bonorum, accepimus, si quid ei piè digneque afferimus, vel si in aliqua re votorum nostrorum redditionem exsolvere poterimus. Jacob. 1. Hinc & Jacobus Apostolus, eorundem processionem donorum commendans, ait: Omne donum desursum est descendens à patre luminum. Ad cujus illuminationem Psalmista nos approquinquare Psalm. 33. exhortatur dicens: Accedite ad Dominum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur: Verè ad eum accesserunt, qui dono illius illuminati, Ecclesiastica factis & verbis tractando Sacramenta, illam faciei meruerunt gloriam, quam ipse Sol Justitiæ visione sua paravit electis sempiternam. Horum quippe exemplis & doctrina, dum volvitur hujus mundi rota, Christus gratum in suis arboribus inveniet fructum. Quem quia velut inutilis stirps, in mea arbore non habeo, timeo mihi valde, ne paterfamilias sterilitate pravitatis meæ offensus, dicat, Ut quid occupat terram? Succidite eum & Luc. 13. mittite in ignem. Quem reprobis terribiliter paratum & à peccatis meis, prô dolor, sæpe comparatum, ut effugere possim, inter fluctus cogitationum æstuanti occurrit animo, hoc optimum fore remedium, quo non cessem quærere præsidia Sanctorum, sedulo laudibus inhærendo eorum; ut & ipsi apud misericordissimum Dominum, dignentur mihi veniam impetrare delictorum.

Sed fortassis dicit aliquis, Quid ad te? potuit euphoniæ officio usque in diem & horam qua Deo dilecti Martyris casæ restitutum * etsi insensibile præsentiam domini sui sensibus humanis se sentire indidit, ac dulciter univit.

Vere tua Christe hæc sunt opera, qui crederis & es æterni patris sapientia. Cui David corde jubilans clamat, Psalm. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Psalm. 50. Et iterum: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam; & exultabunt ossa humiliata. Cujus desiderio delectatus, nomini tuo credentes, in fine Psal. 150. Psalmorum, ad perfectionis laudes provocans, ait: Laudate Dominum in cymbalis bene

bene sonantibus; laudate eum in cymbalis jubilitationis. Ecce humanæ salutis amator, generis nostri factor & reparator, qui etiam benignus es super ingratos & malos; per parva ac insensibilia operaris magna, nec non mirabilia, ut homines cordatos benedictione tua efficias coaptatos. Hanc siquidem, qui aure cordis perceperint, & in ejus obauditione usque in finem perseveraverint, minime pavebunt in die novissimo, nec aures eorum tinnient ab auditu malo, quando inimicus exultans super interitu impiorum, se jactaverit dicens: Prævalui adversus eos. O Jesu bone, quid nos peccatores ibi dicturi sumus, ubi vix justi salvabuntur? Non est nobis spes altera, nisi quam definit ille tuus electus Psalmista, qui fuit Rex & Propheta, totis medullis ad te clamitans cordis: Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Quam in tuo nomine, dum tempus est misericordiæ, à Patre postulandam didicimus per evangelicam doctrinam. Sic enim tuum ô veritas habet Evangelium: Ambulate dum dies est, ne tenebræ vos comprehendant. Dum lumen habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis: Et illud excusationis humanæ exclusorium diligentissimè adtendendum, necnon intimis suspiriis annitendum: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petimus ergo ad te conversi Pater Domini nostri Jesu Christi, ut in nomine ejusdem unigeniti tui, cujus caritatis Beatus EMMERAMMUS Martyr tuus imitator exstitit singularis, ineffabili & solita circa peccatores usus clementia, confitentibus & confessis dimittas impietatem cordis; ac infundas unctionem tuæ uberrimæ consolationis, nec non confirmes in nobis opera divinæ miserationis; ut quod in hoc sæculo dulce ac delectabile videtur, timoris tui reverenda consideratione amarescat: & quod amarum; dilectionis tuæ suavissima speculatione, dulcescat. Sicque dum ipse volvitur mundus, à lapsu & amore peccatorum, te resuscitante, surgamus, ne in fine sæculorum, cum omnes homines resurrexerint cum corporibus; in æternum confundamur ac puniamur: Sed emptitii servi nunc cum collibertis, gratia tua digni effecti, tunc etiam tuis cum amicis semper mansuris deputati gaudiis, securi videamus Dominum Jesum filium tuum liberatorem & Episcopum animarum & corporum nostrorum, Judicem justum vivorum & mortuorum, tecum viventem atque in unitate Spiritus sancti regnantem, per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

SÆC. IX. ANNO 1010.

Psal. 111. *Psalm.* 12. *Psal.* 141. *Joan.* 12. *Matth.* 21. *Joan.* 15.

AD PROVISOREM
SANCTI EMMERAMMI
QUID DEBEAT IPSI ET RATIONI

* *P. A.*

* *Purchardus Abbas.*

DOMINO Purchardo ad optima quæque haud tardo, pro paterna quidem dignitate reverendo, ac plurigena probitate diligendo, * Arnoldus adprime sibi utpote Abbati, exin cæteris merito suppositus; veruntamen rebus monasterii præpositus; quicquid fidelis domino servus, seu magistro discipulus. In primis cum Beatissimi Martyris Emmerammi patrociniis non ego solus, sed etiam mecum ejus generalis monachorum coetus gratificatur Deo, ante hac misericordiam suam multipliciter parvitati nostræ impertito, nunc verò solita clementia circa nos manifestius uso; In hoc procul dubio, quòd vos tali de loco destinavit, ad nos, in quo hactenus ipso donante & sanctissima virgine Maria adjuvante abundant patres ac fratres, sive apud Dominum, sive apud seculum, valde nobiles & laudabiles, qui cum ratione, sua noverunt, & aliena tractare. Unde & ego ultimus veræ rationis alumnus, pro hac, vestro sub regimine, probanda, occasionem sumpsi ac fiduciam, præsentem scribere Epistolam: quæ quamvis inscitiæ meæ historiam partim videatur continere, tamen in vili schemate prænominati nec non sæpe nominandi Patroni nostri dulcissimæ tota famulatur memoriæ. Igitur libris in divinis legendis & intelligendis, peccatis meis facientibus, admodum fui segnis; &, ut verum fatear, adhuc non sum indemnis. Cujus emendationem vitii, ut cæterorum, cùm habere possem, exemplis majorum; impedimento erat, *Nolle*; & abusivum illud, quod dicunt, *Negligere*. Quadam autem die quendam è fratribus, concretum & conscholasticum meum, præsente

* *Arnolfus Comes de Cham & Vochburg, monachus S. Emmerammi, Præpositus & Magister.*

SÆC. XI. ANNO 1010.

ſente me, aculeum mortis contigit obire. Is ergo in ipſo mortis articulo quid viderit, etiam non loquens aſtantibus patefecit. Nam cum levatum è lecto humi depoſuiſſemus, primum brachiis quaſi contra aliquem reluctatus, demum ad ſiniſtram acutiſſimè flectens obtutus, adeo abhorrebat à facie inimici, ut oculorum verſione capitisque averſione ac impulſu, ut geſtum exprimam, capitali, penè loco ſibi aſtantes propelleret: & ut patefaceret, quantum Chriſti fides valet, ubi meritum habet quantumve deeſt, ubi mortua eſt; niſu quo potuit dextram manum extendit, ſignum ſalutis facere volens; ſed exprimere minime valens, ſubita concuſſione contremuit, ac pallore obductus irriguit. Sicque exhalavit. Nos verò ſingultibus, pſalmodiam intercipientibus, omnes pariter in luctum converſi ſumus. Quis enim ibi non fleret, ubi quisque infirmitatis propriæ intra conſcientiam commonitus, vix effari poſſet præ fletibus? cum & ego poſt annos aliquos, teſte Chriſto, haud absque gemitu & fletu hæc ſcripſerim, memoriæque tradiderim. Juvenis namque floridus, frater etiam coætaneus, in puerili laſcivia conſentaneus, ſuper quo innitebar, baculus arundineus verſus eſt mihi in colubrum, ita ut fugerem. Inde abſterritus ſubduxi me, quibus eatenus, ob gloriolam ſeculi, adhæſi libris paganis; & ſaniore conſilio implicabar divinis. Tunc primum cœpi diſcernere, quæ diſtantia eſſet inter lucem & tenebras, inter Dominum & Belial. Tum quoque aliquantulum ad me reverſus, ex parte collegi, qui fuerint ſcriptores Eccleſiaſtici. In quorum varietate pulcherrima enotavi, beatiſſimum Chriſti confeſſorem *Hilarium*, alti cordis virum: quàm longe ſit à lectione ſimpliciorum fratrum: Ambroſium: quàm diſertus & Orthodoxus: Joannem Conſtantinopolitanum: quàm jucundus & aureus: Gregorium Nazianzenum: doctor quàm mirificus & anaſtaſificus: Hieronymum: quàm brevis & rectus: Auguſtinum: quàm facundus & profundus: Gregorium Papam Romanum: quàm dulcis & clarus: Iſidorum Hiſpanum: quàm ſuccinctus & diſtinctus: Hi ſiquidem & horum præceſſores & ſucceſſores valde venerabiles & utiles operatores jam abundanter hauriebant è fontibus Salvatoris, quæ dulciſſima caritate propinarent nobis. Quorum cum legiſſem opera, quæ peritiſſimis probabilia, mihi vero pro captu meo videbantur etiam mirabilia, auctoritate ſimul & venuſti ſermonis dulcore delectabar. Sed contrariò admodum amaricabar in geſtis videlicet domeſticis clariſſimi patroni noſtri Emmerammi Martyris dudum à quodam, qui ſe * *Cirinum* & *Heredem* nominat, Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopo, ut puto recte ſcriptis, ante nos autem majorum negligentia depravatis. Quæ cum, Abbate id petente, fieri quoque permittente, ſimplici animo emendare vellem, & in confuſionem loci noſtri diutius incorrecta ſtare nollem, conſurgunt adverſum me quorundam animi fratrum dicentium, haud æquum, à me dictis antiquitatis quid addi vel minui; maxime cum hæc peritiores ac perfectiores omiſerint. Quibus videtur probum meapte ſic temperare reſponſum, Quare illi hoc fecerint, immò, quod utile fuit hac in parte non fecerint, à vilitate mei temerarium eſt diſcuſſum iri. Hoc tantum dixerim pace eorum & omnium bonorum, quia non ſolum novis vetera licet mutare, ſed etiam, ſi ſint inordinata, penitus abjicere. ſin vero ordinaria, ſed minus utilia, cum veneratione ſepelire. Et quia diſpenſatione divina, à præcedentibus multa relinquuntur ſequentibus, in quibus poſſint mereri alicujus aut admiſſionem aut remiſſionem peccati. Quod cavendum hujuſcemodi ſimplicitate, ſeu, quo verius dicam, ſtoliditate, etiam ruſtici nos monent, qui peccare illos putant, qui arbores ſuccidant, in quibus Pagani augurari ſolebant. Quid plura? cedens æmulis ad tempus, per Abbatis imperium abripui me in *Saxoniæ* exilium, portans mecum in libello ſuo ſanctum Emmerammum, qui ſuum me voluit eſſe ſervum. Ibi me ſimulando ſcire, quod neſcio, *Meginfredum Parthenopolitanum* Magiſtrum, pauculis beneficiis, paravi mihi amicum. Hunc cum audirem frequenter diſputare ſapienter, mirabar ejus ingenium; ex quo & ipſe agnovit meum ſtudium. Inter familiares autem conſermocinationes, ſtylum ejus agnoſcens, & propoſitum fixum animo tenens, poſtulavi ab eo, quo pro pignore amicitiæ novum patrono noſtro librum minus pigritaret cudere. Quod cum ille renueret, quaſi ſuæ non eſſet poſſibilitatis, & ego opponerem debitum caritatis, ipſe verò majori excuſatione noſtris id melius aſſereret convenire, & è contrario referrem, pene eſſe naturale cives civibus invidere; tandem victus, voluntati meæ, imo B. Emmerammo animum ſubſtravit. Ut autem accelerarent me rogante, reſpondit ſerena fronte, Summa diligentia in laribus probandum, quod extra parietes multorum oculis foret præſentandum. Hac, ut opinor, occaſione tribus annis opus mihi chariſſimum remanſit imperfectum, dum temporibus *Henrici* Auguſtiſſimi eſſet cœptum. Regreſſus ergo ad monaſterium è *Saxonia*, ferebam mecum beatiſſimi Martyris hymnum, quem mihi pro arrabone libri

Pſal. 12.

* *Cyrinus ſcriptor vitæ S. Emmerammi male autem à Surio appellatur Epiſcopus Ratiſponenſis.*

Meginfredus Magdeburgenſis magiſter.

libri saltim vel versiculum poscenti, præfatus magister metro composuit Saphico. Demum *Chuonrado* imperante, & nihilominus *Heinrico* filio ejus regnante; *Gebehardo* autem secundo *Ratisponensem* Ecclesiam regente, in adventu vestro, sæpissimè optatus atque diu expectatus venit libellus. Cujus universitas beato deputetur Emmerammo, materia *Cirino*, renovatio *Meginfredo*, exactio peccatori *Arnoldo*; usus, oculum invidiæ non habentibus; vitæ præmium, omnibus, ejusdem dilecti Deo Martyris memoriam excolentibus. Pro cujus cultu mea exhibitione modico, debito sui permagno, quid mihi acciderit vel qualis consolatio evenerit, paucis edicam. Erat quædam necessitas, pro qua in *Pannoniam* me direxerat meus Abbas. Cumque periclitarer sæpius in profundis *Danubii* decursibus apud *Pogicam* charybdin, ubi videtur mortis esse hospitium; maximum experiebar periculum. Ibi enim nautæ majores arripientes remos, quasi viribus suis navim evecturi de abrupto fluminis, in tantam venêre desperationem, ut mutuo se intuentes, ac nec mutare valentes, præ timore mortis penitus irriguissent. Tunc osculatus *Cruciculam*, quam habui ex cervicibus pendentem, reliquias Martyris de cambota continentem, cogitationes hujusmodi intra me volvere cœpi. Putas ne late notus patronus, hodie pro salute hîc experiendus? Mox navis ceu aliquo minitante tremefacta, & interitus puteo ejecta, renatabat, nemine ducente, immo Domino regente. Tum cursu prosperato tertia die advehebar *Pannoniæ* solo. Qua me *Anastasius* Archiepiscopus cæteris suscepit humanius, & affatur familiarius. Is cum beati Emmerammi veterem illum & viciatum legeret librum, materiam probavit cum sententiis; sed harum seriem cum veste reprehendit pondere rationis. Apud quem sex hebdomadas manens memoriæ sanctissimi patroni antiphonas aliquantas cum responsoriis composui, non tam fretus ingenio, quam dedito laudibus Martyris animo. Has præfatus Episcopus monachos & clericos suos fecit discere, & in Ecclesia die ipsius natali publicè celebrare. Secundum quod scriptum est: Recedant vetera de ore vestro: deponens veterem illius cantum, quem nostri potius cantant ex antiquitatis usu, quàm ullo auctoritatis ausu. His ita equidem gestis in *Pannonia*, & legatione, pro qua directus eram, peracta, *Noricum* repetii, & in ea revisens *Ratisbonam* satis charitative suscipiebar à fratribus, quibus & hoc dignetur reddere Dominus. Hic cum de sancto Emmerammo dulce clarumve quiddam aut audire aut videre summo desiderio quæritarem, per somnum visionem accepi talem. Beatus Emmerammus pallio quasi viridi velatus, meridiana parte ante fores Ecclesiæ, videbatur mihi jacere in lecto bene ac decenter ornato. Quem ut fratres Ecclesiam intrare viderunt, timore perterriti recesserunt. Ego autem solus relictus adeò fui curiosus, ut ad gradus, juxta tres arcus, flexis genibus in eum intenderem, donec vultum detegeret, ac latino sermone diceret, Tibi conceditur videre faciem meam; quia in laudibus meis sudasti. Cujus cum viderem, valde candidam & splendidam faciem, nullatenus dicere possum, quàm magnum cordi meo fuerit jubilum. Hoc tantum tacitus mecum reputabam, Fortassis in die novissimo pro me dicturus est Christo, *Da mihi hunc peccatorem*. In quo tunc experrectus, & adhuc, ut fatear, nequam ac non rectus, ne jocundæ visionis gaudia, præpediant peccata mea, apud eum cujus melior est super vitas misericordia, obtinere cupio prece vestra, nec non patrum & fratrum oratione continua. De cætero quod instat, Epistola conclusionem postulat; in qua vos ignorare nolo, quod antiquus operis hujus scriptor librum suum finit in eo, quod volumini de miraculis beatissimi Martyris, hoc & anterioribus tribus diligentia mea enucleatius positis, pro capitulo datum est quarto. Quæ verò sequuntur auctoritate vestra contra æmulos defendenda, humili adscripsi studio, uno tantum ordine præpostero, ob similitudinem rei interposito, pro memoria mei, & eorum, qui mecum in monasterio memores esse potuerunt factorum ob Christi Martyrem signorum. Ad quæ & ad cæteras ejus laudes propagandas, Vita vestra vigeat; Dignitas polleat, Paternitas valeat, Domino donante, Amen.

1. Reg. 2.

Psalm. 62

Explicit Epistolaris Apologia de Ratione vel veterum Immutatione.

INCIPIT
EPISTOLA ET PROLOGUS,
MEGINFREDI
PARTHENOPOLITANI
MAGISTRI ET PRÆPOSITI
AD
ARNOLFUM
*S. EMMERAMMI MONACHUM
Eundem & Præpositum atque Magistrum.

*Cariſſimo ſuo * A. M. ſalutem in Chriſto.*

* *Arnolfo Magiſtro.*



SANCTORUM dicta, quæ videntur ſimplicia, vivifico fœcunda ſpiritu, pondere veritatis religioſa, non illice compoſitionis ſunt aſtu pompoſa. Quæ quando incommutabilium ſunt ſigna virtutum, neque favor eis nutrit meritum, neque indignatio detrimentum; quibus velut ex ſanctitate fluxit dignitas, ita ex rerum exiſtentia venit integritas: quorum ſicut compoſitio ſpiritualis, ſic potentia mirabilis, dum per eadem locutionis membra & ad genituram imaginis DEI gremium fidei maritat, & per fidei ſinum indurat. Unde conjicere poſſum, frater, quàm vera debeatur ſanctitati religio, quàm ſancta veritati confeſſio; ne videar vel in ſpiritum eſſe præſumptor, vel in ſimplicitatem impoſtor. Sed quia mihi dilectio tua pondus impoſuit, quod beati Martyris & Pontificis Emmerammi deſiderio libenter ſubivi, & ab ipſius ſanctitate & ſanctitatis ejus ſcriptore veniam quæro; quatenus illius me reverentia cultorem, iſtius ſapientia dignetur imitatorem. Equidem ſi ſanctorum geſta non poſſumus imitari, licebit ſaltem meditari, licebit mirari, quod volumus, ut quandoque liceat velle, quod miramur. Non enim eſt circumſcripta divina miſericordia, quæ juvat etiam ubi nulla ſunt merita. Proinde flagito quatenus orationi meæ ſuccurras, ne vel profeſſio mea debilitata ſuccumbat, & per occaſionem imperitiæ, pia voluntas invidiæ dentes imbuat. unde & tecum latere deſiderat, ne in publico erubeſcat. *Explicit Epiſtola.*

INCIPIT PROLOGUS.

SÆC. XI. ANNO 1010.

MILITIAM Christi licet varius pugnandi modus exerceat, diversa triumphandi gloria coronet, par est tamen disciplina, similis affectus, eadem forma; quomodo sui Regis impressi patientiæ sigillo, ad ipsum inrequietis anhelantes animis similitudinem suam, ad unam faciem primæ pietatis instaurant. Unde Patriarchæ & Prophetæ latores legum, victores Regum, Ecclesiam novi Testamenti per mediatorem Jesum Christum, in unum corpus aduniendam benedicendo, piæ prolis successionem sancti Spiritus oraculo & veræ professionis organo de longe salutant, ut variis aut verborum, aut rerum ostentis exprimant, quos sibi videlicet moribus concordes futuros esse præviderant. Inter quos & sanctos Martyres per exemplum præteritorum, aliqui ita describunt, ut sole luceat splendidius, quod in omnibus unus fuerit spiritus. Hi ergo per contemptum cognati doloris & amaræ necis, ad thronum æternæ charitatis familiarius aspirant. nam inter cruciatus libera spei contemplatio, pro difficili conditione processit ad altitudinem gloriæ. Quare si ab illis tantum venerationis habuerunt, cùm adhuc non essent; quid à nobis habituri sunt, qui doctrinis eorum & exemplis instituti cotidie patrociniis fovemur. Ex quibus beatus Pontifex Emmerammus, auream in seculo famam dereliquit, qui pro fratre suo pretiosum sanguinem fudit. Et ut duplex pietatis foret auctoritas, crimen alienum innocentiæ suæ imposuit, quatenus eum liberaret à morte corporis, quem antea sustulerat ab interitu mentis. De cujus moribus, certamine, triumpho, & meritis, quod scriptis & recenti memoria nobis potuit pervenire, futuris temporibus providemus. *Explicit Prologus.*

INCIPIUNT
CAPITULA LIBRI I.

Sæc. XI. Anno 1010.

INCIPIT
LIBER DE VITA ET VIRTUTIBUS
B. EMMERAMMI

CAPUT I.

Emmerammi Patria.



EST in Aquitaniæ partibus urbs virorum illustrium titulis celeberrima, nomine *Pictavis*, in qua B. Emmerammus sinu Christianorum parentum est nutritus, & ad discendas sacræ institutionis literas scholis traditus: ubi quàm docilis fuerit, finis disciplinæ, virtutis socia dignitas ostendit. Nam in ipsa simplicitate, sic puerilis collatio mentem ad alta scripturarum suspendit, ut cunctorum æstimatio, quid esset futurus, præsagiret, cunctorum oculi notarent, omnium affectus diligeret. Hic tamen oblatus ex patria, favor sic ab eo prudenter accipitur, & acceptus augetur, ut nec humilitas minueret gloriam, nec gravitas excitaret invidiam.

CAPUT II.

Fit Episcopus.

SUccessit igitur in tam perspicaci puero felix adolescentia, & incrementa temporum florent incremento virtutum; & prævenit virum maturitas morum, nam collactanea teneritudinis ejus prudentia facile suadebat juveni, rationis pondere, transitorium omne quàm fuisset leve. Unde factum est, ut nec ad spem & gaudia mundi inclinaret oculum, tristitiam quoque vel metum nullius haberet pensi. Quare fuit & in correctione amicorum liber animus, dulcis exhortatio, moderata locutio. Tum præterea pretium cordis, commendat pulchritudo corporis, & suavissima dona sapientia præbuit ex honestissimo ferculo. His ornamentis conspicuus, per Ecclesiasticos gradus ascendens vir Dei, post dilectionem meruit reverentiam, donec disponente Domino, consensu cunctorum, morum custos & exemplum vitæ ordinatur Episcopus.

CAPUT III.

Ejus virtutes.

DIspoſita verò in sublimi lucerna, quibus radiis effulserit, qua serenitate patriam illustraverit, omni orationi materiam dabit. Igitur & quis erga se ipsum, deinde qualis ad subditos, & ad cæteros fuerit proloquamur. Duplicem custodiam corpori, duplicem menti disposuit. Nam ne lex corporis enervaret legem mentis, & plena voluptas exhauriret ubertatem cordis, continuo jejuniorum & vigiliarum præsulatu prævidit. Porrò lectionis & orationis vicaria successione, & expatiantis animi discursus inhibuit, & suggestionis adversæ militiam exclusit; & inter agendum quid, solennis ei semper ad utrumque fuit opus psalmodiæ dilecta materia. Sane singularis pauperum thesaurus, pupillorum pater, refocillatio senum, viduarum unicus, desperatorum spes, medicina languentium, miserorum confugium, sic hospitalis, ut neque manum à munere domus exhausta retraheret, neque frequentia frontem rugaret; dum venientibus & animæ delicias affatim, & naturæ debita præberet. Ad excubias commissi gregis pervigili sollicitudine porrectus, aditum tetræ rapacitatis ita pastoralibus armis obsedit, ut per vicos singulasque domos fidelium cœlestis discursus sideris tenebras reverberaret & erroris.

CAPUT IV.

Convertit ad fidem plurimos.

NUllus erat locus tam vilis, nulla persona tam humilis, quo eum non declinaret salus animarum, redimentem tempus ne ad horreum domini vacuus rediret. Sufficeret hoc quibusdam non immeritò, si circumscriptum sibi terminum cultura facer-

sacerdotali tam diligenter ambiret, verum illi tanta sedulitas Dominicæ messis inarsit, ut adjacentes *Gallorum* aliarumque gentium provincias ad littus solidæ conversationis hamo Petri attraheret. Quapropter frequentabant sedem ejus religiosæ simul & indifferentes personæ complures, quas odor aromatum ejus à remotioribus locis adduxit, quibus fidelis dispensator ad mensuram cujusque depositum suum prudenter distribuit, ut non minus de illo quam de aliis Apostolicis viris dici posset illud psalmi: Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Nam candens amoris igne superni dum in colligendis animabus singulis paucitatem fructus ad magnitudinem voluntatis excrevisse non cerneret, & indignatio secum reputantis studio suo nullius momenti donaret pretium, inter angustias disceptantis conscientiæ perlatum est ad eum, *Avares*, quos aliis nominibus *Hunos* & *Ungros* appellamus, Pannoniæ incolatu idololatriæ squalere veterno, & in luce multarum id locorum gentium, hanc solam veritatis diem non habere. His auditis tanto compassus animarum dispendio, ægritudinem cordis spe recuperandæ gentis interdum lenivit, interdum difficultates itinerum, peregrini mores locorum, affectus eorum, quos relicturus erat, respectus infirmitatis humanæ, pedem aliquantulum retrahunt ab inceptis. Porrò facultatem oblatam sibi, cum in sarrienda deceptæ gentilitatis humo fidei sarculo uteretur impigre, nec posse nec oportere negligi putavit, quando & ipse hoc sæpe optaverit, ut pro amore fraternitatis & Dei, periculum subiret.

SÆC. XI. ANNO 1010.

Psalm. 76.

CAPUT V.

Bajoariam petit.

VIcit ergò in optimo ingenio, & ardua via, & potior causa: nam constituto pro se examinatæ personæ viro, ipse ad nova tyrocinia strenuus miles succingitur; Et adscito inter alios necessitatis suæ comites, quia linguam *Teutonicam* non noverat, *Vitale* quodam presbytero interprete, perrexit; in Barbarie disciplinam, in exilio patriam, inter immanes cognationem facturus. Quæ omnia licet prius bene tenuerit, melius tamen dereliquit; & quæ sine appetitu jucunde licerent, abdicata jocunditate cum licentia, ne ubi rerum præsens affluentia thesaurum beatæ remunerationis obæraret, pauperes divitias dives pauper exposuit. Inde viam, ne quo pigresceret otio inrequietus agricola, præsumit, & *Galliam*, qua tendebat iter, & *Rheni* fluminis contigua, plantis verbi Dei silvescere & insitivam novi hominis gemmam, protoplasti emortuo stipite, frondescere ipse quidem studuit; sed incrementi datorem Christum operis summa comprobavit: quippe qui, ubi Dei scientia meritis accessit, sobolem regenerationis edidit. Hoc igitur modo fidelis in *Bajoarios* fines, qui meridiem versus, *Alpibus*; ad orientem *Ungris*; ad aquilonem verò *Hircano* nemori limitem *Germaniæ* protendunt, non hac conterritus meta, devenit. Ubi cum defluentis *Histri* fluminis imperium sequeretur, * *Ratisbonam* accessit urbem quæ olim totius Germaniæ, & nomine & dignitate Principum, & adhuc ejusdem gentis metropolis, antiquæ prosapiæ caput, adventu beatissimi sacerdotis ornatioribus illustravit fastus & insignia victoriosæ gentis triumpho concepta, novo pacis præconio in melius commutata, fidei spoliis & ornatu sanctæ religionis ampliavit.

Hæc in m.s. alia literam margine adscripta fuerant.

* *Hæc est civitas, quam olim Teutones à Germano sive Germanico Germanisheim vocabant. Hujus vocabulum modernis temporibus lingua nostra Reganisburc teutonizat, quam antiquitas Romana, ut quidam scriptis testantur, Tiburniam vocabant.*

CAPUT VI.

Pannoniam petit.

HUjus monarchiam *Theodo* Dux provinciæ, qui tunc possedit, comperto sancti Pontificis introitu, adhibitoque conspectu, inter alia, quæ sit causa exilii, percontatus est. Qui nomine & natione exposita, incolatum nativi liminis propterea deseruisse se perhibuit, ut Pannoniæ populos, qui gentili feritate adhuc effremuerant, conditori Christo reconciliaret, & in hoc proposito suam conjurasse sententiam, ut aut voti compos professionem vitæ cum fructuosa pace finiret, aut devoto certamine, sanguinem Martyr effunderet. Adhæc divino consilio præventus, Dux infit, se tam pio studio nihil opponere, nihil tantæ virtuti resistere; nisi quod commeandi facultatem inpossibilitas quædam obstrueret, propter discordiam scilicet, & longam inter se & *Avares* bellorum controversiam, fines in utroque limite desertos, ita ut circa *Anesim* fluvium urbes & loca olim cultissima, tantis bestiarum immanitatibus horrerent, ne viantibus ullus transeundi aditus pateret: monere autem potius & supplicare, quatenus apud se suosque B. Pater morari dignaretur, quos tam rudes & imperfectos

Fines inter Ungros & Bojarios deserti.

Sæc. XI. Anno 1010.

in fide præteriri fas non esset: maximè cum isti necessarium optarent, & illi forte quasi superfluum recusarent. Provideret autem, ne indiscreta pietas præmium amitteret, si offerret invitis tædium, qui volentibus poterat afferre præsidium: neve sic diligeret impios, ut negligeret pios. Vir autem Dei in sua sententia fixus, nullo nutu declinari potuit, ut aliud vellet, quàm quod cœperat; nisi forte cœlestis obviaret censuræ contradictio. Quibus acceptis ducis prudentia populique frequentia cum exhortationes ejus adientium mentibus & pabulum sufficere docilitate, & dulcedine desiderium conspicerent, salutem suam, quam supplicatione non poterant, violenter obtinuerant, & ex verbis Salvatoris, vim passum est regnum cœlorum. Nam egrediendi provinciam, ne beato viro occasio proveniret, obstiterant; & benè prævaluit humana præsumptio, quo ex fonte ejus salutis ascendit conditio. At Pater sanctus, quem prohibiti callis injuria conturbavit, æstimare cœpit, quidnam hæc justæ voluntati difficultas obvia portenderet, maximè cum è sinu veritatis strenuis votis placabilis promitteretur effectus, quem ipse quoque non infirma fide prosequeretur. Hæc agitantem subit exemplum Apostolorum, quos aut responsis, aut difficultatibus superna moderatio nunc & ad quasdam gentes misit, nunc à quibusdam prohibuit. Gratulatus ergo, supernæ dispositioni supposuit animum, & gentis studio præbuit consensum, & in altari obedientiæ Deo consilium salutis oblaturus, mutua se charitate populo devinxit, cujus devotioni conflictum ministerii sui etiam vitæ periculo diffinivit.

Matt. 11.

CAPUT VII.

Romam vultire.

ERant autem memoratæ civitatis & patriæ totius accolæ affluentia quidem mundadanæ felicitatis illustres, sed noviter ad fidem adducti, delusæ vetustatis frutices nondum radicitus exstirpabant, & consuetudinem tenaciter hærentem ignorantia fovit. Ad quod opus omnia ferramenta Christianæ religionis robustus cultor succingitur, & excisis inutilibus paganismi surculis, erigitur sacramentum fidei, quod universo justitiæ flore distinxit. & quoniam magnam circa perficiendam Deo plebem solertiam habuit, lucidissimo conversationis exemplo formam vivendi præbuit, & suavissimo loquendi modo edocuit. Unde non sufficiebat tam ardenti lampadi normam prædicationis communiter exhibere, quin omnium mores notavit, omnium ingenia discussit. Deposita non auctoritate, sed rigiditate, ad intrandam cujusque privati domum, reverentiam Episcopalem humiliavit. In Ecclesia, quæ communia fuerunt, ordinavit, apud singulos de propriis admissis disceptavit, & cognoscere suos, & à suis cognosci, sicut pastor bonus maluit, ne taciturnitas vitiis permitteret assensum, perurgeret interitum. Itaque nemo subditorum ejus erat, qui vel de actibus vel à verbis magistri, lineam rectitudinis non traheret. Proinde celebris illi fuit contentio sobrietatis cum sobrio, extenuationis cum humili, liberalitatis cum omnibus. Verum in contumaces magnanimo conatu surrexit & superciliosæ procacitati virgam auctoritatis intendit, spem votis proponens, ut in hac area certaminis per diversum agonem, quandoque perveniret ad palmam. His & horum similibus per triennium fines Bajoariæ perlustrans, ad laudem cœlestis patriæ non ultima pars accessurus, per spiritum, qui loquitur ad cor Hierusalem, ad littus æternæ quietis tempora sua jam jam declinari præsensit. & ut judici pulsanti expeditius aperiret, pervigili custodia insidiosum tempus expectabat, ne moram faciente sponso, frangilitas obdormiret humana. Et quia noverat fatigatione corporis excitatiorem animum reddi, & in negotiis honestæ solicitudinis minus obrepere somnum pigredinis, tum præterea quatenus in via bonæ intentionis eum fraus inimica calcaneo calceatum & cautum offenderet, licentiam à Duce pariter & populo quæsivit, quatenus Romam ad beatorum limina Apostolorum ire permitteretur, cœlestis aulæ janitorem, ut * pulsationem suam intromitteret supplicaturus.

** al. supplicationem.*

CAPUT VIII.

Ejus prædictiones.

SUb idem tempus invida pars supremo congressu tanto periculosius conflictura, quanto gloriosius erat vincenda, subdola occasione nacta, tale pugnandi genus invenit, ubi aut viscera charitatis occludenda, aut infamia sacri ordinis, in Ecclesiæ scandalum, foret displodenda. Nam supra memorati Principis filia, nomine *Uta*, à cujusdam Judicis filio *Sigibaldo* compressa, consuetæ turpitudinis maculam utero ingravescente, detegendam non solum generositatis damno, verum etiam mensura mortis pon-

ponderabat. Quid facerent? quod consilium caperent? tempus urgebat partum, & culpa minabatur interitum. Supererant sola in beati Emmerammi & pietate fiducia, & in sanctitate consilia. Huc desperatio pallida provolvitur. pedes osculando demulcentur, crimen exponitur, venia rogatur. Postremo de vitæ remedio pia paternitas consulitur, tantoque extitit querelantium modus flebilior, quanto de admissis pœnarum opinio præsentior. Horum beatus Pater acceptis gemitibus conpati cœpit interius, & licet parturiret spiritum doloris, obfirmavit tamen delictis faciem arguentis; læsum quippe ingenuæ regenerationis pudorem referens magis erubescendum & æternam justi judicis animadversionem vehementius esse pertimescendam, maxime cum hujus temporis supplicia sicut quantitate, sic etiam ab æternis diversa sunt, qualitate. Proinde, sicut mos est, pœnitentibus viam reconciliationis ostendit, ipse alto dilectionis consilio alteritatis onera suscepturus, mandavit secretius, ut maculam hanc in se transferrent, quo facilius furorem ducis evaderent; quem noverat inexorabilem, cùm ignominia cumularet dolorem. Sed ne pietati providentia deesset, & innocentia muta fidem & exemplum culpæ donaret, si alieno crimini sternens humeros, in offendiculum sui sileret, testificatæ veritatis & veræ æstimationis virum *Wolflaicum* quendam Presbyterum familiarius adscivit, cui secretum suum, quatenus divina revelatione noverat, cautius exposuit. nam dixit articulum vitæ præsentis propter crimen alienum diverso se cruciatu egressurum, & pœnas pro quadam ficta culpa se laturum: rogatque ut post obitum suum cunctis Ecclesiæ gradibus denunciet, ne quis fidem hujus infamiæ de eo contendat habere, & imitaturus exemplum impingat offendiculum, se autem vivo omnibus hoc esse celatum persuadet. Quod ille idem Presbyter ita ut jusserat, testimonium innocentiæ ejus & fideliter tacuit, dum debuit; & aperte prædicavit, cùm decuit. Post hæc Deo dignus, accepta licentia Principis & populi optatam arripuit viam, & ut par fuit, cum justo deducitur affectu. nam ex tota urbe utriusque sexus effusa multitudo precibus lachrymisque prosequitur euntem, & in omnibus mensuram doloris expendit pretium acceptæ charitatis, cum pariter & minoris fortunæ populares aut amovendæ paternitatis damno gemebant, aut pro reditu ei vota geminabant, & ab uno dilectionis fonte lachrymarum duplex inundat materies, mixtamque vim luctibus, & de reditu dubia spes, & de abscessu tristitia præsens administrat. Hos ille, sicut noverat pius pastor, amplo commendationis ordine demulcet, & salutatis omnibus, viam ingreditur.

SÆC. XI. ANNO 1010.

CAPUT IX.

QUo longius procedente, supra dicti ducis filia commissi sceleris publicata, & ante patris tribunal constituta, de auctore tam solennis injuriæ convenitur. Cumque diu, fœmineo metu, spiritus obstupesceret, & alternante timore pariter & amore lingua hæreret, arguentium impetu coartata, in innocentis Episcopi personam dedecus suum conjecit. Quo pater audito, tanto vehementiori indignatione flammescit, quanto altioris dignitatis fastu intumuit; acceptoque mucrone ad extinguendam propriam sobolem ruit, perficeretque facinus, nisi manus assistentium puellam imminenti periculo subduceret. Prosequitur autem tantum sententia furorem sæva, nam exhæredatam in *Ausoniæ* longinqua relegat, perpetuo puniendam exilio, quam nunquam miseratio paterna revocavit: quia inconsolabilis est dolor, quem altus nutriverat pudor. Huic judicio *Lampertus* puellæ germanus interfuit, quem grandis, pro confusione sororis, invasit tristitia; & quod juventuti familiare est, pro falsa fide cœpit eum temerarius furor. nam mixto dolore postquam bestialiter effremuit, iram subit amentia, fletuque deposito prosilit ad vindictam. Sumpto itaque comitatu non pauco, properat virum Dei persequi.

Ducis filia stuprata.

CAPUT X.

INterea sanctæ memoriæ pater trium dierum cursum explicuit, & in vicum quendam *Helphandorf* nuncupatum, ubi fons perspicuis manabat aquis, morarum causas innectit sociis, inventa gerendi quidlibet occasione. Mens enim divino amore lustrata, ubi certaminis campum invenit, in adventum temporis, arma fidei, & constantiæ, spei, & orationis opera, subornavit, ita ut stupor discipulos invaderet, tantum quod Pontificem gravaret. Igitur circiter horam diei tertiam celebrante illo canonicos hymnos, & debitum officium sub sanctarum testimonio *Reliquiarum* solvente, juvenis præfatus superveniens præcipitium cordis vesano tumultu designavit. nam

Hymnos canit Emmeram.

 mul-

Sæc. XI. Anno 1010.

multitudinis arma collisa, minaciter inquirit nomen Pontificis, comitatui ejus magnum pavorem incussit. Unde festina trepidatione, sicut fit, ad hostium domus occurrentes, postquam habitum furoris & turbam cognoverunt, illum hæc inimica intendere timidi prænuntiabant. Quorum ille pavori ex arcano solidæ spei retulit orsa, dicens: adventum eorum non afferre sibi timorem per quem & molestia pereat, & gaudia sine fine succedant. dolorem corporis, qui momento pertransit, esse brevem, & pœnam, quæ vitam perennem affert, esse levem. Discrimen est, inquit, parvum, mortis hujus hora, quam bonæ fidei pectus dum patienter excipit æternitatis desiderio transilit. Unde videndum est ne nos timor strangulet ante quam timoris causa conveniat; cui si manus dantur, periculosius punit, quam interemptor. Hic etenim ex adversa militia tetricus pariter & turpissimus profligator; quem ille ceperit, antea moritur quàm puniatur. Moritur, inquam, non solum turpiter, verum infeliciter, quia & sponte simul & sine spe tollitur. Qui enim diversa pati pro justitia diffidit, & sine fide moritur & sine fine punitur.

CAPUT XI.

Dux Juvenis plecti jubet.

HÆc eo prosequente funestus irrupit Juvenis, & ut in ea domo lapis jacuit, super eum baculo inclinis stans, adduci sibi beatum Emmerammum turbulenter proclamat. Quo adducto ardentibus & oculis & animis exceptum mordaciter irridens generum appellat. Quod Dei sacerdos justa detestatione cum denegaret, ille prosequitur, ira contumaciam dispumante & ignita jaculatur opprobria, tandemque intulit: Ruinam nostræ domus sustulimus, calamitatem nostram proveximus, incendium gloriæ nostræ in sinu fovimus. Ut quid ergo patri filiam, mihi sororem meam fœdasti? Plena libidinum tuarum virgo regia, dedecus generis & damnum pudoris exposuit. Risus hostium, mœror patris, luctus fratris, pignus nobile damnatur ut scortum. Hoccine est Episcopum esse? Hoccine est amicum esse? Hoc est testimonium religionis? Hoc indicium pietatis tuæ? Hanc gratiam meritis nostris rependis? qui te advenam & egenum nostris bonis in reverentiam totius populi ædificavimus. Sub hæc miles Christi; Immo, inquit, fili aliam & longe dissimilem gratiam & vestra merita, & nostra voluntas exquirit. Proinde bonæ spei, bonam fidem habere debuisti; nam illa suspicio non probatur, quæ neque fidem trahit à præteritis, neque causam habet ex meritis. Cur enim bene merentibus obessem, qui vel male merentibus sæpè profueram? Proinde tu, quem neque propter minas timeo, neque propter timorem moneo, depone pertinaciam, differ animum suspicionis, & redi ad experimentum veritatis, ne propter temeritatem tuam incurras in exitium. Ad limina sanctorum Apostolorum Romam ire decrevi, ubi cathedram Petrus habuit, quem in Ecclesia sua censorem veritatis veritas ipsa disposuit. Hujus Vicarius sicut ab eodem loco & ordine trahit honorem, sic ab eadem tenet auctoritatem & ejus judicium non fallitur, quod auctore Christo solidatur. Ibi ergo vel per te vel per nuntium canonicæ examinationis pondus de objectis experiri licebit, quatenus obligatus aut absolutus inveniar: Accepto autem mansuetudinis oraculo, vim animositatis cæca tyranni præsumptio furore laxabat, baculumque, quem manu gestabat, tanti patris in pectus impegit, & non reveritus templo Domini funestas injicere manus, socios nefandis instigat vocibus, quatenus vinculatum deformiter traherent. Factumque est sic, ut assentatio semper declivem tyrannis impetum facit, ut à militibus illico vallatus, & religionis vestibus exutus, in hospitio ipsorum super scalam funibus stringeretur. Hoc ausu tam scelerato perterriti comites sancti viri, diffugiunt, exempli majoris imagine, propheticum implentes præsagium, quo dicitur: Percute pastorem, & dispergentur oves gregis. Pretiosus autem Christi Martyr, olim devotam animam oblatum iri Deo perpendens, quanto arctiori discrimine confligendum sibi cognovit, tanto attentiori sollicitudine, ad victoriæ suæ ducem Christum se contulit, foris patientia, precibus intus armatus, toto videlicet spiritu illi inhærens, cujus amor animum deliniret, dum crudelis pœna corpus laniaret.

Matth. 26.

CAPUT XII.

Emmerammi corpus secatum.

INterea quinque carnificibus ad secandum membratim atque articulatim tanti sacerdotis corpusculum, ut bestialem tyranni animum multiplici vulnere pascerent, electis, divisa est sententia tortorum. Quippe duo ex ipsis, detestantes tam crudele officium, veniam postulabant, ne pro illo facinore puniret eos justitia, ad quod non volun-

voluntas, sed Domini sui cogeret sævitia; Cæteri verò vana pro veris æstimantes, Manus, inquiunt, impudicè mulieribus insertas, ad deterrenda incestorum facinora præcidi oportet. Itaque digitorum articulos vulneribus numerant, & simul nata dividunt, per tempora morti moras facientes, ut amarior per tormenta veniret. Sed cur moratur hîc facundia, ubi locus est voci suspiriis interclusæ, non compositionis arte depictæ? Ergo pedibus & manibus abscissis, luminibus effossis, auribus amputatis, naribus truncatis, tandem pudicitia Martyris est invasa, & secreta pudoris detestabili sunt acie recisa. Inter quæ omnia in laudem Creatoris, vox quamvis modica, Davidicum melos exercuit. Quo ipsi invidentes linguam radicitus evulsam resecaverunt, relictoque tam multipliciter cæso recesserunt. Ipse verò Dei bellator in eodem victoriæ campo cruore involvebatur, donec socii beati viri è latebris & angulis emersi, cum vicinis mulieribus causa humanitatis excitis, aderant. Quos adesse cognoscens, aquam ad refocillandum pectus requirit. Cui *Vitalis* supradictus Presbyter: Mirari satis nequeo, cunctis pene membris amissis, atque ipsum lucis limen egressurus, quidnam potum exoptes; quasi dilaniatæ morulis vitæ fruiturus, cum tot cruciatibus exhaustus, finem doloribus, potius quam spatium exoptare deberes. Ad hæc athleta Dei tam magnus ad prosternenda in subditis vitia, quam invictus ad patienda tormenta, spiritum collegit, & animosam virtutem rationis, parvo quo potuit corporis nisu erexit, temptatum robur mentis gravius ferens, quam membrorum sectiones, Impatientis est, inquit, cogente dolore, quempiam velle metas vitæ præsentis erumpere, & concessam pœnitentiæ salutaris hostiam fastidire, cum è contra magnæ sit obedientiæ, sententiam Judicis expectare. At quomodo grave est pigritiæ tuæ, officium nobis humanitatis & exhausto tormentis pectori refrigerandi copiam præbere? dies tuos hæc exactio torqueat, ut quotiens cujuslibet generis potum sumas, alienationem mentis incurras, nulli periculum laturus, sed exemplum inobedientiæ hoc typo luiturus. Cujus sententiæ vim idem *Vitalis* multis, quibus postea vixerat annis, expertus est. Nam quoties aliquem gustabat potum, illico mente captus per urbis plateas perque loca petrarum abrupta, & monumenta mortuorum discurrendo terribiliter perstrepebat, & tamen ita stupidus, nulli fuit periculosus. Sæpè quoque sic evagatus est, ut per cacumina turrium curreret, & præcipitium minime toleraret. Cæterum vir idem callem piæ conversationis rectè gradiebatur, & missarum Officia cæteraque Ecclesiastica strenuè peragendo, charitatis munia cuncta, quantum valuit, adimplevit: hoc tantum solum usque ad finem vitæ, ut nobis æstimare conceditur, & pro exemplo & pro humilitatis custodia, pertulit.

Sæc. XI. Anno 1010.

CAPUT XIII.

INterea locorum incolæ pretiosa Martyris membra humanitate compuncti in arborem, quæ *Spina Alba* vocatur, collecta, dum conderent, conditisque non diu recessissent, duo pulcherrimi viri antea non visi viam regiam equitantes de utroque arantes latere, pro membris beati Pontificis, ubi posita fuissent, conveniebant. Quibus in arbore prædicta monstratis, videntibus cunctis, illuc pervenientes, subitò non comparuerunt. Hac disparitione, qui præsto fuerant omnes stupefacti, ad arborem illico convolantes membra paulo ante posita non invenerunt; factique sunt hujus rei testes & noticia & novitate penè omnes, qui ejusdem loci fuerant habitatores, consulente divina dispositione membris illis pretiosis, quæ non amittit in sanctis etiam capillum capitis. Dum hæc geruntur, qui circa Sanctum Dei fuerant, tollentes eum de certaminis campo, in plaustro ponebant, perducturi eum in villam *Ascheim*, quæ distabat inde 12. milliaribus, ubi & Ecclesia fuit *B. Petro* Apostolorum Principi dedicata, ne in vilibus rusticorum casis, tanta talisque persona deficeret. Proinde mulieres ex vicinia collectæ, & viri circiter ducenti, venerabiles exequias prosequuti, viscera commiserationis votis indulsere fidelibus. Emensa jam magna itineris parte, in campum quendam gramineum tribus milibus distantem à vico *Ascheim* perveniebant: & ecce transmigraturus ad cœlestia beatus Pontifex voce qua valuit ejulare cœpit, innuens horam vocationis suæ advenisse. Quod quidam commeantium subtiliter discernens, ut de plaustro levatum Christi Martyrem dimitterent telluri, cum præmonuisset socios, mox herbido in aprico loco tremebunda religione resolvi cœpit. In exitu vero sanctæ animæ illius de Ægypto hujus mundi, lucem quasi lampadis immensæ ex ore sancti viri processisse, cœlumque ipsum penetrasse, cuncti assistentes videbant, tantaque vis jubaris erat, ut intuentium oculos quasi fulminando reverberaret, pavorque membra eorum tremore concuteret, ut vix beati viri corpus in plaustrum auderent

Emmerammi sepultura.

Luc. 21.

rent

Sæc. XI. Anno 1010.

rent reponere. Itaque inde digna patre reverentia ad præfatum *Ascheim* perductum in Eclesia beati Petri Apostoli, consaventibus ejus loci populis, debito sepelierunt honore. Sed quoniam ejus resurrectionis diem beatissimus Pontifex præstolari minime voluit, exigente justitia, ut quos fidei gremio nutrierat, eis quoque sacri corporis patrocinaretur reliquiis, cœpit orbis natura moveri, atque elementorum violentia tanti sacerdotis nutum prædicare. nam coorta subitò ventorum procella, lucida regio poli nubibus obducitur, & contenebratur cœli facies, mugitu tonitrui, fulguribusque, mortalium corda terrentibus; dissoluto interim in pluvias & defluentes amnes aëre continuis quadraginta diebus.

CAPUT XIV.

Ejus Translatio.

TUnc sicut in angustia semper humanum genus de insuetis attendit, & de periculis requirit, consulta est divina potentia & pietas exorata, donec visu nocturnæ revelationis declaratum est, deberi felices *Reliquias* festinato ad urbem *Ratisbonam* inde transferri. Unde primates loci illius adunati, sublatum à sepulcro venerandum corpus ad *Isaram* fluvium navi imposuerunt, accensis, juxta religionis modum, cæreis. Ibi cum defluum iter, amne in propria ruente, sequerentur, per ostia ipsius ad Danubium intraverunt. Inde contra ortum fluminis enitentibus, quod sine magno labore consuetudo naturæ non præstat, tanta celeritate res immobilis contra mobilem meritis Martyris propellitur, ac si velum ventus post flumen intenderet. Auxit hunc stuporem in eo comitatu res admodum mirabilis, sed tamen sancti viri moribus comparabilis. Nam sicut ille in hoc mundo conversatus inter grassantis stultitiæ turbines, nec ignem superni amoris, nec veritatis lumen amisit, ita candelæ juxta sacrum illius corpus accensæ tempestatum flamina atque imbrium flumina jugi sereno despexerant, consalutantibus tam clarum signum, & conjubilantibus utrisque littoribus. Hac alacritate urbem prædictam ingressi, obviam habuerunt sacros cleri ordines, & prævia religionis vexilla, cum reliquo processionis ritu, principemque *Theodam* provinciæ cum optimatibus, effusa in adventum sui patroni tota regione; quorum hymnisonis vocibus tellus videbatur esse concussa. Itaque in beati * *Gregorii* Martyris Ecclesia, quam ipse quondam orationum familiaritate frequentabat, sollempni celebritate composito truculentia furentis auræ quievit reditque pax ætheris & arbitrium luminis. Traditur autem firmaque assertione probatur, quod in illa via, qua levatus à navi ferebatur ad Ecclesiam triginta signis divina eum pietas *clarificaret*.

* *Georgii.*

CAPUT XV.

Carnificum pœna.

QUoniam de exercitio certaminis Pontificis atque triumpho cognita & credita contexuit oratio, consequens esse videtur, quis rerum finis persecutores ejus præsentialiter ceperit, enarrare; quatenus & hæc cognitio & frænet improbos, & tueatur probos; dum non audent isti, quæ volunt; & non patiantur illi, quæ non debent. Sicut superius diximus, quinque sunt electi, qui eum torquerent, ex quibus duos facinus terruit, tres verò & ad audendum & ad perpetrandum scelus foris, imperium senioris incitat, atque insita medullitus iniquitas exacuit. Unde timidi duo illi, preces pro his fundente sancto Martyre, venia donati, in pace deduxerunt tempora; reliqui verò intra septem dies spiritui cui servierunt in mundo traditi, atque horribiliter diuque vexati, tandem quodam intempestæ noctis silentio in desertum ruunt; ubi per loca confragosa & inaccessibilia lymphando pereierunt: neque postea aliquo in loco vel vivi, vel defuncti comparuerunt; duplici contritione, sicut ait Propheta, contriti. Sed & *Lampertus* eorum Dominus, consurgente contra eum nata ex sceleribus suis occasione, perpetuo damnatus exilio, procul à suis digno despectu evanuit; hac in posteros hæreditate pœnarum relicta, ut infra paucos annos, immaturæ mortis falce præcisi, penè omnis vita difficulter extorta, pro innocuo Martyris sanguine discerperentur. Qui vero superesse poterant, vel adhuc supersunt, eadem infelicitatis forma miseram testantur prosapiam, & calamitosam brevitatem imbecillis vitæ suspiriis debent potius quam usibus. Et quid mirum? si consanguineos ejus sanguis innocens tetigit, cum & ædificia ipsius secundum illud propheticum: Fiat habitatio ejus deserta, & in tabernaculo ejus non sit, qui inhabitet, damna impietatis ejus tulerint; ita ut virgultis & urticis ascendentibus ruinosa deformitate delapsa humana conversatione sint incongrua, damnabilemque ac detestandum hominem, & jam insensibilium neglecta figura declamet.

Jerem. 17.

Psalm. 68.

Dixi-

Sæc. XI. Anno 1010.

CAPUT XVI.

Miracula.

DIximus de insensati hominis sedibus & loci ipsius ædibus, quia desolatione visibili testentur invisibilem ejus interitum: deinceps dicturi sumus ex adverso, quanta gloria polleant area certaminis beati viri & locus vocationis, ut dum locorum illorum reverentia prædicatur, quo incolatu martyris anima tripudiet, conjiciatur. Ergò ubi incisus est felix sacerdos, locum illum hæc solennitas colit atque hæc immunitas tegit, scilicet ut in altitudinem cubiti unius excretus eminentià sua, fidem ibi sperandæ veniæ petentibus promittat: Tum præterea nescit jura sævientis auræ; neque nive candescit, nec autumno flaccescit; non hyeme gelatur, non æstu torretur; solum vernale decus, & semper virentia gramina, cespitem illum jucundum præbuerunt: unde etiam fidelium plebs vicina, Ecclesiam ibi ob frequentes votivæ congregationis accessus, in honorem ibidem triumphantis Martyris construxerunt. Proinde locus ubi spiritus ejus sydeream plagam adiit, multo tempore neglectui traditus, & pene oblivione obsoletus, hoc modo dignitatem suam vendicavit. Hyemali tempestate, sicut natura est *Germaniæ*, cum totam terræ superficiem nivium operiret immensitas, sola corporis areola tali conditione libera, dum prætereuntibus hac & illac miraculi sui stuporem ingessit, causam pariter suæ viriditatis, & memoriam obitus beati Martyris edocuit. Quapropter & ibi Basilicam posuit fides, quatenus efficacius animaretur spes, quæ in utrisque locis ita votorum fructibus viguit, ut si numerari deberent, numerantis industriam premerent.

FINIS.



ARNOLFI
EX
COMITIBUS
DE
CHAM ET VOCHBURG,
MONACHI
SANCTI EMERAMMI,
PRÆPOSITI ET MAGISTRI,
DE
MIRACULIS BEATI EMERAMMI,
ET
DE MEMORIA CULTORUM EJUS,
LIBRI DUO,

In quibus multa ad Ratisbonensem Ecclesiam spectantia, præsertim de S. WOLFGANGO Episcopo, & S. ROMUALDO Abbate.

A Canisio primùm ex MS. cod. editi.

INCI-

ELENCHUS CAPITUM LIBRI PRIMI.

I. *De Episcopis & Ducibus Bavariæ, & de hæreticis per S. Bonifacium ab ea expulsis, nec non miraculis ad sepulchrum B. E. frequentatis, atque de secunda illius translatione.*

II. *De muliere adultera, quæ Martyris Ecclesiam ingredi nullatenus potuit, antequam per confessionem & pœnitentiam se purgavit.*

III. *De homine à latronibus capto, & bis venundato, qui post exilium trienne, patriam revisens cum grandi miraculo se præsentavit beato Emmerammo.*

IV. *De puella, quæ integrum annum permansit jejuna, & ad memoriam Martyris est communi vitæ restituta.*

V. *De beneficiis Principum seu Comitum Judicumque donariis S. Emmerammo collatis; & de triumpho mirabili, quem Arnolfus Imperator evidentissimo ejusdem testis adjutorio obtinuit.*

VI. *De Tutone Episcopo spiritu prophetiæ ditato, & de Rege Chuonrado apud S. Emmerammum pro incauta jussione morbo gravato.*

VII. *De homine, qui in convivio Principis renuens charitatem Martyris, colapho percussus est terrifico.*

VIII. *De monacho sancti Emmerammi, qui in periculis maris eum sibi adesse sensit, per beneficia liberatoris.*

IX. *De apostata monacho bis à dæmone correpto, ac toties precibus & meritis B. Emmerammi liberato.*

X. *De quodam dæmoniaco à legione miserabiliter possesso, cui gratia Salvatoris mirabiliter salutem reddidit ad memoriam Martyris Christi.*

XI. *De quodam stirpigena Lantperti tyranni, qui una hora bina cæcitate prohibitus est ingredi Ecclesiam Martyris Christi.*

XII. *De miseriis quîs usque in præsens afficiuntur homines tyrannicæ posteritatis, & de quorundam ejusdem stirpis conversione, humilique oblatione, ac Adalrammi duritia, virtute Martyris mirum in modum mollificata.*

XIII. *De duodecim viris, qui juraverant contra jus in altare Martyris, multiplici pœna consumptis.*

XIV. *De hoc, quod contigit in quadam muliercula, pro furto calicis paralysi multata, & apud S. E. mirificè sanata.*

XV. *De eo, quod & Judæi minime diffitentur, miracula in Ecclesia S. E. sæpissime facta.*

XVI. *De paralytico apud S. Emmerammum curato.*

XVII. *De obitu Michaëlis Episcopi, & de signo campani.*

PRO-

PROOEMIUM LIBRI I. DE MIRACULIS B. EMMERAMMI.

Vivunt merita Sanctorum in Ecclesiis & potentius existunt ipsi, quamvis ab oculis nostris ablati, quàm inter conversantes putarentur. Quod licet creditum, firmo teneamus proposito depræhensum, miracula tamen adstipulantur nobis, & imperitiam brutæ infidelitatis arguunt, dum ad exanimes Sanctorum reliquias impossibile languentium, ad posse redit, & quod non fuit, ad esse; fraudatis circa hunc rerum cardinem cunctis sæcularium potentatibus. Nam si eniterentur vel regalis potentia, quæ præminet, vel artificialis ulla solertia, quæ interdum hiantia supplet, quomodo repararent habitum cæco? Hæc cum constent, nullum prudentis fidei consequentia latent. Quapropter quia scribimus vobis, quibus vivificator Spiritus charismatum suorum hæredem vivam plantavit fidem; pauca de multis miraculis, quæ divina pietas testi suo Emmerammo donavit, dicemus; vel ab aliis dicta repetimus: quia vobis facit de invisibilibus vel etiam de nondum factis experimentum præteritarum substantia rerum & argumentorum non apparentium. *Hebr. 11.*

Explicit Prologus.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

Igitur Martyris Christi Emmerammi corpore sacro apud Ratisbonam honorifice humato, & ad sepulchrum ejus minime fraudatis, fidei merito quærentibus præsidia divinæ pietatis, tandem multo sub hujusmodi beneficiis, tempore evoluto, Ecclesiæ præsulatum ejusdem vir venerandus regendum suscepit *Gaubaldus*, ante quem non solum hæc eadem de qua nunc nobis est sermo, sed cæteræ in *Bajoaria* absque certis Episcopis * *post Romana tempora* erant Ecclesiæ. Quia enim nuper Christianitatem acceperant *Norici;* immiserant se illis *Hæretici*, qui ut in aliis regionibus facere consueverant, fas ibi nefasque confuderant. Horum alii se dicentes Episcopos esse, alii Presbyteros, alii diversi ordinis clericos; adinventiones suas technis quibusdam subornabant, sicque populum cum Principibus seducebant. Quippe hic error bonis omnibus invisus, sed à perversis periculosissime annisus, maxime adolevit sub Ducibus, quorum nomina partim ignoramus, partim scita, cautelæ gratia, supersedemus. Temporibus autem, quibus tantæ pesti remedia parabantur, hi duces principabantur, * *Dioto* scilicet vir illuster, cui filii in regnum non successerant. Item alius *Theodo* vir strenuus & alacer, sub quo clarissimus Christi Confessor *Ruopertus* cum aliis *Dei* servitoribus *Juvavium* devenit, ibique cursum præsentis vitæ * *consummavit. Sub quo sanctus Corbinianus Frisignam accessit.* Is ergo dux filios habuit successores in regno *Diotpertum* videlicet atque *Grimaldum:* post quos ducatum genti huic præbuit *Hucbertus*, qui beato *Georgio* & sancto *Emmerammo* sub quodam Rathario adventitio Episcopo donaverat curtem, quæ in pitaciis è quibus hæc excerpsimus, *Pirchinvvach* nuncupatur. Hujus atque Ducis temporibus beatissimus præsul *Bonifacius*, ob curam quam circa oves dominicas habuit maximam, ingressus *Bajoariam*, nonnullos hæreticorum ex ea depulit: sed eos generaliter, uti voluit, eliminare non potuit. Quo *Franciam* reverso & præfato Duce defuncto, sub principe *Pipino*, gentis hujus ducatum adeptus est *Udilo*. Qui missis in *Italiam* legatariis, sanctum

Episcopi & duces Bavariæ. — ** alia litera erant hæc scripta in m. s.* — ** Dioto.* — *Theodo alius.* — ** Hæc in m. s. aliis literis.* — *Diotpertus. Grimaldus. Hucbertus. Bonifacius. præsul. Udilo.*

 Boni-

SÆC. XI. ANNO 1010. Bonifacium rogavit, è *Roma* revertentem, quod denuo *Noricas* gentes sub sua potestate dignaretur visitare degentes. Cujus legationi & nihilominus petitioni libenter annuens DEO plenus antistes, in Bajoariam profectionem accelerat, sperans se correcturum quod ante non poterat. Hic Domino cooperante ac præfato duce astipulante, Ecclesiastica jura decernens, penitus exstirpavit hæreticos, & universos fugavit Schismaticos. Provinciam verò in Parochias divisit, & Episcopos in his canonica ordinatione constituit. Inter quos prædictum *Gaubaldum Hiatospolitanæ* sedi præfecit. Qui dum sibi credita foveret nec non adaugeret ovilia, inter cætera, quæ benè disposuit & ordinavit, consilium iniit cum clero, quo sepulchrum aperiret beato Emmerammo. Quod crebris miraculis fieri debere clamitantibus, communis omnium comprobavit assensus. Quid plura? die statuto translationis & elevationis, cunctorum vota concurrunt; ad laudes Martyris tanto tempore inter mortales sub negligentia quiescentis, innumera sexus utriusque turma confluxerat. Ad ea, quæ sæpe audierant Martyris beneficia clarius videnda, festinant cuncti, novis interesse gaudiis properant universi. Demum electi Sacerdotes cum diaconibus, ac aliis ad aperiendum sepulchrum necessariis, populum extra Ecclesiam ejecerant, & ostia intro seris munierunt. Cumque tremebunda religione à sepulchro humum resolvissent, nec non etiam lapidem superpositum à parte dextra in lævam submovissent mensura tantum quasi palmi & semis; timor super omnes irruit; ita ut præ pavore nimio laborantium manus à lapide laberentur. Ex quo terrore perculsi, viribusque dissoluti in terram ceciderunt. Unus autem ex illis, qui a dextris astabant, pectus lapidi supponens, tam diu solus hunc, cum esset ingens, haud sua valitudine, sustentabat, quousque cæteri posse resumerent, & succurendo manus ad incepta confererent. Tunc tanta celeritate & securitate amoverunt, ac si in se gravitatis pondus minime haberet. Quid verò hoc trifario miraculo insinuatur? nisi quod prophetico ore prædicatur: Mirabilis *Deus* in sanctis suis. *Deus* Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem. Ob reverentiam enim sui Martyris virtus altissimi hos terribiliter stravit, sed ad ejus laudes in pristinas vires mirabiliter restauravit. Tertio uni sacris cineribus famulanti concessit fortitudinis munus ad gloriam nominis sui, qui est trinus & unus. Pro quo triplicato signo sacerdotes venerandi gratias agentes almæ Trinitati, cum magno cleri populique tripudio incomparabilem purpurati corporis thesaurum tumulo, quo eatenus reconditus erat, auferentes, in monumentum novum venerabillime transtulerunt; quod ad id satis accurate jam paraverunt: In quo Principes auri laminas & argenti, apparatu pulcherrimo fecerunt affigi, easque gemmarum ordine vario distingui. Quorum spiritibus & nobis simul peccatoribus per intercessiones clarissimi sui testis Emmerammi dignetur Dominus propitiari.

Gaubaldus Episcopus Ratisbonensis.

Psalm. 67.

II.

Fœmina adultera Ecclesiam non potest ingredi.

QUidam vir in *Frinsingensi* Episcopio, quoniam fraudata est oculorum officio, conjugem suam dimisit, aliamque extra Præceptum DEI duxit. Qua culpa adulterum illum cum superducta, Episcopi, in cujus hoc erat diœcesi, animadversio convenit; convictumque ex regulari pœnitentia multavit. Sed persuasoris instinctu pertinax mulier ab illicitis amplexibus divelli non potuit, sed cum ad beati Emmerammi Ecclesiam conventus fieri debuisset, & eadem mulier, commeantibus illuc sociata, properaret, in loco, qui *Vivarius* appellatur, unde Ecclesiam intuita fuit, ducentis ferè ab urbe passibus, ut nota commissi sceleris eam exagitaret. Cœpit autem tremore nimio concuti, & dissoluta humi devolvi; & cum erecta fuisset à sociis, si processum voluit, procedere non valuit; si redire studuit, redeundi facultatem non habuit. His in angustiis à superveniente sacerdote quodam deprehensa requisita est, quo crimine circumventa pateretur talia. Hoc relato sicut erat, ad Episcopum suum regredi ab eodem est Presbytero commonita. Quod dum fecisset & effusa in lachrimas vulnus aperiret & satisfactionem ex puro corde promitteret, suscepta Ecclesiasticæ formæ medicina, ad medicum suum beatum Emmerammum, expers animæ vulneris, & corporei secura doloris, processit. Qua in re facile colligitur, quam longe separantur incerti à regno DEI, qui sic differuntur ab ingressu domorum electorum suorum. Quod ne nobis contingat, fortissima Christi medicina prohibeat.

Homo a latronibus captus se præsentat Emmerammo.

III.

CUm virtutum odoribus aromatizans B. Emmerammus populos ad se traheret undeque secus, contigit quendam virum fidelem, qui bona intentione, ut finis probabat,

babat, illuc solus iter carpebat in loco, qui dicitur *Verromwaida*, quod sermo Latinus exprimit, Longinqua pascua, latrones incidisse, qui eum detentum & exspoliatum, Orientalibus *Francis* vendiderunt. Et factus est alias emptitius, qui ad memoriam Martyris voluit esse adventitius. Quidam verò qui hunc exinde venundatum accepit, sub venali commercio tradidit cuidam *Turingo* in finibus *Parathanorum*, ad id temporis crudelium paganorum. Cumque se homo Christianus vicinum cerneret gentilibus, idolorumvè cultoribus, cœpit nisu quo potuit Domino suo temporali tàm præsenti quàm absenti, ratum & promptum exhibere famulatum. Erat autem in lignis operandi peritia instructus, qua molendina facere solebat ad aquæ ductus. ob quæ, & venustam ædificiorum compositionem admodum charus fuit Domino servus. Unde & aliquibus retinaculis cupiens hunc sibimet facere firmum & fidum, viduam juvenculam, secundum carnis hujus putredinem, speciosam, quam reliquit conservus ejus absque filiorum procreatione, in matrimonium illi temptabat sociare. Quam renuens, forte, non mente, captivus respondit dicens: Uxorem legitimam in patria reliqui, cùm pro innumeris meis huc traderer peccatis. Nunc ergo ea vivente quomodo aliam super ducam? Quibus verbis permotus dominus asperrimos sermones invexit dicens: Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, nisi hanc in matrimonium sumpseris, genti *Saxonum* te tradam, quæ tot dæmonibus per spurcam servit idololatriam. Novi etenim ac experimento didici, quia si mulierem hîc accipere non vis, fugere malis, quàm mecum commorari in his locis, ut & de fuga confusus, & nihilominus pòst de precio tuo maneam defraudatus. Cumque assiduo sermonibus hujusmodi inter se disceptarent Dominus per peccatum servus, & servus per justitiam Dominus, ætate jam ac moribus senex, aliter se non posse advertens imperium Domini sui declinare, quin in gentem traderetur Deum ignorantem, cujus vitam quasi mortem timuit, tandem se velle eam confitetur sibimet copulare. Tunc exhilaratus Dominus, adpræhensam mulieris manum involvit pallio, &, ut moris est nuptiarum, seni sub testibus eam in matrimonium concessit; sicque discessit. Religiosus autem senex accepta muliere perrexit ad domum hæreditatis invisæ, in qua cubiculum intrantes, & alimenta juxta consuetudinem nuptiarum, percipientes, lectum, quem ipsa paraverat, haud parili animo ascenderunt. Cui senex, prævide, inquit, charissima filia, ne hac thalami commixtione summum offendamus artificem, quia temporalis vitæ gaudia paucis diebus deficiunt, sed æterna animarum detrimenta parturiunt. Fruere itaque artificio meo in deliciis, & hoc tantum indulge, ne me sub jugo copulationis hujus, conjuge vivente, præcipites in interitum. Illa autem carnali voluptate devicta, viri sui petitioni minimè assentiebatur; immo quæ in aurem dixerat, Domino suo palificaturam minabatur. Senex verò cum hujusmodi exhortatione se cerneret minus perficere; lasciviam sociæ ac exasperatos animos, verborum blanditiis ita lenivit dicens: Videndum est nobis, charissima soror, ne gentilium ritu, cum simus Christiani, nuptiis conveniamus, sed potius per triduum nos contineamus, Dominum deprecantes, ut det nobis filiorum procreationem, quia mulier non pro libidine, sed pro sobolis est spe assumenda. Hæc mulier cum audisset, despexit, & se convertens ad parietem, inerti se somno immersit. Religiosus autem senex cum lachrimis & intentione cordis supplicabat miserationibus omnipotentis, ut per merita & intercessiones dilecti sui Martyris Emmerammi sibi dignaretur auxiliari. Cujus orationem, quia divina pietas exaudivit, eodem momento misericordissime patefecit. Nam cum & ipse præ tristitia obdormisset, Vir quidam pulcherrimus ante lectum quiescentis astabat, qui baculo, quem manu gestabat, latus ejus percussit, dicens: Surge & vade ad Ecclesiam beatissimi Martyris Emmerammi, quò te iturum devovisti. Cui vir senex respondit, quomodo sine alimento tot terrarum ignota spatia perambulabo? Cui iterum, qui astabat adjunxit, surge ne hæsites, sed sume panem positum in cœnaculo superiori, & ipse sufficiet in alimentum tibi, ad perfectionem itineris tui. Vir autem post tantam visionem expergefactus, & aliquamdiu spiritus occulta scrutatus, ignorabat, utrum dormiens an vigilans, hanc acceperit ammonitionem. Surrexit tamen secundum edictum vigilis, & panem in cœnaculo reperit, tam candidum & saporum, qualem antea nunquam viderat vel manducaverat. Quem etiam secum sumens, & cætera, quæ in eadem domo suppellectilis erant, ibi relinquens, tantum tulit vestitum singularem, & quam manu solebat gestare bipennem. Regressurus autem ad solitudinem sub festinatione perrexit, lachrimatas preces Domino fundens, ut per merita clarissimi Martyris Emmerammi, iter suum dignaretur prosperari. Quod per invia & deserta, uti optavit, prosperis continuis diebus quatuordecim pene perficiens, demum die quinta decima, hora ejusdem quasi tertia pervenit in montem contra *Ratisbonam* inter *Danubium* & *Imbris* fluenta jacentem. E cujus specula vinearum plantationi

SÆC. XI. ANNO 1010.

SÆC. XI. ANNO 1010.

tationi contigua; Martyris intuitus Ecclesiam, magnorum videlicet operum casam, immensas Deo referebat gratias. Tunc descendens de monte atque navi transmisso flumine cum cæteris turmatim ac nihilominus certatim ad memoriam Martyris pergentibus, & ipse sub omni celeritate properaverat lætus. Cumque diu optatam ingressus esset Ecclesiam, adhærens pavimento, lachrimis & precibus satisfecit trienni voto. Completa autem Missarum solennitate, uti competens erat, dominica die, senex religiosus extra aditum Ecclesiæ egressus, panem, de quo tot diebus refectionem habuit, ostendit; historiam exilii & reversionis veraciter exposuit; duas portiones, quæ ex alimento superfuerant, in conspectu totius populi, pauperibus divisit; tanti patroni beneficia clamavit in æterna fore debere memoria. Quid super hoc dicendum vel ascribendum? Nisi quod Psalmista dicit memoriale sempiternum: Magna *Psalm. 20.* est gloria in salutari tuo Domine: gloriam & magnum decorem imposuisti super eum. O *Jesu* benigne, hoc tantum ad te sub ejus patrocinio licet dicere, ut sicut illum dedisti multis validum patronum, ita interpellationibus ejus placatus, hîc & in æternum sis nobis propitius.

IV.

De puella quæ integrum annum jejunavit.

Erat quædam puella in *Frisingensis* Ecclesiæ diœcesi constituta. Hæc, ut solita erat, primo diluculo progreditur ad exercitationem curæ pastoralis, quo scilicet ad pascua duceret pecora sui genitoris. Contigit autem eam occulto ibi Dei judicio subito talem spiritus accipere inmutationem, ut nil alimenti in usum vitæ omnino sumere vellet. Quo parentes viso, nec non cognati rescito, sub stupore eam convenerunt; ac primum obsecrando, dein increpando, demum omnigeno conatu, ut alimentum sumeret, angariaverunt. Sed illa perinde modis omnibus universa, quæ mandi & bibi possunt, recusabat percipere, cibi potusque fassa delectationem se minimè habere. Propinqui verò puellæ aquam lacte mixtam ori per vim infundentes temptabant, si forte vel tenuem glutire posset liquorem. Cujus gustum dum invita sorberet, erecto statim collo sanguine confectum revomebat. Tunc parentes, quod quirent facere ignorantes, consilium inierunt, ut eam *Joseph* Frisingensi Episcopo præsentarent, sperantes ejus auctoritate filiam communi reddere vitæ. Quorum spebus dum ille satisfacere tentaret, puellam sub austeritate arguens, ut ederet, coegit. Illa autem quasi quisquilias esum potumvè respuens, non solum illa die incœnata remansit, sed & jam annum integrum haud absque manuum opere jejuna complevit. Facies verò illius nimis erat pallida & sanguinis exhausta. Quod quidem nobis valde mirum, sed incredibile videtur animis hominum aut omnino brutorum, seu cœlestis *Luc. 1.* oraculi speculum minus clarè intuitorum. Non enim est impossibile apud Dominum *Psal. 134.* omne verbum. Et illud: Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra. Qui solus novit, quare homo cæcus natus fuerit, & cur tantam rem in muliercula fecerit, cujusque meritis salutem ejus concedere voluit, & quibus voluit, per nocturnas visiones revelavit: quia puella mortalibus diu portentui habita, ad memoriam Martyris Emmerammi deberet deduci. Quod ut parentibus innotuit, properè ac alacriter filiam assumentes, dum ad urbem, quæ sacrum ejus corpus amplectitur, proficisci vellent, sed ob itineris prolixitatem ire diffiderent, secum eam ducunt ad locum, ubi testis fidelis purpuratum accepit Martyrii triumphum. In quo ut solo tenus humiliata, pro posse & nosse oravit, erecta surgit, panem poscit, qui cum adest, stat sana & est. Christiani qui aderant, mirabilia Christi videntes, laudabant eum, etiam tunc fortassis vociferantes; nos verò ipsum collaudamus nunc, sub silentio hæc reminiscentes vel pronunciantis officio legentes. Tu autem Martyr alme, piorum votis Emmeramme colende, pro cujus veneratione panis vivus miraculum hoc fecit in pane, apud eum nobis obtine, ut illud in regno super mensam illius, cum justis edamus & bibamus.

V.

Dona concessa a Principibus.

Quanto honore & qua reverentia, quo affectu Principes beatum Emmerammum coluerint, inter cætera sibi ab his collata prædia seu preciosa donaria testantur. ad Orientem provinciæ hujus *Lunæ lacus* optimo pisce vividus, unde regius cibus: ad Occidentem vero vinifer cespes *Spalticus*, è quo regius potus. Attestatur quoque territorium *Ratisponense* & prædium regale, quod à fastigio montis monasterii *Carolus M.* à *Carolo* Magno traditum est beato Emmerammo & monachis ejus sub imperiali testamento. Hic inter cætera, quæ regio more ac imperiali potentia constituit & ordinavit,

navit, ducem *Tassilonem* regno privans, cum filio *Diotone* monachum esse compulit; nec non Sedem Ratisbonensis Episcopi à Ducibus prioribus extra urbem translatam, ad Martyris videlicet S. Emmerammi Basilicam, infra urbis ejusdem muros constitutæ, beati Petri Apostoli sub *Simperto* Episcopo restituit Ecclesiæ. Locum autem Martyris in patrocinium sui honestavit munificentia regali, subdens eum illi, qui ibi inthronizatus fuerat sede Pontificali. Duces verò, qui ante hunc Principem, sub regibus *Francorum*, *Bajoariæ* regebant ducatum, quæ bona beato Emmerammo contulerint, pitacia eorum & testamenta penes nos satis indicant inventa. Hujus autem filius, piæ memoriæ, Imperator *Hludovicus*, & qui illi fuerant successores in regno, Comites quoque ac optimates, nec non Judiciariæ dignitatis complures, quantis quibusvè rebus, prædictum ditaverint locum, testatur pars non solum major, sed etiam melior Episcopatus *Reginæ* civitatis. Ex his autem omnibus, qui Christi martyrem reverenter colebant, seu cum reverentia diligebant, eo quod præ cæteris ejusdem cultui deditus esset, excipiendum mihi puto, persuavis memoriæ *Arnolfum* Carolomanni filium, primo *Bajoariæ* Ducem, dein *Franciæ* Regem, novissime autem ob beati Petri defensionem, post victorias mirificas, Romæ factum Imperatorem; sub quo etiam veluti fundamentum quoddam Martyris almi miraculis scribendis ponere volo; quia hinc exordium sumens, utpote ex noto, & circa eundem Dei Martyrem maxime devoto, pulchram ad cæteros Principes his annotandos processionem facere potero. Is namque sperans Deum sibi fore propitium, elegit beatum Emmerammum vitæ suæ ac regno patronum, adeoque illi adhæsit, ut in vicinitate Monasterii regio cultui aptum construeret grande palatium. Cum ergò hujus patrocinium duris in negociis & in præliis multis haberet expertum, manifestius hoc sibi adesse sensit, quando *Marahensi* bello interfuit. Ibi enim primo congressu (ut legisse me memini) crepitantibus hastis, qui erant Tyrannicæ partis, viderunt acies Imperatoris, ab ignotis & pulcherrimis defensari viris, qui uti dignis revelatum est, erant Sancti, quorum patrociniis illô profecturus intentè se commendavit. Horum quippe visu perterritis hostium cuneis, lentescebat pugna in parte adversa. Quod ægrè ferens unus militum tyranni Clypeum arripuit, & primarium signum legionibus prætulit; superbè has conpellans & exhortans, quo sui exemplo animos resumerent ad pugnam. Cumque præpeti cursu in ipsum pene Principem irrueret, obvium habuit senem canitie venerabilem, sed habitu terribilem, qui ei protestatus Emmerammum sibi resistere, umboni manum inseruit, ac tamdiu frustra renitentem vexavit, quousque hi, qui ejus instinctu facti sunt audaces, fierent omnes inde fugaces. Hæc non ficta, sed esse veraciter facta & dicta, is qui vidit & pertulit, postea humiliatus confitetur & prodit. Hinc Princeps gloriosus victoria tali oppido lætus, Ratisbonam revertitur, ubi consonis omnium in ea Ecclesiarum campanis suscipitur, simulque triumphus cum miraculo prædicatur & extollitur. Tunc sapienti usus consilio, & illud macte ruminans: In die bonorum non immemor sis malorum, & quia displicuerunt novem minime glorificantes eum, cujus est benedictum æternaliter nomen, per cuncta *Noricæ* monasteria misit gratifica munera. Speciali autem suo patrono Emmerammo pro gratiarum actione contulit totum palatii ornatum: In quo erat ciborium quadratum, cujus auro tectum tabulatum, fastigium serto gemmarum redimitum. Corpus verò ad geminæ specimen dilectionis, similitudinem habens superioris & inferioris, sustentatur aureis octo columnellis, quæ & ipse tot virtutum seu beatitudinum instar exponunt. Erant etiam in eo Evangeliorum libri plenarii, auro & gemmis tecti, scripti, picti, ac omnimodis ornati: E quibus unus est cubitalis; opere, precio, pondere, siquidem talis, ut ei non facile inveniri possit æqualis. Cujus in dextra parte dispositio gemmarum centenarium etiam complet numerum, quarum quædam adeo quantitate præeminent, ut quatuor ex his calices aperiant sedecim, in figuram Sanctæ *Crucis*, per singulos quaternis, ordine medio, dispertitis. Intimus autem ordo contractior, calices habet triginta duos, singulatim gemmis minoribus opertos, quibus venustè respondet extimo amplioribus per castella dispositis, nec non margaritis per propugnacula insertis, deliciosissime compto. Hæc autem cum largifluæ Principis devotioni tanto patrono minime sufficerent, pro dono addidit argenteam craticulam prædicto ciborio supponendam. Adjecit & pallia coloratu paria & varia, inter quæ unum unius texturæ, longitudinem habuit cubitorum triginta. Verum his quid diutius immorandum? Demum quippe apud sanctum Emmerammum sibi jussit præparari mausoleum, quo mortem obiturus, eum benignius in Ecclesiis haberet patrocinantem, quem in terris utcunque vivens & valens sui suorumque optavit, imò fecit fore potentem. Hujus tui ministe-

Sæc. XI. Anno 1010.

Tassilo. Dioto.

Simpertus Episcopus.

Hludovicus Imperator.

Arnolfus Carolomanni F.

Eccl. 11.

ministeriarchis animæ & nihilominus adhuc tibi famulantium catervæ potenti prece apud omnipotentem succurre, beate Emmeramme.

VI.

*De Tutone Episcopo Prophetâ. Heinricus Saxo. Cunradus Rex. * Ratisponam.*

SUb præfato itaque principe *Tuto* sancti Emmerammi monachus Ratisbonensi præsulabatur Ecclesiæ, qui à septimo anno imperii illius, usque ad duodecimum regni *Henrici Saxonis*, hac in vita permansit. Hujus ergò antecessor *Chunradus* Rex, exigentibus publicæ rei utilitatibus ad * *Reginam* civitatem devenit: In qua rebus, quarum gratia venerat, profligatis, ex antiqua regum consuetudine commonitus, accessit ad Ecclesiam B. Emmerammi, quasi licentiam accepturus *Franciam* remeandi. Ubi Principum sepulchra visitanti, *Arnolphi* scilicet Imperatoris nec non *Ludovici*, qui puer immatura morte è medio excessit, à Capellanis male suggestum est, ut regio jure ac potestate suorum, utpote qui fuerit, antecessorum sibi vendicaret præscriptum magni precii librum. Quem cum prænominatus Episcopus dare jussus, sed hoc facere Martyris timore nullatenus esset ausus, minis tandem ad id ventum est, ut librum eundem coram Principe invitus in altari exponeret. Cui tamen imprecatus est dicens: Debitor B. Emmerammi sit in die judicii, qui hunc usibus ejus subtraxerit servitii. Quod quantum valeret, cito experturus Rex, præcepit eum temere tolli & efferri. Cumque ascendisset equum prope monasterium, incurrit dysenteriæ morbum. Quo tremefactus, ac in se facti commertium sentiens percruciatus, eodem momento restituit librum beato Emmerammo, inde secum ferens dolorem, quo in *Francia* ultimum clausit diem. Tunc venerandus Antistes tuto Christo adhærens in Martyre suo, coronis Principum *Caroli*, *Carolomanni*, *Arnoldi*, addens de suo quantum potuit, B. Emmerammo aureum altare paravit, venustissima forma decoravit, mille gemmis ornavit. Hic atqui cæcatus corpore, sed illuminatus mente, castigatæ infirmitatis necessitatem vertit in animi augustam virtutem; & nequaquam valde depensans privatum se luminis, quod sibi commune esset cum muscis, talem spiritus habuit consolationem, ut per eum ventura prævideret, ac ea, quibus minimè intererat, facta patenter ediceret. Constitutus ergò apud *Lunælacum*, triginta ferme *Rastis* à Ratisbona distantem, grande in ea quadam die factum suis indicavit incendium. Hujus rei non solum probato, sed etiam totius in eo pietatis testimonio, exemptus e medio, uti nobis dictat bona spes, migravit ad cælicas sedes: ibi quem hic dilexit patronum suum semper visurus Emmerammum. Cujus propitia intercessio famulis obtineat apud lumen verum illuminationem oculorum nostrorum, ne unquam mortis obdormiamus in portis.

Lunalacum Mansee.

VII.

Homo percussus in Convivio. Arnolfus D. Henricus R. Otto Imp.

POstquam monasterium beatissimi Martyris Emmerammi, quod prius extra fuerat, cœpit esse intra muros *Ratisbonensium* civitatis, quos *Arnolfus* Dux, inter optimates opere diviso, cito construxerat, sub Rege *Henrico*, filius ejus de gente *Saxonum* primus Imperator *Otto* adhuc eandem probum duxit venire civitatem. In qua factis & celebratis, quæ erant Imperatorii juris, B. Emmerammum curte Regia donaverat, quam germana lingua *Helphandorf* vocitat, Romana verò, Adjutorii vicum latinizat, tunc *Michael Hiaspolitanus* Antistes in quodam monasterii palatio Imperatori paravit convivium, quo principem cum primatibus fecit recumbere secum. Cum ritu epulantium pene forent confirmati, & vino lætati, Imperator ore jucundo *Saxonizans* * diem Siceram cujus quis bibat, hujus & carmen canat. Beati Emmerammi bona manducavimus ac bibimus, inde mihi videtur æquum charitate ejus finiri convivium. Mox aderant pincernæ, propinantes singulis ad nutum Imperatoris charitatem Martyris. Ob cujus venerationem inter se cunctis osculum dantibus, & invicem ad potum charitatis se cohortantibus, unus hanc superbè respuens dixit: * Helram in ventre meo non habet locum: quia cibus & potus jam intrantes præoccupaverant illum. Adhuc lingua palpitans ex emissione verbi movebatur, & è pariete cui amphipendulato dorso tenus innisus adhæsit, colaphum tam valide complosum accepit, ut è sessu projectus in medium palatii præceps rueret: nec non simul omnes timor & altus stupor caperet. Tum, religioso Monarcha cum Episcopis & optimatibus Ecclesiam festinanter ingresso, consonantibus campanis, Deo & Martyri pro gratiarum actione, laudes celebrantur ac letaniæ. Sed ne forte alicui istud videatur incredibile, sciat quisque fidelis, id me nullatenus fingere, sed à quodam viro fideli, atque sene, *Sigibaldo* nomi-

Michael Episc. Ratisbon.

** al. dicens.*

**fort. hac charitas.*

nomine, ſicut ſcripſi accepiſſe, qui per fidem Chriſti teſtabatur huic ſe convivio interfuiſſe, & nihilominus vera dixiſſe. Tu autem ſancte Emmeramme, quem omnipotens hoc in ſigno, ut in cæteris, voluit honorare, preces illi pro nobis peccatoribus funde, quo per veram charitatem Angelum Satanæ colafizantem nos poſſimus avertere.

Sæc. XI. Anno 1010.

VIII.

Monachus Liberatur.

ERat quidam ſub prænominato Angelici nominis Epiſcopo beati Emmerammi Monachus, nec non etiam Eccleſiæ cuſtos & æditiuus, nomine *Adalpertus*. Is locorum ſanctorum deſiderio transmarinam aggreſſus eſt peregrinationem. Qua Hieroſolymam petens & cætera cœleſtis theſauri perluſtrans ea loci ſacraria, millenis adverſitatibus atteritur, terra & mari tentatur, ex ipſis quoque faucibus mortis, patroni ſui precibus, frequenter ereptus probatur. Quod ſemel quam evidenti ſigno factum fuerit, relatio ipſius hîc inſerta patefacit. Quadam die iter in mare fecimus navale, pro qua nobis triſtem denſitas nubium, colliſio fluctuum, ſpiritus procellarum pepererunt noctem. Cumque ventis & undis hinc inde quaſſati jactaremur atque pericula mortem minarentur, perventum eſt ad hoc, ut nautæ conclamitarent: Domine non eſt. Et nauclerus diceret tremulus: Defecit. Tum ego miſer de profundis ruminans, vitæ abſumptis omnium ſpebus præ triſtitia ſum ſoporatus. In dormiendo autem videbam quaſi Domini mei Martyris Emmerammi præ oculis pendere paſtoralem virgam, quam vulgo dicunt cambotam vel ferulam. Cujus unco ad faciem meam converſo, ſentiens adeſſe mihi beneficia patroni ſæpè experti, manum tentabam illi inſerere, ut de profundo pelagi poſt ſe ſic me adhærentem dignaretur extrahere. Tunc certè in ipſa manus porrectione, quam veluti vigilans levabam, expergefactus vidi noctem die, lætis triſtia, aeris turbida, ſerenitate mutata. Ad cujus ſpectacula exhilaratus mirabar cum mirantibus tam ſubitam & pernicem dextræ excelſi immutationem. Nautæ verò viribus reſumptis gratias referebant Deo pariter & pro ſalute nec non miraculi quantitate. Ego autem gratificatus omnium bonorum fonti, quod meritis noſtris nequaquam potuit fieri, deputabam patrociniis beatiſſimi Martyris Emmerammi. Per quem ſomnia & inſomnia, qui non dormit neque dormitat efficiat nobis innoxia, & concedat poſſe vigilare ad opera bona.

IX.

Monachus Apoſtata dæmoniacus liberatus.

SUperiore quidem Capitulo perſcripſi, quod cucullato & monacho erat conſolationi, hoc verò innectere libet, quæ ſint perverſis timori, ac nihilominus apoſtatis terrori. Fuit in *Ratisbona* homo quidam nomine *Sigibertus*, lege humana ſeu conditione liber, ſed Chriſtianæ veræque libertatis indigus & æger. Hunc accepi fantaſticis adeo infeſtatum præſtigiis, ut nullatenus dormiens vel vigilans requiem habere poſſet, niſi ſe cucullatum apud ſanctum Emmerammum feciſſet. Quo perpetrato, dæmonium ceſſavit infeſtatio, & diverſa maligni impedimenta, Martyris prece ſunt ſopita. Verum ille miſer & infelix poſt aliquot dies, defenſoris oblitus, ſuggeſtionibus occultis conſenſit illius, qui in ſe apertè dominium perdidit invitus. Queſtus ergò pro carnium olla in Ægypto relicta & pœnitens quorundam ſe perpeti penuriam in monaſterio, quorum parvam abundantiam falſo reliquit in ſæculo, monaſticum depoſuit habitum cum illo ludibrio, quod vulgus jam habet in proverbio: Hinc hinc cucullum, non ultra gravabis collum; ob paupertatem monachorum celeriter mihi revertendum ad lapidem coriorum. Hoc autem dixit, quia prius erat coriarius, ſeu calceamentorum ſutor doloſus. Sed nequaquam diu gaviſus eſt ſe monachis ita illuſiſſe. Nam non multo pòſt maligno ſpiritui eſt traditus. Quo urgente nimis furibundus, & jam catenatus ad ſanctum Emmerammum trahitur, ac in choro ad columnam ligatur, quo cum fratres conveniſſent, & pro eo flebiliter oraſſent, interdum clamore adſtantes perterrendo ſaltabat, interdum ſupinus jacebat. Noviſſime eum diabolus in aëre ſuſpenſum tam diu tenuit, quouſque fidelium votis & maxime B. Emmerammi patrociniis ei ſuccurreret majeſtas divinæ pietatis. Tunc demum relapſus in pavimentum per dæmoniacam diſcerptionem erecto collo cœpit evomere cruorem cum ſanie. Qua cum plaſtrum horribiliter eſſet pollutum, ſpurcorum Princeps ſubitò omnem ſpurcitiam inde auferens, ſecum ad vitream feneſtram ſuſtulit, quam ob exitus ſignum comminuit, & ſic inter ſpiritales nequitias, evanuit. Ille autem homo multos fecit annos in gravi pœnitentia, exercens nudipedalia, in ſumma rerum miſeria. Sancte Emmeramme

SÆC. XI. ANNO 1010.

ramme à sancta Trinitate triplici hoc miraculo honorate, pro nostris intercede negligentiis, apud eum, cujus clementiam nulla mortalium superant delicta.

X.

Dæmoniacus salvatus.

INter innumera casuum humanorum infortunia valde miserabile ac magis flebile videtur & est, quod in homines, quorum possessor esse debet DEUS, ut propria domicilia intrat humani generis inimicus. Sed id revera occulto & justo fit DEI judicio. Traduntur enim interdum hujusmodi propter peccata carnis in interitum Satanæ, ut salvi sint spiritus in die dominici adventus. E quorum unus *Gestiliub* vocitatus, hospitibus pessimis permissus, nobilis genere, sed ubique miser multiplici dæmone, intus diaboli, foris catena ligatus ferri, per plura Sanctorum loca mundandus deducitur, sed minime absolutus reducitur. Demum divina miseratione hoc, uti voluit, dictante, venitur ad S. Emmerammum, talium dono cœlesti liberatorem magnificum. Ubi geminis devinctus catenis, adeo extitit bestialis & immanis, ut à trium viris dextra lævaque pari numero divisis, vix ab interitu sui, nec non aliorum posset cohiberi. Cumque diu oratum esset pro eo, & multis foret horrori & exemplo, ante confessionem beatissimi martyris hospes hispidus & horridus nomen confessus legionis, ejectus est ab hospite antea sibi charo, sed tunc martyris precibus admodum amaro. Tum videres, mirum in modum, si adesses, hominem paulo ante per alienas vires ossibus & nervis distentum, subito mediocri gestu corporis contentum, uno eodemque momento destitutum propriis viribus & restitutum. Is ergò Sanctorum, quos pro miseria relevanda petiverat, charitate, beato Emmerammo donatus, per eundem dulcissimum patronum gratificatur DEO, simulque omnis plebs *Hiatospolitana* conjubilat cum eo. Pro hoc Domine Dominorum, & aliis potentiæ tuæ miraculis, generatio præsens & futura laudabit opera tua. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt & virtutem terribilium tuorum dicent. Cum quibus & nos humiliter ac supplicative dicimus: Emmerammo testi tuo fideli concede salutem omnium nostri.

XI.

Lamperti Stirpigena excæcatus. Plusquam 300. anni post S. Emmer. Lamperti tyranni generatio.

MErita B. Emmerammi martyris quantum valeant in præsentia Omnipotentis, testatur jam plusquam per trecentos annos *Lamberti* misera generatio tyranni. Cujus è stirpe unus die quadam cum aliis patroni nostri petens Ecclesiam cum intrare tentarent, in ipsius atrii, quod huic adhæret medietate, subita prohibitus est cæcitate, ibi dum deviando manibus palparet, ac pedibus offenderet, à transeuntibus quis esset, quid pateretur, interrogatus, & genus infœlix, cum casu professus, eorum consilio & ducatu atrium est egressus. Qui mox visum recipiens, nec non pro eo quod sibi acciderat, haud satis diligenter se discutiens, ut pote alicujus oneris expeditus, intrantium turbis est conjunctus: tunc miris mira succedentibus, in ipso portarum introitu denuo cæcitate percussus. Unde & à populo honorem dante Deo absque dilatione foras ejicitur, qui per evidentissimum signum à cunctis inimicus testis esse conjicitur. Hujus rei testimonium cum publico rubore homo portans secum, & valde miratus se bis cæcatum atque illuminatum, repedavit ad propria, hujusmodi sermone inter conrivales & consanguineos exeunte. Noverint omnes, nulli ex posteritate *Lamperti* accessum apud S. Emmerammum iri concessum, nisi cum magna humilitate & multum valente impetratum fuerit prece. Tu verò magnifica lux mundi, per intercessiones martyris tui illumina tenebras cordis nostri, ne extorres simus cœlestis regni, sed intromittamur nuptiis agni.

XII.

Tyrannorum miseria.

NObiles quidam viri, cognatione nobis & tempore noti, quorum nomina silemus, quia verecundatur quisque proximus, ob timorem pariter & angorem calamitosæ pestis, quæ diu multumque sævit in hominibus tyrannicæ posteritatis, per diversas rerum suarum oblationes atque sacerdotum orationes miserunt ad B. Emmerammum, quo liceret eis absque publica confusione, domicilium requietionis ejus intrare. Quod cum videretur impetratum, ut venirent sub spe, ad illos est perlatum. Qui venientes cum humilitate ac tremore sunt intromissi & non infructuosè admissi. Nam capita cum manibus religiosè altari imponentes, professi sunt se martyri perpetuos censuales. Aliqui tradiderunt servos & ancillas, ut in conspectu tanti patroni invenerunt gratias. Alii

Alii verò contulerunt possessiones prædiorum, ne ultra starent in parte reorum. Alius hic reliquit triennem languorem, alius deposuit binam debilitatem, alius jugem superavit maligni spiritus infestationem. His tandem & hujusmodi beneficiis refecti, quia antea malis innumeris erant affecti, in propria sunt reversi. Unus autem ejusdem stirpis perduræ cervicis, nomine * Alrammus, fecit quod noluit beatus Emmerammus. Vendicaverat enim sibi injustè prædiorum partem, quæ nepos ejus martyri sub testibus dedit in hæreditatem. Pro qua conventus à primoribus, & interpellatus à defensoribus, ob cordis duritiam penitus renuit facere justitiam. Cæterum beatus Emmerammus, suorum defensor optimus, super temeritate & malitia adeo eum afflixit, ut per aliquot septimanas ægritudo ejus sibimet & esset pœnæ atque horrori, amicis verò inconsolabili mœrori. Unde contigit ut frequenter mortem optaret, sed optata minime veniret. Tunc demum procul dubio ipsa rerum facie perdiscens, quia illum haberet offensum, cujus Martyrem inhonoraverat sanctissimum, seque dolens infelicissimè vivere, & nihilominus hujusmodi vitam morte saltem haud posse finire, consilio sero, sed tamen bono, uxorem sub festinatione cum filiolo ad martyrem misit, neptem scilicet meam cum nepote illuc ad restituenda prædia currere fecit. Qui nocte vigiliarum ejus venientes, & mane ordinem rei mihi exponentes, à me accepto, quod ad salutem pueri pertinuit consilio, hora diei natalis beatissimi Martyris quasi secunda, mater ad altare accessit, & primo filiolum S. Emmerammo solvere faciens censum, dein eum ejusdem manibus attractis more Bajoarico testibus, retradidit prædia, uti antea fuerant tradita, domumque est reversa. Inde mihi postea nuncius venit, qui juravit per beatum Emmerammum, prænominatum *Adalramum* eadem hora tranquilla pausatione defunctum esse, qua hæc traditio facta est *Ratisbonæ*. Nos proinde quotquot sumus tanti patroni cultores, DEO & illi gratificas concinamus laudes.

*Adalramus.

Uxor Adalrami neptis auctoris.

XIII.

MAgnalia DEI vehementer sunt consideranda, & Sanctorum ira seu patientia nimis timenda. His etenim patrocinantibus clemens nobis erit altithronus, offensis verò & spretis, per longum aut breve, non stabit inultum & leve. Quod apud S. Emmerammum sub *Michaele* Episcopo satis probatum seniores retulerunt nobis, qui memorabantur illius temporis. Is ergò pro rebus martyris defensoribus assumptis, cum *Perchtoldo* Marchione conflictum habuit magnum. Cumque diu certatum esset utrinque, tandem in id partium paria convenerunt, ut duodecim virorum nobilium juramento, quod exigebat præfectus tolleret B. Emmerammo. Super cujus altare *Cambota* (*a*) ipsius posita, homines numeri præscripti accedentes juraverunt. Sed ultione divina percussi grande secum recedentes malum portaverunt. Cujus talione saumatizatus ex patre avus meus *Arnoldus* eodem momento, dextro debilitatus brachio, post paucos annos in flumine *Naba* solus, comitatu salvo, subita morte vitam finivit. Cæteri verò, qui conjuraverant, quid perpessi sint, breviter tangam. Alius atqui cæcatus, alius strangulatus, alius insensatus, alius paralysi solutus, alius eviscеratus, alius fulmine ustulatus, alius incendio propriæ domus consumptus, alius mancus & monophtalmus, alius cancri morbo percussus, alius elefantiæ peste fœdatus, alius hydropica inflatione gravatus, miseram vitam misera morte finierunt. Unde meus ex matre avus, prænominatus scilicet Comes *Perchtoldus*, terrifica commonitione tactus, B. Emmerammo prædium suburbanum, quod dicitur Isininga: per venerabilem pii Abbatis *Ramuoldi* ordinationem donavit, illius ascribens obsequium, duodecies dandum charitativo usui monachorum, nec non refectioni duodenariæ Christi eleemosynarium. Tu autem sanctissime martyr Emmeramme duodenario miraculo clarificate, pro nobis peccatoribus, hactenus abusis duodecim inreligiositatibus, preces largas funde coram illo, qui hunc numerum Apostolico dedicaverat choro.

Duodecim perjuri puniuntur.

Perchtoldus Marchio.

Arnoldus avus auctoris.

Naba flum.

Perchtoldus Comes auctoris avus maternus.

XIV.

CUm hoc certissimum habeat Christiana fides, quia hi, qui in nomine Domini largi sunt in pauperes, in *Deum* dici debeant ac sint per omnia divites; & quia ipse dives

Mulier paralytica sanata.

(*a*) Fuit baculus cui innitebantur claudi; sic enim Petrus Diaconus: ejusdem claudi cambuttas ante fores Ecclesiæ suspenderunt. Sed sumitur pro pedo Pastorali: illam quippe gestabant tum Episcopi tum Abbates, mittebatur absentibus, hocque veluti signo regimen Ecclesiæ suscipiebant. Sic enim Ordericus Vitalis l. 3. per cambutam Ivonis Episcopi Sagiensis exteriorem Abbatiæ potestatem tradidit. Utebantur etiam cambuta ad fidem juramentumque præstandum & exemplum hic habetur. Denique suspendebatur sepulcro defunctorum, sic enim legas in vita Desiderii Cadurcensis Episcopi c. 19. Dum baculus B. viri qui a Gallis Cambucca vocatur, ad caput sepulchri illus sedule penderet. Cambuca, Cambuta & Cambota enim idem sunt. BASN.

Chron. Cos. l. 4. c. 74.

SÆC. XI. ANNO 1010. dives est in omnes universisque ad sufficientiam tribuere potest, tamen ne desint in mundo, in quibus fragilitas humana sua possit redimere peccata, suis membris in minimis quotidie sustinet onus paupertatis. Quibus id levandi gratia, percursitantibus fidelium domus & hospitia, adeo quorundam parcitas obduratur & nequitia, ut præ *Ephes. 2.* famis ac frigoris angustia, incidere cogantur amare mortis gurgustia. Quæ, conditione sub hac, quò plures miserabiliter absumat, multitudo falsorum fratrum violenter sententiam dictat. Hi siquidem non spiritu humiles, sed rebus & vitiis pauperes, per clandestinas ac evidentes rapinas Christi præpediunt pauperibus, ne solatia accipiant aliquando etiam à bonis fidelibus, à quîs boni pauperes & mali, haud facile queunt discerni. Hi ut filii diaboli cum perversis ac sceleratis fœderati partim exercent latrocinia in silvis & villis nimis crudelia, partim per loca sacraria, moliuntur quæ penitus nefaria. Quidam verò, qui inter eos videntur quasi sanctiores, Ecclesias per hypocrysim frequentantes, ac sacrilegis ibi lucellis inhiantes, velint nolint, evolvunt in publicum, quam vacui sint divitiarum verarum. Quid plura? Locis in sanctis ipsi non sine miraculo sæpe vidimus deprehensos, quorum furta seu cætera flagitia hoc satis declarabant, quod non in spiritu & veritate veri advenerint adoratores, sed falsarii seu *Joan. 4.* deceptorii adulatores. Horum alii misericordia donati, & sic sunt in spiritu lenitatis salvati. Alios verò, qui videbantur corde duriores, publicæ emendabant castigationes, ne impunitas tales faceret deteriores. Pars autem abscondita patientiæ Sanctorum reservabatur, quia omnino à mortalibus, qui & quales fuerunt ignorabantur: exceptis his, qui sibi erant conscii hujusmodi facti. Quorum ex numero quædam muliercula *Reginæ* civitatis indigena, ad confessionem Christi martyris Emmerammi, cui vocabulum est de pedibus, ipsius die quadam quasi adoratura accessit. Ibi ergò calicis raptu furtivo, quem super altare *B. Joannis* reperit, ut circumspectans se solam vidit, saluti suæ nimium invidit. Quo ut secum domi occultato, nec non ejus argento plumbo peccati commutato, proprios in usus abusa est; manifesto Dei judicio paralysis morbo soluta est. Cujus molestia per biennium gravata, tandem protractis & continuis doloribus, discit quem in loco martyris offenderit; ob cujus despectam confessionem. Jam evidenter in corpore suo pertulit confusionem. Unde & in se reversa, atque per pœnitens cor suis angoribus consulere annisa, pauperculo sumptu, quem amminiculis proximorum colligere potuit, calicem novum parare curavit. Tum sacerdotibus confessa delictum, quia destituta esset officio membrorum, in qualo deportatur ad S. Emmerammum. Cui dum propria manu, altius tamen suffulta, calicem restituisset, atque intimas preces cum lachrimis effudisset, subito reddita sanitati exilit de sportatio cubili, & gratias clamat DEO ac beato martyri. Et quia libenter quam attulerat, immò qua allata fuerat, chorbe cum doloribus carebat, eam læta secus basim altaris reliquerat. Quam extemplo fideles ante Ecclesiam pro monimento suspendere, ac summo gaudio legioni signorum ea loci pendentium hoc intermiscuere. Sed cœlitus ministrato tam grandi miraculo, est valde pensandum tanti Martyris meritum, qui mulierem absque ministerio suorum pedum venire voluit ad aram suæ requietionis antipodam eo scilicet tenore, ut ubi antea tene- *Psalm. 90.* brata impietate, conticescens occultabat delictum, ibi postea sub luce piæ confessionis, *Matth. 4.* ac recuperatione salutis, ipsa cum cæteris disceret scriptum: quia Dominus servabit *Isai. 52.* *Rom. 10.* pedes Sanctorum suorum. Et illud Isaiæ prophetæ: Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. quorum nos participes per charissimi sui *Dan. 3.* Martyris preces efficere dignetur, qui sedens super Cherubin abyssos intuetur, Amen.

XV.

Judæorum confessio circa miracula Emmerammi. QUia beneficia divina usque in finem sæculi multorum sint resurrectio & ruina, quotidie creatoris declaratur omnipotentia, quæ fidelium corda dirigens mandatorum suorum in semita: Populum humilem salvat, & oculos superborum humiliat. Castigat ergò fidei sacræ filios misericorditer ut corrigat, incredulos autem & impios ob durum cor & impœnitens justa sententia damnat. Unde & plebs Christiana in DEI omnipotentis lætatur gratia, de manu filiorum alienorum segregata, quorum filii sicut plantationes novellæ, filiæ circumornatæ, promptuaria plena ex hoc in illud *Psal. 143.* eructantia, fœtoiæ oves, crassæ boves. Non est ruina maceriæ neque transitus neque clamor in plateis eorum. Hac igitur falsa felicitate deliniti, Christianis improperare solent Pagani & Judæi, quod cum hi multimoda terantur & graventur pressura; ipsi è contrario consolationem habeant & levamen in omnia sua. Nostros velut pauperes ac inanes afficiant pestilentiæ ac fames; illos verò reficiat, immò distendat superflua rerum

rerum congeries, in qua est omnium malorum materies. Pro quorum inani janctantia consolatur nos pleniter, si digni sumus, spiritali abundantia: è cujus copia David eructans & cor laboribus humiliatum consolans, dicit: Multæ tribulationes justorum & de his omnibus liberavit eos Dominus. Mors autem peccatorum pessima, quos tenuit superbia; quia cum hominibus non flagellabuntur. Quibus cum dicimus, quare non creditis in Dominum, cujus juga fidei super se levasse, jam totus mundus gratulatur? Respondent, in rerum prosperitate seu adversitate utrinque probandam fore executionem fidei rectæ, & quis in mundo videatur subjacere maledicto. Nobis autem è contra resultantibus, quia maledictio mundi mutabitur benedictione cœlesti, esuries saturitate, luctus exhilaratione; oportet nos adversa mundi patienter tolerare. Vos, inquiunt, solito more incerta pro certis semper habetis; & ideo quadam facilitate ad hæc nos conducere tentatis: Quos occasione aliqua in nomine Domini cupientes lucrari, docemus verbis hujusmodi: Christianos constat, factis majorum, & dictis valde certificatos in fide, cui adhuc etiam inter cætera veritatis indicia, multum adstipulantur miracula cœlitus ad Sanctorum memorias declarata: quæ pro sui magnitudine ac assiduitate, nec inimicos hujus nominis & religionis arbitramur posse latere. Quibus nostra parte prolatis, obviare conantes Judæi duritia cordis lapidei, clamant & perstrepunt dicentes: Optime novimus quo tendit vester epilogus. In Ecclesia quidem Martyris vestri Emmerammi, quia notum est omnibus Ratisbonæ habitantibus, claudos reparatos, atque cæteris molestiis affectos, à vero medico curatos, minimè diffitemur, Sed per Messiam, quem nominatis Christum, & eum, quem dicitis patronum vestrum, horum aliquid factum nunquam fatemur. Nam omnipotens in omni loco dominationis ejus quæcunque voluerit facit ut Deus. Potest etiam in plateis conferre sanitatem infirmis, & facere talia in synagogis sive nostris in scholis, qualia in vestris gloriamini facta Ecclesiis. Tum os eorum quasi ad cœli cameram suspensum, & linguam procaciter transeuntem in terram, oppilavimus sermone in hunc modum se continente: Quia Domino nostro Jesu Christo corporaliter cum hominibus conversato, ac munera suæ pietatis intra & extra synagogam, patribus vestris magnificè impertito, non solum cum eis ingrati extitistis, sed miserrima vosmetipsos interficientes dementia etiam hoc in malum vestrum accumulastis super iniquitatibus eorum, ut in eo capiti omnium bonorum, nec non illius membris electis detraheretis, unde salutem gratis oblatam attrahere debuistis; ecce convertimur ad gentes, quæ Dominum in Sanctis noverunt laudare fideles. & quia indignos vos Dei judicastis gratia, ac omne bonum usque hodie à salute vestra negativa diffessione repulistis, his fructuosè proponimus margaritas, qui sciunt cum honore suscipere illas. Vobis autem erit æterna confusio, testante Christo in suo Evangelio: Quia filii regni in tenebras exteriores erunt trudendi, & sine fine puniendi. Cæterum ut revertamur ad humilitatis nostræ propositum. O lectores & auditores, qui veræ fidei estis confessores, quæ de Christi gratia Sanctorumque gloria Judæis visum est dubium, dilectioni vestræ monemus non dubium, sed semper maneat certum, quia ostium Dei, quod aliis est clausum, aliis justo Dei judicio erit apertum. Ante quem & in quo corde tenus orandum, ne cum hoc mundo damnemur, sed Redemptoris gratia potenti salvemur. Cujus in charitate spes nostra ponenda cum fide, ne permittat de parte justorum perire, pro quibus dignatus est mortem crucis subire.

Sæc. XI. Anno 1010. *Psalm. 33.* *Psalm. 72.* *Matth. 8.*

XVI.

ERat quidam vir ingenuus *Burchardi* Marchicomitis & Præfecti Ratisbonensis vasallus. Hunc divina à Deo corripuerunt flagella, ut nervis contractis omnium penè destrueretur officiis. Cumque diu hujusmodi castigatione attereretur, demum ad opus Dei in illo manifestandum, sub spe non confundenda ad sanctum Emmerammum defertur in cuna, infantibus magis eatenus apta quam viris. Cujus vehiculo ut ad altare testis perventum, ibique aliquantisper est oratum, is qui cunulæ adhæsit ut pusio, repente robustus erigitur ac sistitur ut homo. Tum videntes qui aderant in novo Martyris mirigerulo plenam staturam, resurrectionis ad instar generalis, proceram. In Ecclesia ejusdem testis immolabant Deo hostiam vociferationis, secundum illud, quod David ait: Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Cum quibus idem patronus noster dulcissimus, æterna pro exilio brevi patria donatus & pro pondere laborum inæstimabile præmium sortitus, pro morte pretiosa inusitato genere Martyrii acquisita. In tuo Christe regnô gloriatur corona, quam elucere facit specialis tui & proximi dilectionis gemma. Qua & nos, pro modulo nostro, insignitos vocationis

Paralytici curatus. Burchardus Marchicomes & Præf. Ratisbonens. *Psal. 117.*

SÆC. XI. ANNO 1010.

cationis hora humiliter petimus à te inveniri, cujus misericordia quæ bona sunt in cordibus verè fidelium non permittit sopiri, sed pleno perseverantiæ fructu eorum facit opera finiri.

XVII.

Michaelis Episc. obitus. GLoria Sanctorum Christo congregantium patres & fratres est valde reverenda, ira quoque omnimodis cavenda, patientia verò omni sexui seu ordini pertimescenda. Ad hos namque dicit Dominus: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. (*Zach. 2.*) Et in Evangelio: Qui vos spernit, me spernit. (*Luc. 10.*) Quæ tonitrua ab ipso cœlorum throno procedentia, nec non terrificè mortalibus intonantia adeò contemnit, heu, malè surda sæcularium duritia, ut inhiantes ad Ecclesiarum seu pauperum res, hæreditatem Domini diripiendo suam faciant; immo se ac sua diaboli partem efficiant. Contra quos invehitur maledictum per illud propheticum: Væ qui jungitis agrum ad agrum iniquè. (*Esai. 5.*) E quibus nonnulli qui honestiores & continentiores videntur in factione hujusmodi, cùm viderint aliquos ad ea, quæ parum tetigi, perpetranda proclives, callide eos instigant: atque ut his reculis tenacius adhæreant, sæpius inculcant; pervicaciter se pollicentes eis apud Judices futuros adjutores, nec non, etiamsi necessitas exigat, conjuratores. Tum in se quodammodo quasi revertentes, immo retrorsum ad malitiæ cryptas anfractuose divertentes, eos pro tempore deserunt, quibus consilium iniquitatis dederunt, & se subdole ad hos, quorum bona prædæ vel rapinæ fecerunt patere, conferunt. ut pro mendacii silentio, seu veritatis venali testimonio apud incautos, muneribus dextras adimpleant, talique strofa, quod habere videntur à simplicioribus extorqueant. Cui tam grandi malo in plebeja turba modis millenis * crassato, Præfecti, & Comites, qui mederi debuerant & poterant, non solum obviare ac resistere recusant, quin etiam ipsi hoc idem accumulant, nec non omnem justitiæ pulchritudinem, quantum in se, dedecorant, quo insatiabilem avaritiæ lacum non modo nequiter, sed etiam turpiter adimpleant. Pro quorum contumacia celeriter sternenda clamat Propheta, immo cum eo injustè oppressorum ultionem postulat persona: (*Psalm. 63.*) Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis. Hanc igitur causam, non causam, sed pestem dicendam, id est, ut diabolica commisceantur humanis, & nihilominus humana præferantur divinis, in tantum aliqui pro commodis affectant terrenis, quo adulationum liniamentis, sive aliis pravi consilii incitamentis, quibus ipsi abundant, pastores etiam Ecclesiæ tentent inficere, atque gregis dominici arietes conentur lupos efficere. Quorum syntychias venenosas, qui non observaverit, procul dubio vitæ periculum incurrit, quod in se satis est expertus *Michael*, *Reginæ* civitatis Episcopus. Is atqui cum pro Episcopatu cuidam nepoti suo ab Imperatore postulando, palatii stationem petere decrevisset, xeniaque quibus hoc se impetraturum sperabat, paravisset, persuasum est ei ab his, qui optabant apud Principes Ecclesiasticas venales fore dignitates, quatenus petitionem, quam facere vellet, thesauris Deo dilecti Martyris Emmerammi subornaret. Quos ille, consiliariis consentiens reis & perversis, prope diem natalitium ejusdem testis, Domino suo subduxit, nec non ad Episcopalem villam, *Berahartashusun* dictam, secum transduxit, quo suus eadem die comitatus pestifer confluxit. Ibi quoque subitanea corporis percussus molestia, per extremam sortem urgeri cœpit in mortem. Quam cum sibi turbidam & amaram sensisset imminere, atque jam desperaret infra limitem hujus vitæ diutius consistere posse, vicedomno assumpto, nec non militibus accitis in testimonium, cum aliquibus ministris, quîs circa eum plus erat amoris quàm timoris, quorumque familiaritati sedulo solebat inniti, affatus est verba hujusmodi: Contigit me aliquando secus *Licum* flumen sub Ottone Saxonigena Imperatore primo gravi interfuisse prælio. Ubi cum inter nostros atque paganos acerrimè fuisset pugnatum, & Christo propitio, à Christianis esset triumphatum, *Ungri* meam abscidentes auriculam, gladiis ac spiculis inter cæteros me straverant ac adæquaverant glebis. Ibi insperato raptus, ad salutem sensi beneficiis adesse patronum clementem, quem nunc timeo ob temeritatem peccati mei irascentem. Eja quæso fideliter agite quæ injungo: Tollite hinc (utinam nunquam ad malum, quod facere volui) mea sub certo numero integra viginti pallia consignata, & offerte ea quamvis ad magnitudinem peccatorum meorum parva, magno & beato ad subveniendum cui voluerit Christi martyri Emmerammo: reddetisque illi reverenter suorum partem thesaurorum, quos insipiens ac minus cautus in sugillationem mei subtraxi ejus honore servitii. Calicem autem aureum, quem opere ac forma satis ut opinor decenti eidem clarissimo testi passionum Christi paravi, cum his omnibus, quæ labiis distinxi, super & circa ipsius altare ponetis,

Margin notes: * *grassato.* — *Michaelis Episcopi Ratisbon. Auris abscissa prælio ad Lycum, quo Otto M. Ungaros vicit.*

netis, ficque ex humilitatis meæ legatione dicetis: *Michael* ille peccator, homo quamvis in ſancta Eccleſia ordinis jure ſacri particeps fuerit nominis angelici, immeritum tamen & longe imparem ſe perpendens tanti miniſterii officii, ſervus quoque tuus, beate Emmeramme, adoptivus, ſub ipſis pontificalibus infulis factus, in extremis etiam conſtitutus, erga reverentiam tui devotus, tibi hæc miſit atque remiſit, nec non ultimum ſpiritum trahens, animam cum corpore patrocinio tuo commiſit. Hæc verò facta & dicta cum non paucos convenirent ac deterrerent, pro abuſive uſitata ſanctorum inter mortales negligentia, campanum quoddam quantitate modicum, à legatis Epiſcopi cum aliis rebus in baſilica patroni noſtri expoſitum, grande per os dicentium prædicabat miraculum. Hujus ergò cum Imperator * Otto ſecundus aliquando apud S. Emmerammum audiret tinnitum ſingularem & præ cæteris magis ſonorum, fertur dixiſſe, aut hoc, aut huic ſimile ſe velle habere. Qua occaſione prædictus Pontifex idem campanulum in via juſſit tranſportari ſecum, arbitratus ſatis ſe facturum Principi oblatione cupiti. Quod poſtquam eſt de Martyris Eccleſia elatum, uti comperimus per cujusdam Presbyteri relatum, ad Dei omnipotentis nutum immutatione ſoni factum eſt mutum, nec ullius artificio aptari........ Non eſt enim ſpecioſa laus in ore peccatoris, quod verum eſſe minime nego, ſed magis inde ne damner pavito. Eſt tamen aliquid quod mihi ad prædictas laudes etſi minus idoneo fiduciam dabit. Illud videlicet, quod hi, qui ſanctorum facta & dicta, utpote majora chariſmata, efficaciter æmulantur, arbores bonas cum pleno fructu imitantur; Illi verò, qui eadem aliis impoſterum imitanda ſeu veneranda ſcriptis memoriæ tradunt, & non adhuc faciunt, quæ dicunt, aſſimilantur arboribus, etſi nec dum fructum, tamen folia habentibus, in quibus ſpes eſt fruticelli ex benedictione divina quandoque futuri, ſecundum quod Joannes dicit: Potens eſt Dominus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Horum quippe de numero miſellus ego, ſperans in omnipotentis Dei miſericordia, quamvis viliſſima eſſe malo arbuſcula, foliis, & cortice veſtita, id eſt, verborum & activæ ſollicitudinis miniſtra, quam ariditatis æternæ cum illis, qui nec dicunt nec faciunt, duplici maledictioni ſubjacere. Operetur ergò unusquisque, quod poſſit ex eo, quod de ſupernis accepit: ſic enim magna magnis, parva parvis convenire probantur. Ego quippe cum humilitate aggrediar laudes mei patroni ſcriptitare, nec non miracula Chriſti prædicare, quibus beatum Emmerammum teſtem ſuum fideliſſimum evidenter & glorioſe declaravit ſecum vivere & gaudere in regno cœlorum. Ibi quoque conſtitutus, benigne, ut ſpero, proſpicit in omnes, qui eum voce & actu pie venerantur; familiarius autem ſe inclinat, & tendit ad ſervos ſuos, qui ſibi die noctuque in loco ſuæ requietionis famulantur, & illic Deum ac ſe cum commilitionibus ſacrificio laudis honorare non pigritantur; frequentantes iter quo ſalutare Dei oſtenditur. Hoc ſiquidem itinere idem dulciſſimus famulorum ſuorum patronus quod olim ardentiſſime quæſivit, abundantiſſime invenit. Invenit atqui locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Ad cujus ædificationem tabernaculi jam aliqui dona quodammodo ſolenniter offerebant opulenta, qui præditi ingenio, ſenſu aureo, & ſermone deargentato prænominati Martyris, ac in æternum nominandi teſtis vitam & geſta ſcripſerunt, quîs geminas ejus virtutum pulchra compoſitione interlucere fecerunt, ſicque byſſum intexentes, id eſt, puritatem ſanctæ illius conſcientiæ exponentes, pervenerunt usque ad purpuram, quæ nobiliſſima tinctione Martyrii eum provexit ad palmam. Hanc è regione ſalutantes devotione pari quidam viri diſertiſſimi tractatus & ſermones eidem adſcripſêre Martyri, nec non iterando laudes ipſius coccum bis tinctum obtulerunt mente ſagaci, quem ille dum in hoc ſæculo laboravit, vigilantiſſima præceptorum dominicorum executione præparavit, atque in noviſſimo agone geminæ dilectionis exercitiis rubricavit. Quid multa? Divites & potentes beato Emmerammo dederunt dono è copiæ cornu pleno, aurum, argentum, gemmas precioſas, purpuram & byſſum, coccum bis tinctum & cætera ornamenta tabernaculo illius congruentia. Ego autem ultimus Dominicæ ſcholæ diſcipulus, & ipſius, Domino volente, in ventre matris ſervulus factus, paupertatis propriæ conſcius, patrono non tantum meo, ſed etiam omnium eum habere volentium, poſt antiphonas & reſponſoria, quæ ad laudes illius, non uti volui, ſed ſicut potui, devotus utcunque compoſui; & poſt illum, quem præterito anno de miraculis conſcripſeram libellum, diverſis occupationibus vix hoc fieri ſinentibus, pro pilis caprarum hunc ſub * dialogo nunc offero librum. In quo mihi viſum eſt operæ precium, memoriam facere virorum illuſtrium, *Wolfgangi* ſcilicet Ratiſbonenſis Epiſcopi atque *Ramualdi* Abbatis eximii,

Marginalia: SÆC. XI. ANNO 1010. — *Corrigo: Otto primus. Vide Notas.* — *Eccl. 15.* — *Matth. 3.* — *Pſal. 131.* — *Exod. 25.* — *S. Wolfgang. S. Ramuald.*

* *Hæc intelligenda de libro ſecundo, qui dialogo conſcriptus eſt; non longa enim ab initio incipit dialogus.*

SÆC. XI. ANNO 1010. eximii, qui multigena probitate Sedis hujus Ecclesiam ornaverunt, locum istum bonis accumulaverunt, nec non hîc plura rationabiliter atque laudabiliter constituerunt. His quoque unâ, uti spero, cum sanctissimo Martyre annitentibus, ac pro fragilitate nostra preces pias fundentibus, quis scit si benignus propitiari dignetur Dominus; & solita usurus dicat gratia: O charitatis maximæ imitator specialissime, hujus caraxatoris tui & tuorum tibi concedo salutem in æternum, Amen.

FINIS LIBRI I.

QUATUOR HOS VERSUS ANTISTES DAT HERIBERTUS.

Hæc tralatitia videntur.

DIversis horis laudandi scripta laboris
Legi, perlegi, crebro perlecta relegi,
Et nihil inveni vitium quod possit haberi.
Hoc tantum dico, tua tuque placetis amico.

Hæc alieno loco posita. Anno Domini MCCCICV. Reverendus in Christo Pater Dominus Ludovicus Venerabilis Abbas hujus Ecclesiæ M.... Pater pauperum, corona monachorum & Venerabilis Dominus..... Abbas successit.



A R-

ARNOLFI

EX

COMITIBUS

DE

CHAM ET VOCHBURG,

MONACHI

SANCTI EMERAMMI,

PRÆPOSITI ET MAGISTRI,

DE

MIRACULIS BEATI EMERAMMI,

ET

DE MEMORIA CULTORUM EJUS,

LIBER II.

DIALOGO CONSCRIPTUS,

In quo multa ad Ratisbonensem Ecclesiam spectantia, præsertim de S. WOLFGANGO Episcopo, & S. ROMUALDO Abbate.

A Canisio primùm ex MS. cod. editus.

INCI-

SÆC. XI. ANNO 1010.

INCIPIT LIBER II.

DE

MEMORIA
B. EMMERAMMI
ET EJUS CULTORUM.



UMANIS rebus exempto, ut in calce libri prioris descripsimus, *Michaele Reginopolitano* Episcopo, qualiter Dei omnipotentis misericordia, super hujus Ecclesiæ clerum & populum vigilaverit, quemve princeps pastorum suis ovibus præesse voluerit, quemque ad pastoralem curam in secreto suo, cui omne cor patet, elegerit, occasionibus hujusmodi patefecit. Erat quidam vir genere ingenuus, virtute strenuus, natione *Alamannus*, nomine quidem *Wolfgangus*, cujus ipse interpretationem in quodam loco, *Lupambulus*, jussit inscribi. Is primum inter Canonicos sive clericos laudabilem & castam duxerat vitam, dein arctioribus regulis implicari desiderans, in *Suevia* apud Cœnobitas, qui *Solitarii* vocantur, monachum professus est. Quem cum non solum fortiter vitiis resistere, sed etiam virtutibus assuefaceret libere insistere, acrius intendens aciem mentis in speculum geminæ dilectionis, videbatur sibi cum simplo & abscondito talento, quasi vacuus apparere in conspectu Domini, nisi eo exposito & duplicato aliorum quoque consuleret saluti. Cujus rei gratia monasterium & monachum deserens, imo secundum Apostolum majora æmulari charismata cupiens, per *Alamanniam* devenit exul in *Noricum*. Ad cujus orientalem partem cum humili comitatu pertendens prædicandi gratia, *Pannoniæ* petiit confinia. E qua, per *Piligrinum Pataviensem* Episcopum evocatus piæ, ut decuit, humanitatis ab eo suscipitur & fovetur officio. Apud quem & jam rogatus & jussus mansit aliquot diebus; hoc inter cætera prudenti secum tractans mente, quare prohibitus sit ab adducenda ad *Deum Pannoniorum* gente: Quo commorationis tempore idem Episcopus optimè usus, ut pote, qui erat adprime eruditus & genere nobilissimus, juxta hoc, quod Apostolus dicit: *Probate spiritus si ex Deo sunt*, clandestina & manifesta divini servitii observatione, ac assidua sacræ Scripturæ indagatione satis probavit, hunc quem susceperat peregrinum, non esse gyrovagum, sed stabilem veræ fidei domesticum. Unde & quosdam de suis familiariter pro eo alloquitur, dicens: O quam fœlix Ecclesia, quæ, DEO volente, isto donabitur Sacerdote: Ergò necessarium valde videtur mihi & utile, ut huic famulo DEI petam regimen *Ratisbonensis* Episcopii: quia optime convenit, sicubi abundat bona voluntas, ut eam etiam ad bona opera procedere faciat benè collata facultas. Bonum quippe, quod hic vir seminare voluit in paratis cordibus paganorum ad salutis obsequium, quod repulit cæcitas illorum, quandoque fortassis hoc eodem agrum dominicum excolente dabit fructum suum in populis Christianorum. Adhæc quidam respondentes dixerunt: Qui fieri potest, ut iste pauper & ignotus ad honorem accedat tanti Episcopatus, cum jam aliquæ alti sanguinis personæ, hunc apud Imperatorem prædiis & pecunia compensantes sibi tentaverint acquirere? Quibus ille refert verba ponderosa, sed non adeo morosa: Divina & humana valde inter se probantur distare judicia. Hinc scrutator cordium & renum, ab initio mundi elegit contemptibilia, nec non ignobilia, ut confunderet fortia: & è contrario mundus, quod suum est superbe ad horam extollit, ac in brevi cum confusione distollit. Unde operæ precium censeo, quo mittam ad *Marchicomitem*, cujus consilio multa solet facere Imperator, ut suggerat ei, ne per ambitionem, aut simoniacam hæresim quemquam Episcopalem sinat accipere dignitatem. Sed ob æternam remunerationem, quem humilem & modestum ac erudi-

Wolfgangus Episcop. Ratisbonensis.

1. Cor. 12.

1. Joan. 4.

1. Cor. 1.

eruditum invenerit, nec non officiis Ecclesiasticis aptum esse probaverit, hunc cujus- SÆC.
cunque sit conditionis vel parentelæ, promoveri faciat ad culmen Ecclesiæ. Quid XI.
plura? per legationem Episcopi ac suggestionem consiliarii, Cæsar suæ & Ecclesiasti- ANNO
cæ utilitatis admonitus, immo, quod verius est, nutu Dei, cujus in manu cor Regis, 1010.
Princeps bonus OTTO II. animo mutatus, omnes qui pro eodem Episcopatu adipi- *Proverb.*
scendo laborabant, avertit, & se totum ad electionem venerandi viri *Wolfgangi* con- 21.
vertit, sicque legatos post eum celeriter mittit. Qui ut jussi fuerant pergentes inve-
nerunt eum adhuc cum prænominato Episcopo commorantem, sed jam ad patriam re-
pedare cogitantem. Ignarus enim erat legationis & cæterarum rerum pro se gesta-
rum, & idcirco animum intendebat aliorsum. Cumque legati, quare venerint, ei in-
dicarent, primum recurrit ad secretarium cordis, se suaque Deo commendans in inti-
mis, dein Episcopo, cujus charitate ibi detentus erat, causam suam exponens, id, quo
gravabatur temperamento levigabat simplicitatis columbinæ ac prudentiæ serpentinæ,
atque in hunc modum proloquitur dicens: Hoc novum quod mihi per nuncios Prin-
cipis venit, charitas tua effecit, cui præmium bonæ voluntatis absque dubio erit; sed
meæ parvitati timorem incutit; quia nescio si voluntas Dei sit, & quia mundus sub
specie religionis multos ad vitia trahit. Cui respondens Episcopus dixit: Quod dicis
te timere, hoc mentis est providæ. Sed hanc in bonam spem erigit Psalmista, qui *Psalm.* 110.
dicit: Initium sapientiæ timor Domini, & iterum: Timor Domini sanctus permanens *Psalm.* 18.
in sæculum sæculi; Quem Apostolus commendans ait: Noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11.
Idem alibi de Episcopatus desiderio ait: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus de- 1. *Tim.* 3.
siderat. Unde & tu, si cum tua salute aliis appetis prodesse, bonumque opus in omni
loco desideras adesse, sub timore & humilitate ad Episcopalem ordinem vocatus, ne
abnuas accedere; alioquin incidere videris in illud quod David dicit: Qui noluit be- *Psalm.* 108.
nedictionem, elongabitur ab ea. Quod cavens omnimodis, conare connumerari cum
illis, de quibus scriptum est: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor fir- *Dan.* 12.
mamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.
Hujus atqui executione officii pervenies ad hoc, ut in retributione justorum, tibi dicat
dominator omnium: Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super mul- *Matth.* 25.
ta te constituam: intra in gaudium Domini tui. Talia quoque Pontifice proloquente,
vir venerandus per mentis speculationem, dispensationis divinæ intuens moderamen,
subsequitur dicens: Ecce servus Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Tunc *Luc.* 1.
arrepto itinere cum his, qui missi erant à Principe, tetendit in partes *Occidentales*
Bajoariæ. Cumque perventum esset ad *Reginam* civitatem, clerus & populus secun-
dum morem Ecclesiasticum, unanimiter Episcopali facta electione, ad Imperatorem
eum miserunt cum universali legatione. Qua clementer suscepta, & beato viro ab
Episcopis probato, ac sermone in præsentia eorum ab ipso sapienter prolato, Impe-
rialis eum assumens potentia per * pediam pastoralem, honorem ei dedit pontifica- * *pro pedum.*
lem; statimque, ut curam sui, & gregem dominicum illi commisit, non cum parvo
comitatu ad *Ratisbonam* eum remisit: Ubi cum multorum fideli & favorabili susci-
peretur occursu, primum beato Emmerammo se humiliter præsentavit, deinde per sin-
gula Ratisbonæ monasteria Sanctorum petiit suffragia, novissimè verò solenni facta
præparatione, seu processione ad sancti Petri Ecclesiam accessit. In quam cum can-
ticis lætitiæ & exultationis voce introductus, atque more Pontificum secus altare in-
tronizatus, à clero & à populo summo pastori commendatur, nec non à *Friderico*
Archiepiscopo & illius suffraganeis post aliquot dies in sacerdotem Apostolicum ibi-
dem consecratur. Quam ille consecrationem nolens vacuo secum portare vocabulo,
die noctuque Pontificali studiosissime excoluit officio, ut gratiam sancti Spiritus abun-
dantius, sub hoc ordine posset habere in cordis hospitio. Cujus inspiratione suaviter
tactus, & ad omnia cautus ac providus factus, ob Episcopale fastigium, nequaquam
voluit mutare monasticum habitum, quasi erubesceret monachus esse, qui fuerat; sed
quam intus habuit humilitatem mentis, foris ostendit bonis exemplis, & mediocribus
vestimentis. Memor etiam Salomonicæ admonitionis, quæ dicit: Constituerunt te *Eccl.* 32.
Principem? noli extolli: esto in illis quasi unus ex illis. Non dominari quærebat in
clero, sed gregi dominico forma esse studuit mane & sero, prudenter advertens, im-
mo prudentius à se avertens, illud eloquium, quod per Ezechielem Prophetam invehi- *Ezech.* 34.
tur contra malos pastores, Domino dicente: Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos,
& non greges meos. Unde ipse totus in divina lege devotus inter cætera pastoralis
curæ ministeria, sermone, quem ad populum inter Missarum solennia fecit ex more,
in tantum Ecclesias plebem assuefecit frequentare, ut per dies solennes vix domi re-
manere viderentur rei familiaris custodes. Ad prædulcem enim tanti Pontificis exhor-

SÆC. XI. ANNO 1010.

tationem, certatim sexus utriusque turba confluxit, quam illuc fragrantia cœlestium aromatum, ipso, ea qui dedit, ventilante adduxit. Apium videlicet instar, quas post se trahere videtur mellis odor & nectar. Quibus pater pius summopere desiderans esse utilis & aptus, & disputando de regno Dei, & calcandis vanitatibus hujus mundi, perplexis & sophisticis minimè utebatur sententiis, sed sic melliti oris dulcedinem, per quandam, quam verbis explicare non potero, temperabat austeritatem, ut simplici & optimo genere locutionis, tangere videretur intima cujusque cogitationis, talique arte nonnullorum ex oculis lachrymas eliceret indices cordis. Hanc siquidem tam validam à Spiritu sancto acceperat gratiam, quo hi, qui prædicanti assisterent, & eum intentè audirent, raro aut nunquam abscederent ab ejus prædicatione, sine lachrymarum effusione. Quo pergrandi bono à largitore omnium bonorum hominibus concesso, per malitiam suam sauciatus humanæ salutis inimicus, & ei obviam ire conatus, invidiam, quam semper habebat, quibus poterat, viribus exercebat. Nam die quadam, cum prædictus beatæ memoriæ *Wolfgangus* Episcopus solito more ad populum ex pulpito vel ambone concionaretur, diabolus aliud non inveniens, Domino prohibente, quo adversaretur, subito concitavit turbinem, & cum turbine tumultuosam turbationem, ac nihilominus cum turbine confusum murmur & clamorem, nec non super tectum Ecclesiæ fragorem dedit ingentem, & intra Ecclesiæ receptacula, pulverem dispergens ac nebulam, aliquorum obtutibus caliginem obfudit tenebrosam. Quibus ex improviso visis & auditis, populus perterritus, imo quod pejus erat, penè mente alienatus, cœpit concurrere & discurrere, incertus, confusis omnibus & turbatis, in quam partem se tutius ac rectius posset convertere. Interim audiebantur voces hinc dicentium. inde clamitantium: Ecce seditione facta multorum gladiis discinduntur jugula. Cumque pro clamoribus hujuscemodi sedandis multum, sed incassum laboratum esset à sensatis, tandem qui erant inimici machinationibus ludificati, tam vehementi excursu per turmas eruperunt de Ecclesia, ut ex tanta multitudine vix pauci remansisse viderentur in illa. Tunc Episcopus, quem tantæ commotio tempestatis juxta consuetudinem humanæ fragilitatis loco etiam propellere posset, si Christi servus non esset, quia domum in firma solidatam habuit petra, gradum non movit, sed stabilis & immobilis permanens, magna fide clamavit & dixit: Domine Jesu Christe solitam fidelibus tuis accommodans gratiam, concede, ut hodie videant gloriam nominis tui, & confusionem Diaboli. Quæ verba secuta est serenitas aëris & serenitatem recursus in Ecclesiam plebis. Cui venerabilis antistes mox aromata & unguenta sacræ doctrinæ effundens, adeo illa die, sibi de cœlis DEO dulcedinem sermonis instillante, profuit, ut manifestè inimicum vicerit vel fugaverit, qui perturbationis nimietate pene omnibus obfuit. Unde & postea fidelium devotio hanc consuetudinem cœpit pro lege habere, quo per stationes, Episcopum turmatim prævenirent & sequerentur, ac prædicationis erogationem, summa affectione, utpote Apostoli bonum amplecterentur odorem. Per quem idem venerandus pater, ad pietatis exercitia, oves dominicas de die in diem magis magisque adtrahere studebat, more scilicet animalis, quod panther dicitur, qui ut physiologi perhibent, omnibus animalibus amicus, exceptis dracone & serpentibus, cuncta animantia, quæ in vicinitate sui sunt, emisso bono odore ad se solet adducere, atque miro modo amorem suum illis ingerere.

*INCIPIT DIALOGUS.

DUM hæc scribo & animum ad alia scribenda sollicitus præparo, adest mihi frater Ammonitius comes rerum mearum fidelissimus, qui me convenit officiosè sic proloquens: Ubi est dialogus, quem devovisti te scripturum in nomine Domini de miraculis B. Emmerammi, & de regimine illius monasterii? Es quippe debitor sponsionis, aut fortis excusationis. Tum ego, Minime diffiteor quin debitor sim. Sed propterea distuli, quia non certus eram sub cujus persona potissimum conficere possem dialogum; cum perplures de laudibus nostri patroni, & de aliis utilitatibus mecum sæpe disputaverint, & se parvitati meæ necessitudinis vinculo junxerint. Respondit, qui supra; Sit tibi, secundum Salomonem, consiliarius unus ex mille, & de hac re securum te faciet. Nam si vis, personam Ammonitii

Eccl. 6.

* *Ita in m. s. Non esse hunc diversum librum, sed hic incipere dialogum, quo liber secundus conscriptus est, patet ex fine* cap. 17. *lib.* 1. CAN.

nitii convenienter poteris habere, pro quolibet fratre te ad bonum commonente vel exhortante. Nec est quisquam amicorum, qui se dicat contemptum, alterumque in hoc sibi indignetur esse prælatum. Proinde absque comperendinatione assume dialogum, & sicut proposuisti, laudibus martyris intexe memoriam confessorum Christi, nec non huic admisce, quicquid animus rectè seu opportune tibi dictaverit, aut ratio ad scribendum persuaserit. Paratus sum, inquam, facere quod hortaris, sed hoc prius à lectore humiliter postulandum censeo, ne in opusculis meis quærat artificiosam verborum compositionem, sed simplicem attendat, si velit, humilis styli operationem, qua mihi meisque sudare malui confratribus, quam absque manuum opere inveniri otiosus. Hac fiducia & hac intentione procedit opus inchoatum. Igitur beatæ memoriæ *Wolfgangus* Ratisbonensis Episcopus perspectis & intellectis rebus Episcopii dispensatione divina sibi commissi, inter cætera, quæ ei pastoralis curæ sollicitudo procuranda, sive corrigenda injunxerat, gravius tulit, monachos beatissimi Martyris Emmerammi eatenus Abbate caruisse, & quasi oves errantes sine pastore fuisse. Hujus rei gratia misit ad *Treverense* monasterium, in quo beatus *Maximinus* corpore quiescit, & inde reverendum senem *Ramvoldum* evocavit, qui quondam sub *Henrico* Archiepiscopo ejus capellanus fuit. Quare, inquit Ammonitius, tanto tempore sine Abbate fuerant, si monachi erant? si verò monachi, sub cujus regula degebant? Hæc quoque enucleari ipsa ratio poscit. Hoc est, inquam, quod brevi revelatione cognoscere potes. Fuit quippe prisca consuetudo in Ratisbonensi Ecclesia, ut qui antistites, iidem essent & Abbates. Quorum nomina quidam ob temporalia commoda tenebant, non officia. Timebant enim ne si monasterio Abbatem præesse facerent, quia à patre monasterii omnia speranda sunt, sibi coactum minueretur obsequium. Ob hoc * atqui licentiam dabant monachis aliunde acquirere, pro victu & vestitu, quæcunque possent, quia ipsi bonis, quæ ad annonam eorum pertinebant, ad suum abutebantur servitium. His dictis, frater cum quo dialogum cœpi conserere, usus nomine suo, ammonuit me in aurem dicens: loquere cautè & scribito cautius. Nam si Episcopi hæc audierint dicta vel viderint scripta, fortassis dicent, velle te eos rapinarum & injustitiæ notare, sicque libertatem tuam superbiæ deputabunt; quasi tu temere eos carpere tentaveris, pro quorum defensione scriptura clamat, imò Dominus per scripturam præcipit, dicens: Nolite tangere Christos meos. Et iterum: qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, Cui respondi lingua & stylo. Si Episcopi sunt quod dicuntur, non nobis obsunt, sed valde prosunt. quod & efficere dignetur Princeps pastorum, in quo plenitudo est omnium bonorum. Tibi vero quia sic placet, immo quia justum est, habeamus pacem cum eis, & simus subditi illis. Illud autem scire te volo, quia non me pœnitet vera dixisse, quandoquidem boni non solum bonis, sed etiam malis utuntur ad bonum. Sed jam tempus exigit, & desiderium tuum, ut revertas ad narrationis meæ reliquias. Est quoque alia causa, per quam non sunt constituti Abbates in prænominato monasterio. Ex eo quippe tempore quo primum à beato *Bonifacio* Apostolicæ Sedis Vicario, juxta decreta canonum, in *Bajoaria* ordinabantur Episcopi, vicissim sibi succedebant in hujus Episcopatu monachi atque canonici, ita ut si antecessor esset canonicus, fieret successor monachus, & iterum huic antecessori succederet canonicus. Hæc consuetudo usque ad nostra permansit tempora. Episcopalis verò sedes erat apud S. Emmerammum usque ad tempora *Caroli* Principis, qui hanc restituit in civitatem ubi prius erat. Quod autem percontatus es, sub cujus regula degerent, paucis absolvam. In primis ergò promissionem faciebant, secundum regulam sancti *Benedicti*, coram Episcopo Abbatis vices agente. Dein licentiam dedit eis Episcopus dandi & accipiendi propter inopiam loci. Lineis camisiis utebantur seniores, qui eas habere potuerunt, cæteri laneis induebantur, ob penuriam scilicet cilicinarum vestium. Præpositus & Decanus monasterium regebant post Episcopum. Qui majoris erant ætatis, habebant cellas seu caminatas, junioribus inter se divisis propter custodiam. Communiter pauperem annonam habebant, volatilia manducabant. Cætera faciebant secundum consuetudines, quæ in monasteriis regalibus ad id temporis fuerant. Quæ cum displicuissent prænominato viro, reverendo scilicet Episcopo *Wolfgango*, uti prædiximus, *Ramualdum* annis & moribus maturum assumpsit in opus ministerii divini, & constituit eum primum præpositum, dein Abbatem monasterii. Quod ægrè ferentes aliqui ex consacerdotibus & consiliariis antistitis, dicebant, Ut quid tibi & sacerdotibus tuis perdis bona, ad S. Emmerammum pertinentia? Laudant te multi, sed in hoc non laudant; immò vituperant. Utere ergò Pontificis ac Abbatis officio, sicut antecessores tui facere consueverant usque modo, ne carerent quarundam rerum emolumento. Hujusmodi quoque insipientia, est sapientiæ sale condienda. Quibus ille prudenter respondit, dicens, Non erubesco

Sæc. XI. Anno 1010.

Wolfgang. Episc.

Ramvoldus Abbas.

* *atqui pro itaque sæpe usurpat.*

1. Paralip. 16. Zach. 2.

Sæc. XI. Anno 1010. insipiens & stultus dici propter Deum. Hoc autem scire vos volo, quia nunquam mihi imponam onus, quod portare non valeo, Episcopi nomen, & Abbatis, mihi vendicando. Nam ut beatus *Gregorius* testatur, valde incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine, sicut oportet, quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus. Sufficit enim Episcopo, ut summa vigilantia insistat pastorali officio. Et Abbati satis laboriosum, quamvis multum fructuosum, providere fratrum saluti, & per omnia benè procurare res monasterii sui. Unde & ipse etiam distribuere debet inter fratres officia, in quibus non leviter leviget onera sua: rememorando scilicet viri prudentis, quem prænominavimus, dicta & scripta, in quibus continetur: Sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Cæterum ut prosequar, quæ proposuistis; B. Emmerammi bona, quæ me pessundare conquesti estis, perdere nolo, sed illi cui tradita sunt ac servorum Dei usibus & nostræ sedi omnimodis conservare volo. Sed longe aliter sese res habent hujuscemodi quàm cogitatis. Vix etiam pœnas evadere poterimus, qui sanctorum bona famulatui nostro deputavimus, non solum quantitate majora, sed etiam qualitate meliora, & illis justitia coacti seu superati reliquimus minora, qui viciniores eo quo frequentiores die noctuque familiarius adhærerent Christo, laudantes eum in sanctis ejus electis. Adhæc respondebant, qui quæstionem movebant, Misericordiam & judicium Domino cantasti, humanis divina, ut justum est, prætulisti, vetera utiliter immutasti: quid restat nostra parte, nisi ut pariter dicamus, Deo gratias: Amen: feliciter?

Greg. Regist. lib. 3. epist. 11.

Finem sententiæ hujus, inquit Ammonicus, ut mihi videtur, satis congrue conclusisti. Sed fortassis aliquibus hoc displicet, quod tam morose & quasi dormitando scribis ac dictitas. Ergo jube stylum velociter currere. Ajo ad eum, Infirmitate interdum & occupationum varietate præpedior, ne cito quæ scribenda sunt proferam. Sed quia tibi hoc comate satisfactum esse non ignoro, dilectionem tui & cæterorum, quibus impatientia longum tempore facit, haud ordine, si quid aliquandiu protelетur, quod videre desiderant & audire: primum dictis beati *Hieronymi* commonefacere volo, dein subjungam, qualem quibo invenire sententiolam. Hic enim verè spermologus nominandus, in quadam Epistola quam ad *B. Augustinum* scribit, solida usus brevitate dicit: sæpe *quod præceps est, in casum vertitur.* Cujus versiculi brevitatem convertens ad meam utilitatem, paulatim incedendo vel scribendo, cavere desidero laqueos hæreseon, in quos multi cautela neglecta, & sensuum suorum confidentia præcipites inciderunt. Illud autem quod dixisti me quasi dormitando dictitare, commonefacit me, ne sim Dormitantius, sed ut studio liberali efficiar Vigilantius. Quod utinam sequi velim & valeam, ut lucrifaciam animam meam. Adhæc dialogi socius infert; ammonitiunculam meam ne putes injuriam. Edissere potius egregia, quæ cœpisti narrare, confessorum Christi præconia. Quamvis inquam importunus exactor mihi insistas, adeo ut etiam gravare me videaris, tibi tamen charitate jubente, prout potero, satisfacere tentabo.

Hieron. Epistola 89.

Venerabilis igitur antistes Wolfgangus, vir inter Episcopos magnæ auctoritatis, inter canonicos regularis, inter monachos pietate singularis, humilitate sublimis, charitate communis, secundum Apostolum, omnibus omnia factus, præcipue eleemosynarum largitione pollebat. Quarum laudabilium ministerio, seu cæterarum virtutum offertorio, quia placuit Deo, multis, dum adhuc esset in præsenti seculo, patuit indiciis. Horum unum didici narrante quodam sene fideli, cujus narratio talis fuit. Militem sub me habui, qui quadam die cum aliis affuit * *in Basilica sancti Pauli* ubi beatus Præsul Wolfgangus missas celebravit. Cumque eum humili veste primum, utpote monachum, adspiceret indutum atque dein sacerdotibus vestimentis videret infulatum, plebeia stoliditate despexit: & cordis ore murmurans dixit: Valde insipiens fuit Imperator illo tempore, quo pannosum istum ac despicabilem, in pontificali promotione prætulit potentibus personis, quæ abundant in regionibus suæ ditionis. Quam murmurationem, qui novit cogitationes hominum, eodem momento, & clementer increpavit, & evidenter ad emendationem hujus vitii manifestavit. Nam ut in Evangelio ad cogitata respondit, ita hujus hominis cogitatam murmurationem ad tempus abscondit, quo & ille in præsentiarum corrigeretur, ac murmurationis malum ab aliis in futurum devitaretur. Nimio quippe terrore subito correptus, astantium sustentatione vix residere potuit. Quem cum viderem tremebundum & pallidum, illico accurrens sciscitatus sum, quid haberet, vel quid pateretur. Tum ille sacerdotibus adhibitis confessus est; quia contra virum Dei male cogitaverit, & ob hoc periculoso timore

Wolfgangi charitas. 1. Cor. 9.

** Hæc verba in m. s. alia litera ascripta sunt.*

timore perculsus sit. Quanta verò formido illum seu passio arripuerit, satis probavi, eundem penes me domi retinens aliquot diebus. Cujus curam cum egissem, & multipliciter salutem ejus quæritassem, consilio Presbyterorum, qui pro eo laborabant, nec orationibus ei sanitatem restituere poterant, reduxi eum in civitatem *Hiatospolitanam*, ubi contigit illi hoc malum bonum. Ibi quoque ad pedes Episcopi me humilians, cum vellem hominis ærumnam & meam exponere, Vir Dei nec dum sibi caussam, pro qua veni, aliquo hominum annunciante, anticipavit quod dicere volui, dicens: Surge, tace, scio quid velis. Et conversus ad vicedomnum ait, Frater Tagini tolle aquam sacratam juxta lectulum meum, ac sparge super hominem præ foribus cubiculi stantem. Ipse autem contra ostium manu crucem pingens, nescio quid murmurabat. & sanatus est homo in illa hora. Vere, ait Ammonicius, malum conversum est in bonum. Nam non solum increpatione militis, vindicata est injuria Pontificis; sed insuper etiam ejusdem sanitate mirifica, nec non spiritus revelatione magnifica, declaratum est multis, meritum tanti sacerdotis. Quem valde miror prænominatum vicedomnum adeo dilexisse, cùm fuerit, ut audivi, iracundus, ac supra modum severus, & ob id, pene omnibus qui in Episcopio erant, exosus. Episcopus autem erat mansuetus & pius. Certe, inquam, nec ipse erat sine serveritate: alioquin minus observaret, quod Apostolus dicit: Argue, obsecra, increpa. Virum autem quem dicis, ob severitatem, pluribus exosum, accepi strenuum fuisse ac ingeniosum. Qui propterea venerando antistiti extitit charus, quia valde necessarius; & quia illum, si in aliquo reprehensibilis erat, per immutationem dexteræ excelsi meliorandum, spiritu revelante, agnoverat. Is namque post obitum beati præsulis Wolfgangi, cui fideliter adhæsit, *Henrico* Imperatori inter fidelissimos ministravit. Quo jubente apud *Parthenopolim* Archiepiscopus factus, cùm plurigena polleret probitate, magis claruit pia eleemosynarum dapsilitate, nec nón humili corporis castitate, & nihilominus laudabili vestitus mediocritate. Non enim verrebat terram, sicuti multi facere solent, tunicis & pelliciis, magno pretio acquisitis, sed, quod usu mundano rarum est, forti tenore mentis, contentus ovium vestimentis, quotidie Missas celebrare curavit, atque integrum psalmodiæ censum devotissimè persolvere non cessavit. Cujus corpus anno videlicet septimo post resolutionem ipsius, integrum est inventum: gloria resurrectionis adeò in eo resplendente, ut astantes & intuentes valde mirarentur ejus nitorem atque incorruptionem; cum successoris illius vestimentis etiam consumptis ossa tantummodo nuda remansisse viderentur. Verè memor Dominus dictorum suorum, quibus fideles suos consolatur dicens: Et capillus de capite vestro non peribit. Ecce qui omnia benefecit, ad corroborandam fidem in se credentium, in quibusdam servis suis, nunc ex parte ostendit, quod in generali Resurrectione in omnibus pleniter perficiendum erit; tunc proculdubio, quando electus quilibet surrexerit, Occurrens in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Fateor, ait socius Dialogi, qui mihi displicuit, placet; & quia ubi veritas talia ostendit, nemo qui sanum sapit, per incredulitatem offendit. Sed jam tempus est, ut revertaris, unde digressus es: &, ni fallor, narrationis ordo postulat, ut plenius enarres in sequentibus vitam Abbatis venerandi, quam in præcedentibus parum tetigisti. Me ad obediendum, inquam, habes paratum, sed summopere implorandum est ejus auxilium, qui in Evangelio dicit: Sine me nihil potestis facere. Illius ergo gratia nos præveniente atque comitante, benè procedit nostra oratio pariter & operatio; quæ meapte quantulacunque est in nomine Domini cupit prosperari. Igitur venerabilis pater *Ramuoldus* commisso sibi regimine monasterii, quis ante hoc fuerit, satis in hujus administratione declaravit. Nam palæstra primum spiritali semetipsum exercens, ac deinde subditos virtutibus insudare assuefaciens, omnimodis conabatur facere & docere, quæ noverat esse justa, sancta, pia, & honesta. Unde & multi etiam nobiles, piis ejus actibus provocati, seculum reliquerunt, atque illius magisterio humiliter se subdiderunt. Inter quos, & cum quibus quæ gravitas illi, quæ continentia, quæ puritas, quæ largitas in eleemosynis, quæ custodia humilitatis, qui sumptus ingenii fuerint, non est meæ possibilitatis per totum enarrare & uti dignum est prædicare. Censerem quippe eruditissimis & disertissimis viris relinquendam totam molem ac dignitatem materiæ, nisi scirem pauperis devotionem Deo non esse despicabilem: qua spe animus erigitur; & quamvis tenuis ac rusticus, confidenter tamen currit stylus meus & calamus, gesta Sanctorum scriptitans: quia regnum Dei non est in sermone, nec in eloquentiæ nitore, sed in opere & veritate. Præclaras & magnificas virtutes idem vir Dei, ut cœpi dicere, laudabiliter possedit, & viriliter excoluit. Tenorem atqui matris virtutum, id est discretionis, tam ingenue suis omnibus præfixit, ut hæc illi de supernis quasi singulariter concessa

Marginalia: SÆC. XI. ANNO 1010. — Regensburg. — Vide notas. — 1. Tim. 4. — Henricus Imp. — Luc. 12. — Ephes. 4. — Joan. 15. — S. Ramuoldi virtutes. — 1. Cor. 4. — Discretio mater virtutum.

Sæc. XI. Anno 1010. cessa videretur. Hac etenim virtute suffultus, principalibus quatuor sic usus est, ut per prudentiam, ignavia hebetudinis abjecta, nequaquam ei è regione subreperet versutia. Justitiam quoque, juxta quod possibile est mortalibus, per omnia sic retinuit, ut nec in plus justo modum excederet, neque in minus justo diu succumberet. Per temperantiam verò sic ligavit passibilitatem, ut nullatenus desiperet per insensibilitatem. Fortitudinis autem armis ita fruebatur, quo per eam hoste superato & timiditate fugata, nusquam prorumperet protervitatis audacia. His & talibus pater venerandus in viam justitiæ directus, & in semitam mandatorum Dei, quam ipse voluit, deductus, dona S. Spiritus vasis virtutum septempliciter infusa & distributa totis viribus venerabatur: nec non etiam sollicitus, tàm pro se, quàm pro aliis prudenter observabat in omnibus, secundum *Gregorianam* sententiam, ne sapientia elevaret. Ne intellectus, dum subtiliter curreret, aberraret. Ne consilium, dum se multiplicaret, confunderet. Ne fortitudo, dum fiduciam præberet, præcipitaret. Ne scientia, dum nosset ac non diligeret, inflaret. Ne pietas, dum extra rectitudinem se inclinaret, intorqueret. Ne timor, dum plus justo trepidaret, in desperationis foveam mergeret. Hæc strictim, ô Ammonici, veluti majora charismata proposui, quibus erat præditus vir Dei. Nunc assumam alia, & paulo latius edisseram quædam minora, minoribus ad imitandum satis magna, quorum ille provectu exercitatus, cum esset statura pusillus, sed scientia & pietate magnus, per ascensum arboris virtutum quotidie meruit

Psalm. 24. videre Jesum. De quo cum Psalmista dicere potuit: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Adhæc infert Ammonicius. Valde me delectant orsa, quæ de homine Dei lepide sunt prolata. Ecce audio Zachæum & non

Matth. 9. Publicanum, quamvis & Jesus cum publicanis & peccatoribus manducaverit; audio spiritalem patrem, audio virum magnorum operum, quæ licet pauci sint, qui perfecte imitentur, tamen sunt perplures, qui Dominum ejus in Sanctis venerentur. Ergo

Psalm. 44. velox esto in dictando & scribendo, & imitare Psalmographum dicentem: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Desidero enim gesta illius audire, quem in corpore positum non merui videre. Esto patiens, inquam, & discretus: desiderio quidem tuo satisfacere conabor. Verè ut ex parte præmisi, membrum Christi fuit venerabillimus Abbas *Ramuoldus*, cujus membra inhabitator cordis illius, Spiritus scilicet almus, in ipsa decrepita ætate, adeo reddidit jocunda & decora, nec non quadam veneratione digna, ut penè contra naturam in agilitate & puritate septennis pueri gratiam præstare viderentur. Quod inusitatum si aliquando aliqua occasione contigerit

2. Cor. 11. in ullo mortalium, non est fidelibus nisi in Sanctis & electis notandum. Transfigurat enim se Satanas in Angelum lucis, quem perfecti vix devitare poterunt vel superare. Contra quem Dei vir militiam strenue agens Christianam inter cætera bonæ consuedinis officia, post frequens & utile silentium, blandum habebat eloquium. Quo in divinis rebus erat ei sermo copiosus; in humanis quidem brevis non otiosus. Habitus quoque illius mediocris fuit, & absque simulatione monasticus. Victus vero tantillus, ut non superabundaret, sed refectioni sufficere posset. In hoc sæpè extitit sibimet ipsi parcus, cæteris autem dapsilis & largus. Post cibum sustentaculo corporis necessarium, quando verba solent abundare, pro mille passuum deambulatione, exercebatur in psalmodia seu lectione. Maximam autem curam habuit circa pauperes Christi. Unde & in refectione quotidiana, pauperum quinquaginta, exceptis duodecim & tribus, quibus fratres ministrabant, quinquagenariam excolens misericordiam, remissionem eodem numero consecratam promereri satagebat, apud ipsum misericordiæ fon-

Matth. 5. tem, qui dicit in Evangelio: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Iste homo cupiens nimis opere implere, quod scriptum est: Date eleemosy-

Luc. 11. nam, & omnia munda sunt vobis. Quæ sibi, utpote seni & infirmo ad refocillandum corpusculum parum delicatius præpari jusserat, frequenter in usus pauperum converterat. Interdum & ipse aliquantulum ex eis ob humilitatem simul & necessitatem degustans, cætera divisit inter pauperes & infirmos, qui debilitate & nimia ægrotatione præpediti, ad Ecclesiam occurrere non poterant, ubi eleemosynam accipere debuerant. Hoc opus sibi percharum injunxerat cuidam familiari & fideli, cui speciale ob id præstitit beneficium, ut per totam civitatem circumcursans diligenter investigaret eos, in quibus Christus vestiretur & pasceretur. Mensa illius, secundum regulam *Benedicti*, semper erat cum hospitibus & peregrinis. O virum laudabilem, qui totus in misericordiæ viscera effusus, Christum in minimis suis colligere, pascere, & vestire curavit. Nec ab his operibus unquam pertæsus cessavit. Vestimenta quoque & alimenta, manibus aliorum, quibus hanc operam commisit, aliquoties pauperibus dari permisit; ipse verò marsupium secum portans, unde propriis manibus nummos & obu-

obulos egenis & peregrinis tempore oportuno erogaret, sacellarius eorum appellari & esse non erubuit; certus quod & Christus secundum promissionem suam, eum non erubescat coram Angelis Dei. Res ergò, quis ad portam monasterii adventantibus, debuerat ministrari, ante se minoratas atque subtractas, suis temporibus ita melioravit, & ampliavit, ut ad exhibenda humanitatis officia, usque in hodiernum diem, ibi satis sit compendiosum ex una parte xenodochium, ex altera parte miserorum venerabile nosocomium. Unde & ob frequentiam pauperum, consolationem ab eo quotidie accipientium, vocitatus est, *Pater Peregrinorum*, *Viduarum*, *Orphanorum*. Pro quorum benigna susceptione, nec non multiplici relevatione, quis est, qui dubitet, hunc senem venerandum cum ovibus à dextris collocandum. Quibus Rex sedens in sede majestatis suæ dicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi, & dedistis mihi manducare. Sitivi, & dedistis mihi bibere. Hospes fui, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus fui, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me. Horum particeps ut fieret secundum Apostolum, qui sine intermissione orare jubet, cum psalmographo iste vir Dei incessanter oravit dicens: Participem me fac Deus omnium timentium te, & custodientium mandata tua. His à me dictis ac scriptis, Ammonicus movit quæstionem dicens: Testimonium de Apostolo sumptum, quo continetur sine intermissione orandum, etsi credibile, velut quod subnixum est apostolica auctoritate, multis tamen videtur impossibile, atque modum humanum excedere. Dicunt enim, Quis est mortalium, qui cæteris omissis quæ sunt agenda, sine intermissione possit orare? Quid mirum, inquam, si cæcitas ignorantiæ se illis offuderit, qui nolunt intendere lumen divini sermonis, nos adhortantis: scrutamini scripturas; & invenietis in eis. De quibus alibi dicitur: Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est. Porrò in sacra Scriptura simpliciores quique si quærerent, invenirent, quæ sufficienter eos pascant: prudentiores verò habent in ea, quæ mirentur, & in quibus se exerceant. Quos Psalmographus designat, dicens: Ipsi viderunt opera Domini & mirabilia ejus in profundo. Unde & per quendam sapientem, eadem scriptura satis congrue comparatur fluvio, in quo agnus ambulat & elephas natat. De cujus fluvii quippe fluentis, hoc est sanæ doctrinæ imbutamentis, qui acceperit trinam cum unitate mensuram, id est, fidei sacræ mysteria & alia salutis donaria, primis, mediis & ultimis multipliciter ab uno didicerit fonte distributa, sentiet, hoc quod infirmitati humanæ videtur impossibile, ex divino adjutorio esse possibile; alioquin si neque est possibile, nec erit credibile; & cogimur Apostolum arguere, utpote, qui hoc fidelibus agendum præceperit, quod ipse non faceret, nec ullo modo fieri posset. Hujus itaque erroris involutio sive deceptio longè fit à nobis & omnibus Christianis. Dicamus ergò quòd fides recipit Christiana. Quia omni homini Deo famulanti quicquid rectè fecerit, pro oratione deputabitur. Verbi gratia, cum tu corporis curam necessario egeris, pro te orabit eleemosyna, seu cæterarum rerum administratio justa: si verò non est, unde tribuas, sufficiat bona voluntas. Quem ergò pro Paulo orasse credis, ô Ammonici, quando regnum Dei prædicans tota die, sermonem protraxit penè usque in mediam noctem? Ammonicius. Justitiam ac misericordiam. Et ego. Rectè judicasti. Sic enim opera justitiæ & misericordiæ probantur sine intermissione pro fidelibus orare; juxta hoc, quod idem Apostolus alibi testatur dicens: Ipse spiritus pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus. Quod non dicam sic accipiendum, quo spiritus gemat; sed quia quos orantes, pariter & gementes faciat. Fateor, inquit Ammonicius, mihi satisfactum esse in absolutione quæstionis propositæ. Sed desiderium audiendi præclara & utilia, morarum impatiens postulat, ut quæ adhuc dilectio tua, de viro Dei dicere habet, celeriter proferas, & sic ad alia strenuus cum salute, me comite, tendas. Fiat, inquam, si possibile est, ut à me cursim scribatur, quod à te tantopere desideratur. Immo fiat voluntas Dei omnipotentis, ut fragilitas humana, abjectis his, quæ vanescunt, velit & valeat, quæ verè bona dicuntur & sunt. Horum siquidem affectionibus valde necessariis ardenter inhians, suis temporibus venerabillimus Abbas *Ramuoldus*, cum ex dono S. Spiritus non solum in rebus interioribus patrem se spiritalem exhiberet Christi cultoribus, verum etiam in exterioribus dispensator existeret prudentissimus; utpote qui per ornatum Ecclesiæ nec non monasterii necessariam supellectilem ac multiplicem variarum rerum administrationem, seniles annos quodammodo juvenescere fecerit; & de thesauro sapientiæ nova cum veteribus protulerit; juxta hoc, quod tota præsens vita tentationibus est plena, sæpè tentatus, & per plura probatus; demum tam gravem sub vitio pituitæ vel * *scotomiæ* incidit tentationem, quo cæteris membris officia sua sat vividè gerentibus, oculorum suorum penitus amiserit lumen. Cujus ad tempus tristem de-

Sæc. XI. Anno 1010.

Matth. 25. I. Thess. 5. Psal. 118. Quomodo servi Dei sine intermissione essent. Joan. 5. Matth. 19. Psal. 106. S. Greg. epist. in Job cap. 4. Actor. 20. Rom. 8. Matth. 13. * in ms. f. altera litera.

SÆC. XI. ANNO 1010. defectum, ac afflictionis asperitate confectum, quam patienter vir Dei sustinuerit, quibusdam personis in sui præsentia super hac re quærentibus, etiam & lachrymantibus verbis hujusmodi patefecit: Cesset homo deflere pro defectivi luminis amissione, quod semper manentis certitudinem habet in spe, ex veridica Salvatoris promissione. Cæci non sumus, qui oculos per fidem jam illuminatos habemus. Cæcus autem est, & in tenebris manet, qui fidem quæ illuminat, minimè habet. Unde & ambulantibus in fide valde indignum videtur, usum præsentis luminis magni pendere; quod eis cum muscis ac vilissimis animantibus etiam serpentibus existit commune; Ergò libet totis viribus intendere in eum, qui dicit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. Cui si placuerit, lumen corporis, quod dedit & abstulit, facile reddet ac præsentabit: quod si facere noluerit, absque murmure benedicendus erit, & ut rex justitiæ semper timendus, atque ut pater misericordiarum ac totius consolationis tota mente, & tota virtute diligendus. His dictis & auditis, non illo, quo paulo ante, sed alio genere cœperunt manare lachrymæ, tanto uberiores, quanto utiliores. Recordabantur enim tàm ex Pauli sententia, quàm ex probalili viri Dei patientia, in infirmitate virtutem certissimè perfici. Quod & postea in venerabili sene virtus divina clementer simul & potenter dignata est declarare. Nam cum ferme biennium in percussione cæcitatis cæcus videns explevisset, quadam nocte discurrens inter altaria, ut ante solebat, frequens * venipeta, labori sacro vigilanter insistebat, nec ætati decrepitæ prius parcere volebat, quam per spiritum gratiam Dei adesse cognoscebat. Tum ante sanctam *Crucem* prostratus, nec non lachrymis & oratione satis humiliatus, corporis fatigatione quasi requiem poscente; imo Domino, qui non dormit neque dormitat, opus suum clarificare volente, soporatus est subitò, corpore non mente. Et ecce imago *Crucifixi* Domini nostri *Jesu Christi* visa est illi descendere de *Cruce*, & venire usque ad se: quæ stans coram eo utraque manu, sicut visum est ei, candelas ardentes, de candelabro super gradus cominus posito, tulit, & in oculos senis violenter infixit. Qui primum ob Dominicæ descensum Iconiæ, non parvum sustinens pondus agoniæ, dein per ignem advertens præclarum quiddam designari, atque per lumen sentiens tenebras fugari, surrexit lachrymis ac sudore perfusus, & è vestigio convertens oculos in pristinos usus, cœpit secum mirari, simul & altius cum interiori homine scrutari, quid sibi vellet, quod post tanti temporis luminum à multis desperatum receperat visum. Cumque in brevi super hujuscemodi re ratio satisfaceret homini, & homo rationi, tunc oris officio conjubilante cum cordis hospitio, magnificè gratias egit Deo, qui servum suum ita dignatus est visitare, ut & in castigatione corporali sibi esset correctio, & oculorum ejus revelatione ad sancta vel honesta multorum provocaretur affectio. Cujus rei gratia quo tenacius bonorum haberetur in memoria, homo Dei jussit inter cætera miraculorum signa, sive indicia, oculares circulos suspendi in Ecclesia, quæ beati *Emmerammi* Martyris corpore sacro dotata & meritis, nec non aliorum patrociniis prædita Sanctorum cœlesti specula mortalibus demissa beneficia solet ministrare quam plurima. Ob quorum salutarem collationem, ac frequentem, de hac venientis famæ volitationem, hic locus gaudet adventantium se receptare multitudinem. E quibus alii, qui languorum varietate gravantur, per viscera misericordiæ Dei nostri relevati, alii pro aliis necessitatibus dum exaudiuntur eadem misericordia consolati, voce & corde, pro communi omnium commoditate gratias clamant salutis auctori. Unde & nos, qui hæc scribimus & legimus, atque inter nos de talibus ratiocinando sermonem sæpe conferimus, non solum super his quæ hîc præ oculis & manibus habentur, verum etiam super universis donis ac beneficiis illius, pari voto laudem demus Deo.

Matth. 13. *Joan.* 8. & 12. *Joan.* 8. *Dan.* 3. 2. *Cor.* 1. 2. *Cor.* 12. * al. venipeta. *Esaia* 5.

Ammonicius.

1. *Thes.* 5. ÆQuum esse novimus, ut creatura creatori deserviat, atque juxta Apostolum, in omnibus gratias agat. Quod & libenter, pro modulo nostro amplectimur, primum præceptis Dominicis ac Apostolicis parendo, dein charitatis tuæ & aliorum sanis exhortationibus assentiendo. Sed hoc animos quorundam perturbat fidelium; quia multi existunt mortalium, qui vix in prosperis Deum laudant, in contrariis verò atque adversis non tantum non laudant; imo quod deterius est, vituperant sive blasphemant, dicentes; quicquid acciderit contra votum, opus esse diabolicum.

Collectitius.

QUia multi multa incaute ac mendaciter loquuntur, idcirco variis errorum decipulis periculosissimè implicantur. Quorum involutiones, qui cupiunt devitare, cum Paulo

Paulo insipientes sapienter debent sufferre, donec multitudo reproborum nihil minuens gloriæ filiorum Dei, ad nihilum redigatur, id est, in infernum trudatur; & paucitas electorum in cœlis nominatim scripta collocetur, cum multitudine Angelorum æternaliter gavisura, Christumque in regno suo semper visura; per eum, in eis completo numero angelici ordinis qui cecidit, quando Archangelus per superbiam cum suis sequacibus apostatavit.

SÆC. XI. ANNO 1010. 2. *Cor.* 11.

Ammonicius.

ME quorundam perturbationem quærente super insipientium vesana temeritate non solum qualiter sint tolerandi, brevi versiculo exposuisti: sed etiam insuper terribilem extremæ examinationis invehendo sententiam, atque Sanctorum gloriam commemorando magnificam, hunc eundem versiculum effecisti magis auctoritate divini sermonis ponderosum, quàm prolixitate morosum. Nunc ergo competens est, quatenus his remotis, qui nobis ob induratam sui stoliditatem esse solent labori potius quàm usui, stylum ad eos convertas, qui tota virtute conabantur vias bonas ambulare, & creatorem in omnibus operibus suis optime noverint laudare. Quorum gesta, quibus iter sæculi præsentis triverint, quia te dictante jam sunt ex parte commendata memoriæ, postulat charitas, nec non laboris tui utilitas, quo deinceps haud pigriteris, cudendo percurrere; ubi, quando, vel quomodo de hac vita migraverint, & in quibus locis corpora illorum collocata sint, quæve indicia sanctitatis eorum post mortem claruerint.

Collectitius.

QUod de sanctis viris, nec non eorum virtutibus miris hactenus scripsi, & adhuc scripturus sum, non parvum parvitati meæ incutit timorem. quia ego cognosco me peccatorem, & quia valde indignum videtur, ut peccator aut injustus, rem scribendo sancti & justi, materiam sibi vendicet operis ardui. Sub hac re consolationem porrigit timiditati meæ clementia illius, qui pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis. Cui quodammodo ministrat, qui ministrorum ejus memoriam ad laudem & gloriam nominis ipsius diffundit ac prædicat. Unde & ego animatus nec non contra ociositatis torporem armatus jubeo fiducialiter stylum arare propositiones charitatis tuæ.

Ammonicius.

DIlectionis operationem qui dat, ipse remunerat. Proinde tu spem ponens macte in adjutorio miserationis divinæ, perge viam alacris postulatæ narrationis.

Collectitius.

PErgam libens ipsum mihi adesse omnimodis cupiens. Igitur post multa pietatis & æquitatis opera, quibus Deo servire studebat, quibusque Ecclesiam sibi commissam regebat, sæpè nominatus sæpiusque nominandus venerabilis præsul *Wolfgangus* cum *Ratisbonæ* constitutus, rerum necessaria mutatione poscente, in orientalem hujus provinciæ regionem iter suum pararet, febricitare cœpit. Quam corporis molestiam vir Dei non solum vigiliis & orationibus animæ suæ fecit esse proficuam, sed etiam eleemosynis, opus & decus adaugens bonæ voluntatis, totum, quod habere potuit per manus pauperum in gazophylacium Christi transmisit; sicque partes orientis perrecturus, illi qui nescit occasum, vitæ suæ sedulis precibus commendavit excursum. Cumque per *Danubii* decursum ventum esset in puppi ad locum, qui dicitur *Puppinga*, ultra iter tendere non valebat; quia tempus resolutionis instabat: ibi enim superna se visitante gratia cognovit, cito fore complenda, quæ sibi per visionem, longe antea fuerant revelata.

Ammonicius.

CUjus rei revelationem acceperit, & ubi, aut quando, sive per quem eam didicerit, admone; ne silentio supprimas, sed caritati fraternæ luculenter edisseras.

Collectitius.

DIcam scribamvè hoc breviter, etsi non leviter: quia cauma æstivale facit ex valetudine me dolere. Quodam atqui tempore cum in *Alamannia* positus vir Dei, pere-

SÆC. XI. ANNO 1010.

peregrè proficiscendi voluntatem haberet, beatissimum Christi confessorem, *Otmarum*, cui se suaque frequentissimè commendabat, sibi in somnis astare videbat. Quem jussus intendere, ab eo hujusmodi accepit verba: Quia rogatus à te rogavi Dominum pro te; in quo sum exauditus, manifesto nunc tibi futurorum prænuncius. Pauper & inops *S. Otmarus S. Wolfgango in somno apparuit.* de hac provincia egredieris; sed in alia, in qua pro amore Domini exularis, Episcopatum caducis rebus satis locupletem prædestinatione divina suscepturus eris. Cujus in administratione, si fidelem te exhibueris bonaque impertæsus seminaveris, juxta id, *Galat. 6.* quod scriptum est: Quæcunque seminat homo, hæc & metet: expletis viginti duobus annis, vitam transitoriam eris exiturus, & æternam ingressurus. Et hoc procul dubio scire te volo, quod animam conditori redditurus es in loco, ubi sub nomine Christi à Christianis memoria mea veneratur & colitur. Quo me in hora exitus tui de Ægypto hujus mundi spero adventurum cum cæteris, quos de exercitu Domini bonis meritis *Ephes. 6.* ad adjutandum obitum tuum, contra potestates aërias & spiritales nequitias in cœlestibus, adsciveris & paraveris. His & talibus prolatis, in visione noctis, spiritus, qui apparuit, evanescens, virum venerabilem *Wolfgangum* dimisit ex parte lætificatum, & ex parte mœstificatum; Lætificatum autem dixerim, non ob gloriolam sæculi, quæ colorata est in Episcopalis dignitate fastigii, sed ob jucundam regni promissionem æterni; mœstificatum verò virum Dei scripserim, non ob brevitatem annorum huic vitæ concessorum, sed ob prolongationem terreni incolatus lachrymabilem; juxta il- *Psal. 119.* lum versum Psalmographi: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.

Ammonicius.

QUæ sint potestates aëriæ, & quomodo spiritales nequitiæ possint esse in cœlestibus; cùm cœlestia nulla unquam inhabitet nequitia, solet à nonnullis inquiri, unde & oportet exponi.

Collectitius.

Nequitia spirituales in cœlestibus, quæ & quid sint. HÆc de quibus quæstio, non sunt mea, sed beati Pauli Apostoli verba. Unde & eos, qui nesciunt aëris spatia nuncupari cœlestia, & in eis ignorant apostatas angelos versari; & propterea de Apostolicis dubitare solent dictis, mitto ad Epistolam beati Petri secundam, in qua de spatiis aëris, quæ cœli vocantur, diluvio primo per- *2. Petri 3.* ditis & secundo perdendis, fideles docet sic dicens: Latet inlusores, quod cœli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam, consistentes Dei verbo: per quæ ille tunc mundus inundatus periit. Cœli autem qui nunc sunt, de terra eodem verbo repositi sunt, igni servati in diem judicii & perditionis impiorum hominum. Et post pauca: Cœli ardentes solventur & elementa ignis ardore tabescent. Novos verò cœlos & novam terram & promissa Domini expectamus. In quibus justitia habitat. De angelis quoque projectis, qui vagantur in cœlis igne pereundis, quos Apostolus aerias potestates ac spiritales appellat nequitias; quorum tanta multitudo est in aëre, id est in cœlis inferioribus, ut cuidam sancto homini revelatum est, ut si haberent corpora cor- *Epistola Judæ.* poralibus nostris æqualia, splendorem solis interciperent mortalibus. Judas Apostolus in Epistola, quæ inter canonicas computatur, talem sententiam promit hujusmodi: Angelos verò, qui non conservaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium DEI magni, vinculis æternis sub caligine judicio Dominus reservabit. Ergo de quæstione proposita & Apostolicis testimoniis congruè absoluta, nescio si quis dubitet. Ego non dubito: sed in inferno & in aëre diabolum ac satellites ejus damnatos esse novi & scio; inde magis certus, quia ante aliquos annos in *Pannonia* constitutus, die quadam à tertia hora usque ad sextam diabolum vel draco- *Diabolus vel Draco in aëre.* nem in aëre suspensum vidi. Erat autem magnitudo ejus incredibilis, longitudo tanta, ut quasi unius miliarii spacio videretur esse protensus. Cujus caput cristatum, & instar montis elevatum, nec non corpus, juxta hoc, quod Dominus ad beatum Job *Job. 41.* de Leviathan loquitur, squammis horribilibus compactum, & ceu parmis, vel scutis ferro munitis, tectum; in lateribus & in tergo quædam fuliginosa fœdabat nigredo: ventris quoque inversione, & pariter corporis in qua solotenus jacere solebat, pallor subvenetus decolorabat, ad similitudinem sulphurei laris. Tractus verò ac incurvationes, atque extensiones ejus immanes, postremo, totius corporis motus, & particularis & totus, atque ut breviter in id temporis adversantia concludam, omnia draconis molimina, erant mortalibus, in quantum Deus permisit, noxia, tantoque noxiora quanto proximiora. Nam cum tempus esset æstivale, utpote sexta feria hebdomadæ post

post Pentecostem secundæ, ex gelu, quod draconi præ cæteris animantibus magis est naturale, adeo immutatus est aër, ut & febris multos invaderet ac jumentorum non minimam partem frigus consumeret. Alas & crura vel pedes, quos pictores fingere solent, penitus nec habuit nec habere visus est, quippe cui squammæ & costæ sufficiunt, pro deambulatione. Grossitudo pectoris erat parilis grossitudini capitis. Post hoc paulatim diminuebatur usque ad extrema caudæ, cujus extremitas penè adæquabat abietes magnas. Hunc tam ingentem hostem, aut diabolum aut diaboli amicum, nolens Dominus diutius terrere populum fidelium, subito fecit ab Aquilone moveri & densitati nubium cum grandi impetu intermisceri. Quem cursu velocissimo super nos, ut transeuntem vidimus, sibiloque ejus pariter cum fistularum stridore non sine metu audivimus, mox nubes quæ à mane usque in illam horam quasi stabant immobiles, in tantum commotæ & concitatæ sunt, ut tota illa die pariter & nocte non cessarent tonitrua seu coruscationes, immo perseverarent usque ad vesperam sequentis diei.

SÆC. XI. ANNO 1010.

Ammonicius.

NUnquid in illo tempore recordatus es aliquid horum, quæ beatus Joannes in Apocalypsi sua de dracone & bestia scribit?

Collectitius.

VErè in memoriam venerunt hæc, maximè autem urgebat me recordatio scripturæ ejusdem Apokalypsis, in qua continetur: Væ vobis. quia Draco venit ad vos cum ira magna, sciens, quod modicum tempus habeat. Quamvis enim scirem, per bestiam & draconem antichristum & diabolum designari; & diem universalis judicii minimè tunc instare; tamen ob insolitam rerum ostentationem turbatus cogitavi multa, & suspiravi timidus pro morte mea sive aliorum, qui mecum videbant ista terribilia. Tunc per divinæ respectum clementiæ restitutus in spem vivendi, primo gratias egi Deo omnipotenti, qui nos liberavit de potestate diaboli; deinde cœpi mecum volvere, seu mente tractare, si unquam in legendo scripturas scrutando talia invenerim, qualia me illo die contigit vidisse. Et inter cætera, quæ animus percurrebat, redierunt in memoriam dicta & scripta beati *Isidori* Episcopi, qui in libro etymologiarum de natura draconis scribit in hunc modum: Draco major cunctorum serpentium, sive omnium animantium super terram: hunc Græci Draconta vocant. unde & derivatum est in Latinum, ut draco diceretur, qui sæpè à speluncis abstractus fertur in aërem, concitaturque propter eum aër. Est autem cristatus, ore parvo & arctis fistulis, per quas trahit spiritum, & linguam exerit. vim autem non in dentibus, sed in cauda habet, & verbere potius quam * ictu nocet. Innoxius est autem à venenis. Sed ideo huic ad mortem faciendam venena dicuntur non esse necessaria, quia si quem ligaverit, occidit. A quo nec elephas tutus est sui corporis magnitudine: nam circa semitas delitescens, per quas elephantes solito gradiuntur, crura eorum nodis illigat ac suffocatos perimit. Gignitur autem magis in Æthiopia & India in ipso incendio jugis æstus.

Apocal. 12.

Isid. l. 12. Orig. cap. 4.

* *legend. rictu.*

Ammonicius.

CRedo sufficere ista vel à te visa, vel ab aliis dicta de draconis natura, seu de bestia hosti antiquo amica. Nunc ergo oportet, ut revertaris, unde digressus est.

Collectitius.

QUia tempus hoc simul & ratio poscit, ammonitionem tuam secutum iri meapte erit in voluntate, *& si Dominus magnus voluerit, non sine humilitate.* Igitur ut paulo ante dictando narrare cœpi, præsul venerandus, & multum à bonis vel fidelibus amandus, memor admonitionis, quam olim acceperat, per revelationem Christi Confessoris, nec non pro certo sciens principem hujus mundi ad se venturum, & cum aëris potestatibus contra se pugnaturum, sed in misericordia Domini, in quo non habuit quicquam, per suffragia Sanctorum sperans animam suam humani generis inimicum superaturam, jussit in agone novissimo, ut à fidelibus in oratorium portaretur, & ante altare beati *Otmari* deponeretur. Quod cum factum esset, aliquantulum ex infirmitate convalescens, resedit; & *Orarium* accipiens per *Confessionem* primum

Hæc in m. s. erant alia minore littera adscripta.

SÆC. XI. ANNO 1010.

mum se expiavit. Dein qui aderant, pro fide, spe & charitate satis utiliter & luculenter commonefaciens, eos ac omnes sibi commissos, & nihilominus obitum suum cum intimis suspiriis Deo & sanctis ejus commendavit, sicque viatico sumpto humo tenus se humiliavit. Tunc æditui sive cubicularii ejicere tentabant universos de Ecclesia, exceptis familiaribus, ibi ex more commanentibus. Quos vir Dei prohibuit dicens: Reserate ostia, sinite omnes, qui hic manere velint, adesse resolutioni nostræ. Non enim nos qui sumus mortales, erubescere debemus, nisi ex malis operibus, cum mortis debitum necessario exsolverimus; quandoquidem Christus, qui nihil morti debebat, fermè nudus mori non erubuit in cruce pro generis humani salute. Aspiciat quisque in morte nostra, quod paveat & non caveat in sua. Deus misereri dignetur & mihi misero peccatori mortem nunc patienti, & cuique eam timidè ac humiliter aspicienti. Hæc cum dixisset, reverenter expiravit. Mox advenit Archiepiscopus bonæ memoriæ, *Hartwicus* & *Arbo* Comes quidam ex numero fidelium fidelissimus, viroque Dei inter laicos charissimus. Hos quoque illô venturos nocte præterita spiritu prædoctus venerabilis Præsul Wolfgangus innotuit quibusdam, post longa silentia, & corporis relaxata molestia, astantes terrens, ac sic subito inquiens: Mundate domum, purgate atria, hodie venient nobis boni hospites. Et ut credatis mihi, quia verum dico; hoc vobis erit signum ex ore meo: Navis, in qua ferebantur bona Domini *Hartwici* Archipontificis & *Arboni* optimi Comitis, naufragium atque jacturam in *Danub*·· erpessa est: sed per misericordiam Dei, homines salvi facti sunt, & ipsi Domini mox post obitum meum vobis erunt adventuri. Quid multa? completis his, quæ dicta sunt, à beato *Wolfgango*, corpus ejus comitatum ab Archiepiscopo, & à populo fidelium copioso est religiosè translatum, nec non die à transitu illius septimo in civitatem *Ratisbonam* allatum. Ubi cum Præsul beatus apud sanctum *Petrum* esset susceptus, ac Vigiliarum Missarumque celebrationibus Deo, cui famulabatur, foret commendatus, in Basilica beati *Stephani* protomartyris, ut vivens præceperat, pontificalibus infulis, in quibus consecratus erat, induebatur, juxta hoc, quod scriptum est: Induam te mutatoriis. Ibi ut audivi à quodam presbytero sene ac religioso, qui eum paramentis amiciebat, ad manifestandum tanti Pontificis meritum, non tantum odor malus aberat, sed etiam bonus aderat; secundum quod Apostolus ait: *Bonus odor Deo sumus in omni loco, aliis ad vitam, aliis ad mortem.* Tunc cum magna reverentia sustollentes corpus beati viri, transportabant illud ad Ecclesiam Christi Martyris Emmerammi, cujus honorem, dum vixerat, intimo affectu summoque studio colebat. Qua Missarum solemniis *& exequiarum officiis* ritè peractis, octava luce à pridie Kalendarum Novembrium, in quibus ille excessit de medio, magnificè & honorificè, sepultus est parte australi Basilicæ sancti Emmerammi in ordine Pontificum duodecimo, satis congrue numero sacro in tali viro definito, in quo Dominus miraculis & signis potenter post manifestavit, quia hunc cum principibus populi sui collocavit.

Obitus S. Wolfgangi. Hartwicus Archiepiscopus Salisburg. Arbo Comes.

Zachar. 3.

2. Cor. 2.

alia litera ad marginem.

Psal. 112.

Ammonicius.

NUnc ergò, quia virum Dei in numero Episcoporum posuisti duodenario, ut mihi videtur, conveniens est, ut qui ante eum hanc Ecclesiam rexerint, nominatim edisseras, & quos habuerit successores, huic operi ex compendio innectas. Delectantur quidem nonnulli lectione hujusmodi.

Collectitius.

NOn habetur certum quis primus in illo loco plantator fuerit divinarum plantationum. Sed tamen, ut potero, dilectioni tuæ obtemperabo. Igitur sicut Ecclesiasticarum testantur scripta donationum & traditionum, hæc Sedes habuit Episcopos, Primum, * *temporibus (a) Romanorum venerabilem virum, cum cæteris non parvi numeri Episcopis, quorum certa præsulatus regimina legimus, nomina verò invenire non potuimus; dein sub tempore Regum Francorum, nec non Ducum Noricorum quendam religiosum*

Quis primus Episcopus fuerit Ratisbonæ, ignoratur.
** Hac omnia ad marginem minori litera notata sunt.*

(a) De antiquitate Ecclesiæ Ratisponensis pugnant authores. Ad fabulas confugiunt qui sub Romanis plurimos Episcopos in ea civitate recensent indictis eorum nominibus; nec magis certa produnt qui Paulinum primum hujus civitatis præsulem faciunt, cui successit, secundum Arnolfum, Lupus. Alii Rudbertum, postea Emmerammum, Erhardum, hanc volunt Ecclesiam rexisse; cum tamen fixas apud eam sedes non habuerint, sed potius aliquoties ibi diversarentur ut Populos ad fidem adducerent. Quamquam Rudbertus ibi fuisset Episcopus, non inde ullum antiquitatis momentum accederet Ecclesiæ Ratisponensi, cum sæculo Octavo vixerit, quemadmodum ad ejus vitam sumus probaturi. Evidentius multo primum fuisse Ratisponensem Episcopum Gaubaldum, qui a Bonifacio Moguntino suscepit ordines: post hunc numeratur Sentpertus, qui Bavariæ conventui apud Dingolfingam habito anno 772. subscripsit. BASN.

giosum Ecclesiæ ministrum nomine Lupum & *successorem ejus nuncupatum* Ratharium, ante ordinationem *illam videlicet* beati Bonifacii Moguntiæ Archiepiscopi, quam ille in Norico, ex auctoritate Apostolicæ Sedis, juxta instituta canonum exercuit sive dispo-suit. Postea verò præfuerunt hi, quorum nomina subsequuntur. In primis præfuit Dominus Gaubaldus, vir sanctus & religiosus, sub quo corpus B. Emmerammi verè Martyris & Episcopi, translatum est de loco, in quo positum fuerat, quando ab Ascheim huc transportatum erat. Post hunc Sintpertus cathedram Pontificalem cum regimine Ecclesiastico suscepit, qui B. Emmerammo Basilicam novam amplioribus spatiis, & propensiore sumptu construxit, atque ornavit. Quem per ordinem sequebantur, Adalvinus, Baturicus, Erchanfridus; his succedebat Embricho, homo venerabilis ætate ac merito, uti comperimus chronicorum scripto veridico. Tum Episcopatus Ratisbonensis Asperto provenit, cui successit vir magnæ mansuetudinis & pietatis nomine Tuto, clarus ingenio: is habuit successores, Isangrimum, Guntharim, & Michaëlem. Post hos rexit hanc Ecclesiam B. Wolfgangus, quem subsecuti sunt ordine vicis suæ, Gebhardus, & item Gebhardus, quibus Orno successit, tertius Gebhardus frater Imperatoris, valde præeminens & nobilitate generis & fastigio pontificalis honoris. ab illo autem, qui Lupus vocabulo, pastor officio pascebat oves Christicolas sub Duce, qui dictus est Dieto, usque ad istum, qui nunc Ecclesiam regit, fuerunt omnes Episcopi hujus sedis, decem & septem. Hos pius princeps pastorum collocare dignetur in regno cœlorum, & nos peccatores in multitudine suarum miserationum, non dedignetur efficere participes æternarum salvationum.

Sæc. XI. Anno 1010. Gaubaldus Episcopus Ratisbonensis. Simpertus. Adalvinus. Baturicus. Erchanfridus. Embricho. Aspertus. Tuto. Isingrinus. Guntharius. Michaël. S. Wolfgang. Gebhardus. Gebhardus secundus. Orno. Gebhardus tertius. Lupus. Dieto D.

Ammonitius.

AMen. Nunc tempus est, ut stylum convertas ad miracula, quæ ad sepulchrum beati Wolfgangi Episcopi & Confessoris dignata est gratia omnipotentis operari, qui in Sanctis ejus semper est gloriosus & mirabilis. Hæc quoque scribere te oportet, vel ob hoc maximè, quia sunt nonnulli, qui quosdam electos minimè credunt esse in numero Sanctorum, nisi ad eorum sepulchra prodigia viderint & signa.

Collectitius.

NOvi & scio, quia tibi obsequendo multorum moribus deservio, ideo dilectionem tuam præcedentem per admonitionem, paratus sum subsequi per præsentem descriptionem.

Quidam homo cæcitate mulctatus, ob id valde contristatus, ut ad sepulchrum B. Wolfgangi accessit, & ibi cum lachrymis preces fudit, recepto visu, exauditum se gratulatus, & inde oppido lætificatus Deo ac sancto Pontifici gratias egit, sicque comite salute proprios lares revisit.

Miracula ad sepulchrum S. Wolfgangi.

Alio quoque tempore muliercula quædam sub spe recuperandæ salutis deportata est à suis in Ecclesiam B. Emmerammi Martyris ac Pontificis, in qua dum ante altaria rependo petitione sedula Sanctorum efflagitasset suffragia, tandem ex labore seu ægritudine fatigata, secus tumbam Christi Confessoris Wolfgangi resedit humi. Cumque misella corpore ac mente inclina, venerandi Pontificis adjuvari se optaret precibus & meritis, subito lateris contractio, & cæterorum nodosa membrorum alligatio est soluta; & nihilominus tàm vehementer disrupta, ut sanguinis effusio difflueret in pavimento. tunc mulier primum exterrita, præ timore cœpit clamare, dein exiliens grates reddidit salvatrici sanctæ Trinitatis omnipotentiæ, atque Sanctorum sanitatis impetratrici clementiæ. Itaque sibi restituta de salutiferis Ecclesiæ domiciliis repedavit ad sua. Post hæc ad quos hujus rei cura pertinebat, scamnellum, quo illa paupercula totis viribus innixa repere potius quàm deambulare solebat, ad gloriam nominis divini, & ob memoriam tanti signi, super fores Ecclesiæ suspendebant.

Quadam die * homuncio pauperculus, & ut veridica relatione didici, Ravennantis Episcopi Eleemosynarius, gratia orandi venit in Ecclesiam B. Emmerammi. Is dum frequenti oratione se liberari Sanctorum meritis postularet ab inhærente sibi diu membrorum debilitate; demum decubuit in loco, qui beati Wolfgangi dotatus simul atque ditatus est corpore sacro. Ibi feliciter soporatus, quendam virum statura procerum, & canitie venerandum astare vidit, qui ad eum dixit: Ut quid tu hîc aut cujus rei gratia huc advenisti? Cui ille respondit: Domine, propterea miser huc veni, ut saner à languoribus, quibus jam per plures annos laboravi detentus. At venerabilis heros, virga pastorali quam manu gestare videbatur tangens ægrotum, ac officiis membrorum destitutum miserabiliter: infit, Ecce sanaberis in nomine sanctæ Trini-

** al. domi- nico.*

SÆC. XI. ANNO 1010. tatis. Tunc, qui jacebat quasi mortuus, per merita præsulis Reverendi, à fumno ægritudinis excitatus, repentè exilivit & præ stupore sive tripudio clamans in quantum potuit, Deum Sanctosque illius & ipse laudavit, & alios ad laudandum provocavit.

Hæc itaque tria capitula, ob memoriam venerandi Episcopi in nomine sanctæ Trinitatis descripta, pro testimonio duorum vel trium testium sufficere credo his, qui non superbo oculo, & insatiabili corde contradicere tentant nomini trino pariter & divino. Insuper spero ejusdem sancti meritum viri, superna revelante, & nihilominus cooperante gratia, manifestius adhuc & abundantius declaratum iri, nec non in Domino plenius à nobis sive ab aliis laudatum iri.

Ammonicius.

OMnium fidelium spes non solum æquo, sed etiam necessario ponitur & figitur in omnipotente Domino; qui in tantum misericordiæ suæ unguenta diffundit, ut nec ab ingratis beneficia sua subtrahere velit. Cujus laus in Sanctorum memoria, usque in finem sæculi confertissima debet recipere incrementa, secundum hoc, quod Psalmista, in centesimo quadragesimo quarto psalmo dicit: Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Proinde & tu viriliter assume dialogum inter duos conferendum, & scribito venerabilem virum *Ramuoldum*, quandoque scripseris beatum *Wolfgangum*; summa devotione commendans fideli memoriæ, qualiter laudabilis dualitas tanti antistitis & Abbatis, dilectione Dei & proximi comitante, cum fide & charitate, illuc pervenerit, ubi sancta Trinitas perpetualiter imperat, nec non indivisa divinitatis unitas, cum Sanctis & electis æternaliter regnat.

Collectitius.

AMen, fiat voluntas Domini in salute generis humani, & in paupercula descriptione hujus opusculi, sicque suum stylus agat officium, ut per id obedientiæ, Deo paretur acceptabile sacrificium.

Ramuoldus accusatur apud Principem. Post obitum atqui beati *Wolfgangi* Pontificis scilicet servi Dei cunctipotentis, *Ramuoldus* egregiæ memoriæ Abbas, in regimine monasterii seu procuratione Coenobii, per tentationes varias, adversitates perpessus est multas. Quæ in tantum excreverunt, ut sub * *Primo* Gebehardo Sedis hujus Episcopo famulus Dei apud tertium *Ottonem* Imperatorem, quorundam detractionibus simul & accusationibus, infamaretur. Unde ad id ventum est, quo iisdem princeps credendo, quod non credere debuit, de religione viri Dei dubius factus & anceps, dum ad sanctum Emmerammum, more Imperatorum, veniret, & exacerbatis animis, nec alloqui eum, nec oculos in illum convertere vellet. Cumque ab eo oratum esset in secretario altaris, coram eo, qui fecit machinam cœli, terræ ac maris, accessit ad eum despoton quidam Symmysta ejus nomine *Heribertus*, tunc forte Capellanus, postea verò Coloniensis Episcopus. Is ex consulto ad eum dixit, Domine non oportet vos indignari contra virum Dei. Adhæc Imperator infit, Cum scriptum sit: Principem populi tui ne maledixeris, scio, quia non convenit hominem Dei mihi detrahere sive maledicere; præsertim, cum & ego illi nihil unquam fecerim, quod sit dignum maledictione. Tunc Dominus *Heribertus* bonus & fidelis consiliarius, respondit: Si principatus imperii gestit, sicut & debet in præsentia vestri, venerandum Abbatem, coram sancta congregatione, super hac re interrogate, & ita, utrum vera an falsa sint, quæ illi obiiciuntur, probari. Credo in Deum & spero, quod tam venerabilem senem, & senectutis maturitas, ac divinitus concessa sapientia & humilitas, nunquam permiserint dixisse, qualia ab inimicis dicta sunt de eo, vel ficta. Tum Imperator remittens animum, ad divinæ dispensationis nutum, secum assumptis dilectoribus * paucis intravit claustrum humilis & mitis. Ibi videns venerabilem patrem cum fratribus humotenus postratum, expavit & dixit, Grande malum fecit mihi, qui ex legatione *Gebehardi* Episcopi ea referendo indidit auribus meis, quibus me improvidum commoveret adversus Abbatem istum, & sibi commissum Sanctorum collegium. Scio quidem, quod vitæ meæ parva non est agenda pœnitentia, pro ista falsitatis credulitate incauta. Nunc ergo, quia peccata mea nudaverunt vestigia vestra, obsecro, recalciate vos, & sic redite ad nos. Quo celeriter facto, cum fratribus venerabilis heros *Ramuoldus*, egressus, fiducialiter locutus est ad Principem dicens, Novimus quippe, quia

** alia litera ad marginem.*

Heribertus Colon. Episco.

Exod. 22. Actor. 23.

** pacis.*

quia quod habetis imperium desuper est datum atque constitutum, & quia, cui Deus SÆC. benedixerit, benedictus sit. Hujus quoque rei, quia per totum non fuimus insipidi, XI. imo adhuc sumus ex parte scioli, unde parvitati meæ tanta temeritas, ut ego vilis ho- ANNO mulus, mensuram meam penitus oblitus, auderem celsitudini vestræ maledicere, quam 1010. Rex Regum, & Dominus dominorum jam dignam fecit sua benedictione? Quocunque ergo judicio majestati vestræ placuerit, paratus sum me ex objecto purgare, nec non cunctis adstipulatione veritatis pro hac re satisfacere. Imperator autem responsum deliberans, hujusmodi verba proponit: Sicut veritate delectamur, ita è contrario falsiloquiis exacerbamur, unde judicium Dei censemus superaltandum judicio mortalium, qui facile fallunt & falluntur. Malo quidem credere bona de bonis, quàm mala de perversis. Nec enim quenquam decet temere quicquam credere à quoquam. Unde & verbotenus tuapte prolata objecti excusatio, est mihi à tanto viro permagna satisfactio; qua modo æquè ut alterius generis evidenti placatus judicio, senior ô dilecte Deo, spiritali allocutione pariter & admonitione tui in aliquo *secreto loco, cupio * conveniri seu consolari; & onus regni, quod indignus accepi, desidero per eum relevari, qui dicit in Isaia Propheta: Computrescit jugum à facie olei.

* alia litera in m. s.

Esai. 10.

Ammonicius.

HOc est, quod per Prophetam dicitur: *Erubesce Sidon*, dixit mare. Ecce nos, qui jure præpositis per omnia debemus humiliari, sæpè ob verba fraternæ admonitionis, superbiæ stimulis, ad iracundiam provocati, contra patres & fratres, indecenter & supra modum, solemus commoveri; & è contrario sæcularis persona, non solum officiosè in fascibus constituta, sed etiam principaliter imperiali fastigio sublimata, assumpto schemate humilitatis, confundit superbiam dejectricem archangeli, & matrem diaboli. Quid hac humilitate bona voluntas operatur? nisi ut superbia nostra arguatur, & justitia quodammodo nos conveniat, & ad cor nostrum verba hujusmodi intromittat, Erubesce Sidon, dixit mare, id est, confundere negligens monache, sive sanctimonialis, dicit fidelis etsi sæcularis, quia monachorum summam virtutem, hoc est, humilitatem abjecisti, & maximum vitium, id est, superbiam tibi pertinaciter usurpasti. Quod pessimum & omnium peccatorum mordacissimum tenaculum, provide cavebit sive superabit, quicunque implere studuerit, quod Apostolus dicit: Humiliamini sub potente manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.

Esai. 23.

1. Petr. 5.

Collectitius.

HUic testimonio sacræ lectionis optimè competit, quod veritas in Evangelio dicit: Qui se exaltatat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Quæ dicta veridica, utpote quidem sancta & Evangelica insinuant, aliis pro exaltatione tremendum, aliis pro humilitate gaudendum. Sed cum in multis offendamus omnes, superbi sunt tolerandi, & per fraternas admonitiones assiduè visitandi, ut quod superbè delinquunt, per humilitatis immutationem possit correctum iri. Est enim periculosum valde, superbiam cordi hominis quasi proprio nido insidere. Proinde humiliter petendum est à fidelibus, ut tam pestiferam dominam à nobis & ab omnibus Christianis avertere dignetur misericordia Dei omnipotentis.

Matth. 23.

Jacob. 3.

Superbia fugienda.

Ammonicius.

FIat, fiat, secundum verbum tuum, ut per totum mundum cadat hoc pestiferum vitium.

Collectitius.

NUnc ergo eos, quos mordaciter admonitiuncula tua notavit negligentiarum & vitii vitiorum, liceat his, quæ subsequuntur placare. Imperator igitur gloriosus prænominatus & sæpè nominandus, OTTO III. in multis religiosus, cum Abbate venerando intravit Ecclesiam sancti *Benedicti* ad famulitia divina multipliciter addicti. Qua oppido humiliatus, & per *Confessionis* medicinam consternatus, inter duo altaria sub specie geminæ dilectionis constituta, ac in honore ejusdem venerabilissimi patris, & præclari Martyris Christi *Kiliani* consecrata, jussus à spiritali patre, velut servulus vilissimus in humili tripedica coram eo sedit, humilitate comitatus optima matre. Ibi audivit multa, quæ solent opera destruere stulta, nec non alia plura, quæ corda stolidorum

Sæc. XI. Anno 1010.

dorum accipere abnuunt cervice prædura. Demum per conversationem alter factus, & per admonitionem hominis Dei intime tactus, gratiam Dei sibi adesse sensit, quæ compunctionem largissimam illi contulit, qua exterior homo interiori homini *non solum* subtilissime concordavit *sed etiam utilissime*. Cumque hac fragilitati humanæ in id temporis satisfaceret, foras egressus, ad suos dixit: Verè Spiritus sanctus locutus est per os viri istius. Hodie in sermone illius probavi, verum esse illud Salomonis: Verba sapientum quasi clavi in altum defixi.

* in m.s. * alia litera. Eccl. 12.

* alia litera. Mandatum quippe divinum certissimè *suis observatoribus* reddit liberum animum. Cumque Cæsarem diligenter intuerentur ejus familiares, admirati sunt super immutatione vultus ejus dicentes: Domine, quid tibi contigit, quod adeo perfusus & lachrymis & sudore? Quibus ille respondit, Nolite mirari, quod sim udus ex sudore, sed quia vivo præ timore. Nunquam me contingat talem quæstionem incidere, nisi pro animæ meæ salute. In isto sancto seniore comperi manifestè, quantus honor debeat exhiberi servis electis Dei. Post hæc jussit Episcopum *Ratisbonensem* ad se accersiri. Et stans ante altare sancti *Emmerammi*, sub interminatione ad eum dixit: Cave ne ultra, me vivente, quicquam mali facias Abbati hujus Cœnobii & fratribus, Deo sanctoque Emmerammo hìc famulantibus. Sint tibi tua ad Episcopatum jure pertinentia; monachorum bona maneant illis vallata sub omnium bonorum tutela. Quacunque ergò die prævaricatus fueris in his, quæ præsens hausisti auribus tuis, procul dubio scito, sive divinitus sive humanitus, pro malo tanti piaculi tecum duriter ac acerbiter actitatum iri. Dein conversus Imperator, ad Abbatem & fratres pietate solita valedicens illis, ait, Interius & exterius vos ita conservare dignetur miserator & misericors Dominus, ut in orationibus vestris non solum possitis memores esse nostri, sed & totius populi Christiani. Quo dicto, psalmis & canticis Domino commendatus piissimus Augustus, ex more præcedente sancta & *Crucifera Imperiali Lancea*, exivit de civitate ista, petiturus *Italiam*, nec non aditurus potentissimam urbem *Romanam*, quam quidam vocitare solent mundi dominam vel rerum maximam.

Ammonicius.

Unde hoc, ut hæc terrena civitas, rerum nominetur maxima? cùm amplissima civitas Dei, quam ipse per vivos & electos lapides cœpit construere ab initio mundi, jure dicatur orbis domina vel rerum maxima. Pro rei etenim hujus veritate, quo non dubitet homo in sua fragilitate ex secretario suo per Salomonem sapientia clamitans, & omnipotentiam suam propalans, dicit: In omni populo primatum tenui, superborum & sublimium colla propria virtute calcavi. Oportet ergò, ut mihi videtur, quo præsens dialogus evidenti ratione, simplicitati fraternæ satisfaciat super hac quæstione.

1. Petr. 2. Eccli. 24.

Collectitius.

Putabam satisfactum esse omnibus, per illud famosissimum *B. Augustini* opus, quo abundantissimè disputat de civitate Dei, cui contraria est civitas diaboli, quam per superbiam erectam ipse Rex regum quotidie dejicit & minuit; & è contrario per humilitatis spiritum exaltat suam, à bonis inchoatam, & in bonis finiendam, secundum quod scriptum est: Ponet Dominus terminos ejus pacem, Filiis quoque hominum dans potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Sed quia charitatem tuam id avide video expetere, ut in hoc opusculo per parvitatem meam aliquid inde differatur, faciam & ego pro modulo meo, & si non ut volo, tamen sicut potero. Igitur à constitutione mundi, civitas Dei controversiam habuit cum civitate diaboli, cujus pars non minima fuit Babylon illa quæ dicebatur gentium inclyta, in quam olim confusum est labium universæ terræ, ob superbiam scilicet, plusquam altitudine centum viginti cubitorum erectam. Hanc Christus in civitate sua, id est, in Hierusalem, cujus participatio ejus in idipsum, die pentecostes evidentissimè stravit atque suorum humilitatem potentissimè exaltans declaravit. Illa enim de Spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos veniens, & in linguis igneis visibiliter illis apparens, collegio centum viginti fratrum in uno cœnaculo sub amore benigni Jesu congregatorum, cum copia cœlestis benedictionis contulit adunationem linguarum, quibus per universum orbem prædicarent & testificarentur dominicum triumphum, quo diabolus victus, & catenis malitiæ suæ constrictus, per totum mundum gemit & ululat apostatam civitatem, quondam per superbiam suam eleva-

Psal. 147. Joan. 1. Psal. 13. Jerem. 51. Genes. 11. Psal. 121. Actor. 2.

elevatam, modo per humilitatem Christi discipulorum dejectam, imo totam gentem Christianam clypeo divinæ munitionis disqueritur protectam. Hinc certissimè probabitur, quod civitas Dei semper crescit, & civitas Diaboli in æternum decrescit. Hujus itaque civitatis, quæ ad diabolum pertinet, antiquis temporibus haud parva portio erat *Roma*, per idololatriam à diabolo possessa. Quæ prius quàm Christum est confessa, & sub nomine ejus martyria multa perpessa (dictu mirabile, sed revera probabile) per eum transmutata, qui de lapidibus potens est suscitare filios Abrahæ, sociata est cœlesti hierarchiæ: & quæ antea nimium dedita fuit idolorum culturæ, nunc tripudiat se dotatam esse Christi fide, ac multiplici veneratione Sanctorum. Verè fideles in hac civitate considerant, impletum esse, quod Apostolus dicit: Quia *ubi abundavit iniquitas, superabundabit gratia.* Ecce illa Babylon antiqua, quæ suadente superbia, quondam arbitrabatur se totius mundi principatum posse obtinere, jacet deserta, draconibus & malis bestiis referta. Hæc autem, id est *Roma*, eo, quod & ipsa olim sequeretur diabolicum errorem, & omnium malorum confusionem, ut beatus Petrus testatur, sortita Babylonis nomen, & ob potentiam imperii tunc vocata domina mundi: Sed postea per eundem Apostolum & per successores illius humiliata, sub potentia Christi, ex civitate diaboli, facta est civitas Dei; quæ in tantum excrevit in divino cultu, ut pro ruinis murorum & veterum fanorum, surgant quotidie innumera ædificia Ecclesiarum sive monasteriorum. E quorum incredibili numero, ut audivi à quodam sene, qui se dixit nutritum fuisse in eadem civitate, viginti possidentur à sanctimonialibus, quadraginta à monachis, sexaginta à canonicis; exceptis his, quæ extra civitatem sunt, & aliis Ecclesiis sive capellis, quæ in urbe abundant. Age jam frater, qui stomacharis contra eos, qui dicunt *Romam* rerum maximam. Attende, si potes, quæ dignitas illi acciderit, ex die, qua *Petrus* extra portam civitatis Romanæ, vidit sibi Christum occurrere, ubi & adoravit eum, dicens: Domine, quo vadis? Et dixit Dominus, venio Romam iterum crucifigi. Locus ille quidem, ubi crucifixus est Christus in Petro, sive Petrus pro Christo, nec non ubi *Paulus* decollatus est pro capite summo, dignus est omnigena veneratione, sub illius videlicet dilectione, qui ad salutem fidelium tanta sanxit ineffabili sua miseratione. Quid mirum igitur, si illa civitas rerum maxima dicatur, quam ipse rerum conditor ita dignatus est visitare, ut membra sua præcipua ibi clarificare vellet gloriosissima passione.

Sæc. XI. Anno 1010.

Matth. 3.

Roman. 5.

1. Petr. 5.

Quot Romæ monasteria.

Roma domina mundi & rerum maxima.

Ecce nos, qui unum Martyrem beatissimum scilicet *Emmerammum*, Deo donante, patronum habemus, pro memoria Sanctorum jocundamus & gaudemus; quanto magis illi, quos Deus, qui dives est in omnes, ditavit corporibus tot Martyrum, &, ut ita dicam, preciosissimis & clarissimis pignoribus cœlorum? Quid multa? Deo gratias, quia cecidit Babylon in *Roma*. In qua sub confessione nominis Christi gente surgente novella, super immutatione sui oppido mirata, dicit cum Psalmista: Hæc est mutatio dexteræ excelsi. Hanc siquidem urbem quasi intuentes undique collectæ plurimæ gentes, assumunt verba sacræ Scripturæ & dicunt: Omnipotens Roma, gloriosa dicta sunt de te, quia civitas Dei es facta. Per caput omnium bonorum, quod est Christus, qui regnat in ævum, sub Apostolorum prædicatione, ac Martyrum testificatione in te confracta sunt capita draconis, & est datus esca populis multis; juxta quod Psalmographus Dominum laudans in consilio Sanctorum ait: Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.

Ephes. 2.

Esai. 21.

Psalm. 76.

Psalm. 86.

Psalm. 73.

Ammonitius.

QUia mihi sub persona concionatoris, quæstionem moventi, luculente ratione satisfecisti, nunc restat, ut secundum nomen tuum, ô *Collectiti*; quæ post hinc colligenda sint, diligenter subscribantur. Utilitas enim legentium poscit exponi versiculum Psalmistæ quem proposuisti. Nam incredibile penè omnibus videtur, quod homines possint & debeant draconem comedere.

Collectitius.

MOs est sacræ Scripturæ, ut per schemata, & per species varias ordinet sententias. Harum una dicitur metaphora, id est, transformatio, per quam sermo divinus dicit draconem edendum ab hominibus: sed hæc comestio nihil aliud intelligitur quàm consummatio & annullatio. Sicut enim cibus & esca dentibus molitur & teritur, & ita in nihilum redigitur; sic quoque draco, id est diabolus, virtute Christi contritus, ab Ecclesiis ejus potenter calcatur, sive annullatur, ut ipse Salvator ad discipulos

Comestio draconis qualis.

SÆC. XI. ANNO 1010. suos in Evangelio suo ait: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.

Lucæ 10.

Ammonicius.

GRates Deo, quia morigeratus es infirmati meæ, sive necessitati fraternæ, etiam in hujusce quæstionis absolutione. Enimverò jam tempus & ratio exigit, ut his in congruo loco dimissis, redeas ad historiam *Ramuoldi*, venerandi Abbatis ac amantissimi patris.

Collectitius.

POst quinquennium quoque imperialis exitus de civitate *Hiatospolitana*, cujus nos incolæ sumus, languore diuturno B. Abbas Ramuoldus, viribus corporis cœpit destitui, spiritaliter gaudens interiorem hominem per hanc infirmitatem institui, secundum Apostolum videlicet dicentem: Quando infirmor, tunc fortior sum & potens. (2. Cor. 12.) Hac quidem carnis infirmitate perductus est ad novissimam præsentis vitæ lucem. Qua die venerabilis heros erigens se de lectulo, quem jam per continuos quatuordecim dies præ valetudine non poterat deserere, tunica sancti propositi amictus, & per spiritalem medicinam, aliquantisper de febre relevatus, orario accepto, & agmine fratrum collecto, resedit in medio, ac potenti sermone usus est, in hunc modum: Deus Pater magna dilectione atque magno consilio, misit unigenitum suum, ad salvificandum genus humanum. (Esai. 9.) Unde & per Prophetam, magni consilii angelus est prænominatus. Qui cum per divinam potentiam, nos posset eripere de potestate diaboli, noluit ea per nudum uti ad redemptionem generis humani, ob justitiam scilicet, sanctæ Trinitati maximè propriam, sed ineffabili sua misericordia hominem, quem cum anima suscepit incarnatus de Virgine, obtulit patri, suspensus in cruce, Deo reconcilians mundum, per sacro sanctum sanguinem suum, hunc etiam in forma humilitatis opponens hosti antiquo, quem ille se jactabat superasse, nequissimo superbiæ homicidio. Christus etenim in ligno crucis, usque ad mortem factus est obediens voluntati Patris; cujus ad mortem factus est primi hominis vulnifica inobedientia. Hanc virtutem, fratres, obedientiam, qua Christus patravit humanæ redemptionis elegantem continentiam, summa devotione diligite, sectamini, amate. Sanctam Trinitatem, quæ nos condidit ad imaginem & similitudinem suam, intellectu, memoria, & voluntate, diligentissima timoris & amoris veneratione laudate. Æmulamini igitur mente devota, secundum Apostolum, majora charismata, & illud Salomonicum corde tenus ruminate: (Eccl. 12.) Deum time, & mandata ejus observa: hoc est omnis homo. En ego ætate decrepitus, in fide quoque catholicus, & ut verum fatear, in virtute, quæ huic fidei suppeditare debet, permodicus, die vocationis instante, viam ingredior universæ carnis, sperans me venturum ad gaudia patriæ cœlestis, per eum, qui est liberator mirabilis, in miserationibus suis multis. Vos autem in Christo viscera mea hunc patrem diligite, cujus paternitas in numero filiorum Dei cum corporibus collocare potest animas vestras. Et hoc vobis futurorum signum, quam prolatum per me indignum, quia in loco isto multa passuri estis adversa post discessum meum, quibus in tantum exacerbabimini, ut etiam loco cedere compellamini. Verum tantæ tempestatis commotio, cito sedabitur divino solatio. Unde consilium do, ut unusquisque vestrum festinet huc reverti in professionis locum, ubi * *desiduo audiat vel* exerceat harmoniam spiritualium vocum. (* alia litera.) De cætero verò in hoc nunc conclusionem fraternæ admonitionis finem facio, quo ita calliditatem serpentis, quæ minor est inter virtutes, habere studeatis. Ne auream humilitatem columbinæ simplicitatis, quæ major est, per incautelam amittatis. (Matth. 10.) Sed omnimodis hoc assumatis, quod Christus in Evangelio suo discipulis præcepit dicens: Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ. Tum summa humilitate inter Abbatem & fratres, alterna facta *Confessione* nec non è cœlis petita seu imprecata pernecessaria peccatorum indulgentia, intimis quasi cœlum tangens suspiriis, venerabilis heros, primum summo Pastori commendat gregem sibi commissum, dein fratribus, jam præ lachrymis ac singultibus vix fari valentibus, valedicens ait, Abite fratres charissimi, & præparate vos ad celebrandum divinum officium, atque summa festinantia concurrite ad complendum ex more ordinem sacrum; & hoc ultimum senis memoriale pro benedictione habetote: In nomine Domini, salus omnium nostri. Cumque omnes communiter dicerent, Amen, atque exirent mœsti, à sancto * *Spiritu verè* paraclyto quæsituri solamen, vir Dei per (* alia litera.) spiri-

spiritum præsentiens animam de corpore celeriter dissolvi; jussit se ab his, qui aderant in oratorium cellæ suæ proximum portari, & inter duo altaria deponi; conversus quidem caput ad aram sancti patris *Benedicti*, pedes verò ad altare sancti *Kiliani* Martyris Christi. In cujus nomine, utpote in omnium salutis omine, spem suam ponens firmissimè, præcepit ibi Missas celebrari, & dominicæ Passionis memoriam intentissimè agi. Qua peracta cùm ventum esset ad communionem, ipse vir Dei ut accepit corporis & sanguinis dominici Eucharistiam, mox ad æternam patriam, ex ergastulo carnis emisit animam, ita in agone novissimo manus extentas juxta caput tenens, ut ante in oratione facere solebat. Tunc religiosi seniores, *Gotahardus* scilicet Abbas monasterii *Altahensis* atque *Adalpertus* pater Cœnobii *Sewensis*, cum fratribus cæteris accurrentes, Deoque hymnos ac laudes devota mente solventes, spiritum pii patris cum orationibus commendare satagebant omnipotentis gratiæ miserationibus. Quibus ritè officiosèque finitis, hi, quorum corda præ cæteris visitare dignata est inspiratio divina, vocem cum fide attollentes dixerunt: Domine uti speramus, iste tuus homo haud nequiquam in præsenti sæculo consummavit tot annos vitæ suæ concessos, quem hodie centenarium per vocationem tuam magis miramur quam dolemus de medio exemptum.

Sæc. XI. Anno 1010.

S. Ramnoldus obiit centenarius.

Certè lex numerorum calculatoriæ artis monet peritum, quo per tricenarium numerum in sinistra manu proponat legitimæ licitum jugalitatis osculum. Dein suggerit, ut eadem in læva per sexagenarium assumat claram viduitatis pressuram. Tertio exigit quatenus centenarii conclusionem sive perfectionem quærens, transeat in dexteram, & ibi pingat coronam, quæ significat inæstimabilem virginitatis gloriam, ac lauream regni cœlestis æternam. Hujus quoque numeri nequaquam dignus est sublimitate, qui confoditur Salomonicæ invectionis diligenter examinanda subtilitate, quæ stultum sic denotat, dicens: Maledictus puer centum annorum. Quod omnimodis cavens hic tuus dilectus. Cujus corpusculum jam defunctum circumstantes funeriis obsequiis procuramus, omnibus diebus vitæ suæ in illorum numero gestiebat inveniri, quos consignat ille * *insignis* tui versus Psalmographi: Cum sancto sanctus eris; & cum electo electus eris. Unde sicuti credunt tui fideles, à te, qui dives es in omnes, pro centenaria perfectione, jam donatus est apud te cœlesti benedictione. Libet ergo nosmet servulos tuos oppetitione recenti hujus nostri senioris dilecti luctuosè consternatos, in tui sancti nominis confessione pariter & consolatione, ob infirmitatem videlicet humanæ fragilitatis relevandam aliquantulum requiescere, & nihilominus in fervore laudis almæ Trinitatis hominem exteriorem cum interiore hujusmodi verbis exercitamento placet concalescere. Gloria tibi Trinitas, æqualis una Deitas, & ante omnia sæcula, & nunc & perpetuum.

Esai. 65.

alia literâ

Psalm. 17.

Ammonicius.

AMen. Ecce constat manifestè virum Dei exemplo majorum vitam virtutibus refertam in hoc sæculo duxisse, quem tàm veneranter contigit inter mortales * coicum exuisse. Hinc etiam conjiciendum æstimo, quia is, quod gloriolam sæculi hic vivendo in quantum potuit declinare curavit, moriendo seu hominem exuendo, illud semper manentis gloriæ introivit gaudium ineffabile, quod secundum Apostolum: Nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Dominus his, qui diligunt illum. Cui maximæ consolationis evidenti testimonio, concordat David fidelis dicens Domino: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Et post pauca: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Unde & tu, ô Collectiti, protectus à contradictione linguarum in tabernaculo Domini, perge viam regiam, ut cœpisti, perscripturus clarissimam vitam hominis Dei.

* χιτῶνα.

1. Cor. 15.

1. Cor. 2.

Psalm. 30.

Collectitius.

PLacet, fateor, ô Ammonici, quia me post mortem hominis Dei vitam illius præscribere adhortaris. Hoc enim firmiter tenet lex, pariter & spes fidei Christianæ, quod sancti scilicet electi, cum carnaliter mortui fuerint mundo, verè ac spiritualiter incipiant vivere Deo. Unde & ad eorum mortua ossa crebrescunt miracula, nec non innumera mortalibus per ipsorum pias intercessiones præstantur beneficia. Horum quoque commoda, quàm luculenter ad tumbam istius Confessoris, de quo nobis est sermo, è cœlis ministrata sint, post pauca breviter edicam, quo minus protelem chari-

Sæc. XI. Anno 1010.

charitatem fraternam, ad hæc ad alia percipienda non modicè avidam. Enimvero fama evolitante virum Dei oppetiisse, ex industria credentem apud Deum illum vixisse, in id rata ministratio rerum processit, ut sub festinatione, ad exequias tanti patris, concurreretur à multis, cum summa devotione cordis. Inter quos erat *Henricus* hypatos tunc forte principatum tenens super populos Noricos * *& Karinthios*, post paucos vero annos rex futurus non solum Germaniæ sive Galliæ, sed etiam Imperator totius Italiæ, atque Augustus Cæsar civitatis Romanæ. Is assumpto secum Gebehardo Episcopo, qui antea sancto viro ex parte contrarius fuit, sed tum teste lachrymarum fonte, immutatus mente advenit, servo Dei in sepultura humiliter obsequendo se servum præbuit summo humili Dominorum Domino. Nam in unum congregatis, & ad funus pii Abbatis officiosè concinentibus penè omnibus, Ratisbonæ Deo servientibus, ipse princeps propriis humeris non erubuit feretrum portare, nec non accuratius sepulturam parare. Demum introivit fossam sepulchri, & ipse clausit arcam, quæ jam suscepit corpus viri Dei, ac sibi claviculam ejusdem arcæ pro pignore charissimo elegit, & nihilominus postea in fascibus constitutus regni, eandem semper secum velut insigne triumphi reservavit sive retinuit.

Henricus Dux Bojorum.

** alia litera.*

Ammonicius.

HAud absque admiratione scíscitari potero, utrum hæc ex præcepto & voluntate viri Dei facta sint, an casu ita contigerunt. Nam raro factum audivi, ut quis sepulturæ traditus in arca clauderetur seris munita.

Collectitius.

NOn est mirum, si homo simplex, super hujuscemodi reculis miretur; cum David Rex & Propheta cui sapientiæ occulta sunt divinitus manifestata, super virtute sacramentorum cœlestium miraretur dicens: Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtutem. Cujus pervalidæ summo donante particeps factus beatus pater Ramuoldus in firmitudine fidei catholicæ, sciens petram Christum, mundum salvasse per lignum, sarcofago lapideo jussit * *arcellare vel sepulchrale* scrinium immitti ligneum, ob memoriam quippe passionis dominicæ corio rubicundo vestitum; quod post defuncti condendum susciperet corpusculum, ea videlicet spe, ut quem ipse, dum * *in præsenti* vixerat, de eodem scrinio in pauperum grege quotidie solebat pascere atque vestire, non dedignaretur se in numero electorum omnipotenti sua misericordia resuscitare, & in sinu æternæ beatitudinis collocare. His ergo pauculis verbis, ô Ammonici, si minimè satisfactum esse arbitraris, tuæ admirationi simul & scíscitationi, recurre quæso ad id, quod scriptura dicit: Nihil in terris fit sine causa. Quod in Sanctorum gestis potissimum debet notari, & verissimè potest probari. Nam quod beatissimus Abbas *Ramuoldus* ad tempus compulsus est *Ratisbonense* Cœnobium deserere, ac *Treverense* repetere, causa extitit civile bellum, quod erat inter *Henricum* Ducem & *Perchtolfum* Marchicomitem, atque inter cæteros optimates Principis *Ottonis * tum civitatem Ratisbonensem obsidentis.* Quo sedato & quasi innuente beato Emmerammo, *per loci sui provisorem repedatum iri*, senior venerandus à *Treverica* civitate *Hiatospolim* est reversus; inde secum transferens multas Sanctorum *Reliquias*. Harum quoque salutaris allatio extitit causa cryptæ apud sanctum Emmerammum ædificatæ. Cujus ædificatio per virum Dei satis artificiosè ordinata, trifariam nec non quadrifariam speciem intuentibus exhibet. Et quia hujus operis auctor sanctam dilexerit Trinitatem, atque quatuor Evangeliorum firmiter tenuerit fidem, quasi quodam testimonio credibile perhibet. Columnæ verò, quæ eandem crypticam Ecclesiam sustentant, dualitate sua geminam dilectionem, Dei scilicet & proximi, pulcherrimè compingunt. Quinque autem altaria, in quibus totidem pyxides collocatæ cum reliquiis, quas prænominatus heros, de *Lotharingia* transtulit, quinque librorum Moysi, principalem observantiam, in memoria monent teneri, & in quinque sensibus corporis hortantur quinariam prudentiam semper haberi. Sextum quidem altare, quod dicitur ad pedes, senarii perfectione denunciat omnia concludi. In hac ergò tam typifera Basilica, à beato *Wolfgango* in honore sanctæ & individuæ Trinitatis & omnium sanctorum dedicata, Venerabillimus pater *Ramuoldus*, in sepulchro, quod sibi ante quindecim annos jam paraverat, in australi latere ejusdem cryptæ, secus altare *B. Gregorii* Papæ est depositus, atque magnificè sepultus, astante pariter & psallente clericorum ordine, & nihilominus concinente monachorum grege, nec non virginum sive sancti-

Psalm. 67.

** alia litera in m.s.*

** alia litera in m.s.*

Henricus Dux, Perchtholfus Marhicomes.

** alia litera in m. s.*

alia litera.

sanctimonialium trina concione, animam tanti patris summo patri commendante. Post haec, ô Ammonici, ad temperandum miraculum claustri vel claviculae tanto à principe ob humilitatem arreptae, seu ob religionem abreptae, satisfactionalem unum sacrae Scripturae versiculum, charitati tuae, meapte placet subnectere. Sic enim dicit Dominus, ad quendam electum suum: In illo die suscipiam te servum meum: & ponam te sicut signaculum in conspectu meo, quoniam elegi te. SÆC. XI. ANNO 1010. Aggaei ii.

Ammonicius.

PIgmenta cum teruntur, in meliorem visum convertuntur, ita & tu cum per quaestionem provocatus fueris, in dictando & in scribendo, tibi & proximo utilior eris. Ecce dum parvam conatus es absolvere quaestiunculam, non solum grandem promovisti sententiam, sed etiam agilitate divinitus concessa, adeo eam fecisti festivam, ut lapides quodammodo cogeres esse loquaces. Proinde quod nunc restat, erit strenuè agendum, pedibusque charitatis *hoc iter* tuapte incedendum, id est, ut miraculum, quod perduxisti ad propheticum signaculum, sequantur miracula & signa, quibus *post mortem* probetur hominis Dei vita. alia litera. alia litera.

Collectitius.

PAratus sum, Domino concedente, secundum petitionem tuam facere, quandoquidem & ipsum me scio tibi antea spopondisse.

Quidam homo venit ad sanctum Emmerammum petiturus suffragia Sanctorum. Is quia erat daemone possessus, coram omnibus nimium est fatigatus. Tunc fratres qualem patrem noviter sepelissent recordantes, fecerunt hominem duci imo trahi in cryptam viri Dei corpore dotatam. ubi diu volutatus *&* à possessore *plusquam malè discerptus* coepit *stridere & cum fremitu* clamare, nec non cum conviciis, *maledicendo* perstrepere dicens: Vae tibi *Rantolt*, quia Domino meo multa mala fecisti, & per te sui juris multum perdidit. Ob hoc etiam die noctuque laborasti, ut illi injuriam faceres, & Deo tuo quoscunque posses colligeres. Ach super haec omnia modo me incendis, & magnam vim ingeris. Cumque sub hujuscemodi angoribus daemon caput miseri hominis pavimento tam valide imprimeret, ut eum penè mortem obire compelleret, accurrentes qui aderant, levaverunt eum, & traxerunt ad tumbam confessoris Christi. Ibi quoque, ut illum viribus diaboli periculosè renitentem vix compulerunt caput inclinare, ac super sepulchrum ponere, gratia Dei liberatus est. Quo signo laetificati, qui per compassionem prius erant moestificati, gratias redemptori retulerunt magnificas, non tantum per hoc, quia homo à potestate diaboli est ereptus, quantum pro eo, quod per praesens magnale revelatum est, cujus meriti sit Pater, qui inibi nuper sepultus fuerit. alia litera.

More solito peregrinis & civibus ad festivitatem sancti Emmerammi undique confluentibus inter caeteros, qui accurrerant, muliercula quaedam, oculorum privata lumine, advenit, quae tempore nocturno felicem cryptam intravit, & ad sepulchrum Confessoris Christi *Ramuoldi* adoravit, ac preces cum lachrymis fudit. Tunc omnipotens Dominus volens famulum suum clarificare inter mortales per ineffabile numen, illi, quae caeca fuerat, reddidit lumen. Mulier autem surgens vocavit maritum suum in aurem illi dicens, Domine, Deo gratias, quia visum recepi. Quo non credente; & illa è contrario certa signa monstrante, infit, Silentio factum opprimere debes; quia clanculum tibi & agendum, ut ante lucem egrediamur de civitate, Clericus enim sum, & ideo erubesco in tanta multitudine tecum consistere. Cumque tenebrarum consilio consentiens foemina recenter illuminata, cum clerico sine cautela repedaret ad propria, extemplo per incommodum, sibi valde aliena est caecitate percussa.

Ammonitius.

HÆc res in memoriam perducit, quod decem leprosis à Domino mundatis, nec non decimo ad gratificandum reverso, ipse in Evangelio dicit: Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt. Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena? Cui mox Evangelista subjungit: Et is erat Samaritanus. Inde liquido patet, quoniam qui animam suam custodit, ac iniquitatem odit Samaritanici vocabuli, non erit expers & officii. Ergò tu, ô Collectici, quia post tristitiam Lucae 17.

Sæc. XI. Anno 1010. induxisti lætitiam, & huic denuo subjunxisti mœstitiam, competens est, quo si Dominus tam gravi infortunio aliquod remedium in id temporis contulerit, charitas tua jure dialogi, otius explanet.

Collectitius.

REdemptoris nostri gratia, remediorum nescit carere copia. In cujus plenitudine confisa, mulier prædicta, sub spe luminis percipiendi iterum Ratisbonam devenit: & accedens ad locum sepulchri, ubi antea magna sensit beneficia, per *Confessionem* primum se coram sacerdotibus expiavit, & quid illi acciderit, manifestè retulit, dein solotenus prostrata, & nihilominus mente humiliata, nec non precibus Deo dilecti Confessoris celeriter adjuta, per fontem omnium bonorum recipere meruit, malè perditum lumen oculorum. Tunc gratias ingentes Deo retulerunt, tàm ipsa quàm & cæteri, qui hæc audierant, & viderant, sicque proprios lares unusquisque cum gaudio revisit, portans secum triplex miraculum, quo sancta Trinitas dignata est declarare pium Abbatem Ramuoldum, suum fuisse fidelissimum famulum, utpote, qui se verum dilexerit Dominum.

Alio quoque tempore fama miraculorum citatæ venerunt duæ fæminæ ad sanctum Emmerammum, ambæ diabolica vexatione permiseræ, quarum emundationem seu liberationem divina pietate à Sanctorum charitate, venerando patri Ramuoldo concessam fuisse, in hoc claruit evidentissimè, quod eædem mulierculæ, *prius ad memorias aliorum Sanctorum adductæ, nec redemptæ, post verò non uno eodemque sed* diverso tempore famosam cryptam ingressæ, & ad sepulchrum beati viri exorcizatæ per unum eundemque dominum à pessimo invasore sunt misericorditer liberatæ. Hujus rei testimonium perhibere solent fratres congregationis nostræ fideles, qui tunc forte aderant, & quod est mirabile dictu, viderant spiritum immundum de una fæmina exisse per nebulosam fœditatem, de alia verò per scarabæi tetram deformitatem. Quid plura? nostrapte quippe * *ore* dicendum, *imo corde firmissimè tenendum*, Deo gratias. Quia his & talibus indiciis, per clara electorum merita, à suis benedicitur Dominus, & uti dignum est à non suis confunditur ac repellitur diabolus, attestante Scriptura, *& dicente*: Novit Dominus, qui sunt illius.

alia litera.

* alia litera in m. s.

2. Tim. 2.

Tempore quodam cum à christicolis hominibus, non solum de ipsa Ratisbonensium civitate, sed ex ejusdem surburbanis locis concurreretur ad Ecclesiam sancti Emmerammi Martyris; in cæteris, qui convenerant, mulier quædam accessit, cum pignore miraculi recentis. Adhæsit enim illius manui fusus, filorum tortione confertus. Quem cum nullatenus è vola divellere, nec ullo modo tam grande malum à se quiret repellere, anxia demum venit ad sepulchrum venerabillimi patris Ramuoldi. Ubi cum adoraret atque cum lachrymis preces funderet, sub spe salutis manum tremulam ut primum posuit super beati viri tumbam, mox per potentiam dominicæ manus, homo suam inde levavit sanus. Tunc qui fortuito huic facto intererant, nec non æditui, qui accurrerant, gratias agentes Deo & beato viro, suspenderunt eundem fusum posteris ad magnale ostendendum in coronula, quæ super idem sepulchrum pendebat, argentea. Hoc signum ipsi nos vidimus, & manibus nostris palpavimus, & scimus, quia verum est nostrum hac in parte testimonium; ac non ignoramus, quia per hoc recens miraculum, sicut & per cætera sanationum beneficia, cunctipotens Dominus mirificare voluit Sanctum suum.

Ammonitius.

PLacet, fateor charitatis tuæ tela quam cum sententiarum stamine & nihilominus signorum subtemine, de Sanctorum vita non solum vere, sed etiam lepide contexuisti. Huic jam convenit quo per licia grammaticæ innectas res varias. Undique rationabiliter collectas, ad utilitatem scilicet legentium aptas. Sic enim agilitas ingenii & exercitium studii, immo summa varietatis hujusce texturæ, ut mihi videtur relevare sive minuere valet multiplices causas tuæ curæ. Adhæc quoque fraternitatem tuam admoneo, ut in augendo præsens opusculum, edisseras ordinem Abbatum illud videlicet enucleans, qui & quot patres præfuerint huic *sanctissimi patroni nostri* Cœnobio, in quo summo famulamen debetur Domino.

alia litera.

Collectitius.

PRimum te scire volo, ô Ammonici, quia sanitatis beneficia, quæ paulo ante prænotavi, ad sepulchrum beati Ramuoldi Christi Confessoris expertus sum in absumptio-

sumptione propriæ infirmitatis. Nam cum puer essem & in loco requietionis beati viri perplures sanitati redditos audissem, febre nimium affectus, & ob hujus relevationem in pavimento projectus. Persuasus consilio cujusdam sacerdotis, qui ejusdem pii patris, dum vixerat, extitit familiaris, tentavi me ibidem somno dare.

SAEC. XI. ANNO 1010.

Cumque aliquantisper soporatus fuissem, per somnum vidi patrem Reverendum, habitu monastico indutum, quasi sedere à dextris beati Emmerammi Martyris. Cujus venerandam canitiem intuitus, mirabar super pulchritudine vultus ejus, nec non super candore cæterorum membrorum illius. Qua visione *valde* lætificatus, qui antea fui fatigatus, surrexi sanus, Deo gratias referens, quia sensi levamen salutiferæ manus.

Ammonicius.

MErito pueritia tua, ô Collectici divinitus consolata, in memoria beneficium tenacius reservavit repositum, ob id quoque, ut juvenis haberes, unde tanto patri grates rependeres, ejus atqui gesta nunc devote scriptitando, qui te nunc *adjuvit*, & adhuc sedulo adjuvat orando. De cætero rerum exigit ordo, qua patrum postulatam successionem, post hinc describere velis per ratam, ut oportet verborum successionem.

Collectitius.

PEr charitatem paratus sum proximi voluntatem seu dilectionem sequi, quæ omni homini Christiano, si recto tramite incedit, æternam felicitatem paritura erit. Quod Apostolus confirmat dicens: Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergò legis est dilectio. Igitur post Reverendum patrem *Ramuoldum*, magnæ scilicet memoriæ virum, regimen hujus monasterii suscepit Abbas *Wolframmus*, & ipse in mansuetudine cæterisque virtutibus Dei servus. Hic habuit successorem ex collegio fratrum Abbatem electum nomine *Ribboldum*. Huic successit dominus *Hartwicus* magnæ virtutis amicus, qui sponte deserens præsulatum Cœnobii, reliquit Abbatiam domino *Burchardo* regendam. Quo defuncto divina, uti speramus, providentia necessitatibus nostris destinavit virum venerabilem pariter & amabilem dominum videlicet *Udalricum*, prius in canonica vita plurigena probitate decoratum, nunc autem regulariter & monasticæ huic congregationi prælatum. Beatus ergò *Ramuoldus*, qui desiderium suum, quod habuit in Dominum, optimè prodidit vocabulo * arietis volentis, id est, Christum desiderantis; primus provisor hujus loci secundum regulam existens. Hunc qui modo nobiscum regimen cœnobii ministrat à se numero sextum, merito demonstrat secundum. Sub quo nobis optamus, ut liceat senarium Sacramentum diu celebrare, nec non divina confessione, cætera studia pietatis opere & verbo exercere.

Abbates Ratisponenses. *1. Cor. 13. Romam. 13.* *Abbates S. Emmerammi. Wolframmus.* *Ribboldus.* *Hartwicus.* *Burchardus.* *Udalricus.* *Ramuoldi notatio nominis.* ** al. arietem.*

Ammonicius.

DIlatum tuum, quem fecisti paulatim scribendo usque huc repere, post hinc necesse est, ut facias currere: ea videlicet ratione, quo aliquid tempestivè colligas vel conscribas, quod in festivitate S. Emmerammi, quæ jam faciem præparans quodammodo suis arridet, novum offeras, utpote tuo speciali patrono, immo communi omnium quærentium Dominum fautori.

Collectitius.

NOvi me ad id valde indignum, ut mihi peccatori vendicem tanti patroni specialitatem. Proinde humiliatus opto, ut parvitati meæ saltem concedatur per preces illius, quatenus cum cæteris fidelibus, amplecti valeam communionem beatam. Sub hujus ergò rei affectione aggrediar, quæ sequuntur cudere. Per annualem atqui cursum, redeunte ejusdem patroni nostri sæpè nominati sæpiusque nominandi natalitio die, ob solita beneficia, convenerat illuc turba non modica. Cumque ibi per divina officia Deo & Sanctis oblata essent laudum sacrificia, ac non absque signis & miraculis ritè peracta forent solennia, unusquisque cum gaudio remeavit ad propria. Tum contigit quendam pauperem, qui cum aliis ad tanta gaudia ire decrevit, nec pervenire potuit, vix tandem in die septima ad cupitum locum à suis perduci posse; Erat enim paralyticus, *&, ut ita dicam, plus quam claudus*, ob hoc itaque in carruca

Miracula ab Emmerammo facta. *alia littera*

SÆC. XI. ANNO 1010.

ca eum, *quamvis* laboriosè advectabant, *utpote* de loco longinquo. Is in prima hora octava diei, nutibus & signis quibus potuit, se ab amicis suis in Ecclesiam S. Emmerammi deduci rogavit. Qui cum suorum manibus & brachiis sustentatus in occidentali parte consisteret felicis Basilicæ, secus columnam scilicet, quæ consecratam in petra solet habere aquam, conversus ad orientem, paululum inclinato capite sine verbis oravit, quia loqui non potuit. Ecce vidit è regione beatissimi martyris aram quasi igneam & magno lumine circumdatam, & de ea veluti solis radios mitti conspexit in faciem suam. Tunc ob insolitam visionem perterritus atque tremefactus, nimioque sudore humefactus, demum convalescens, cœpit fari sic dicens: Deo gratias: quàm magnam rem video? Vere Dominus est in loco isto, qui per preces sui dilecti testis, optima hic confert medicamina sive solamina ægrotis & mœstis. His visis & auditis, de tota Ecclesia concurritur, & à populo *miraculum idem* spectante, ac *simul* admirante, Kyrieeleison cantatur. Cujus clamor cum vix auribus posset sufferri, Primamque nos interim cantantes oppido deterreret. Idem homo catervatim ab his qui tunc forte ob novitatem rei confluxerant stipatus, chorum est introductus. Cumque ab eo ante altare S. Emmerammi aliquandiu oratum esset, indeque completa oratione, cœtui fratrum *accedentium* assurrexisset, jussus est à Priore, in gradibus sedere causamque suam coràm recitare. Qui mox obediens, & quid passus sit in infantia, breviter expediens, indicavit se ab octo annis usque in illum diem paralysi esse solutum, officioque manuum destitutum, nec non pedum se questus est, penitus caruisse incessu. Tunc petito pariter & præstito baculo, quia propter nutantem gressum opus erat alieno sustentaculo, crucifixi ob amorem & spem redemptoris, pro quo effusus est martyrum sanguis, accepit *Crucem*, per quam credimus & scimus, humano generi datam fidei lucem, sicque prævius multitudinis dux perrexit ad sanctum *Petrum*, se cum novella sanitate præsentans Episcopali sedi, ut & plures contingeret interesse gaudio communi, & ipse implere videretur, quod Dominus in Evangelio dicit: Ite ostendite vos sacerdotibus. Ibi à *Matricularibus* consilio accepto, ne cum novem ingratus existeret, sed regressus illuc, ubi salutis dona suscepit, cum decimo, id est, Samaritano magnas gratias ageret, tota pene civitate comitatus ad S. Emmerammum est reversus. Illa nimirum die per plateas, imo per omnia Ratisponensium urbis loca, Kyrieeleison sonabat. Christeeleison resultabat. Deo gratias, grata vicissitudine, interdum ab his, interdum ab illis dicebatur, atque in hunc modum iter fidei ab omnibus terebatur. In Ecclesia vero tanta exultatio fuit Deum laudantium & octo annos cum totidem beatitudinibus octavæ diei comparantium, ut per *Confessionis* & compunctionis valde necessarium **fidelibus* bonum, ea die diabolus *multipliciter confusus* ingemiscere sibi *male* factum, *nec non ob martyris conventum* queri grande cogeretur detrimentum. Quid plura? Pro beneficiis solennis visitationis, à clero, monachorumve choro, & nihilominus ab sexus utriusque populo, trifariis votis, almæ Trinitati persolutis, tandem cum benedictione licentia data est cunctis abeundi, nec non cum tripudio triplicis miraculi domum redeundi.

[Margin notes: alia litera. (beside "tota Ecclesia"); alia litera. (beside "trum accedentium"); Luc. 17. (beside "cerdotibus"); * alia litera. (beside "necessarium")]

Ammonicius.

HOc trifidum quod in uno homine declaratum scripsisti miraculum, in nomine sanctæ Trinitatis, tuapte quasi quædam salutatio est imminentis festivitatis: nam ipsa solennitas beatissimi patroni nostri Emmerammi martyris videlicet Christi trifaria est. Præcedit enim eam beati *Matthæi* Apostoli & Evangelistæ passionarius dies natalis & *cum clarissimæ virginis memoriæ Teclæ* subsecutura est percelebris dedicatio hujus ecclesiæ purpureis ossibus ejusdem testis feliciter dotatæ, illa mediastina festivitate nostratibus quoque præcipua, medietatem suam *inter præcedentem & subsequentem*, quasi quandam regalitatem potenter tenente. Unde non est mirum quod tu opusculum tuum, quocunque per varietatem sententiarum vagatum fuerit, ad laudem sanctæ Trinitatis reflectere conaris. Nunc ergò, quia uno eodemque trino signo miraculum proposuisti, de S. Emmerammo, consequens est, ut aliquid assumas, quod numeralitate fœcundatum exigat quiddam tertiandum, quo more tuo perducas conclusionem ad sanctæ Trinitatis honorem.

[Margin notes: alia litera. (beside "talis & cum clarissimæ"); alia litera. (beside "tate nostratibus")]

Collectitius.

QUandoquidem homo habet Trinitatem in semetipso, necesse est, ut creatura subdita sit creatori, cujus nihil præponendum est amori. Cujus taxationem cum omnes

omnes homines simul in unum vota conferentes amatori præcipuo haud sufficiant rependere, quanto minus ego misellus, qui huc usque nil dignum egerim ordine meo. Quamobrem intime cordetenusve mecum perpendens; quantum periculi gignat & ferat negligentia ejus, quæ in me est Trinitatis, id est intellectus, memoriæ, ac voluntatis, vix tandem gratia *malorum* remedii pigritiæ meæ imperavi, ut quod olim puerulis curiositas de utilibus rebus collegerat, nunc juvenilis verbositas simpliciter promat. Sicque qui operibus nequeo, saltem & dictis videar deservire honori omnipotentis ac Unicæ Trinitatis. Hac quoque intentione quod scripturus sum assumam, secundum admonitionem tuam.

SÆC. XI. ANNO 1010.

alia litera.

Cum inter cætera flagella, quibus gratia Dei omnipotentis dignata est visitare homines hujus nostræ nativæ provinciæ, quodam tempore multum laborarent oculorum dolore, ab omnibus demum plaga tandem cessante, adeo me subito invasit, ut sinistrum oculum mediocriter dolens, per nimium tumorem dextri officio penitus carerem. Pestis enim gravissima eum ita occupavit, quo quasi pugnus illi videretur esse oppositus. Cujus rei gratia cum nocte ad Ecclesiam venirem, & juxta confessionem beati Emmerammi secretius orarem, breviata oratione surrexi; & quia captus dolore oppido fui gravatus, sedebam inibi in angulo mœstus. Tunc cœpi intra me super hoc, quod mihi accidit cogitationes varias volvere, unde & *humiliato corde* compellebar dicere, Domine si vis, potes me salvare & per preces patroni mei, tui scilicet dilecti Martyris: & hoc malum grande, facile quis propellere. Sed novi me minus idoneum, in quo ostendas miserabile opus miserationum tuarum. Tu summi patris sapientia nostri, quia jam per plures annos insidet animo meo, quandoque mirabilia tua scribere, ac omnipotentiam tuam in his laudare, & nihilominus electorum dicta & facta, per literas memoriæ posteris tradere. Si benignitati tuæ in hac re placet, quod volui, & adhuc volo, gratias ago: sin me mavis cæcitate castigare, sum paratus, utpote tibi debitor per omnia, quod judicium tuum ingerit patienter sustinere. His in occulto sic cogitatis atque dictis, facturus quod humilitati meæ fides Christi per intimam inspirationem agendum insinuavit, summitatem pollicis, parumper humectavi saliva, nec non ubi ampliorem sensi dolorem, ter signum salutis impressi; interim corde ruminans ac nihilominus ore pronuncians illud Evangelicum: Lutum fecit ex sputo Dominus, & linivit oculos meos: & abii & lavi, & vidi, & credidi Deo. Eodem momento in me tam subitanea facta est mutatio dextræ excelsi, quo sub incredibili celeritate fugatis doloribus de capite, imo de toto corpore ablata pernoxia peste, ipse mecum super hoc facto diligentissime tractans, satis mirari minimè possem, quis fuerim, quis essem. Tum quasi quadam curiositate mihimetipsi super repentino miraculo cupiens satisfacere, utraque manu palpavi locum periculi; in quo nec saltem vestigium doloris sive tumoris reperisse me gavisus sum. Proinde surgens, properabam illuc ubi antea orabam, ibique gratias egi Deo & sancto Emmerammo. Cum accedens ad candelam legere tentarem in libro pro vetustate penè obsoleto, probavi me puriorem visum recepisse, quam prius habuerim.

alia litera.

Matth. 8.

Joann. 9.

Nunc quidem ne huic tantæ solennitati, quæ lætitiæ nectar examussim propinat fraternæ utilitati, nostrapte quid videatur deesse, subsequentis relatione miraculi plenum sic instruendum convivium est, ut expletiva conclusio tertiatione fideliter ministret sua, quod sancta Trinitas operata est in illa. Fuit quidam clericus nobili prosapia ortus, qui tempore quodam necessitate poscente, imo charitate jubente, hospitalitatis gratia receptus est in mansionem *quandam*, cœnobio S. Emmerammi contiguam. Ubi cum cœpisset infirmari, post paucos dies nimietate valetudinis ad id est perductus, quo penitus desperaretur vita illius. Tum noctis medio quasi de gravi evigilans somno dixit: O utinam aliquis mihi deferat aquam ad refocillandam animam meam de fonte S. Emmerammi, qui est in claustro fratrum Deo sibique servientum. Quod unus astantium, sibique *in id temporis* famulantium celeriter perficere volens, cucurrit ad Ecclesiam, & ut in talibus rebus fieri solet, improbiter pulsavit januam. Qui mox à custodibus intromissus, & quia familiaris erat, ad fontem emissus, absque dilatione hausit aquam; ad eum à quo missus est certissimè reportans illam. Cumque de ea parum gustasset ægrotus, mox per meliorationem sibi redditus totus, inquit, In nomine Domini, optimum vinum bibi pro aqua, quam attulisti. Beatus Emmerammus bonus medicus, ab optimo medico accepit quod mihi modo præstitit. Ad hæc respondit qui aquam attulit. Nescio si aqua conversum sit in vinum. Hoc solum certissime novi, quod per antliam laticem de puteo exantlavi. Cujus verba viri & mulieres qui aderant prosecuti sunt, dicentes, Late notum est vim hujuscemodi febris qua tu laboras, non solum absumere vires corporis, sed etiam ne bene sapias immu-

alia litera.

Sæc. XI. Anno 1010. tare gustum palati & gutturis. Quibus ille porigens poculum de quo bibebat, dixit, Bibite & vos atque probate, utrum fefellerim, an verum sit quod dixerim. Illi ergo ut biberunt, ac vini saporem veraciter senserunt, vocem cum fide levantes dixerunt, Deo gratias: quia tam bonum vinum tamque nobile omni vita nostra transacta minime contigit nos bibisse. Hoc atqui grande miraculum non ab homine fictum, sed ob martyris meritum à summa veritate factum, testis est *Engilmarus* antistes, adhuc in hac vita manens. Hic quoque dum Ratisbonæ constitutus, apud S. Emmerammum scripta meæ parvitatis videret, & legeret, atque probaret, die quadam stans juxta puteum seu fontem, per quem recordabatur sibi sanam *olim* redditam fuisse frontem, vocavit me, & occasionem sumens ex eodem fonte, dixit quod scripsi: affirmans sub testificatione Christi, verum hoc esse; ac non in alio sed in semetipso idem magnale tam veraci quam efficaci experimento didicisse.

Ammonicius.

1. Tim. 1. Joann. 15. FIdelis sermo & omni acceptione dignus, quia vitis vera quæ Christus est, ad declaranda merita palmitum suorum, id est Apostolorum & martyrum seu cæterorum electorum, quotidie his & talibus miraculis quasi novas nuptias facit. Ecce memoria beatissimi martyris Emmerammi juste vinum pro aqua cum sanitate propinavit. ab hoc proculdubio vitali comprobaretur facto, eum quondam in Dominica optime sudasse vinea, multumquè fructum tulisse in ea. O quanta lætitia, volante fama, ex hujusmodi rebus transfunditur in filios Ecclesiæ, cum hæc longè latèque audierunt *solenniter* celebrata de matre. Cujus rei gratia tu adaucturus opusculum tuum, quæcunque animo rationabiliter occurrerint, summa diligentia in horreum dominicum comporta. Sic enim ea, quæ in quadrifido climate mundi, à sancta Trinitate sunt facta, utcunque locum habebunt *etiam* in descriptione tua.

Collectitius.

QUia strictim notasti quatuor plagas mundi, quibus per quater terna, sive ter quaterna distinguitur insignia, ob dulcissimam patroni nostri memoriam, placet anterioribus tribus miraculis, hic subnectere unum, quod idem sit & quartum, ea scilicet ratione, ut unitas ita cohæreat Trinitati, quatenus probabilis quaternitas laterum æqualitate solidata, fidem quatuor Evangeliorum conservet per omnia. Erat quidam homo pauperculus, qui cum alio æque indigente loca sancta quæsiturus, non baculo suffultus, sed scamnellis innisus, magis viam repsit, quàm ambulavit. Cumque circa horam prandii ventum esset ad quendam fontem laticis perspicui, dixit scamnellarius ad itineris socium, O sodes istic jentaculum in nomine Domini nobis erit sumendum, & cum refectum fuerit, cum gratiarum actione abeundum. Quo assentiente, ac ad panis esum solotenus in ora fontis consedente, scamnellarius homuncio, aquam hauriens ex abundantiæ purissimo speculo, antequam apponeret ori potum, sic invocat Dominum ubique fidelibus notum, Domine Jesu Christe, qui desiderium pauperum soles exaudire, merita Martyris tui Emmerammi clarifica in me hodie, qui charitate ipsius te benedicente, nunc gestio sitim restinguere. Et ecce inter bibendum, nec dum ab ore manum, qui biberat retrahente, per eum, cujus gratia nescit tarda molimina, soluta sunt omnium membrorum ejus retinacula. Qui mox exiliens, atque huc illucque discurrens, gratias egit Deo, sanctoque martyri Emmerammo. Tunc incolæ acciti ejusdem novitate rei, ob memoriam tam excellentis miraculi, in honore martyris construxerunt Ecclesiam ibi. Hoc in partibus *Italiæ* factum, relatione cujusdam fratris ex laico conversi, adhuc puerilibus in annis talium rerum curiosissimus auditor, comperi; qui per confidentiam & consolationem hujus beneficii in id se provocatum esse confessus est, ut latrocinium, quod jam per plures annos crudeliter exercuit, desereret; nec non apud sanctum Emmerammum, lupinam rapacitatem deponeret, sicque ovis ex lupo cum ovibus Christi pasceretur in ovili dominico.

Ammonicius.

QUia beneficia Christi, ob memoriam Sanctorum illius per omnia propagandam, & à bonis universis unice amplectendam, hactenus dictando utcunque digessisti, noviter facta bonorum sancti Emmerammi minoratio, simul & quorundam super hoc habita querelosa mussitatio, ut mihi videtur, non sine ratione postulat, quatenus

tenus dictatu vivaci aliquid huic opusculo inseratur, quo & invasores Ecclesiasticarum rerum admoneantur, si velint sanum sequi consilium, ut resipiscant: Et si qui hujus rei tortitudine turbati sunt vel mœstificati, aliquam ex æterni regis rectitudine simul & miseratione consolationem se accepturos fore minimè diffidant. Sæc. XI. Anno 1010.

Collectitius.

CUm omnes, qui sapientia Sanctorum abutuntur, procul dubio aut hîc aut in futuro puniantur, compescendæ sunt immoderatæ mussitationes, partim clanculum querelas concinentium, partimve manifesto ac simplici sermone dicentium. Sanctus Emmerammus nunc dormit, qui bona sua quasi non sua sibi suisque subtrahi perfert. Quibus per sensatos & prudentes viros erit suggerendum atque dicendum: Ecce non dormitat, qui custodit Israel. Insuper & hoc nostrapte adjiciendum, quia bona sancti Emmerammi, quæ verè bona sunt, nec sibi subtrahi nec suis consortibus ullo modo minui possunt. Ista verò, quæ secundum sæculum dicuntur bona, quantulacunque sunt, quia non fuerint hucusque extra curam & custodiam summi pastoris & custodis, nec non ejus provisionem dilecti Martyris, ex antiquis temporibus non solum mirabiliter, sed etiam fortiter innumeris virtutibus declaratum audivimus, legimus, vidimus. E quibus ad nunc temporis necessarium unum grande miraculum, pro magnitudine sui valde inter optimates atque plebejos homines divulgatum, utilitati legentium consulens, pariter & exactioni tuarum petitionum satisfaciens istic innectere curabo. Psal. 120.

Temporibus itaque *Henrici Pii* Augusti & Imperatoris eximii, multis rebus ex Episcopio *Ratisbonensi* per incautelam perditis, & de Abbatia S. Emmerammi ob controversiam Episcopi & Abbatis, pluribus bonis pessundatis atque dissipatis, contigit, ut dominus *Bruno*, germanus frater ejusdem Imperatoris, sub occasione juris hæreditarii tentaret sibi vendicare possessionem & curtem, quæ vulgo dicitur *Enterhof*, id est, *veneni atrium & curtis, sed secundum eos, qui altioris ingenii sunt, & quæque ingeniosius quærunt, spes ætheris, id est, cœli, non inconvenienter dici potest, juxta hoc quod Saxonicum idioma Teutonizare solet. Saxones enim spem, ut sperationem hujus vocabuli nomine finitimo vocitare suescunt.* Qui dum publice contra edictum Cæsaris vim inferre non auderet rebus ecclesiasticis, tandem ex consulto in id ventum est, ut in loco qui dicitur *Ætinga*, super hujuscemodi re haberetur placitum, sive judiciale colloquium. In quo omnibus judicibus vel scabinionibus, qui in *eodem comitatu erant pecunia corruptis ac aliis* alicunde in id ipsum mercede conductis ita omnium causidicorum astutia & calliditas cœlitus infatuata est, quo communi consilio ex adversaria parte inductus, aut subornatus quidam Judex nomine *Otpolt*, cujus loquacitati ad tunc temporis, multa committebantur à multis, nec sciret nec posset judicare quidquam quod sancti Emmerammi vel nostram lædere quiret causam. S. Henricus Imperator. in m. s. alia litera. alia litera. Otpolt Judex.

Unde & à defensore nostro publicè mendacii & falsitatis notatus, præbuit multis admirationem cum additamento timoris. Verum ne prædictus *Pruno* Episcopus, tam probrosæ confusioni succumbere videretur, cum suis adstipulatoribus, rogatu illius *Palatinus* conventus est *Ratisbonæ* habitus, quasi illic annullaretur miraculum, quod contigit. Sed longe aliter res eadem exitum habuit, quando totum concilium, quod ibi collectum fuit, nolens volens divinæ voluntati paruit. Nam in aula Judiciali præsidente *Henrico* Duce cum *Chunigunda* Imperatrice, sua scilicet sorore, nec non subselliis à viris consularibus sive Comitibus, uti mos aulicus poposcit assessis, per totam curam audiebatur vox contra sanctum *Emmerammum* partes Episcopi foventium, simul & dicentium, quod *Brunoni* utpote tam amplæ & potenti personæ, nemo posset resistere, quin illa die omnium judicio in ditionem ejus veniret præfatum prædium, quod avia ejus, nomine *Judita*, *Norici* Regni videlicet Ducissa sancto Emmerammo pro se suisque filiis *Hulduwico* atque *Henrico* velut regalem fiscum tradidit: eo scilicet tenore, ut, si Episcopus vel aliqua potens persona eandem curtem usurparet, vel usibus monachorum subtraheret, statim in jus hæredum suorum reverteretur. Hanc quoque sententiam præposuerunt judices atque optimates, affirmantes traditionis complacitationem hujusce, à *Gebehardo Imbripolitano* Antistite violatam esse. Tunc à Domino *Prunone* consensu Principis, extra curiam evocatis primatibus summa eloquentia præditis, & aliis judicibus causidicis, juris peritis, in sui causam excitis, omnigena calliditate vel astutia foris sunt instructi sive præparati, qui partis illius defensiones intus forent, ut sibi videbatur, argumentosè recitaturi, nihili pendentes, quod scriptum est: Non est consilium contra Dominum, qui novit corda hominum. Cumque Proverb. 21.

Sæc. XI. Anno 1010. que introgressis omnibus perventum esset ad locum & tempus, in quo excusanda erat falsitas & malitia forensis judicii, & quasi obtinenda triumphalis palatii dignitas, non solum qui falsitatis antea fuit notatus, convictus est reus esse ejusdem abdictatus, sed etiam omnium contrariæ parti faventium ora ita virtute cœlesti sunt clausa & mutata, ut nullus tot ingenio callentium, aut posset dicere, quod secum ipse cogitando deliberavit, aut fari quiret, quod ab aliis in aurem susurrantibus dicendum accepit. Tum omni senatu, qui frequens convenerat, ob miraculum evidentissimum in laudem Christi provocato, per totam curiam Deo gratias clamor humilis & verè laudabilis personabat, nec non beatissimi Martyris Emmerammi laudes altrinsecus exaltantium, murmur amabile aures multitudinis reverberabat. Inter quos quidam Comes vir famosus in Christiana religione, *Eberhardus* nomine, fertur dixisse: Ecce Rex Regum manifestè destruit jura mundanarum legum. Bene omnia nunc & semper fecit & facit, qui superbis resistit, ac humilibus gratiam dabit. Tunc Dominus *Bruno* ingenti timore correptus, immo per vim supernæ virtutis, adeo est interne sibimet surreptus, quo non solum illa die coram principibus & populo humiliatus frigesceret, sudaret, pallesceret, sed etiam intra domestica mœnia sub grandi vitæ suæ periculo, proximam noctem insomnem duceret. Altera autem die, cum jam sol illustrasset orbem, pœnitentia & lachrymis expellens tenebras, quo deceptus erat erroris, cum oblatione se beato *Emmerammo* præsentavit, humiliter fratribus delictum suum confessus, atque inter memorias Sanctorum nudipes incedendo; tam laboriosam interim exercitationem perpessus, ut nullum ex omnibus altaribus, quæ apud nos abundant, prætermitteret, cui propria manu donum non imponeret. Demum ante aram clarissimi patroni nostri se ultra nec illi, neque suis aliquid mali facturum, seu rebus Ecclesiæ, ullam vim illaturum, cum juramento devovit nec non sub testibus confirmavit. Vinum quoque quod partium suarum fautoribus in convivio se daturum spopondit, nobis pro charitate dedit, atque vitam suam intentissimè orationi fraternæ commendavit.

Ammonicius.

Mirari satis nequeo, quæ tanta sit duritia cordis in aversione mortalium, ista & hujusmodi magnalia videntium & audientium, ut audeant tollere bona Sanctorum. Par meæ parvitati videtur, hæc modernorum pertinacia, illi Judæorum inveteratæ stoliditati, quæ in passione Christi non sivit eos in filium Dei credere, cum viderunt saxa findi, velum scindi, cœlum obtenebrari, imo totum mundum lapidi quem reprobaverunt, & regi quem pertinaciter non solum abdicaverunt, sed etiam per iniquæ linguæ judicium, turpissima morte condemnaverunt, multis modis conspicerent subdi & famulari.

Collectitius.

NOn est, ô Ammonici, quod multum debeas mirari super hac sustinentia diminutionis aut ablationis terreni seu transitorii boni; quandoquidem ipse auctor omnium bonorum, propter salutem nostram à diabolo tentatus, & ab eo in montem excelsum valde sublatus, nec non ab eodem super pinnaculum templi translatus, novissime quidem ab ejus membris sputa, colaphos, & flagella, & cætera, quæ ad ignominiam crucis pertinent, patienter sustinuit. Memor etiam esse debes illius versus, quem Psalmista pro consolatione, sub eorum persona, qui in pressura sunt, scriptis
Psal. 129. interserit suis, dicens: Sustinuit anima mea in verbo Domini, speravit anima mea in ipso. Quam consolationem ipse Salvator in Evangelio confirmat, providè ad discipulos dicens: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Putasne quod non curaret
Luc. 21. Dominus mortalium actus, quando pene per totum mundum proscripta sunt bona Christianorum? Absit. Crede mihi neuter illorum, qui bona Sanctis dat aut dedit, & abstulit & ablaturus erit, præmio carebit. Judas quoque præmium dominicæ proditionis jam infeliciter possedit, & in æternum infelicius possessurus erit. Latro verò suæ confessionis vicissitudine gratissima remediabile præmium jam accepit, ac in perpetuum felicissimè habiturus erit.

Ammonicius.

INgentis miraculi descriptione pariter & querelosæ mussitationis absolutione, mihi & illis satisfactum esse minimè diffiteor; quin etiam plane ob id fateor, quia certissime

tissime scio nullatenus posse mutari, corrumpi, vel falli Regem Regum. Mihi vindictam & ego retribuam. Roman. 12.

Collectitius.

ADhuc aliquanto longius in hujusmodi sententia progrediendum est. nam nostrapte, qui Christiani dicimur esse & debemus, non solum ore dicendum, sed etiam proximis tale beneficium cordetenus est impendendum, ut qui nobis maledicat, sive quid mali faciat, quantum ad nos maledictioni minimè subjaceat, verum benedictione ac oratione fraternæ charitatis adjutus, à morte peccatorum reviviscat virtute divina in callem salutis restitutus. Hujus rei gratia his, qui non dedignantur parvitatis meæ legere scripta, placet istic unum exemplum innectere, de patrum vita, quo & patientiæ pernecessarium bonum probetur, & è contrario execrabile malum impatientiæ reprobetur.

Ammonicius.

VAlde utile esse, ut studeat piis exemplis ad bonum quis provocari aut converti, sive de malo averti, experimento didicimus etiam pueri. Propterea tale aliquid libenter modo audire seu curiositate haud infructuosa parati sumus legere.

Collectitius.

QUidam fratrum tempore vetusto, venit ad quendam patrum *Abraham* forte nuncupatum, qui jam inter servos Dei habebatur clarus ex perfectione virtutum. Huic inter cæteras tentationum anxietates, isdem frater questus est dicens: Spiritus impatientiæ ac superbiæ adeò me impugnat, ut tam perversæ pesti non possim ullo modo resistere, quin si quis mihi injuriam fecerit aliquam, ore aut manu reddam ei talionem, ob malevolam siquidem & insulsam communionem. Cui respondit senex: Commixtione. Apostolus præcipit fidelibus, immo per Apostolum Christus: Si quis vos in faciem cædit, si quis vos devorat, si quis mundi substantiam tollit, patienter sufferte, propter eum, qui dilexit nos. Et iterum: Patientes estote ad omnes, nam patientia parit probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Tum fratre per induratum cor diffitente Apostoli verba se nullatenus per patientiam sequi posse, dixit senex, Orandum est intentissimè, ut Dominus dignetur hanc duritiam cordis aufferre. Cumque orasset senex, eodem fratre audiente, ad Dominum dixit humillime, Domine non es nobis necessarius. Ecce nos homines impatientiæ vitio resistere nolentes, in potestate nostra sine te statuimus omnia facere. Ad quem sermonem ille frater Deo donante ita subito mutatus & compunctus est, ut non modo coram sene per pœnitentiam satisfaceret, super insolita mentis obstinatione humiliatus, sed universa tentationum suarum perturbatione sedata, abscederet melioratus.

2. Cor. 11. Roman. 5.

Ammonicius.

DEo gratias, quia patientia viri Dei per medicinam cœlestem medicata est impatientiæ fratris infirmi. Nunc ergò quia tentationum antiqui temporis mentionem fecisti, ex secretario charitatis dulcissimo agilitatem tuam educere convenit. Si quis temporibus istis ex numero fidelium regi regum alicubi militantium, tam validam & gravem tentationem incurrerit.

Collectitius.

NOn est dubium quin adhuc diabolus easdem artes habeat, quas antiquis temporibus habuerat, imo certo certius credendum est, quod benignus Jesus in electorum suorum defensione antiqui hostis deceptionibus resistendo, solita usque in finem sæculi circa suos utatur clementia. Propter hoc etiam nulli fidelium erit ambigendum, nunc servos Dei, sicuti primitus, multis modis à diabolo tentari, ac æquè ut tunc ab generis humani reparatore inter varias tentationum tempestates eosdem semper & ubique defensari. Quod ut evidentius dignoscatur, O Ammonici, & aliis hujusmodi rem non despicientibus, narratione subsequenti veritas tradatur.

Est quidam, ut æstimo, adhuc in hac vita senex religiosus, ex laico conversus, nomine

Sæc. XI. Anno 1010. *Guntharius.*

nomine *Guntharius*, qui apud seculum aliquando ex rerum copia tumens, & nobilitate generis vanescens extitit superbiæ filius, sed per misericordiam Dei post factus est tam humilis monachus, ut merito non possim aut debeam illi comparare ullum nostri temporis cucullarium, de vanitate seculi conversum. Is primum sub *Gothehardo Altahensium* Abbate, omni patientia & subjectione probatus, cœpit desiderare altioris vitæ callem incedere: Unde & licentia à patre monasterii accepta, solitariam vitam aggressus est. ad quam divino adjutorio peragendam, ut se spiritali cautela probaret, animumque virtutum exercitiis præpararet, montem quendam petiit, quem à præfato cœnobio una ferme (*a*) rasta distantem idioma *Theutiscum*, *Rancinga* jam nominavit: In quo pene per tres annos consistens, modico victu ac humilimo habitu parvaque cella contentus erat. Cujus arduam vitam cum mirarentur nonnulli, adventantes cum xeniis, Christum, qui propter nos factus est humilis, in suo visitabant ac venerabantur servo. Tunc ille timens, ne frequentia populi & gloriola sæculi sibi sub specie religionis quid de veris surriperet, aut minueret bonis, fugiens inde secessit in eremum, quæ vocatur aquilonalis sylva, certamen singulare in ea contra diabolum viriliter pugnaturus. Qua ut primum constitutus Dei famulus eremiticam vitam ruchatica vel spiritali consecravit militia, tentationes varias & multas atque graves perpessus est. E quibus unam, quæ relatu veraci parvitati meæ in notitiam venit, ad utilitatem legentium nunc præscribere tentabo; post modicum tempus, vita comite aliam graviorem subscripturus. Hyemali atqui tempore quo ultra solitum *Noricense* solum est immensitate seu nivium densitate contectum, accidit prædicto Dei famulo quoddam quasi palæstrale tormentum, imo probabilis patientiæ verum ac venerabile condimentum. Nam cum præ nimietate nivali continuis novem diebus panes illi de monasterio secundum consuetudinem nequirent afferri, neque aliunde ab ullo hominum illuc possent transmitti, neque ipse impediente proxima incolatus novitate, aliquid ibi laboratum haberet, unde alimenta sumere valeret, trium dierum inedia affectus, quarta die tentare Dominum nolens, ex glaciali profunditate nivis, quæ jam excrevit ultra staturam mediocris hominis, cœpit sylvestres herbas eruere ac evellere, & in ollam coquendum mittere. Quibus illa die per ignem & aquam parumper mollificatis, distulit prandium usque in diem quintum. Quo expectans horam refectionis canonicam, pulmentum, quod hesterna die præparavit, denuo coctum refectionis gratia sibi apposuit, sed gustatum edere non potuit; unde semetipsum increpans ait, O Gunthari, superbia tua te non sinit refici hoc edulio humili. Ubi nunc vaporifera vel mollissima simila? Ubi nunc aprinæ spadulæ seu carnes ursinæ, & suillæ, ad inventionem coquorum oppiperatæ? Ubi nunc imputribiles post coctionem pavones, seu fasinæ aves, plurigenis condimentorum saporatæ irritamentis? Ubi nunc vinum probatum & ad libitum de promptuario usque ad satietatem quotidie tibi prolatum? Ergo pro abundantia delicatioris cibi & potus, quibus olim in seculi divitiis deditus eras totus, contentus esto nunc jentaculo pauperculæ refectionis, in nomine *Jesu Christi* omnium redemptoris, qui cum dives esset, propter te pauper factus est, ut tu particeps fieres divitiarum illius. Quid plura? Demum sexta die pleniter gratias agens Deo, qui de copia bonorum suorum etiam non dedignatur pascere pullos corvorum, ex prædicta sylvestri herba jam tertio cocta, itaque vix mollificata, corpori quamvis necessariam, tamen valde contrariam cum faginis foliis, quæ nive abrasa, laboriose collegit, refectionem accepit; sicque non sine magno tumultu & controversia diversarum cogitationum, seu manifesta incursione diabolicarum tentationum, consolationem divinæ pietatis expectavit. Tunc ut in perturbationibus hujusmodi solet fieri, fluctibus cogitationum altrinsecus sibi succedentibus & impellentibus dextrorsum quædam cogitatio leniter irrepens, & quasi ex parte Christi adveniens, Viro Dei fideliter intimavit dicens, Expecta dominum, viriliter age & confortetur cor tuum, & sustine dominum. Cui è contrario id est sinistrorsum suasio diaboli, cujus invidia in orbem terrarum mors intravit, prorumpens importune reclamavit, verba & dolos hujusmodi concinnans, cum scriptum sit: Altiora ne quæsieris, quia fragilis homo eremum petiisti, non solum stulte egisti, sed etiam valde proterviter te huc invexisti, blasphemiam Christo tuo illaturus, utpote canis famelicus, absque sustentatione illius, hic pessime moriturus. Verum ex adverso bona cogitatio & cauta sollicitudo infert: Cum Christus, qui est dominus omnium, tentatorem diabolum Evangelici verbi jaculo per

Josue. 1.

Eccl. 3.

(*a*) Milliare Scrivericis in not. m. s. observo tamen diversum fuisse hujus vocis usum, quippe temporibus Hieronymi fuit milliare; nam sic ille commentatur in Johelem: Latini mille passus vocant, galli leucas, Persæ Parasangas, & *rastas universa Germania*, sed immutatus est dictionis usus vel mensura locorum, quippe Beda asserit duas Lewas sive milliaria tria facere rastam, & alibi: leucæ sex, sunt tres rastæ. Basn.

per femetipfum ftraverit, dicens, Non in folo pane vivit homo, fed in omni verbo DEI, non tibi furrepat diffidentia, O pauper feculi, dives Chrifti; fed firmiffime ponito fpem in eo de quo Pfalmifta cecinit dicens: Dominus fortitudo plebis fuæ, & protector falvationum Chrifti fui eft. Iterum humanæ falutis inimico quædam fcæva fuggerente, & in tali miferia, nec non labore carnis infirmitatem minime poffe perfiftere fraudulenter inficiente, homo DEI refpondit, Quod fi Chriftus meus me non manducantem vivere voluerit, facile hoc efficere poterit, juxta quod fcriptum eft: Non eft impoffibile apud DEUM omne verbum. Et iterum: omnia poffibilia credenti. Si vero id facere noluerit, aut mihi clementer victum exhibebit, fecundum quod ipfe dicit in Evangelio: Primum quærite regnum DEI, & hæc omnia adjicientur vobis; fcit enim Pater vefter, quia his omnibus indigetis; aut fine murmuratione illius voluntatis fententia, quæ non poteft effe injufta, cum intemerata fide erit fubeunda. Hanc fidem & fidei exercitationem fubfequuta eft confolatio divinæ pietatis, quæ fufficienter illi panes transmifit per quosdam homines, qui illò cum femicirculis fuper montuofam congeriem nivis incedentes, vix reptando ad virum DEI decimo tandem die pervenire potuerunt. Tunc grates magnificas Deo reddens, qui non dereliquit fperantes in fe, quanto fibi per patientiæ probationem factus eft notior, tanto aliis impofterum exemplo humilitatis & perfeverantiæ, largiente omnium bonorum fonte, extitit utilior. Unde factum eft, ut nonnulli ex clericis five monachis, nec non fidelibus laicis, ab eo & per eum provocati, immo divino inftinctu attracti, fub communione orationum ejus atque laborum in eadem eremo, cujus ipfe ob amorem Chrifti accola effe voluit, Regi regum militare cœpiffent. Ubi pluribus intra vallem lachrymarum afcenfionem cordis disponentibus, nec non de virtute in virtutem quotidie proficifcentibus, contigit, ut quidam Presbyter de *Saxonum* gente oriundus, à domefticis quoque *Tammo* vocitatus, more adventantium accederet, fub fpecieque laudabilis incolatus, viri Dei, commilitonumve illius converfationi fe admifcere tentaret. Quem cum vir Dei partim præcurrente magiftra experientia Abbati *Altahenfium* præfentaffet, & ex more fecundum regulam *S. Benedicti* obedientiam promififfet, ftatim fub tenore, quam Abbati promiferat obedientiæ, ficut & cæteri ad id temporis folebant facere, & adhuc folent agere, qui manent ea loci eremitæ, redditus five fub diligentia fumma commendatus prædicto feni, cum illo repedavit ad feceffum eremi. Qua cum cæteris fratribus Summo humillime famulantibus, & ipfe juxta inftituta patrum in cella fibi deputata, aliquantum temporis humilitate perageret comitante, per furreptionem cenodoxiæ, adeo repente gravatus eft maffa fuperbiæ, ut non folum clandeftinis muffitationibus venerando feni detrahendo in aures quorundam commonentium fufurraret, fed etiam manifeftè in calumniam tanti viri prorumpere auderet dicens, Quid & quis eft *Guntharus?* Laicus atque & idiota, cujus jure contemnitur vita. Cui refponderunt fervi Dei, qui forte tunc aderant, & hæc audierant, dicentes: Ut nobis videtur, humilitas, quæ cuftos eft virtutum, longe receffit à tua mente, & fuperbiæ monftrum te manifeftè invafit, quod Babylonicam turrem procaciter filios pravæ confidentiæ olim ædificare perfuafit, & de viro Dei tam nefanda tibi modo fuggeffit. Ipfe procul dubio primum huic eremo invexit vexilla crucis Chrifti, qui in Evangelio dicit: Qui vult venire poft me, abneget femetipfum, & tollat crucem fuam, & fequatur me. Eft quoque ifte vir magnæ auctoritatis, qui jam in fenectam & fenium venit, optime parendo divinis mandatis. Quibus ille arroganter refpondit, inquiens: Auctoritas quoque illius mihi pro minimo eft; quia nihil omnino valet. Seorfum quidem mihi manendum & Chrifto, qui dedit noffe & poffe, in fpeciali cella, haud fub *Guntharii* cenfura erit meapte libero animò ferviendum. Quid plura? Sequeftratus idem presbyter, aliquot diebus ab illis, quos defpexit, à fubverfore miniftratas quasdam vidit vifiones, imo fantafias afpexit, quibus adeo elevatum eft cor ejus, ut humili ac fimplici voto minimè expeteret. Unde accidit ut intempefta noctis, qua fanctæ *Agnetis* feftivitas celebratur à Chriftianis, orationi aliquantulum incumbens, primum delectabilem, poft modicum verò lachrymabilem, auditu vocem hauriret, oculisque vifionem videret. Audivit ergò imprimis harmoniam, nec non quafi duos choros virorum & fæminarum procul concinentium, & alternatione vicaria, ut audiebatur, pulcherrimè fibi invicem refpondentium, donec paulatim cum incremento ejusdem cantilenæ, atque corufci luminis augmentatione, usque ad fe venirent. Tunc humani generis inimicus, qui teftante Apoftolo Paulo, transfigurat fe etiam in angelum lucis, cum tanto fulgore fe illi præfentavit, ut nihil minus putaretur quàm diabolus. Cumque eum presbyter intueretur diutius, & miraretur fuper pulchritudine ejus, qui apparuit, dixit ad eum: Vides ne,

SÆC. XI. ANNO 1010.
Matth. 4. Pfalm. 27. Luc. 7. Marc. 9. Luc. 12. Pfalm. 83. Gen. 11. Luc. 9. 2. Cor. 11.

SÆC. XI. ANNO 1010.

ne, quod sim Christus? quare non adoras me? Noli dubitare, cum ad hoc venerim, quatenus tibi dicam, quæ te oporteat facere. At ille quem præstigia jam deceperant diabolica, dixit, Si filius es Mariæ, Ecce te adoro. Et procidens adoravit eum; penitus oblitus illius responsi, quod in vita patrum senem cautissimum, super hujuscemodi tentatione legebat dedisse. Ibi enim est scriptum, ut nunc rememoro, quia quidam senex pari modo à diabolo sit tentatus; sed divina clementia servum suum vallante, mox tentator, quis fuerit, paucis verbis sit deprehensus. Nam cum seni diu tacenti, & secum quis esset, qui apparuit intime volventi, perversus perverse diceret, Ego sum Christus; quare tardas me adorare? Responsum accepit ab eo: Quem adoravi ab infantia mea usque in præsens, nisi Christum filium Dei vivi? Si tu Christus esses, nullatenus à me peteres hoc obsequium tibi modo impendi, quod semper in quantum valui vero Christo Domino meo humiliter exhibui. Tunc humani generis inimicus valida senis fide repercussus, atque confusus evanuit, linquens ibi certa præsentiæ suæ indicia, id est fœtorem.

Ammonicius.

O Collectici, horroris plena sunt quæ scripsisti; & est valde durus hic sermo quem dixisti: Quis ergo potest laqueos inimici evadere, si ista in hunc modum facta sunt verè?

Collectitius.

INterrogatiunculæ tuæ huic parvæ simul & dubitationi nimium periculosæ, O Ammonici, satisfacere debet vox, quæ ad *Antonium* pro extensis per orbem terrarum inimici laqueis queritantem, & nihilominus lachrimantem, de cœlo aliquando venit, dicens, Humilitas Christo adhærens, transcendet omnes laqueos hos. De cætero crede mihi, quia si in prædicto fratre humilitas Christi regnaret, nunquam superbiam diaboli cadens adoraret. Quod in sequentibus evidentissimè liquebit. Nam postquam pessime adoravit, antiquus hostis ei aliud vulnus inflixit, pariter & dixit, *Antichristus* jam in Judæa regnat, nec non *Helias* & *Enoch* ibi prædicant. Cum his quoque ab Antichristo interficiendis, pro confessione mei nominis, in anno præsenti, martyrio coronandus eris. Sed antequam illuc tendas, oportet te omnia, quæ in hujus provinciæ cœnobiis emendatione sunt digna, corrigere, & multis verbum veritatis prædicare. At presbyter novarum rerum cupidus, infit, Quod signum dabis mihi, quo certus efficiar, me, quæ dixisti, facturum? Cui seductor respondit: Non unum signum tibi dabitur pro certitudine, sed tria facturus es hodie, ante tertiam horam diei, scilicet unum in *Guntharii* sinistro oculo, quem penè ob ægritudinem perdidit, alterum in fratre, qui jam per multos dies infirmat, & est cæcus, cui nomen *Remigius*. Tertium in eo, qui dicitur *Razo*, quem inimici sui cæcaverunt, atque mancum fecerunt. Insuper pro signo certitudinis habeto sandalia, quæ in proximo reperies, posita quadam sub arbore cava; quibus præcipio ut posthac utaris, in celebrandis Missarum solemniis. Quid multa? His ita homini superbo diabolica fraude persuasis, & inter arbusta pone domicilium, in quo vagabundus mansit, consita, quasi quodam ascensu pariter ac descensu demonstrato, cum aliis inextricabilibus fantasiæ portentis, in ipso crepusculo lucis, præfatus Presbyter propriam & singularem deserens cellam, sub inani spe diabolicæ pollicitationis, Domini *Guntharii* petit casam. Quem cum videret venerabilis heros, super repentino ejus adventu obstupescens & admirans, utpote qui superbia imperante ab eo sequestratus erat, sibique veluti literas nescienti, peritiæ suæ supplementum, maligna voluntate subtraxerat, nihil dicere volens conticuit. Tunc qui vana gloria tumidus advenerat, sub specie religionis ad reverendum senem dicebat: Non ignoramus, quia juxta instituta patrum, nisi vocati de cella egredi, & huc venire minimè debueramus; sed humilitatis nostræ adventus, ex præcepto Domini nostri Jesu Christi est vobis & aliis valde necessarius. Cui senex, Spiritus munimine protectus dixit: Unde vobis hoc, aut quando Dominus Christus fraternitati vestræ nova dedit præcepta? At ille respondit. Hac nocte. Et dicit senex, Quæ? Respondit presbyter, Ut in monasteriis *Norici* regulares observationes corrigam, & renovem, atque populis latè verbum Dei prædicem, nec non infirmitate sanata, duobus fratribus *Razoni* scilicet & *Remigio* visum restituam, oculoque tuo jam per plures annos doloribus turbato claritatem luminis reddam. Quæ verba cum senex audiret per os *Tammonis* prolata, occurrit jactantiæ ejus dicens: Crede mihi, *Guntharius* mal-

mallet ambobus oculis carere, quàm per illius concessionem videre, qui tibi hæc fallaciter promisit. Nihil verius quàm te diabolica arte circumventum & omnimodis esse delusum. Cui sententiæ qui advenerat presbyter, subnectit frivola, dicens: Si ante hanc proximam hujus diei tertiam horam non fecero quod dixi, nolite credere mihi. Et vir Dei ait: Veritas, in quam credimus, hodie patefactura est tibi & nobis omnibus, quia pater mendacii tuam decepit arrogantiam. Tum presbyter se subducens obtutibus senis & persistens in pertinacia obligatæ mentis, in Ecclesiam duxit secum fratrem cœcum, quasi oraturus pro eo, ut visum reciperet à Domino. Sed cum diu esset oratum, & lumen, quod petebatur, non foret datum, protraxit frustra tentatam vanitatis gloriolam, penè usque in sextam horam. Tunc undique horrore & terrore circundatus, & non sine grandi confusione conturbatus, festinus dominum *Guntharium* adit, & in faciem procidens cum lachrymis ad eum dixit, Nisi me preces tuæ, ô venerande pater, magnificè adjuverint, & orationes aliorum Dei servorum de puteo interitus me eruerint, certo certius scio, quia peccatis meis facientibus Christi servus desii esse; quod ille me sibi in servum proprium posthinc vindicabit & possidebit, quem totius nequitiæ ministrum, heu heu me miserum, adoravi pro Domino dominorum. Ad hæc Dominus *Gunthárius* spiritalibus armis accinctus respondit, *Petrus* Princeps Apostolorum, ad quem ipsa veritas dixit: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ter negavit Christum optimum magistrum, sed postquam Dominus in eum respexit, & amarè flevit, remissionem accepit per eum, qui solus compati novit infirmitatibus nostris, in miserationibus suis magnis & multis. Proinde casu tuo non debes gaudium plenum facere diabolo in hoc, ut cadas in diffidentiam, sed magis quære humiliter omnipotentis Dei clementiam, quam nulla mortalium superant delicta. Cumque Presbyter post admonitionem senis, novi lapsus mœrore adhuc consternatus, proxime ad horam divini servitii veniens, collectæ fratrum se inibi constitutæ admiscere tentaret, atque psalmodiæ aliquantisper cum eis inserviret, antiquus hostis cœpit ei acriter instare, nec non manifeste illi molestus esse, dicens, Quæ legis & cantas, de me scripta * *mea* sunt, tu velis nolis post hinc permanebis meus, quia totus es in ditionem libitus mei redactus. Noli falli, neque per Guntharii vanam & falsam suggestionem decipi, nemo te rapiet de manu mea.

Matth. 18. *Luc.* 22. * *alia litera.*

Ammonicius.

EN iterum in memoriam redit, imo nunc se tenacius *animo* ingerit, quod egregius versificator, dominicæ tentationis mentionem faciens. de hoc pessimo tentatore, in hunc modum scribit:

Cum Domino montana petit, cunctasque per orbem
Regnorum monstravit opes: Hæc omnia dicens,
Me tribuente feres, si me prostratus adores.
Quantum perversus, tantum perversa locutus.

Collectitius.

OPortet ut interim sileas, O Ammonici, dum ad quem finem tam gravis tentatio pervenerit, veridica narratione audias, mecumque tunc Deo laudes referas. Nam ab illo die Presbyter prænominatus, periculorum pondere gravatus, etsi se pœnitentiæ daret arctissimæ, nullatenus novum & antiquum hostem avertere potuit, quin ei omnibus horis nimiè infestus fuerit. Unde factum est ut Dominus *Gunthariùs* boni consilii virum, Abbatem scilicet *Altahensium*, nomine *Ratmundum*, advocaret, ipseque secum assumpto *Patavienfi* pontifice, super hujuscemodi re quæstionem habiturus adveniret. Cumque Episcopus cum Abbate & domino Gunthario clanculum sermonem faciens, lapsum sacerdotis audisset, & eum diabolica illusione deceptum animadvertisset, unde hoc grande malum acciderit prudenter tractans, dixit: Ecce factum est in isto fratre, quod præmissum legimus in Evangelica veritate. Sic enim dicit Dominus in Evangelio suo; Qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Proinde necesse est provisum iri, ut exaltatio pestifera, quæ per suasionem diabolicam, hominem miserabiliter dejecit, Christi humilitate medicinali mirabiliter sananda, in robur fidei erigatur, ac sic in viam salutis æternæ dirigatur. Tum Episcopus ex auctoritate sacrorum canonum, jussit lapsum fratrem, ab officio sacerdotali cessare, usque ad satisfactio-

Matth. 23.

Sæc. XI. Anno 1010.

factionem, utilisque consulti taxationem. Quid plura? Postea quoque diabolica infestatione, monachum eundem nimium confundente, atque diuturnis nocturnisve tumultibus, seu acclamationibus etiam in servitio Dei deterrente, missum est circumquaque ad patres & fratres, ut communi oratione, singulari & *medelifera* clandestina sacrificii salutaris oblatione, à misericordissimo Domino, veniam peterent casui fratris infirmi. Cumque à nonnullis benigne fuisset oratum, & maxime à domino Gunthario ante conspectum divinæ majestatis pro eo esset laboratum, utpote qui omnibus horis titubanti atque nutanti manum consolationis porrexerat, nec non benignum Jesum certissime sibi miserturum promiserat; tandem post mensium sex evolutionem, qui à pessimo profligatore impugnabatur, levamen sentiens, remedium accepit. Cujus valdè necessario fomento, per divinam clementiam interius & exterius idem frater refocillatus *ac renovatus*, jam octavum agit annum, sub exercitamento summæ humilitatis, obedientiæ atque abstinentiæ. Illi à quo per superbiam desciverat & deviaverat, appropiare studens, qui & per Prophetam dicit: Appro-
Esai. 1. quinquate mihi, & ego appropinquabo vobis. Et si peccata vestra fuerint rubra sicuti vermiculus, veluti nix dealbabuntur.

Ammonicius.

O Quanta & quam magna dispensationis divinæ censura, quæ propensioris cautelæ gratia, fratrem de quo retulisti præmissa, adeò ab hoste nequissimo permisit affligi, ut penitus in desperationem caderet, nisi hunc senex humilis, uti speramus, omnipotentis Dei servus, Dominus videlicet Guntharius, exhortatione assidua, in spem recuperandæ salutis erigeret, & Sanctorum exemplis multifariis, divino è fonte prolatis corroboraret.

Collectitius.

QUia sermonem humilitatis meæ interrupisti laudem Dei exclamando, gratum habeo. Sed quæ narrare cœpi, ad calcem producere me patere quæso. Hoc enim nimirum super omnia talia mirum, quod ipse auribus meis ab ore senis accepi, atque ab eo quadam sacræ lectionis familiari collocutione, vix extorsi. Nam cum prædictus Presbyter in angustia maximæ tentationis constitutus ad senem sæpius curreret atque recurreret, nec non querelosa voce clamitaret, non possum subsistere, nequeo perdurare; ora pro me, homo Dei. Dixit senex, confido in benigno Je-
Luc. 1. su, quia liberabit te. Tantum tu patiens & constans esto, neque dubites de omnipotenti gratia illius, apud quem non est impossibile omne verbum. Quod tu sustines modo, generaliter per omnia terrarum regna humanæ fragilitati horrendum & pavitandum, sed minime ob id de misericordia Domini, qua plena est terra, fidelibus est
Matth. 3. desperandum, quoniam qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahæ, potest & te de præsenti liberare tentatione, & nihilominus dignum efficere sua vocatione. & subjunxit tentatus, utinam mihi fiat secundum verbum tuum. Sed valde timeo, tentationis periculum, quod mihi misero ingruit ultra humanum modum. Nam in ipsa orationis hora, quando ad laudem Dei os aperio, adversarius mihi videtur, quasi rapacitatem suam intro in ventrem mittere usque ad cor, vimque cordis tollere, ac sensus meos prorsus extrahere, & memetipsum mihimet alienum facere. Super hæc omnia jactat se scire, meum totum nosse, velle, & posse. Respondit senex, Ne hæsites in fide ex adjutorio divino de supernis tempestive mittendo, quod quamvis ad tempus differtur, tamen non aufertur. Diabolus omnino potestatem non habet nocendi *& fatigandi* te, nisi permissus à Deo. Deus autem nunquam ista fieri permitteret, nisi te humiliare vellet. Interdum enim amator hominum, simulat se nescire, quæ patimur, sed tamen frequenter præstabit, unde miremur. Noli frater deficere,
2. Tim. 2. sed secundum Apostolum sta in fide, viriliter age, & confortare in illius nomine, qui novit solus fragilitatem humanam sanare. Quod autem questus es, diabolum se jactasse de scientia tuæ voluntatis & possibilitatis; ipse, quod benè nosti, contra hanc luctam sufficit tibi, hoc est, quod diabolus internecionem detrudit. His dictis extemplo affuit Satan in præsentia senis perturbans tentatum fratrem, & dicens, *Guntharius* non solum nunc mendacium loquutus est, sed sæpius mentitur & te fallere nititur, insuper & gracile & subtile pellicium operosè quærit ac diligit. Cumque convitiis appeteret atque lacesseret senem, senex timens, ne forte protervitas diaboli,

animum

animum fratris mitteret in desperationem salutiferi boni, prorupit & dixit, O inimice DEI & hominum; superbia tua & mendacium tuum, tecum in æterna perditione maneant. Nos autem, qui non solum ovinis & caprinis pellibus utimur, verum etiam simplicitate & humilitate, quæ in eisdem significantur, perfruimur, per eum qui dilexit nos, te pessimum lupum facile superabimus, Christique virtute tuam virtutem calcamus. Crede peccatori Gunthario, quia frater, quem permissione DEI vivi, qui in hunc mundum venit filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat. Post hæc & hujusmodi certamina, aliaque plurima nequitiæ suæ in tentatum fratrem nequiquam vibrata jacula, miseratione divina diabolus est ita fugatus, ut calamitosis clamoribus, & querelosis lamentationibus discedens manifestè nolens innotesceret, quantum doluit, & adhuc dolebit, se, victorem hominis, ab homine victum.

SÆC. XI. ANNO 1010.

Matth. 18.

Ammonicius.

DEo gratias, cujus misericordiæ non est numerus, & qui jam omnia benefecit, pariter & istud mirabiliter effecit, ut qui periculosissimè cecidit, misericordissime in statum fidei, reerigeretur, ad comprobandum scilicet illud Psalmographi testimonium, quod in * centesimo quarto Psalmo ponit dicens: Allevat Dominus omnes, qui corruunt & erigit omnes egenos. Ergo frater O charissime, ut mihi videtur, tibi satis congrue imposuisti Collectitii nomen, & ob velandam *Teutonicæ* loquelæ nuditatem, pariter & ob commendandam horum, quæ dixisti, & dicturus es collectariam utilitatem. Ob id quoque & ego æquum arbitror fore, ut vocabulo satisfaciens, quod usurpasti, opus inchoatum adaugendo procedas, & quæque utilia colligendo succedas; dictaturus quidem & assumpturus ea in nomine illius, qui dicit: Qui non colligit mecum, dispergit; & qui non est mecum, contra me est. Ita quidem illi servies, qui est, & qui erat, & qui venturus est.

* Corrige: in 144. Psalmo.

Luc. 11.

Collectitius.

AMen. Utinam inveniar inter colligentes eum Christo, & non cum eis damner, de quibus scriptum est: Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit; de quo non adimplebit manum suam, qui metet, & sinum suum, qui manipulos colliget. Hoc quoque modo fiat, aggrediar iterum narrare, quæ Dominus aspiratione sua præveniente, & auxiliatione subsequente, dare sive largiri dignabitur.

Psal. 128.

In eodem igitur Episcopatu quo ea contigerant, quæ prædiximus, accidit & aliud quoddam mirabile, quod cunctis fore debet notabile, simul etiam & evitabile. Erat quidam clericus *Pataviensis* Ecclesiæ æditus, cujus nomen dicebatur *Wilibertus*. Is quadam die, ex more solicitudinis & officii commissi, percurrens ac perlustrans quæque loca Ecclesiæ, offendit in abditis quendam clericum, suum videlicet discipulum, in quodam opere pravo perniciter lapsum. Qui mox plus timens homines quàm Deum & electos ejus, rogavit magistrum ne cui diceret malum quod viderat. At ille horrens scelus dixit, Testor Dominum, Sanctosque illius, quia præ timore salutis animæ meæ, non audeo quod fecisti celare, primum seniorem meum, dein cæteros spiritales viros, qui mortifero vulneri tuo pœnitentiæ adhibeant medelam, ac suggerent vitalis consilii suadelam. Et subnectens discipulus vaniloquium infit, quia rogationem meam austeritate tua repellis, nihil certius, quàm ut pœnis tradere velis. Et præceptor, Absit à me, inquit, ut te impiè tractem, pœnisque traditum iri optem. Post quæ verba magister & discipulus recesserunt ab invicem, valde diversam habentes voluntatem. Nam discipulus quod magister benè dixit, adeo in malum & deceptionem suimet convertit, ut tenebrosior nocte, noctu non modo strangularet magistrum, sed etiam propriis ligaminibus & fasciolis ad trabes cubiculi, in quo solus, ut æstimo, ob castitatis custodiam, dormire solebat, suspenderet. Quod pessimè factum, cryptis malitiæ abscondere gestiens, intus ostium clausum reliquit; & ipse domate & tecto per fissuram sejuncto, fur nequissimus exivit: ita reponens tegulas, ut excepto uno qui suspensus erat, ullum hominem intrasse penitus lateret humanas visiones. Unde contigit ut per totam Ecclesiam gravissimum scandalum exiret, quod inter laicos maxime efferbuit, publicis detractionibus draconizantes, atque dicentes, Ecce sanctitas clericorum, ecce apparent merita illorum, qui indignè præsunt Ecclesiis: ecce Sacerdos qui ipsa die in qua bis Missas celebravit, Judam imitatus

Sæc. XI. tus laqueo se suspendit. Qua de re *Pataviensis* Episcopus valde turbatus, quia fas non erat suum proprium homicidam sepultum iri, nescio qua autoritate jussit corpus igne
Anno cremari: nisi forte propterea id præcepit fieri, ne animalia contaminarentur de tactu
1010. vel comestione cadaveris, ut dicam secundum æstimationem hominum, inhumani;
Matth. 27. aut quod verius puto, dispensatione divina hoc factum sit, ut in sequentibus patebit. Nam cum totum corpus jam consumptum esset ignibus, in conspectu omnium qui aderant, cor, quasi ardere nolens, exiit de medio flammarum. Ob quod illi homines stupefacti, quoties ad comburendum idem cor in ignem projecerunt, toties incombustum exire viderunt. Novissime vero cùm totis viribus ab his qui aderant idem cor per contos & fustes, in igne detineretur, nec sic consumi videretur, recesserunt vespillones, grande miraculum secum portantes.

Ammonicius.

MIra res valde & non solum nobis, sed etiam omnibus legentibus eam. Proinde & ego charitatem tuam admoneo, ut ex ea parte studiosius aliquid eliciatur, quod ædificet audientes, pariter & hæcce legentes.

Collectitius.

QUamvis non sim dignus dicere & scribere ista seu huiusmodi varia rerum opilia, quæ spectant magnorum virorum opera mirabilia, tamen me in hac parte minime subtrahere censeo obedientiæ sacramento, & in quantum Deus concedere dignabitur fraternæ dilectionis condimento. Neque enim hæc aliter describere proposui, nisi ut fidelium prosint ædificationi. Sunt qui putant propterea cor Presbyteri non posse igne consumi, quia dum viveret, conscientiam non haberet, quæ rea
1. *Cor.* 3. foret gehennæ ignis, excepta communi fragilitate generis humani. Quidam autem dicunt peccatorem salvum factum esse secundum Apostolum, sic tamen quasi per ignem. Ego vero affirmem, si vera sunt, quæ de illo accepi, & quæ in verbo beati *Hieronymi* olim studiosus legi, omnia peccata martyrio certissime deleri.

Ammonicius.

QUia martyrium nominasti, & quia sunt nonnulli, qui æstimant eos martyres esse, qui cujuscunque generis pœna plectuntur, & ad oppetitionem propelluntur. Aliique sunt, qui è contrario autumant, eos penitus perire, quos more mortalium per strangulationem, sive per aquarum suffocationem, seu per incendium, & alterius generis profligationem, contigit repentinam mortem obire: quod sit martyrii verum genus & certum, vellem te referente perdiscere.

Collectitius.

PUto huic inquisitioni, satisfacere testimonia sacræ scripturæ, quorum alterum est:
Sap. 4. *Justus quacunque morte præventus fuerit, in refrigerio erit?* Alterum quidem: *Non facit martyrem pœna, sed causa.* Inde enim & tu colligere potes, quia verum & certum est, genus martyrii, hominem non à semetipso, sed ab aliis propter justitiam occidi.
Matth. 5. Hoc enim Evangelica veritas affirmat quæ in aures fidelium clamat: Beati qui persecutionem patiuntur, propter justitiam.

Ammonicius.

SOlutioni quæstionis, quam præceps promovi, ô Collectici, satis vehemens occurristi, veruntamen testimoniis prolatis, bene ministrasti non ingratis. Nunc ergo convenit, ut edicas, qualiter prædicta res ad hoc pervenerit, quo reus tantæ factionis coràm emerserit.

Collectitius.

IN modum ductilis ceræ habebis me temperatum, si bonum in fructum progredi poterit, quod ab homine peccatore seminatum fuerit. Erat quædam causa culpabilis

bilis & criminosa, de cujus objectione clericus qui prædictum sacrilegium & homicidium perpetravit, atque pessime abscondit, se sacramento expurgare debuit. Sed omnino id efficere non potuit. Nam clericis, qui cum eo super objecto crimine conjurare voluerant, neque per aquam neque per ignem fidem facere quiverat. Tunc miser totus volens in præcipitium ire, tandem in hanc vesaniam obstinatæ mentis prorupit, ut perceptione corporis Dominici sub periculosissima præsumptione crimen suspectum à se gestiret avertere. Cui perniciosissimo periculo sapienter obvians Episcopus, quia certior fratrum relatione cognovit, eundem clericum talium non esse morum, ut ad tantum permitti deberet accedere judicium; jussit eum sub arcta custodia interim constringi, dum sano consilio deliberaret, quid de illo fieri oporteret. Tunc undique secum, angustiis septus, è latebra reæ conscientiæ producens male absconditum facinus, confessus est, se ob accusationis timorem, præfatum Presbyterum strangulasse, simul & suspendisse, ac propterea ex objecto malo purgari nequisse. Quod ut audivit Episcopus, sequestravit eum de clero, ac privavit ordine sacro, auctoritate pastorali, præcipiens illi, summo conamine pœnitentiam agere, laqueisque diaboli se sic subtrahere.

Sæc. XI. Anno 1010.

Ammonicius.

PRimum oportet ut Deo gratias & laudes dicamus in commune omnes, quia sacri ordinis infamiam, quæ de morte prædicti sacerdotis importune prorumpens, nonnullorum sensibus haud parvas ignorantiæ sive horroris tenebras offudit, sub falsitatis fuco diu latitare minime permisit. Exin ob facinus tantum, dolore intima pungente, cogimur ejulando dicere: Heu quàm grande malum operatur æquitatis odium, quod adeo suadente diabolo, in præfata persona exarsit, ut discipulus perversus non solum nequiter insequeretur magistrum, sed etiam pessimè necaret Presbyterum. Imo quod pejus & gravius est omnibus maligni versutiis, suspendio corporis exanimi strophosè simulaverit, ipsum qui suspensus erat, ad exemplum Judæ, homicidam fuisse sui. Ecce in palam processit, quod de absconditis peccatorum sacra scriptura prodit: Abscondi tanquam aurum peccata mea, & celavi in sinu iniquitatem meam. Quæ ira odioque onerata non solum periculosè aliquando crassescere, quin etiam pernitiosissime solet indurescere, sacro eloquio testante ac dicente: Inveterata ira odium parit, odium vero interficit. Cujus venena si homines corporaliter inspicere valerent, à quo infundi solerent, procul dubio nimium inde abhorrerent. Quod si alicui evenerit, vellem à charitate tua hic insertum iri.

Job. 31.

Collectitius.

SIcut charitas cooperit multitudinem peccatorum, ita è contrario ira & invidia dilectionis obliviscens, naturaliaque bona malignè consumens, & per varias occasiones coacervans dissensiones & offensiones, pertrahit odium usque ad homicidium. Quod gravissimum super omnia malum, semper occultè diabolicoque instinctu inter cætera suarum artium molimina suggeri nemo dubitet. Interdum verò sator nequissimus, quia inter homines manifestè discordiam & cætera maleficia in tantum seminare soleat, ut etiam per ea multi intereant, nisi quis, Deo donante, conversus resipiscat, ac de Satanæ aucupio per pœnitentiam evolans, vix ita illius pertinaci visco se subtrahere queat, & si non omnes, tamen qui non ignorent existunt quam plures. Cæterum quo dilectioni tuæ meapte satisfiat, præsenti capitulo super hujuscemodi re conveniens exemplum proponam, itaque sequentia humiliter colligendo supponam.

1. Petri. 4. Proverb. 10.

Fuit quidam *Papiæ* miles, cujus nomen jam in cœlo scriptum pia sperat fides, qui ut relatu cognovi Domini *Arderici Verecellensis* Episcopi, postquam manus adulescentiæ fæcularibus implicamentis, ex more humano detentus est & adstrictus, nec non per plures annos cum armis militaribus se satis strenue inter commilitones exercuit, filiosque jam procreavit, tandem in se reversus, atque à fæculi vanitate conversus, cingulum mundanæ militiæ, apud Sanctum *Petrum* in eadem civitate deposuit, & sub monastico habitu, stigmata crucis bajulare desiderans, Christo regum regi cœpit militare. Cujus filius miles & ipse strenuus, domi à patre familiaris rei hæres derelictus, tantis, per quendam *Aginulfum*, Palatini scilicet Comitis fratrem germanum, appetebatur inimicitiis, atque insidiis, ut limen domus propriæ minime auderet excedere. Cujus rei gratia idem qui post militiam factus est monachus, pietate plenus, ex

per-

permissione Abbatis, sub cujus regimine degebat, misit legatum ad virum prænominatum, rogans, ut ob reverentiam *S. Petri* ad se minus pigritaret venire: Qui quamvis aliquantulum veritus esset religionem viri Dei, tamen non humilis, sed tumidus advenit. Ante quem cum vir Dei in modum *Crucis* esset prostratus, atque ab eo non sine admiratione fuisset levatus, humillimè dixit ad eum, Quæ utilitas tibi, senior bone, illius filii mei sanguine, quem tantopere cupis interfectum iri à tuis? Ego pauper servus servorum Dei & tuus, rogo te, ut per misericordiam Domini nostri Jesu animum tuum ab incepto retrahere velis; & misero qui dignitati tuæ resistere non potest, parcere digneris. At ille rancore superbiæ elatus, atque inimici stimulis exasperatus, juramento sacramenti affirmat, vitam propriam non libentius velle tueri, quàm hoc vel per se vel per suos efficere, ut ejus vita, pro quo tam obnixè homo Dei supplicabat, possit extorqueri & extingui. Tunc humilis monachus magis pro eo quàm pro filio, lachrymis infusus ait, Eia eia Domine *Aginulfe*, quàm libenter & quam necessario vellem, si peccatis meis Dominum rogare auderem, ut tu videres hunc, cujus per suggestionem, homicidii amaritudo adeo tibi dulcorata est, quo nec ob misericordiam Dei, neque ob reverentiam Beati *Petri*, à tanto malo velis inhiberi. Confido in Domino, quia si illum videres, animum sine dilatione mutares. His & hujuscemodi dictis & auditis, abiit qui vocatus venerat, mentis obstinatæ secum onus portans. Verum proxima nocte sensit per Principem tenebrarum, mortisque ministrum, quod faciendum proterviter decrevit, quàm foret sinistrum. Nam in prima vigilia noctis, ipso *Aginulfo* cum conjuge sua in lecto decubante, & pedissequis puellaribus in conclavi jam strata foventibus, nec non præ foribus cubiculariis excubantibus, subito apparuit Æthiops ad fornaculum stans, qui lignis ad prunas jam partim emortuas appositis, ignem afflando succendit, atque terrorem cum stupore horribiliter his qui aderant incussit, nec non pene omnium hæc intuentium vires enervans adeo excussit, ut cum necessario loqui, atque signaculo *Crucis* vel fidei munimine signare se vellent, non solum hoc proficuè facere nequirent, sed nec saltem mutire possent; excepto quod per totam noctem miserabiliter ululabant, dentibusque incessanter stridebant. Tunc Dominus domus ipse videlicet *Aginulfus* videns diabolum cominus stantem, & quasi ad focum se calefacientem, timuit valde, ne is, qui ex improviso adveniebat, niger, hispidus, horridus hospes, potestate desuper data, se intra domesticos parietes è medio raperet, & infelicissime cum filiis gehennæ suum ex advena domesticum faceret. Quid ageret? quid consilii caperet? maximis implicatus angustiis, quod horrendum vidit, effari minimè quivit. Omnes personæ illius clientelæ trementes dolebant in commune, unam eandemque pœnam patiebantur universi, sub mortis comminatione. Tantem interiore homine arcanum sacræ fidei rememorante, cœpit cordetenus psallere: jam enim didicit psalmos, non illa nocte per officium oris verba proferens, sed totam vim corporis & animæ cum silentio usque ad lucem in Deum convertens. Tum psalterio non externa sed interna cantione, à principio usque ad calcem perlecto, clementia illius, qui tollit peccata mundi, vix cum suis ab infestatione diabolica meruit liberari, atque Christiani sensus magna potentique gratia revisitari. Qui solis jubare terras relustrante per verba conjugis audiens, commanentibus grande periculum incubuisse nocturni timoris, dixit, Non ignoro propter peccata mea malum hoc accidisse, quod tot homines contigit per totam noctem graviter laborando insimul vidisse. Idcirco ad virum Dei, quem hesterna die superbè contemsi, hodie mihi humiliter repedandum novi. Et confestim pergens quo eundum decrevit, advocato viri Dei nato, solotenus coram eo prostratus, pœnitentiam egit, super eo, quod priori die adeo inexorabilis extitit, nec non pacem ultro ei obtulit, cum eam dare prius etiam rogatus recusavit. Cujus rei gratia homo Dei lætificatus, omnipotenti magnificas grates retulit, & nihilominus omnis plebs ut audivit, humanæ duritiæ mollificatori laudes dedit.

Ammonicius.

PLacet mihi, fateor, sententia, quam ob prodendam simul & cavendam suggestionis diabolicæ malitiam proximo descripsisti capitulo, quæ ut videtur meæ parvitati, non inconvenienter visio viva potest dici; quia per eam inimicus homo, à morte proximi est prohibitus, atque vivus cum vivo, in gratiam communis humanitatis vivaciter est reductus. De cætero, quod insidet animo, dilectioni tuæ consilium do, ut præsentis dialogi claudas librum, ne forte unius voluminis probabilem excedat modum.

Col-

Collectitius.

QUamvis mihi non sit pro magno, dijudicari ab homine vel ab humano die, tamen ita tuæ charitati meapte probum videtur, consensum iri, ut narrationis gressibus in *Galliam* pergens, primum in ea factum tangam aliquod quod legentibus, & audientibus utile sit, dein tendam ad voluminis finem, quatenus ibi fervor dictandi & scribendi, ad tempus quiescat, sive decalescat, ubi sol quotidie ad occasum vergens, mundo absentia sua, noctis tenebras infundendo, quodammodo ardere seu lucere mortalibus cessat.

Erat quidam nobilis homo habitans in *Galliarum* regno, qui se assiduè in venatione inter alia exercens, die quadam quem necessarium habuit ad domum reditum protraxit usque ad diei noctisvè crepusculum. Tunc illius canibus, vulpeculam solito insequentibus & ingressis cujusdam cavernulas montis, dominus & senior valde dolens super interitu eorundem canum, quia non poterant videri neque audiri, misit de suis militibus atque comitibus, qui sibi de proximis villis, ignem cum lumine afferrent, pariterque funes cum longis ordinibus deferrent, quibus cavitatem montis descendentes intrare valerent. Cumque unus ex illis, qui post ignem & funiculos missi erant, per foramen intraret, & intus diu nimiumque erraret, tandem ad buccinam cornicinum, quæ interim foris persultabat, vix reflectens iter ad dominum repedavit suum, & dixit ad eum, Domine ista montana sunt omnia cava, ac horum interiora videntur quasi regio deserta, & nisi mihi tuapte adjutores dentur, qui funes cum ordinibus trahant, & per saxorum asperitates sustentare illos minus fastidiant, certisque spaciorum locis divisi vigilantissima, me cum lumine præcedentem, præstolentur custodia, nec quem mittis ultra videbis, & tamen canibus in æternum carebis. Non enim spero me ex tot anfractibus posse redire, nisi DEO concedente contingat parvitatem meam cum funiculorum attrectatione continua salutem concambire. Quid multa? Eodem momento cum his, quos in adjutorium petebat ingressus est vir denuo & aliquandiu restium ducatu incedendo moras perpessus est exosas, quamvis, ut exitus rei probavit, non infructuosas. Nam cum luminis deportatione oppidoque necessaria in id tempus administratione, angulum quendam horridum offenderet ac tenebrosum, aspexit duos homines cominus stantes & nihilominus lapides cum tribulis ferreis horribiliter flagellantes. Tunc investigator canum, ob insolitam visionem exterritus, moreque humanæ fragilitatis pene solotenus collapsus, fugam inire paravit. Sed eum prohibuit unus ex tribulatoribus dicens, Ne fugias neque paveas, quoniam per misericordiam Domini nostri JESU CHRISTI ad hoc huc missus es, ut dicam tibi quis sim, & cur hic in tanta tribulatione tot annorum evolutione, steterim. A quo, qui paulo antè per imbecillitatem extitit pavidus, audito Christi nomine, *factus* fortis & validus, sciscitabatur hujusmodi verbis proloquens, Quid tu hic? aut quare talis & tantus homo, quem in sæculo judicialem & curialem cognovi, nuperque in propriis laribus bene valentem vidi, deputatus es in pistrinum & gurgustium hujusce loci? Notus est enim mihi locus habitationis tuæ, quam habuisti in mundo, sæpiusque bonum convivium habui proprietatis tuæ in fundo, nec non hæreditatem natalium tuorum, & uxorem tuam cum filiis, per notitiam satis commendavi meis animis, si tu es ille homo, cujus personam bene me dignoscere puto. Cumque vocabulum quod in Baptismo acceperat, diceret, possessionumve nomina, in quibus habitaverat, adjiceret, qui erat interrogatus, respondit, ut de hac vita sublatus: Ille ipse quondam ego fui, quem tu modo me fuisse dixisti; sed propter peccata mea pro purgatorio igne, ante multos annos huc sum deputatus. Quod autem vides non est caro sed spiritus. Miror vero valde si adhuc aliquis meorum vivat, aut in sæculo in quo cuncta veterascunt, & deficiunt superstes esse valeat. Contra subjunctum est à respondente, sermonis complice. Ego quoque satis mirari nequeo, cur annos dixeris, cum hodie obitus tui sit dies septima, & cras illucescat octava. Uxor tua vivit & filii tui in sanitate manent, quod non fallax profero, sed veridicus; quia eos vidi nudiustertius. At defunctus respondens infit, Non mihi videntur septem vel octo dies usque modo post mortis articulum, sed credo in me sævisse annorum octoginta pœnale periculum. Preinde rogo te in nomine Jesu Christi Salvatoris omnium, ne meam spernas miseriam; sed quantocius ex legatione mea meis dicas, & annuncies, ut si me velint redemptum iri, reddant justis hæredibus prædium, quod olim perverso scabinionum judicio ab invalidioribus abstuli. Quod si non fecerint, pro certo scio, me usque in diem judicii, de pœnis haud exiturum fore. Sin verò satisfactum fuerit postulationi meæ,

SÆC. XI. ANNO 1010. meæ, spero vincula mea non diu teneri, sed extemplo absolvi. Et hoc illis & tibi signum redemptionis meæ certissimum, si recurrens huc adveneris, & me hic non inveneris: sicque cum salute ad propria regredieris. Est & aliud signum præ manibus, quod tibi absque dilatione monstratur in canibus. nam habebis eos penes te, qui inprimis reversi essent, nisi ad nutum Domini in hoc loco subsisterent. Eadem hora cum canes adventassent, regressus est homo & præsentia canum placans Dominum suum, cum festinatione ibat ab viduam, & ad filios illius, quem noviter allocutus est defuncti, ac indicabat illis, quæ audierat & viderat in abditis montis. Qui mox flentes pro malo, quod factum est, pœnitentiam egerunt, nec non eleemosynis animam redimere festinarunt, reddentes prædium eis, de quibus mandaverat, qui erat in pœnis. Tunc rogatu omnium recurrens homo ad montem ubi promissum speratæ absolutionis accepit, per immensæ pietatis fontem, ne sibi solitudo & tenebræ terrori essent & horrori, assumptis comitibus cum lumine intravit, & alterum prædicto signo absolutum invenit, & alterum in castigatione derelictum, non solum vidit, sed etiam invidit. Exiens vero inde inter fideles divulgare studuit gratiarum actiones.

Ammonicius.

QUid sibi vult hoc, quod in purgatoria castigatione tribulæ ferreæ sunt visæ, ac exhibita lapidum flagella, nec non duorum parium, alter est ibi relictus, alter quidem per absolutionem est inde sublatus? Quæstio siquidem & admiratio super hujusmodi rebus digna, certa expectat absolutionis signa.

Collectitius.

SI velles, o Ammonici, contentus esse tempore prisco scriptis, lectis, & dictis in talia, quæ de talibus rebus inveniuntur edita, credo tibi posse absolutionem sufficere, quam beatus *Gregorius* in dialogorum libro scíscitationibus Petri satisfaciens, de talibus visionibus, plano sermone olim scribendo exposuit. Nunc verò quia improbitatem tuam aliter avertere non possum, dicam breviter quid mihi de his videatur. *Sophon.* 1. Benè quoque & convenienter tribulæ visæ sunt, secundum id, quod Propheta testatur dicens: *Tribulabitur ibi fortis.* Quod autem peccatores laborare visi sunt in saxorum flagellis, manifestissimè increpat duritiam humanæ pravitatis. Cui Psalmista minatur dicens: *Psalm.* 31. *Multa flagella peccatoris.* Quod verò unus per gratiam est assumptus & *Luc.* 17. alter per Judicis justitiam in pœna est derelictus, optime convenit Evangelicæ sententiæ, qua designatur trifarium genus hominum, Domino dicente: *Erunt duo in lecto uno, unus assumetur & alter relinquetur. Erunt duæ molentes in unum, una assumetur & altera relinquetur. Erunt duo in agro, unus assumetur & alter relinquetur.*

Ammonicius.

SOlutio triplicis quæstionis tam per brevitatem quàm per utilitatem sui admodum placet sensibus meis.

Collectitius.

ET humilitati meæ placet, in nomine Sanctæ Trinitatis claudere librum, quia sol cum fine brevis dieculæ jam petit occasum.

Ammonicius.

FEliciter. Amen.

FINIS.

PANE-

PANEGYRICUS WIPONIS
CARMINE SCRIPTUS
AD
HEINRICUM III.
IMPERATOREM,
CONRADI IMPERATORIS FILIUM.

Primum ex Codice MS. Augustano editus.

AB

HENRICO CANISIO.

JACOBI BASNAGII
DE
WIPONE
OBSERVATIO.



Æc de *Wipone* habebat *Canisius* in præfatione tomi secundi Antiquarum Lectionum: *Wiponis nomen ne fando quidem antehac exaudiveram, de quo hoc tantum ex Urstisio scio, fuisse Henrici III. Sacellanum & de vita Conradi II. Henrici filii scripsisse Historiam, quæ adhuc in abdito alicujus Bibliothecæ latet.*

Pistor Hist. Germ. t. 1. p. 21. I. Paulo notior ab eo tempore factus est *Wipo*. Primo enim vitam *Conradi Salici* ab eo scriptam in lucem emisit *Pistorius*, ita ut in Bibliothecarum angulis non amplius lateat. Filio Patris gesta repræsentabat; deinde vero quæ filius *Henricus III.* præclare gesserat, patris Historiæ inseruit.

II. Ex Epistola hujus Historiæ dedicatoriâ, discimus Wiponem non modo Henrici III. fuisse sacellanum, sed & ipsius Parentis Conradi. *Quoniam tum plurimum tempus infirmavi, non potui in Capella Senioris mei Conradi frequenter adesse.* Fuit igitur Conrado a sacris & ea ratione gestorum testis oculatus, dum infirmitatibus non detineretur. Ante ipsum scripserant Historiam Conradi plurimi, sed ea difficultate non fuit deterritus; cum viderit, inquit, *verba Christi in Evangelio non per unum solum, sed per quatuor idoneos testes dilatari*, quæ, ni fallor, audacius quam decet effutivit.

III. Suspicionem ingessit ille versus:

Irradias patriam, si tu modo viseris illam.

Wiponem fuisse e Burgundionum Gente, agit enim ille de Burgundia, quæ præsentiam Imperatoris postulabat. Nisi forsan dicas Burgundiam Henrico fuisse patriam, eo quod Rodulphi Burgundionum Regis fuerit nepos; *Giseleidam* enim habuit matrem, quæ Rodulfi fuit neptis, ideo autem de Burgundia sollicitus & anxius videtur Wipo, quod inde ortum duxerit. Infirma utebatur valetudine, ut ipse testatur.

IV. Scripsit Wipo illa Carmina statim ab initio imperii Henrici III. utpote qui de Burgundia a brevi tempore subjecta mentionem fecerit:

Præterea tibi Rex mandat Burgundia: surge,
Atque veni, propera, NOVITER *subjecta vacillant*
Interdum, Domino per tempora multa remoto.
Quamvis nunc pacem teneat Burgundia per te,
Auctorem pacis tamen in te cernere quærit,
Et cupit in regis sua lumina pascere vultu.

Hen-

Henricum regni sui hæredem scripserat Rodulfus jam ante mortem Conradi, anno scilicet 1032. Inde commota sunt bella, Odone jura materna in regnum Burgundionum vindicante: nec non lites ortæ sunt de parte regni inter Henricum primum, Galliarum Regem, & Conradum, Henrici Imperatoris parentem. Pax tandem confecta anno 1034. Hæreditatem adivit Henricus; ita ut *noviter* subjecta dici potuerit Burgundia circa annum 1040. quo habenas imperii tenere cœpit Henricus. Cum autem Burgundiam adire non posset Henricus, colloquium habuit cum Burgundionibus apud Augiam majorem an. 1048. sic enim legendum apud Hermannum Contractum, non *Burdionibus*, ut habet textus. SÆC. XI. ANNO 1045.

V. Quadripartitum est opus, *Tetralogus* ab authore dictum, quod quatuor personas, *Musas* scilicet, *Legem*, *Gratiam* & *seipsum*, quæ Imperatoris laudes canant, inducat. Ex eo patet quanta fuerit ignorantia Germanorum tunc temporis; postulat enim ab Imperatore ut legem promulgare velit, qua pueri divites humanioribus litteris instituantur.

Tunc fac edictum per Terram Teutonicorum, Wipo Carmen legis.
Quilibet ut dives sibi natos instruat omnes
Litterulis, legemque suam persuadeat illi,
Ut cum principibus placitandi venerit usus,
Quisque suis libris exemplum proferat illis.
Solis Teutonicis vacuum vel turpe videtur
Ut doceant aliquem, nisi clericus accipiatur.



SÆC. XI. ANNO 1045.

INCIPIT PROLOGUS IN *EPILOGUM REGIS.

*fort legend. Tetralogum.



Domino Regi fide & verbis catholico, actibus gloriosissimo *Heinrico* tertio, *Wipo* famulorum minimus suorum, quod ros Hermon excelso monti Sion. Psal. 132.

Sanctæ pietatis tuæ accessibilis Celsitudo imbecillitatem meam facit, Domine Rex, ad gratiæ tuæ desiderabile culmen festinare: & sicut stellio, qui nititur morari in ædibus Regis; sic ego, licet omnibus modis obscurus, claritatis tuæ gaudia tamen in scriptis meis desidero frequentare. Et quoniam, testante Salomone, gloria est Regis investigare sermonem, feci tibi, Domine mi Rex, hunc brevem *Tetralogum*, quo & curas insomnes reipublicæ interdum levigare; & animum ad ea, quæ tibi persuasa sunt, possis excitare. Est autem tetralogus quatuor personarum sermo. Ibi Poëta primum hortatur Musas ut te laudent. Chorus Musarum benedicit & laudat te Dominum Regem. Deinde Lex te alloquitur cum his consiliis, quæ satis conveniunt tuæ dignitati. Postremo Gratia miti affatu temperabit, ad quod te Lex ex jure incitavit. Ad hæc perlegenda sit tecum legis & gratiæ mediator *Jesus Christus* Salvator, cujus regnum & imperium non deficiet in æternum. Vale Domine mi Rex piissime.

Proverb. 25.

Proverb. 30.

Explicit Prologus.

POETA.

Doctæ Pierides memorandas edite laudes,
Dicite perpetuas Henrico deprecor Odas.
Regis & immensum diuturnent carmina sensum.
Hujus res lætas millesima proferat ætas:
Hoc decus ingenii superet duo tempora mundi:
Dum mundus pereat, Regis sapientia vivat.
Si puer & juvenis sic floruit omnibus actis,
Quos dabit hic fructus maturo tempore ductus?
Pangite; materiam Rex præstat laudibus aptam;
Vos dictate mihi, dictatum scripsero vestri.

MUSÆ.

Principio Regi benedicimus omnipotenti,
Qui caput est Regum, quo gloria crescit eorum;
Qui Pater in Nato pariter cum Pneumate sancto
Lege sub æterna Dominus regnabit & ultra.
Hunc pie laudemus, nam summam laudis habemus:
Hoc habeat munus, qui regnat trinus & unus.
At Rex noster homo ditatus perpete dono
Tertius Heinricus, virtutum regnat amicus,
Alter post Christum regit orbem circiter istum.
Ipsum laudemus, nam causas laudis habemus.
Et Pius Heinricus *per nos modo sit benedictus,*
Versibus imprimis repetito nomine Regis,
Ut quotiens sancti surgant pro Rege vocati,

Rex

Rex totiens Christo placeat de nomine mixto.
Rex Heinrice Deo *regum charissimus esto.*
Rex Heinrice piæ charissimus esto Mariæ.
Rex Heinrice Duci dilectus sis Michaeli.
Rex Heinrice polis splendescas fonte Joannis.
Rex Heinrice tuus sit janitor æthere Petrus.
Rex Heinrice boni te firmet epistola Pauli,
Rex Heinrice tuos Andreas *dirigat actus.*
Rex Heinrice preces hos curet virgo Joannes.
Rex Heinrice Thomas *te vertat in omne quod est fas.*
Rex Heinrice tuus sit ductor ad alta Philippus.
Rex Heinrice pares Jacobi *sint te redimentes.*
Rex Heinrice Deo *placeas tribuente* Matthæo.
Rex Heinrice tuam Simon *corroboret aulam.*
Rex Heinrice piam Thaddaeus *det tibi vitam.*
Rex Heinrice Deum teneas per Bartholomæum.
Rex Heinrice vias tibi præparet ore Mathias.
Rex pie cum Stephano *sis lætus semper in alto,*
Teque pares Stephani benedicant ordine cuncti.
Rex bone Silvester *tibi sit per sæcula dexter,*
Teque sui socii benedicant ordine cuncti
Virginibus *sacris placeas ex omnibus actis,*
Omnes te Sancti *redimant de crimine mundi:*
Sit Rex sanctorum fautor tuus atque tuorum,
Hæc tibi Rex Musæ cantamus voce sonora,
Atque chorus noster renovat tua carmina semper;
Ut tibi laus crescat, dum Sol & Luna patescat,
Nos damus officium quo crescat gloria rerum,
Ex nostris donis manifestant verba Maronis,
Quid pius Æneas, quid Turnus posset in armis,
Fistula Musarum Flacco dictaverat Odas,
Ut Mæcenatem fecisset laude perennem.
Hæc eadem docuit Lucanum dicere bella,
Cæsaris & magni quæ durant ultima secli.
Ex nostris monitis callebat Statius auctor
Thebanos juvenes miseris discernere flammis.
Nasonis studium totus recitaverat orbis,
Ex nostris curis ornavit scripta figuris.
Regibus antiquis laudes cantavimus olim
Et de Principibus scribendi creverat usus.
Nunquam sic libuit quenquam laudare potentem
Ut dominum Regem, quem prodit nobile nomen
Heinrici, veterum de magno germine ductum.
Rex tibi cantamus, tibi laudis dona paramus.
Accipe, de nostris ut vivas mortuus actis.
Nos operam dabimus, quo possit dicere mundus,
*Tertius Heinricus fuit olim * paucis amicus.* * *Corrige: pacis.*
Fama sui meriti superabit tempora mundi.
Sic tibi cantabit, quem mundus adhuc generabit.
Nonne tibi merito magni debentur honores,
Atque favor populi, post omnia portio cæli?
Nam charus populo placuit sæpissime Christo
Quem Regem talis virtutum copia lustrat. *In m. s. hæc ad marginem erant:* Suasio Regis.
Nunquid abest aliquid, quod Regis gloria quærat?
Omnia spe vel re venerunt commoda per te.
Si petimus pacem; tu Rex præstaveris illam.
Si cupimus bellum; tu Rex commiseris illud:
Quod si consilium; tu Rex dabis utile multum:
Si volumus studium; tu Rex decus es studiorum.
Omnes munificos tu Rex præcellere nosti.
Inter clementes tu Rex clementior extas.

Sæc. XI. Anno 1045.

Sic castigandos tu Rex ratione flagellas.
Quicquid in humanis consistit moribus æqui,
Hoc Deus aut totum, vel partem condidit in te.
Quàm prudens opifex, qui commoda materiei
Elegit primum, de qua bona tanta pararet;
Quem de gente virum Dominus discerneret auctor,
Qui foret imperio modo post hæc aptior isto!
Forma, genus, probitas concordant omnia Regi;
Omnia conveniunt, concurrunt cuncta per illum,
Solus habet totum, quod plures auxerat olim.
Salve certa quies populorum tempore nostro:
Salve pax orbis, mundi fortissima turris,
Hostes Ecclesiæ quæ sternis semper abunde;
Unde sui capitis mundus prævidit honorem.
Tu caput es mundi, caput est tibi rector Olympi,
Cujus membra regis justo moderamine legis.
Tales vult dominus, quibus est hæc maxima virtus,
Mens humilis multum, cum qua te novimus ortum.
Cervicem pronam decet acceptare coronam.
Rex humilis crescit, quoties oriente diescit;
Et cadit elatus, semper sævire paratus.

EPILOGUS.

Carmina Musarum, Rex, perlege pauca tuarum.
Sit locus hic aliis tibi reddere munia laudis.
Wipo *tuus famulus si vult defendere tempus,*
Ut scribat Regi,. quod lex dictaverit illi,
Hîc nobis istos persuasit claudere versus.
Sis Christo curæ, pie Rex Cæsarque future,
Et vivas sanus centeno tempore canus.

Carmen Legis. plaude Regis.

AD Regis laudes Lex ambas erigit aures.
Ut segetes pluviis, sic cresco laudibus istis.
Non plus mulcet apes mellitos lambere flores,
Quàm me laus Regis, qua constat pactio legis.
His mihi sit verbis, quod rore virentibus herbis,
Quando dies verni reparabunt gaudia mundi.
Quid satius Legi, quàm dicere talia Regi?
Salve flos patriæ, quo fructum pacis habere
Non dubitat mundus; quia regnas orbe secundus.
Post Dominum cœli dignus mundana tueri:
Salve stirps Regum populis veneranda per ævum.
Radix magna fuit, quam ramus talis adauxit;
Nobile germen erat, quod mundum floribus ornat,
Una viri virtus multum præstare solebit,
Commendatque nimis probitas semel edita quoddam
Quod faciunt plures caput unum Regis habentes,
Quas numerare volens seriem facit ordine longam.
Sed tamen ex cunctis sex Regem magnificabunt
Virtutes aliasque satis præcedere norunt.
Mens humilis, pietatis amor, Pax missa per orbem,
*Nobilitas & forma * docens, fiducia belli;*
Has voco præcipuas & Regis honoribus aptas
His Rex Heinricus Christi clarescit amicus.
Ad mea nunc venio, quæ novit mundus in illo:
Sunt mea quæ dicam, quia sum Lex, ille meus Rex;

* leg. decens.

Et

Et qui me spernit, Rex ejus prælia sternit.
Qui mea jura colit, Rex hunc defendere novit.
Rex Christo charus; nullum vastabit avarus
Vile putat studium si quis comportat in unum
Quicquid habere potest, cùm jus non quærat habendi,
Est dives multum contemptor divitiarum.
Aurisurdus amor miseris clamantibus obstat.
Vendiderit leges captura pecunia Reges,
Et de Principibus justos furabitur usus.
At Rex Heinricus vir prudens prospicit illud,
Ut tunc curet opes, cum nullum sunt reprimentes.
Nec contra legem flectunt donaria Regem.
Sic facit ut doctus quis Rex est doctior illo?
Quis Cæsar melius, si quid rubrica vetavit,
Scire valet primis, quam discere cœperat annis.
Felix sit genitor redivivus laude perenni
Conradus *Cæsar quem maxima causa subivit,*
Ut sciret natum studiis ad regna paratum,
Qui rector publicus mundum discernere posset,
Felix sit mater memorando carmine digna
Gisela *de* Caroli *procedens sanguine* Magni.
Nam si post decimam numeretur linea quarta
Post Carolum Magnum *nascetur nobilis ipsa.*
Hæc operam dederat, quod Rex in lege studebat:
Illa sibi libros persuaserat esse legendos,
Ut varios ritus dijudicet arte peritus
Doctrinæ lumen tenebrosum dirigit orbem
Gentes infestas vicit Romana potestas
Olim consiliis; non semper vicerat armis.
Est satis expertum quantum sapientia possit,
Quæ per vim verbi flectit moderamina regni.
Rex iterum salve. tibi laus sit cum genitrice;
Ad cujus votum tibi dat sapientia totum,
Quo decus imperii valeas per jura tueri.
Congaudete simul; non ut discordia regnet,
Quæ dudum regni turbavit gaudia nostri.
Cum dominis rerum sit pax sine fine dierum.
O sanctos mores cùm matri reddis honores.
Est tibi spes vitæ, si sit sibi gloria per te.
Si quid erat, rite Deus illud transtulit ipse.
Exin nullus homo fœdus dissolvere possit,
Quod Deus adjunxit, qui pacis dona creavit.
Perstet dulcedo materni nominis in te,
Cùm valeas alios acquirere semper amicos.
Mater in hac vita non plus tibi venerit ulla.
Quin aliud dicam tibi Rex ego consiliatrix,
Lex tua, ne renuas post dictum commemorare;
Cum Deus omnipotens tibi totum fregerit orbem,
Et juga præcepti non audet temnere quisquam;
Pacatusque silet firmato fœdere mundus,
Cumque per imperium tua jussa volatile verbum
Edocet Augusti de claro nomine scriptum.
Tunc fac edictum per terram Teutonicorum,
Quilibet ut dives sibi natos instruat omnes
Litterulis, legemque suam persuadeat illis,
*Ut cum Principibus placitandi * venerat usus,*
Quisque suis libris exemplum proferat illis.
Moribus his dudum vivebat Roma decenter:
His studiis tantos potuit vincere Tyrannos:
Hoc servant Itali *post prima crepundia cuncti;*
Et sudare scholis mandatur tota juventus:

* *fort. venerit.*

Solis

Sæc. XI. Anno 1045.

Solis Teutonicis *vacuum vel turpe videtur,*
Ut doceant aliquem, nisi clericus accipiatur.
Sed Rex docte jube cunctos per regna doceri,
Ut tecum regnet sapientia partibus istis.
Præterea tibi Rex mandat Burgundia, *surge*
Atque veni, propera, noviter subjecta vacillant
Interdum, domino per tempora multa remoto.
Funditus est verum veterano tempore dictum:
Quicquid abest oculis, removetur lumine cordis.
Quamvis nunc pacem teneat Burgundia *per te.*
Auctorem pacis tamen in te cernere quærit,
Et cupit in Regis sua lumina pascere vultu.
Huc ades, & regnum fac, te veniente, serenum.
Si Sol occubuit, cùm Cæsar regna reliquit (Vide Obs. Basn.)
Irradias patriam, si tu modo viseris illam.
Hæc olim magno domuisti regna labore;
Utere nunc populis, tibi Rex servire paratis.
Hæc via sit facilis, quam præparat orbita pacis:
Huc bene venias, hic omnia prospera cernas.

CARMEN GRATIÆ,

PRO REGIS HONORE.

Omnia plena bonis. Sic optat musa Wiponis
Hæc ego Lex *cecini devoto carmine Regi.*
Audi spes orbis, quid dicant intima cordis,
Quid velit hæc series, quas addat Gratia laudes.
Gratia *te laudat, tibi grates Gratia cantat;*
De vena mentis salientia carmina sentis
*Post justam Legem * comeretur Gratia Regem,* (* Leg. comitetur.)
Et post judicium veniæ mulcedo sequatur.
Sicut vulneribus medicinam ferre solemus,
Sic condemnatis succurrat mos pietatis.
Lex ad vim Regi generat feriendo nocentes;
Ut sit carus item Rex idem Gratia suadet:
Legem scripsit homo; descendit gratia cælo:
Lex servire docet; dominari gratia monstrat;
Lex condemnabit; sed gratia justificabit.
Hoc dicendo, bonam prorsus non denego legem;
Sed laudans veniam, commendo Regibus illam.
Non satis una valet, si non manet altera secum.
Frangitur hæc, fortis; contemnitur altera mollis.
Est bona temperies, quam lex & gratia miscent.
Hæ si conjunctæ, generabunt pacis amorem.
Non laudo pondus, quod nemo ferre valebit.
Viribus inspectis onerabit gratia lapsos.
Rex dominus cæli, miserando, judiciales
Abscondens pœnas, conversos protegit hostes.
Hunc imitare, peto, pie Rex Heinrice, *Tonantem,* (In m. s. margine: Consilium Gratiæ.)
Qui miserando parcit, parcendo crimina punit,
Sic utrumque bonum doceat regnare patronum,
Per quem lex feriat, quo legem gratia sanet.
Hoc venerande tibi prædixerit ordo sacrandi,
Cùm præsul gladium femoris vertigine cingit,
Dum Rex iratus fueris miserando quiesce.
Dura foventur aquis, durescant lenia flammis;
Alternatque vices moderatæ jus rationis.
Hinc adamas durus solvetur sanguine molli;

Con-

Conferitur vitrum melius per vincula plumbi:
Ferrum cum limo massâ candente liquescit.
Et natura jubet mutari tristia blandis:
Post acidum, dulcem præstat gustare saporem;
Post dulces, acidos iterum confundere gustus.
Non hæc propterea tibi Rex narrare paravi,
Ut te clementem Dominum regnique parentem
Quis dubitet; sed eos, qui tantum lege moventur,
Castigare libet, quibus hæc pia dogmata trado.
Cum Deus *omnipotens in mundo cuncta creavit,*
Solus homo liber percepit dona creantis.
Mox libertatem primam vaga mens viciavit:
Cæperunt miseri dono rationis abuti;
Et potuisse malum, traxit natura, per usum.
Ecce Deus *legem superaddidit hoc reprimentem,*
Cujus transgressor non impunitus abiret,
Ac pœnam metuens redeat perversa voluntas
Judiciumque probet, quàm sit peccare malignum.
Sic Dominus clemens servos revocare volebat.
Non tulit illud homo, pœnali lege gravatus,
Ut per vindictam posset compescere culpam;
Et mortale jugum læsa cervice dolebat.
Occidatur, ait lex, qui semel est homicida,
Et qui mœchetur cum mœcha mox lapidetur. Levit. 24.
Dens pro dente cadat; lumen pro lumine vadat; Deut. 19.
Pesque pedem reddat; manui manus altera cedat; Levit. 20.
Vulnera vulneribus responsum reddere certent. Exod. 21.
Qui detestatur genitores, hic moriatur,
Qui furtum faciet, sine pœna non remanebit.
Quinque boves unum redimant cum fraude remotum.
Qui furatur ovem, reddat cum quatuor unam.
Si maledicet homo, moriatur pro maledicto.
Sic lex verborum contorquens tela suorum,
Terrebat plures, & desperare coegit,
Clamabat populus sub tanto pondere pressus,
Vociferabat homo fessus religamine duro;
Hoc non posse pati, fore tempus jam miserendi.
Audivit Dominus clamantes, & miserorum
Respondit gemitus solita pietate creator.
Venit in hunc mundum carnis velatus in umbra,
Humani generis formator & ipse redemptor.
Non repulit legem, sed justum dans moderamen,
Ne moreretur homo, veniam cum lege locavit;
Ut cum lex mortem promittat, gratia vitam:
Erigat hæc humiles; ut dissipet illa rebelles:
Conversus veniam judex non abneget ullus.
Sic Deus omnipotens per vates dixerat olim: Ezech. 33.
Nolo peccantis mortem, nec gaudeo pœnâ: Jona. 3.
Convertatur, ait, vivat, mihi serviat ipse.
Conservatus homo, quem prisca in sede repono.
Nunc idem Dominus veniens in tegmine carnis
Inquit, Discipulis hoc mando, discite, cunctis: Matth. 4.
Crimina pœniteant, & vita perpete vivant.
Peccatum pereat, peccator vivere discat.
Qui se convertit, non est hic, qui fuit olim.
Non dicam hic vitæ quid sit clementia verax:
Quod gratis dabitur clementia jure vocatur.
Qui recipit meritum, veniam quis dixerit illud?
Si quis peccanti converso vult misereri,
Et parcens misero, vindictam sumere nescit,
Hic veniam tribuit; sic pœnam gratia spernit.

Sæc. XI. Anno 1045.

Propitietur homo confratri crimine lapso.
Qui cadit & surgit, spes est ut vivere possit.
Omnes peccamus, peccantibus hoc faciamus
Quod Dominus nobis, qui clemens est inimicis,
Cum veniam laudo, non legem temnere quæro.
Lex bona si veniam dorso portare studebit,
Gratia tunc prodest, cum lex præcesserit illam.
Et lex obstanti, sed gratia sit redeunti
Sic in utroque bono dabitur consistere mundo.
Nunc tibi sit Regi pax & clementia Christi:
Tu princeps orbis sis Christi munere fortis,
Tu Dominus regni vivas in pace perenni.
Sic vult WIPO *tuus cum fido pectore servus.*

VERSUS WIPONIS
ad mensam Regis.

Regalis cœtus sit in isto tempore lætus,
Quo lux in tenebris exoritur populis
Inter lætandum res suadet commemorandum,
Quod Deus est natus, filius ipse datus.
Parva dedit Bethlehem de magno germine panem,
Qui satiare valet, quicquid ubique manet.
Panem de cœlo porrexit gratia mundo;
Panis adest vivus perpetuusque cibus.
Fons salientis aquæ diffusæ pocula vitæ;
Hinc quicunque bibet, non iterum sitiet,
Mellis dulcedo per Christum fluxit olympo,
Ut sapiant famuli delicias Domini
Bos renuit fœnum cùm vidit nobile granum
Et præsepe Dei præcavet os asini.
Virgo Maria vide, mirando talia ride
Ex te per verbum cerne Deum genitum.
Rex pie cœlestis nostris illabere festis;
Da fructum pacis, sicut ubique facis
Heinrico *Regi digneris propitiari*
Ut cum lætitia pertrahat officia.

FINIS.



VITA

VITA
SANCTORUM
KILIANI
EPISCOPI WIRZBURGENSIS,
KOLOMANNI
PRESBYTERI
ET
TOTNANI
MARTYRUM.

AUCTORE ANONYMO.

Integrè & ſine ſtyli mutatione edita

A CANISIO


Ex Membranis MS. Monaſterii Windbergenſis & Rebdorfenſis.

CANISIUS

Ad Lectorem.

Trithemius de viris illustrib. Ord. S. Benedicti lib. 4. c. 172.

SÆC. XI. ANNO 1050.



Ilianus Monachus Huensis in Hybernia, & Episcopus Herbipolensis in Franconia, vir doctus & sanctus, prædicatorque verbi Dei eximius, veniens de Scotia in Germaniam, postquam multos sua prædicatione convertisset ad fidem, martyrio rubricatus, ascendit ad cœlum. Claruit anno Domini 680. Hæc Trithem. qui ibidem lib. 3. c. 131. aliud elogium de eodem S. Kiliano habet.

Hujus S. Kiliani vitam edidit Surius tom. 4. sed nec integram, nec sine mutatione styli. Idem Surii Fragmentum edidit Nicolaus Serarius Societatis JESU *Theologus, vir eruditissimus, qui notis optimis S. Kilianum illustravit. Nos quia membranas nacti sumus, in quibus integra vita S. Kiliani, hic damus, bono publico.*

Quis auctor fuerit, hactenus incompertum est. Si autem divinare licet, conjectura est, fuisse Egilwardum Monachum cœnobii S. Burchardi prope Herbipolim, qui, teste Trithemio, scripsit vitam S. Burchardi, quæ extat apud Surium tom. 5. 14. Octob. Nam auctor noster vitæ S. Kiliani, in fine promittit vitam S. Burchardi his verbis: In vita ipsius (*S. Burchardi*) prout poterimus, manifestare curabimus. *Et hæc de auctoris nomine conjectura mihi certa esset, si nullus alius vitam S. Burchardi scripsisset. Sed quia aliam quoque & quidem antiquiorem, ut videtur, (quam etiam hic edimus) vitam S. Burchardi in m. s. membranis invenimus, potuit fieri, ut idem auctor utramque, hanc scilicet, quam damus S. Burchardi, & istam Kiliani scripserit. Nos hic nihil asserimus, præterquam quòd fide dignissimus sit hic auctor, qui ait:* Nihil ejusmodi asseramus, quod incompertum habeamus. *Porro quia in membranis m. s. Aichstadiani monasterii Ordinis Prædicatorum invenimus aliam quoque vitam S. Kiliani, optimæ notæ, noluimus illam negligere, ideoque subjunximus.*

J A-

JACOBI BASNAGII IN SCRIPTOREM VITÆ S. KILIANI OBSERVATIO.

I. TRibuitur vita Kiliani *Egilwardo.* Conjecit eruditissimus *Vossius Egilwardum* post an. 1300. vixisse. Sed primo nullum conjecturæ profert argumentum præter *Possevini* nomen, quod hac in re non suffecerit: deinde vero seriem Episcoporum Wirtzburgensium ad Hugonem tantum deducit. Vixit autem Hugo, an. 980. & obiit an. 989. Ne tamen credas Hugoni coævum fuisse Egilwardum; quippe qui translationem Burchardi ab Hugone factam ex Traditione & *veridica præcedentium Patrum relatione*, ut ipse testatur, hauserit. Debuit igitur esse Hugone aliquanto recentior; ideoque Sæculo undecimo apposuimus. I *De autore hujus vitæ.*

II. Fuit autem *Egilwardus* natione Germanus, ab eo plane diversus, qui Wirtzburgensem sedem post Luviticum sex annorum spatio tenuerat. Hic enim monachus tantum fuit in vicinia Herbipoleos sive Wirtzburgensis in Franconia civitatis. Ab Abbate fuit ei mandatum ut vitam Burchardi scripto conficeret; sponte vero prius Passionem Kiliani jam descripserat. Dubitat Vossius an *vita Burchardi* quæ legitur apud *Surium*, sit ipsius. Confidenter asserunt alii. Querebatur *Baronius* illum in vita Burchardi tempora satis accurate non distinxisse. Multo pejora peccavit in ea *Vita Kiliani* quæ hic habetur. Pauca continet observanda: Vix intelligas quid sibi velit, dum asserit Kilianum Romam petiisse ut ipsi a Pontifice facultas prædicandi concederetur: siquidem Hybernia olim Pelagiana fœdata fuerat hæresi Apostolicaque Censura damnata; quæ nisi Romano judicio solvi non poterat. Errat, ubi *Kilianum* Episcopalem *sedem Wirtzburg* primum *promeruisse* contendit; nunquam enim præsul Wirtzburgensis fuit Kilianus, eaque sedes in Episcopalem nonnisi sæculo sequenti fuit erecta. Peccabat in leges Kilianus, qui, ipso referente, conjugium Gozberti cum Gentili uxore, ipso vidente & non renuente contractum, voluit dirimere. An ideo conferendus cum Joanne Baptista? A risu vix abstinebit lector, dum miraculum animalium *stabulatorum super sepulchra martyrum nec stercora nec urinam jacentium*, ut honorem martyribus exhiberent, oculis pervolvet. Demonstrant illa Scriptorem paucissimi judicii, ipsumque vitas *conscribillasse*, ut *Vossius* autumabat. II. *Quis Egilwardus.*

 PAS-

SÆC. XI. ANNO 1050.

m. s. Windbergensis: Prologus in Passionem Sanctorum Kiliani & sociorum ejus.

PASSIO KILIANI ET SOCIORUM EJUS.



Anctorum Martyrum certamina quoties ad memoriam redeunt, toties mentem ardore compunctionis tangunt, quo fit, ut fraternæ charitati multum videatur impendere, qui Martyrum historias stylo studet memoriæ commendare. Et quamvis, culpis retardantibus, iter rectitudinis assequi non valeat, incedentibus tamen in patriam, veritatis tramitem monstrat. Alioquin miserrimum est, feliciter navigantibus, si invideat portum salutis, qui patitur damna periculosæ navigationis. Idcirco beatissimi Martyris Kiliani ac sociorum ejus gesta, prout possumus, literarum notis assignare curamus, ut fraterna studia ad amorem boni operis incitemus. Quia enim phialam dare fratribus non possumus, saltem cyathum propinemus.



INCIPIT PASSIO

Hic titulus in m. s. Rebdorfensi non est.

EORUNDEM MARTYRUM CHRISTI.



Eatus Kilianus Scotorum genere nobilibus ortus parentibus, divinæ tamen gratiæ factus est nobilitate clarissimus. *Scotia virorum illustrium ferax.*

* Scotia, quæ & Hybernia dicitur, Insula est maris Oceani, fœcunda quidem glebis, sed sanctissimis clarior viris, ex quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Ciliano Teutonica nobilitatur Francia. Qui, ut diximus, nobili prosapia editus, à pueritia liberalibus studiis traditus, simul cum literarum incrementis diligenter cœpit indagare viam veritatis. Tandem præveniente se gratia Dei, spretis humanarum literarum studiis, omnibusque hujus mundi illecebris Monasterium petiit, abnegavit semetipsum sibi, tulitque crucem suam, & secutus est Christum. *Windberg. m. s. codex Scothia: & ita ubique scribit.*

In Monasterio igitur positus, quantæ obedientiæ, quantæque frugalitatis, quantæque fuerit vigiliarum & orationum instantiæ, vitæ præsentis terminus declaravit. Quamvis etenim martyrii palma per gratiam magis, quàm per meritum constet, bonis tamen adimpletur operibus. Videntes itaque Monasterii fratres in virtutum profectibus beati viri perseverantiam, primo eum per Ecclesiasticos gradus ad Presbyteratus officium precibus ascendere, deinde ejusdem Monasterii regiminis curam sumere coegerunt. Ille autem sciens perfectionem charitatis sine proximi dilectione perfectè constare non posse, passus est in propriis se aliquantulum minorari, ut fratrum prodesse posset utilitati, imitatus Apostolum, cupientem anathema fieri à Christo pro fratribus & cognatis secundum carnem. *Kilianus fit Monachus & Presbyter.*

Veruntamen cum fama beati viri longè lateque crebresceret, metuens ipse, ne popularis favor maculæ sibi rugam infigeret, cœpit meditari, qualiter notos & propinquos relinqueret, peteretque longe sepositas terras, ubi obscurus fama, & vilis genere posset haberi, quo liberius divinis cultibus vacare valeret. Deliberatione itaque recedendi * facta, collectis sociis, in quibus idem fervor dilectionis ardebat, ad vicinam Scotiæ Britanniam pervenit; Quam non longa navigatione præteriens, Galliam attigit. Qua permetata in provinciam Germaniæ devenit, quæ ab incolis terræ ipsius Orientalis Francia vocitatur: ibique in oppido, quod * Wirzeburg eorum lingua dicitur, latina verò lingua, virorum interpretari castellum potest, moram se facturum disposuit, non veritus incredulæ gentis feritatem, eo quod intrepidus coronam optaret martyrii. Sed tamen * prædicationis interim abstinuit, donec Romano se Pontifici præsentaret, quatenus apud Romanam sedem & integrum Christianæ Religionis dogma, & licentiam prædicandi acciperet. * Hibernia siquidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæresi, Apostolicaque censura damnata, quæ nisi Romano judicio solvi non poterat. Idcirco vir sanctissimus coram primate Apostolicæ sedis, ejusdemque ministris, ut sibi semina divini verbi gentilibus erogare liceret, studio divini amoris expetivit. *Germaniam petit.* *W. facta & peracta.* *W. m. s. Wirzburch.* *W. prædicationi.* *W. Ibernia.*

Tunc autem præerat Romanæ Ecclesiæ * Konon Pontifex, humanis, divinisque literis pollens, pontificali officio congruus, in ordinandis Ecclesiasticis rebus discretor idoneus. Qui audita fide præfati viri charitatis nexibus * illigata, Deo gratias retulit, eique sese charitatis amore impertivit, exultans semina divini eloquii ab insulanis, ac longe positis Doctoribus augeri. *W Conon.* *W. alligata.*

Erat igitur apud egregium Pontificem non modica exultatio, quia cernebat paulatim evacuari fraudem antiqui hostis, crescentibus divinæ ministris operationis. Tunc *Fit Episcopus a Conone Pontifice.*

SÆC. XI. ANNO 1050.

ex consensu totitus urbis beatissimum virum in præsalutus * officium constituit, quo & chrisma conficere, & Ecclesias dedicare, & sacros ordines consecrare irreprehensibiliter valeret. His ita peractis dimisit eum, monens, ut cœpto operi insisteret, à Domino sibi parato præmio æternæ retributionis. Beatus itaque Kilianus urbem egressus, peracto itinere cum Kolomanno Presbytero, & Totmanno Levita ad locum sibi destinatum pervenit, Columbano in Italia relicto. Nam Romam pergens Gallum in Alemannia, febre gravatum dimisit.

* W. officio constituit, ut sacros ordines consecrare ir. v.

Wirtzburgi prædicat.

* W. Wirtzburch.

Veniens igitur ad prædictum oppidum Orientalis Franciæ * Wirziburg, non eum, quem in eadem provincia ducem reliquerat, invenit, sed alium nomine Gozbertum. Porro venerabilis vir paulatim cœpit pabula divini verbi incredulis populis ministrare. Tantam enim Dominus ei gratiam contulerat, ut in brevi tempore gentis loquelam perdisceret, & eis proprio sermone semina veritatis erogaret. Mirabantur autem omnes non solum novitatem doctrinæ, sed exuberantiam quoque eloquentiæ, facundiam etiam sermonis comitabatur efficacia virtutis. Impletum est in illo, quod veritas Apostolis promisit: *Ego, inquiens, dabo vobis os & sapientiam.* Et iterum: *Opera, quæ ego facio, & vos facietis.* Sed cum jam divini semina succrescerent eloquii, & plebs gradatim minueretur errore gentilitatis, usque ad principes populi sancti viri fama pervenit, ut Ducem quoque provinciæ non lateret. Qui eundem sanctum virum sibi præsentari jussit, expetiri cupiens, quæ esset hæc doctrina, quam prædicabat, hactenus sibi incognita. Erat verò idem princeps naturali ingenio præditus, licet gentilitatis errore fœdatus. Ad quem cum à beato viro perventum esset, constanter veræ dogma religionis insinuare cœpit, docens, unum esse Deum visibilis & invisibilis creaturæ auctorem, in Trinitate personarum, & unitate divinitatis consistentem. Jesum Christum, à Judæis crucifixum, in una persona verum DEUM, verumque hominem, in natura divinitatis æqualem patri, in naturâ humanitatis factum mortalem, tertiam tamen in Trinitate * personam, per quam rationabilis, mortalisque creatura, invidi hostis fraude decepta, sit misericorditer reparata. Præfatus autem princeps adjuvans tanti viri constantiam, & sermonum insuperabilem * veritatem, quia, ut diximus, naturali pollebat ingenio, veris se superatum sententiis videns, ad tempus ejus distulit auditionem, volens frequenti apud se tractare rimatu, utrum quem Kilianus docebat, an Dianæ cultus præponendus foret. Diana namque apud illum summa veneratione habebatur. Veruntamen egregius vir jugi instantia laborabat, ut Deo redderet animas, quas diabolus perdere conabatur. Lucerna igitur supra candelabrum posita, omnibus resplendebat, & civitas in monte constituta ab omnibus videbatur.

Luc. 21. Joan. 14.

* W. personam, Spiritum sanctum, per quam.

* W. virtutem.

Matth. 5.

Dux Franconiæ convertitur.

Porrò prænominatus Dux cernens perseverantiam prædicationis egregii viri, secreto venit ad eum, cupiens doctrinis ejus instrui, quatenus cognito tramite veritatis abigere valeret anfractus erroris. Sed à beatissimo viro Catholicæ fidei documentis diligenter instructus, proximo die Dominicæ resurrectionis cum multis aliis dato nomine, aqua lotus baptismatis, absolutionem pristini promeruit erroris. Sicque factum est, ut tota pænè provincia Orientalis Franciæ, relicto dæmonum cultu divinæ religioni operam daret. O beatissimum virum Apostolicæ dignitati comparandum. Ad judicium namque Domino veniente, Petrus Judæam, Andreas Achaiam, cæterique secum diversa regna trahent, inter quos beatus Kilianus Teutonicam Franciam ducet. Quanta tunc erit exultatio patris in prole, & prolis in patre, quando omnibus mundi consumptis periculis, neque memoria restabit tribulationis. Sed jam tempus est, ut ad beati viri, sociorumque ejus martyrium succinctè pergamus, ita tamen, ut moderata brevitas & studioso lectori satisfaciat, & desidioso fastidium tollat.

Gisbertum ducem conjugem dimittere hortatur.

Prædictus Dux Gozbertus monitu assiduo beatissimi præsulis ad meliora de die in diem proficiebat. Erat illi tamen conjunx secundum gentilitatis ritum, quæ quondam fratris ipsius conjugio fuerat copulata. Hæc Geilana nomine dicebatur. Præclarus autem vir Dei idcirco in initio fidei noluit tale prohibere conjugium, ne in pœnitudinem credulitatis, gravitate monitus princeps prælibatus duceretur. Et hoc est, quod Apostolus in fide nondum perfectis dicebat: Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. perfectorum enim est solidus cibus. Ideoque egregius Martyr, quod gravius noverat, distulit in futurum, simulque divino revelante Spiritu, sciens in hac re sibi & sociis causam constare martyrii, ut multis interea prodesset, interim omisit tale damnare conjugium, licet cuperet dissolvi, & cum Christo esse, imitatus Apostolum, qui in sporta per murum à fratribus dimissus est, non ut mortem timeret, sed ut multis ante mortem prodesset.

1. Cor. 3. Heb. 5.

Act. 9.

Veruntamen cum quadam die venerabilis præsul Ducem familiariter alloqueretur, dixisse fertur inter cætera: Fili mi, quem per Evangelium genui, gaudeo valde in pro-

profectu fidei tuæ, sed multum me movet, quia illicitis nuptiis detineris, & vereor nimis, ne à recto itinere tali conjugio retarderis. Legitur enim sapientissimo dicente viro: qui in uno offendit, multa bona perdit, Jacobo Apostolo testante, quia qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. * Propterea in baptismate innovatur homo, & non ex parte, sed totus. Ut autem totus innovari possit, nihil pristini retinere deberet erroris. Audiens hæc princeps, primo hæsit stupore, deinde alta suspiria trahens (valdè enim diligebat eam, quam habebat uxorem) demum tale fertur dedisse responsum: Audivi, pater, te docente, quia Dominus Jesus monet nihil præferendum suo amori, non patrem, non matrem, non filios, non uxorem, & idcirco quamvis unice diligam junctam mihi uxorem, præpono tamen divinum amorem. Sed nunc non adest mihi otium inquirendi qualiter eam dimittam, quia contra hostes nostræ reipublicæ festino, cum autem fuero reversus, inventa opportunitate dimittendi separabor ab illa. Hæc verò cum ad aures Zeilanæ pervenissent, quis enim fallere posset amantem, gravi incanduit ira, ceu raptis catulis leæna, diuque secum bacchata, ex eo cœpit * quærere, quomodo sanctos viros extingueret, neque enim absente marito tanto * cessaret cardine rerum.

SÆC. XI. ANNO 1050.

Eccl. 9. Jac. 2.

* *W. præterea.*

u. 14.

* *W. quærere oportunitatem, quomodo.*

* *W. cessarat.*

Felix Kiliane, qui Heliæ & Joanni dignus es comparari. Helias namque Jezabelis insidias pertulit, Herodiadis fraude Joannes martyrium accepit, tu Gailanæ zelo truncaris, tribus tamen una est causa laboris, testificatio videlicet veritatis. Helias non nuptias prohibuit, sed mulieris improbitatem damnavit; ideoque tamen evasit, quia Dominus eum abscondit. Joannes & Kilianus quia nuptias vetuerunt illicitas, fæmineo veneno mortem pertulerunt. Nulla siquidem feritas bestiarum in hoc mundo similis mulieris malæ. Ad hujus rei exemplum sufficiunt duo omnibus aliis incomparabiles viri. Samson invicti roboris, dux Israeliticæ plebis, & Salomon inexhausta sapientia laudabilis, quorum uterque fæmineis fraudibus cessit, hic idola colendo; ille, quo privari fortitudine posset monstrando. Nulla igitur bestia in hoc mundo similis est mulieris malæ. Igitur ad propositum redeamus.

Jud. 16. 3. Reg. 11.

Nefanda mulier, de qua nobis sermo est, callida meditatione perquirebat, qualiter sine populari strepitu, & vulgi cognitione sanctos viros perderet. Armabatur namque impatientia iræ, & libidinis furore. Et quia diabolus iniqua cupientibus fomenta malitiæ subministrat, inventi sunt duo ministri crudelitatis, qui promitterent, se satisfacturos Geilanæ desideriis, datis sibi muneribus miserrimæ executionis: atque ita factum est, ut accepto præmio nefandi operis pervenerint ad votum fæmineæ crudelitatis. Solebat namque beatissimus Martyr Kilianus post parvam dormitionem necessitatis, ad studium vigilare propensæ orationis. Quadam verò nocte cum leves somnos carperet S. Kilianus, ita ut nec dormiret integrè, nec vigilaret apertè, apparuit ei vir habitu formaque pulcherrimus, qui diceret, Amice Kiliane surge, nolo te diutius laborare, uno duntaxat certamine tangeris, & sic jugiter victor mecum eris. His dictis abscessit. Evigilans autem egregius vir, intelligens divinam sibi adesse visitationem, convocatis fratribus, inquit, Fratres evigilemus, cito aderit Dominus, & pulsabit januam; cavendum ergò est, ne nos somno torpentes inveniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus est, ne si defecerit, tunc incipiamus quærere, quando non poterimus invenire. Illis itaque circa medium noctis orationibus vacantibus, carnifices strictis gladiis locum, in quo orabant, penetrarunt. Quos cum sacer vir intuitus esset, ait, Amici ad quid venistis? implebitis præceptum, * consummabitis cursum. His dictis interfecti sunt, ibique terræ mandati, ne quis scire posset, quid factum foret. Vestimenta quoque cum quibus divina officia peragebant, sacrique libri simul cum eis defossa sunt, ne quod indicium necis eorum deprehendi posset, sed clam discessisse putarentur causa solitæ peregrinationis. Erat tamen quædam nobilis mulier, Burgunda nomine, quæ à principio prædicationis eorum sanctis adhæserat viris, habens cellulam juxta oratorium Sanctorum, quo facilius divinis laudibus interesse valeret. Hæc intenta vigiliis, quæ facta fuerint, diligenti studio investigavit, recedentibusque carnificibus linteolo fusum sanguinem Sanctorum collegit, ac terræ diligenter infodit, vigiliis & orationibus vacans, ubi Sanctorum corpora obruta noverat, excolebatque locum veneratione, qua poterat, licet silenter, ne sicut postea factum est, Geilanæ jussu removeretur.

Geilana Kilianum persequitur.

Matth. 25.

* *W. consummabimus.*

Rebdorf. linteolo mundo.

Eadem sceleratissima mulier stratis quoque * plancis, stabulum equorum, in loco, ubi sancti Martyres humati erant, fieri jussit, ne quo indicio sacra corpora proderentur. Ferunt tamen ab his, qui tunc fuêre, posteris relatum, quod animalia ibi stabulata super sepulchra Martyrum, nec stercora, nec urinam jacerent, honorem Martyribus exhibentia, ut quod de capite Propheta vaticinatus est, hoc in ejus membris re-

Equi Martyres venerantur.

* *W. plantis.*

Sæc. XI. Anno 1050. periretur. Cognovit, inquiens, bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israel non cognovit. Talique modo, ut dictum est, Sanctorum corpora hominibus pæne ignota forent, nisi præfata Burgunda in extremo vitæ posita, quibusdam fidelibus, ubi posita essent, * revelaverit. Contigit autem, ut dux peracta militia reverteretur ad locum, ubi sanctos viros dimiserat. Quos cum non invenisset, studiosè cœpit perquirere, quando & qua causa recessèrint, quove abierint; ejus enim uxor veneno malitiæ fœdata, aliquando * rubore perfusa, aliquando pallore depressa, aliquando confidentia roborata, diversos anfractus nequitiæ suæ fraudibus prætendebat dicens; non se eos custodisse, neque custodes adhibuisse; quando voluerant venisse, quando sibi placuit recessisse, quo peregrinationis suæ servarent propositum. Quem fœminea verba non emolliunt, quem à statu rectitudinis non retrahunt? Credulus itaque verbis conjugis Princeps aliquantulum cœpta ab inquisitione quievit. Sed enim juxta dominicam vocem, nihil opertum, quod non reveletur, & occultum, quod non sciatur.

Esai 1. ** W. revelaret.* ** W. verecundiæ rubore.* *Matth. 10.*

Cum ea quæ facta fuerant paulatim oblivioni traderentur, unus eorum, qui sanctos viros gladio invaserant, subitò à dæmone arreptus, ingenti voce clamare cœpit; Kiliane acriter me persequeris, siquidem igne consumor, quod feci, celare non possum, video mihi imminere gladium sanguine tuo respersum. Talia diu vociferans, & propriis se dentibus lanians, à præsenti migravit in æternam pœnam. De talibus quippe scriptum est: Duplici contritione contere eos Domine. Alter verò mortis sanctorum conscius, in rabiem versus, gladio semet appetiit, effusisque visceribus per tormenta præsentis temporis ad æterna pervenit.

Homicida Kiliani à Dæmone arripitur. *Jerem. 17.*

Quis Geilana, tibi cernenti talia sensus tunc erat? infelix cruciatibus acta furebas.

Non multo post & ipsa bellua, de qua loquimur, dæmonibus arrepta, quanta poterat voce clamabat, Juste torqueor, quæ sanctis viris tortores adhibui, rectè crucior, quæ cruciatus paravi. Acriter instas Kiliane, ignem accendis Kolomanne, fomenta ministras Totmanne. Sufficiat vobis vicisse; nimis vestras ulciscimini injurias, A Calice Kiliane diceris, sed valdè amara pocula mihi infundis. His dictis miserabiliter vexabatur, ita ut à multis vix teneri posset. Tandem cum magno cruciatu ad cruciatum diabolo paratum pervenit. Cernimus impletum quod Veritas in Evangelio inquit, Dominus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die & nocte, & patientiam habebit in illis? Amen dico vobis quia citò faciet vindictam illorum.

Luc. 18.

His ita gestis ajunt Gozbertum à propriis servis interemptum, filiumque ejus principatu dejectum, cognatos affinesque eorum à contribulibus talia perpessos, ut vix aliqua eis reipublicæ dignitas in eadem provincia manserit. Cur autem hæc provenerint, utrum quia fidem rectam servabant, ab his, qui ab ea deviarant, talia passi sint, an quia ipse post obitum sanctorum martyrum à tramite veritatis recesserant, vindictam hanc à Deo illatam sibi pertulerint, viderit ipse, quem nullum latet secretum; dummodo nil talium pudeat nos ignorantia rerum. †

Gozbertus interjectus.

Enimvero, quia ad finem operis tendimus operæ pretium arbitramur, si virtutum beati Martyris saltem unum miraculum fateamur. Venerabilis Virgo * Gertrudis Pipini Regis Francorum filia, cum virum accipere nollet, cui eam pater sociare volebat, auxilio matris, quamdiu potuit, paternis in regnis latuit. Sed cum diutius latere non posset, venit in partes supradictæ orientalis Franciæ, in locum, qui nunc corruptè * *Carleburg* vocitatur, ibique de facultatibus suis in honorem beatissimæ Virginis Mariæ monasterium construxit, quod usque in præsentem diem permanet, ubi * *Atalongum* Presbyterum & Bernardum diaconum, quos secum adduxerat, ordinavit. Ipsa de hinc ad propriam terram rediit, quia procum sui conjugii obiisse cognovit, quæ usque ad vitæ terminum in Virginitate permanens, virginitatis simul, & morum probitate Deo complacuit. Prædictus autem Atalongus ignorabat Kilianum, forsitan ut vix ejus audiverit famam, * quæ paulatim ignorantia obsoleverat.

** W. Gerdrudis.* ** W. Karliburg.* ** W. Attalongum.* *Kiliani Translatio.* ** W. quam paulatim i. absolebat.*

Erat tamen Sacerdos divinis eruditus literis, divinisque deditus mandatis; sed ut diximus, meritum beati Martyris ignorabat. Veruntamen cum quadam die puerorum classes, quas ad studium literarum erudiebat, ante se, ut materiem * dicendi ab eis perquireret, astare juberet, cœperunt hi, qui junioris ætatis erant, divino impulsi spiritu vociferari dicentes: Kilianus signa facit, de loco, in quo indignè jacet, tolli debet. Quod cum venerabilis presbyter audisset, stupore repletus est; præsertim, quia

** W. discendi.*

† *Hucusque tantum Surius, cætera enim vel in suo m. s. non habuit, vel non addidit, cui propositum fuit, epitomen dare, & quidem stylo mutato. Nos hic omnia integre ex duobus m. s. damus.* Can.

quia puerilis timiditas nullatenus magistralem austeritatem verebatur, minis tamen eis intulit, ut si * nunquam tale fari auderent, quod utilitate careret, graviter verberibus premerentur. Factum est autem inter hæc, ut solis cursus noctis tenebris interpolaretur, præfatusque Presbyter post cibi potusque necessitatem resolveret in somnum. Qui tam gravi somno pressus est, ut phantastico videretur premi * vestigio. Instante aurora, cum gravitas illa dormitionis deficeret, vidit per somnia venerabilem ante se astare virum, lumine terribilem, qui diceret, Nisi credideris non videbis. Quod & Dominus Judæis prophetico affamine comminatus, dicens: Nisi credideritis, non intelligetis. Orto autem die, cum jam sol secundam tangeret lineam; interrogavit ministrum, utrum Phœbus adhuc emerserit marinis undis, attamen cum cognovisset, quod jam diei produceret horas, defigens in phœbeos radios obtutus luminis, apertis oculis nil vidit. Intelligens tamen quod sibi somnium prætulerit vaticinium cæcitatis, ac temeritatem suam ad mentis oculos revocans; puerorum præconia præsagium intellexit divinæ operationis. Tunc flens & ejulans cœpit dolere, non tantum cæcitatem corporis, quàm præsumptionem mentis. Hinc ab incolis loci illius, in quo morabatur, sciscitari cœpit, quis fuerit Kilianus, cujus laudes etiam puerilis lingua fatebatur. Interea adfuit quidam rusticus, qui quamvis dignitatem historiæ * prosequi non posset, materiam tamen facti verbis, quibus valuit, patefecit, dicens: Ex longinquis Kilianum partibus advenisse, fidemque Christianæ Religionis habitatoribus ipsius provinciæ ostendisse, muliebrique fraude extinctum, ignorantia simul vulgi, temporisque interstitio aliquantulum oblivione interlitum. Quod cum venerabilis sacerdos audisset, inquisita Martyrum sepultura, se illuc deducendum poposcit, ibique orationibus atque vigliis instanter poscebat, ut intercessione venerabilis Martyris, sociorumque ejus sibi Dominus amissum redderet lumen; damnans in se ignorantiam discretionis, temeritatemque sermonis. Tandem beneficiis sanctorum recepto lumine, non cessabat publicè pandere, quibus poterat, facta in se miracula divinæ operationis; adeo, ut venerabilem Archipræsulem Bonifacium, qui tunc Moguntiæ præerat Ecclesiæ, adiens, quanta sibi fecerit Deus meritis B. Kiliani, sociorumque ejus, diligenti narratione prosequeretur.

SÆC. XI. ANNO 1050.

* W. unquam.
* W. prastri. leg. præstigio.
* Reb. perſequi.

Erat autem idem Atalongus fama & moribus non ignobilis, ideoque non solum sancto viro Bonifacio, verum etiam omnibus recta fateri videbatur. Ex eo itaque tempore investigabat Archipræsul * venerabilissimus, qualiter oppidum, ubi Sanctorum corpora posita erant, Episcopali dignitate sublimaret. Et quia ad finem hujus operis tendimus, hic terminum narrationis ponamus. Qualiter autem venerabilis Pontifex publicitus Episcopalem sedem * Wirziburg primus promeruit, & quomodo Martyrum corpora de loco, ubi indecenter posita fuerant, sustulerit, in vita ipsius, prout poterimus, manifestare curabimus, Ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

* W. venerabillimus.
* W. Wirzburch. Hinc elicimus quis auctor sit vitæ hujus. vide quæ notavimus ad Lectorem.

FINIS.



SÆC. XI. ANNO 1050.

PASSIO SANCTORUM KYLINAI ET SOCIORUM EJUS.

EX

MS. Aichstad. Monasterii Ordinis Prædicatorum nunc primum edita.



Uit vir vitæ venerabilis, nomine Kyllena, quem Scotica tellus de magno edidit genere, à puerili ætate magnum habet studium sacras discere literas, & in eis tam perfectè proficiens, ut exinde pontificale didicit regere culmen, & tunc alio vocabatur nomine Kylianus, habens gratiam ad Clerum, & ad omnem populum, qui etiam intimo amore Christi ac religione repletus, ut quidquid ad animarum lucrum, quidquid ad propagationem fidei pertinere cognoscebat, devota mente & pio operari studio non cessabat. Contigit autem, ut quadam die Evangelica simul & voce dominica admonitus vir dicitur: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hæc secum beatissimus vir toto cordis ac mentis affectu pertractans, congregatis in unum suis sociis atque discipulis, item Colonato ac Gallone, & Arnuvale Presbyteris, & Donato diacono, aliis septem illis adjunctis cœpit eis persuadere propria contempnere, patriamque & parentes secundum Domini Evangelium relinquere, & nudos sequi Christum. Illi namque sacræ ammonitioni beati viri obtemperantes, firmiter coadunati, relictis omnibus de propria perrexerunt patria, & venerunt in Australium partem, ad castellum, quod vocatur Wirzburch, ibique per aliquod tempus commorantes, regnante ibi eodem tempore quodam Duce Gozberto, filio Hetanis senioris, qui fuit filius Hruodis, qui etiam ipse Gozbertus, & omnis populus sibi subjectus adhuc paganico vivebant more. Idola dæmonum colentes, Deum vivum cœli & terræ minime agnoscentes. Videns autem sanctissimus vir miræ amœnitatis locum, atque pulcherrimam ibi multitudinem nobilium virorum, ab antiquo hoste obsessam, ultra quàm dici potest, dolebat illorum cæcitatem, iniitque consilium cum suis, dicens: Fratres videtis locum elegantem, hominesque jocundos, licet in errore deceptos; si vobis videtur, sic, ut condiximus usque dum in nostra fuimus patria, eamus Romam, & visitemus limina Principis sanctorum Apostolorum, & præsentemus nos obtutibus B. Papæ Joannis, & si Domini voluntas sit, ab Apostolica sede accepta licentia, cum illius consultu iterum revertamur, & prædicemus illis fiducialiter nomen Domini nostri Jesu Christi. Non mora Sanctis, compleverunt dicta veniendo ad limina sancti Petri Principis Apostolorum.

Sed illuc venientes, & Apostolicum virum non invenientes, quin à sancto Papa *Canone prædictus Pontifex Kylianus amabiliter & honorabiliter susceptus est. Cum autem

*al. Conone.

autem B. Papa Canon vidit, unde venerat, & ad quem locum exinde prompta voluntate iturus fuerat, audita illius fide, pariter & doctrina, ideo dedit illi ex sancto Petro Principe Apostolorum licentiam & potestatem prædicandi & dicendi, & quoscunque sua convertere potuisset doctrina, libera atque firmissima hoc faceret potestate. Ipsi namque exinde pergentes itinere sequestrati sunt, tamen non corporaliter, sed spiritualiter adhærebant suo Episcopo Kyliano Cholomannus presbyter, & Totmanus Diaconus, & venerunt in partes Australium Francorum, ad castellum, quod dicitur Wirzburch, ibique prædicantes primitiis verbum Domini. Quibus auditis Gozbertus Dux convocari eos fecit ad se. Cum autem præsentati adessent, confabulationes in invicem fecerunt, Kylianus Episcopus & prædictus Dux Gozbertus. Non multo post tempore persuadebat illum devotus Dominus Pontifex Kylianus, Christianum fieri. Qui etiam Domino volente illius sacris admonitionibus adquiescens, baptizatus est ab illo, & confirmatus est omnis populus, qui sub illius potestate erant. Ipse autem Gozbertus Dux in * maherimonia habuit uxorem fratris sui, sicut antiquitus fuit consuetudinis. Sed sanctus Dei Pontifex sicut sapiens semper facit sapienter, noluit illi eam interdicere, antequam firmiter confirmatus esset in fide Christianitatis. Tunc talibus ad illum locutus est sermonibus, Fili dilecte Gozberte modo Christianus, & per omnia Deo amabilis factus es, si unam rem facis, quam maximè te oportet facere, ut dimittas conjugem tuam, quam injustè habes tibi copulatam, quoniam te non oportet habere uxorem fratris tui. Ad hæc dicta Dux Gozbertus quasi de gravi somno evigilans, respondit & dixit. Graviora & difficiliora modo suades & prædicas, quàm ante. Sed per Dei omnipotentis amorem, quem prædicasti & prædicas, dereliqui omnia, quæ dilecta & amabilia mihi fuerunt habendo; per eundem amorem, & meam conjugem amantissimam, si non est licitum habere, dimittam; quoniam nihil Dei amore charius, nihilque amabilius est.

Francos ad fidem adducit Kilianus.

* *leg. matrimonio.*

His auditis conjunx Gozberti nobilissimi Ducis ira & invidiæ fomite accensa, diu noctuque cogitabat, quomodo sanctos disperdere potuisset. Cum autem appropinquasset tempus passionis & remunerationis eorum præcedentibus meritis, vacabant supradicti martyres Christi diu noctuque orationibus & jejuniis læti, sine tristitia, & devoti sine formidine, alacres expectantes diem jam olim optatam, ut martyrio coronarentur. Contigit autem, ut quadam nocte dum Dominus omnipotens suos finire voluisset milites temporale certamen tempore nocturno, quando in Dei laudibus unanimiter consistebant, accessit lictor ad eos, ense acuto præparatus ad Dei amicos jugulandos complens præcepta Geilanæ uxoris Gozberti Ducis; quod videns Kyllena Pontifex Christi dixit ad suos. O filii mei spirituales jam dies diu optata; spirituale certamen mecum inite absque timore, sine trepidatione, secundum Domini vocem: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. His dictis omnes pariter capitibus truncati sunt, & martyrio coronati sunt. Eadem etenim nocte cum omni celeritate in eodem loco furtim sepulti sunt, sed & illorum capsæ, crux, & Evangelium, aliaque Pontificalia vestimenta simulque cum illis in sepulchro posita sunt.

Geilanæ persecutio.

Kiliani mors.

Hoc videns quædam matrona nomine Burgunda, verbis facta narravit. Est enim loci illius consuetudinis in autumpno vel hyeme, nec non & verno, temporeque æstivo, quando aliquid non plus, quàm duorum pedum spacium potest fodi, nisi aqua contra erumpat. Sic divina miserante gratia, quando Deus omnipotens corpora eorum de loco sepulturæ ad majorem voluit sublevare honorem, carnibus, sicut mos est, consumptis, cætera sana & benè custodita inventa sunt, in tantum, ut nec folium librorum, vel fimbria de vestimentis ipsorum putredine consumpta esset. Veniente quoque Duze Gozberto, ubi supradicti Dei servi essent, inquirente, infidelis uxor ejus respondit, se nescire quo pergerent, vel ubi forent. Sed miser ille, qui necis eorum reus tenebatur, non potuit celare pœnam, quæ ei de vindicta Martyrum venit, currens huc illucque vagus & profugus, & veluti phreneticus, se esse reum de morte eorum semper asserebat, & insuper ajebat tremens & lugens: Kyllena sanctus Dei igne me ferocissimo exurit.

Hoc itaque audiens Gozbertus Dux, congregato omni populo, qui cum illo simul erat sacro baptismatis fonte à sancto Pontifice ablutus, interrogavit, quid eidem misero facere debuisset. Erat enim ibi quidam homo eloquens, paratusque ad respondendum, secundum suggestionem Geilanæ infelicis, qui taliter dixit: Domine mi Dux Gozbertus cogita de temetipso, & de omnibus nobis, qui simul tecum baptisma suscepimus ab ipsis, & proba, utrum Deus eorum tam præpotens sit, & omnia sciens, retribuensque bonis bona, & in novissimis mala restituens malis. Nisi se per pœniten-

SÆC. XI. ANNO 1050.

tiam ante correxerint, & jube istum miserum resolvi à vinculis, & coram omni populo suo derelinqui arbitrio. Si enim est talis Deus eorum, sicut illi dixerunt, descendet super eum vindicta illius, & potenter suos vindicat servos. Sin autem aliàs, ne irascatur dominus meus, qui talia dico, tunc volumus servire magnæ Dianæ, sicut & prosperati sunt in eo usque in præsens. Factum est quoque secundum dictum hominis Tyranni, & dimissus est miser ille de medio populi. Cum verò dimissus esset, cœpit repentè insanire, & semetipsum suis laniare dentibus, quo usque vitam finiret. Quod cum viderent, qui sacro baptismate abluti erant, omnes pariter gloriantes, atque gaudentes, se obedire illorum doctrinæ, clamabant Deum illorum doctrinæ eos vindicare. Igitur his omnibus ita peractis, vindicta iræ Dei subsecuta est carnifices sanctorum Martyrum. Nam Geilanam spiritus invasit malignus, atque in tantum eam agitabat, usque dum vitam finiret. Gozbertum verò gladio suo sui occiderunt servi. *Hetanum* verò filium ejus populus Orientalium Francorum de regno ejecerunt. In tantum enim illius persecuti sunt progeniem, ut ne unus de illius stirpe remaneret. Post multum verò temporis in illo loco, ubi illorum sepulta sunt corpora, divino nutu receperunt cæci visum, & claudi gressum, surdi auditum. Quotquot autem diversis infirmitatibus erant fatigati, ibi venientes sanitatem receperunt. Illustrante autem Domino merita eorum, cum consilio & præcepto Zachariæ Papæ, mediante Bonifacio Archiepiscopo, de tumulo honorificè sublevati sunt, regnante Pipino primo Orientalium Francorum Rege.

FINIS.



VITA

VITA
S. GUNTHERI
TURINGII,
S. STEPHANI
REGIS UNGARORUM
COGNATI,
MONACHI ALTAHENSIS;
DEMUM EREMITÆ

In Silva Bohemica in Rinchnach

Ubi 37. annis exactis mortuus est,

Præsente

BRECISLAO DUCE POLONIÆ

Quem S. GUNTHERUS è fonte Baptismi susceperat.

AUCTORE ANONYMO.

Qui S. GUNTHERO perquàm familiariter notus fuit.

Ex Codice MS. edita & notis illustrata

A B

HENRICO CANISIO NOVIOMAGO
JURISCONSULTO.

J A-

Sæc. XI. Anno 1050.

JACOBI BASNAGII
DE
S. GUNTHERO
OBSERVATIO.



Iſtingui debet *Guntherus* qui in eremo ſedem fixerat, ab altero Gunthero recentiori, qui Hiſtoriam Conſtantinopolitanam exaravit. Obiit *Guntherus* ex Monacho Altahenſi eremita an. 1045. ſic enim author ipſius vitæ. Non potuit igitur anteriori tempore fuiſſe ſcripta. Familiariter utebatur Guntheri conſuetudine, qui hoc opuſculum chartis mandavit. *Nos quidem qui eum familiarius cognovimus, frequenter audivimus*, inquit, ideo circa medium undecimi Sæculi ſcripſiſſe non dubitamus. Author non fuit monachus; illum enim cellam Guntheri intrare religio vetuit, propter *Canonicum habitum*; ſed e foribus vel circa feneſtras ipſum prædicantem audire licitum fuit; cum in cella ſtaret Abbas, cum plurimis e monachorum grege, conciones habuit Guntherus non doctiſſimas, ut pote qui Pſalmos unice calleret, Evangelium ipſum non niſi fando audiviſſet. Ne tamen credas ipſius famæ ea ratione aliquid detrahi, quin imo inde nova laudum ſeges Gunthero creſcit, quippe *obſcuriora myſticæ intelligentiæ interdum ſubridendo, interdum vero admonendo ſtupentibus auditoribus proferebat*. Mirare hominis ignariſſimi ſcientiam & molles riſus! Non modo abſtinuit à carnibus, ſed ipſos illicitos quibus contaminaretur cibos aſſerebat, & ne pavonis aſſati carne pollueretur, evolavit e menſa pavo: Sic abſtemium & avem aſſatum *gratia divina liberavit*. Quali ſtupore fuerunt perculſi qui menſæ accumbebant, dum volucrem coctam a mortuis exſurgentem & plumis deſtitutam nihilominus ad ſuperas oras evolantem viderunt? *Riſum teneatis amici!*

VITA SANCTI GUNTHERI.

SÆC. XI. ANNO 1050.



REgnante Piissimo Imperatore *Henrico* hujus nominis secundo, cum *B. Godehardus Althahense* coenobium regeret, fuit in *Turingiæ* partibus quidam vir nobilis, dignitate & meritis illustris, nomine *Gunterus*, qui pro delictis juventutis ingemiscens, & considerata diligentius actuum suorum qualitate, faciem Domini in confessione præveniens, *Hersveldiam*, ad eundem *B. Godehardum* Abbatem noviter eidem Ecclesiæ ab ipso Imperatore præstitutum, digne, ut postea patuit, poenitendo accessit, eique omne secretum cordis ac voluntatis suæ funditus aperuit. Quem Abbas juste in Deo immoratus, blanda consolatione, & condigna etiam provisione, poenitentem suscepit, & ad Monachicam usque professionem salubertima sui commonitione, domino cooperante, convertit. Qui propriæ diffidens imbecillitati corporis & animi ad penitus abdicanda quæcunque sunt sæculi, multiplicem suæ hæreditatis proprietatem, quam acceperat à progenitoribus, *S. Wigberto*, cum consensu hæredum suorum, firma traditione, totam delegavit, sub testibus tamen primitus testamento pactus, ut monachus factus, Monasterium quod *Gelinge* dicitur, victus & vestitus gratia ipse possideret, ac Fratribus illic Christo servientibus secum, inde necessaria provideret. Sanctus Abbas prudenti pertractans consilio hujusmodi noviter converso talem pactionem in via mandatorum Dei maximo futuram esse periculo, & plus inde per dies animæ nasci dispendium, quàm corporis, ut putabat, subsidium, interim illum provida mente ab incepto suspendit, & laico habitu adhuc usum ad *Althahense* Monasterium secum perduxit. *Guntherus Vult fieri Monachum.*

Ibidem vir prudens prædictus *Guntherus* cordetenus compunctus, petiit ab Abbate, ut ante professionem liceret sibi Romam petere, & Apostolorum Christi, & aliorum Sanctorum intercessionem pro transactæ vitæ deviis & pro novæ viæ ingressu, quærere. Quo permittente & rediit, tandemque ante altare sancti *Mauritii* cingulum deponens, caput & barbam totondit, & facta de more petitione susceptus, ac aliquamdiu regulariter probatus, ab eodem Pastore monasticæ vitæ habitum est adeptus. Verum post votum professionis non immemor suæ, quam præscripsimus, pactionis, adiens Abbatem *Godehardum*, peciit licentiam Patriam repetendi, & locum quem pepigerat juxta conditionem incolendi. Quod pius Pater *Godehardus* interim consensit, nolens eum obstinata contradictione ab affectu quamvis iniquo prohibere, donec ratione dictante, illicita cupientem animum paulatim posset mitigare. Venienti igitur ad locum *Gelinge* dictum, & disponenti necessitates ibidem commanentium, ex occultis tentationibus tentatoris & insidiis, Deo, ut certe credimus, ad exemplum Beati Job, permittente, multa & varia ei occurrerunt incommoda, pro quibus dum ipse, scilicet antea paupertatis ac laboris insolens, ad Abbatem sæpius queritando confugeret, ejusque pro talibus consilium & auxilium anxie perquireret, solicitus Pater fluctuationem mentis ejus profunde prospiciens, & subsecuturam forte cordis mutabilitatem vehementer pertimescens, blanda interdum consolatione & suaviloqua commonitione moesticiam cordis ejus mitigarat. Interdum verò juxta Apostolum, arguendo, obsecrando, increpando oportune & importune nutantem animum ejus castigans ad viam salutis eum reducere studuit: qui tamen adhuc modicum profecit. *Romam petit.* *2. Tim. 4.*

Sed cum in hac altercatione sæpius luctarentur, & in hujusmodi molestia ambo crebrius fatigarentur, illi iterum quandam suæ sollicitudinis querelam suggerenti, Vir Dei debito justiciæ Zelo permotus, turgente, ut ajunt, pulmone respondit, ut aut in promissa obedientiæ stabilitate Deo dovotus serviret, aut certe ad solitam sæculi vanitatem laqueis iterum Sathanæ irretitus abjecto habitu rediret. Ad quam vocem stupefactus auditor intremuit, & erroris sui nimietatem sero tandem perhorrescens, inge-

SÆC. XI. ANNO 1050.

ingemuit. Sed & hanc causam pio Imperatori *Henrico* per ordinem Abbas totam secretius insinuavit, ipsumque adjutorem ad corrigendum talem hominem corrogavit. Quem confestim Princeps ad colloquendum clementer evocans per semetipsum convertit, & ex Evangelicis vel Apostolicis regularibus præceptis instruere cœpit, Nullum posse duobus Dominis servire, nec Monachum ad sæculum, ut, canem ad vomitum, reverti debere. His & aliis hujusmodi præcantationibus, tandem in Christo verè compunctus vir memoratus omni prædicta pactione cordetenus oblita, & tota cujuscunque incommodi querimonia abolita, ad *Althanense* Monasterium, ubi tunc sub ejusdem Patris cura, ut in gratia omnium loquar, singulare Divini cultus studium fervebat, se contulit, & illic fratribus humillimè subjectus & in sacræ religionis districtione pleniter in brevi tempore, divini roris infusione instructus ultra regulare præceptum semet Prælatis admirantibus afflixit.

Matth. 6. *2. Petr. 2.*

Stephanum adit.

Cumque in austeritate vitæ perseveraret, & exemplo suo quam plures ad viam veritatis incitaret, veluti lucerna super candelabrum posita, fama ejus bono odore respersa, ad aures *B. Stephani* Regis *Ungarorum* (*a*) ipsius venerabilis viri cognati emanavit, cujus animum magno dilectionis incitavit amore, ut hunc de facie ad faciem videret, quem sic de virtute in virtutem proficere frequens fama prædicaret. Unde factum est ut ad ipsum nuncios dirigeret, & ut ad eum venire non recusaret, omni studio postularet. Vir autem Domini conversionis suæ non immemor, hæc sibi minimè licere respondebat, quæ Rex pius postulabat. His Rex auditis majoris inflammatur charitatis amore, & velut antea nuncios direxit. Sed ille se venire etiam secundo denegavit. Tertio itaque post illum veluti primo & secundo transmittebat, & ut ipsius petitioni assensum præberet, humiliter postulabat. Igitur sanctus *Guntherus* Regis tandem victus precibus, ejus peticioni licet invitus annuit, & accepta Abbatis & fratrum benedictione cum transmissis legatis, pariter & ipse ad Regem pervenit. Rex autem viso sancto *Gunthero*, gavisus est, & quomodo hunc artius veluti justum & sanctum diligebat, circa ipsum majorem diligentiam habere satagebat. Factum est autem dum hora prandii sanctus *Guntherus* mensæ Regis pariter consedisset, Rex sibi *Pavonem* assatum apposuit, & ut carnibus vesceretur intimè flagitare cœpit.

Carnibus abstinet.

Sancto autem viro sub regulari conversatione degente, hujusmodi cibis abstinente, penitus contradicebat, & illicitis cibis se contaminari nolle asserebat, cujus voluntati Rex non minus resistebat, ut apposita manducaret, non solum rogando, verum etiam præcipiendo laborabat. Quidnam facere poterat? Præcepto Regis se obtemperare promittebat, sed in divino adjutorio fiduciam retinebat. Quapropter factum est, ut inter prandentes hic solito more orationi insisteret, caput manibus inclinaret, profusis lacrymis, ne illicitis cibariis pollueretur, Divinam clementiam implorabat. Mira res atque stupenda! completa Dei famulus oratione, caput de manibus elevabat, avis assata mensæque superposita, reddita vitæ pristinæ devolabat, & ab ejus usu gratia Divina virum liberabat. Quo viso cuncti miraculo inaudito, Deo gratias referebant, nec amplius sancti viri voluntati resistebant. Sed Dei famulus plus appetens mala mundi perpeti, quàm laudes; pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ hujus favoribus extolli, deserti loci secessum, cum aliquantis sibi de *Altach* cohærentibus in quodam saltu *Bohemico* de permissione sui Abbatis Domini *Godehardi* petiit, ibique cellulam in honore sancti *Joannis* Baptistæ construxit, & ipsum locum *Rinchnach* proprio nomine appellavit, in qua ad XXXVII. annos in studio sanctæ Religionis, & in summa discretione paupertatis spontaneæ cum sibi remanentibus vixit. Annona denique erat varia, ubi de potu & deliciosis cibis nihil erat, & ubi non nisi sola aqua habebatur, & ipsa etiam hospitibus ad sufficientiam, fratribus vero ad mensuram dabatur. Literas omnino, nisi tantum psalmos aliquos, non didicit, & tamen omnem rationem & intellectum Evangeliorum legis & Prophetarum Historiarumque ex crebra fratrum relatione & avidiore verbi Dei auditione mirabiliter percepit, adeò ut sæpissimè obscuriora mysticæ intelligentiæ interdum subridendo, interdum verò admonendo stupentibus auditoribus proferret. Quod nos quidem, qui eum familiarius cognovimus, frequenter audivimus, præcipuè tamen cum in summa sua festivitate adesset in Cella, quam ipse in honore beati *Joannis* Baptistæ construxerat, specialis sui Patroni, sermonibus ejus affuimus, quo in Capitulari collatione eodem die fratres suos admonebat, dum eos de ejusdem Patris, beati videlicet *Joannis* vita & moribus, victu & etiam vestitu ac operibus ad paupertatis suæ Deo placitam tolerantiam instruebat. Verum enim

Fit eremita. *Psalmos tantum didicit.* *Auctor familiariter novit S. Guntherum.*

(*a*) Is primus Hungariæ rex creatus anno 1000. obiit anno trigesimo nono imperii; mox post mortem tribuitur illi Beati titulus à Guntheri Biographo. BASN.

enim dico, & coram Deo non mentior, quia omnes penè qui aderant eidem sermoni, ad uberrimam lachrymarum effusionem dono Dei sunt compuncti. SÆC. XI.

Assedit & ibidem venerabilis *Ratmundus* Abbas cum plurimis sui Cœnobii fratribus, & aliis insuper multis hospitibus, præter nos * qui in *Canonico* habitu illuc ingredi religio vetuit, quos tamen familiaritas & maximè Abbatis licentia, circumquaque ad fenestras, ignorante concionatore clanculo collocavit. Erat enim, ut de sancto *Benedicto* dicitur, quem post Dominum vita & moribus sequebatur, *scienter nescius & sapienter indoctus*. ANNO 1050. *f. quem.

Hæc itaque breviter diximus de honestate morum & conversione nobilis viri *Guntheri*, quantumque per pœnitentiæ satisfactionem Domino complacuerit, quæ nobis ad imitationem boni exempli sufficiant. Ecce enim camelus deposita gibbi sarcina, angustum foramen acus penetravit, ipsum ducente, cui omnia possibilia sunt & nihil difficile, quique est mirabilis in operibus suis maximè in misericordiis, neminem propter enormitatem scelerum deserens, omnia dissimulat, propter pœnitentiam, peccata: Una hora convertens, impium sanctum facit, cujus virtute caput antiqui hostis pugnando contrivit Christicola *Guntherus*. De virtutibus vero hujus venerabilis viri quibus adversarium superavit, vel quas ejus insidias pertulit, nulli compertum habetur, eo quod multo tempore hominibus incognitus mansit, qui tamen licet locum mutaverit, hostem non mutavit, nullique dubium, quia quanto magis in spiritualibus profecit, tanto plus acriora certamina toleravit. Igitur quanti meriti vir iste sit, per lapidem miratur, in quo dum in vasta heremo solitarius Christo militaret, post laborem quievisse quantitas membrorum ipsius veluti in molli strato quiescentis, nunc usque apparet impressa. Et quid dicimus? nam sicut ad roborandam fidem credentium, Petri Apostoli vestigiis fluenta maris Christi pietas solidavit, sic ad declaranda famuli sui *Guntheri* merita duriciam silicis in molliciem ipsius membri stravit, ut ex hoc clareat, quanta suavitate in cœlis animam ejus pius judex remunerat, quem ad sectanda sua præcepta misericorditer inflammavit. Attollamus igitur mentes nostras ad imitanda Sanctorum exempla, ut dum eorum gesta laudamus, nos ipsi probabilem vitam ducamus. juxta quod Psalmista admonet dicens: Quærite Dominum, & vivet anima vestra. Et iterum: Accedite ad Dominum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Tunc etenim facies nostræ in die judicii non confundentur, nec terribilem sententiam, Ite maledicti in ignem æternum, audiemus, si toto corde ad eum accedentes, prava fugere hujus mundi inquinamenta devitare studuerimus, atque ab omnibus peccatis per pœnitentiæ labores expurgati cum Sanctis & electis audiemus à piissimo judice, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Ad quod regnum ipse Dominus invitat cum dicit in Evangelio, Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit. *Matth.* 19. *Virtutes ejus interiores.* *Matth.* 14. *Psalm.* 68. *Psalm.* 33. *Matth.* 25. *Joan.* 12.

Sed quia fragilitate depressi ad sublimia minime tendere valeamus, tota mentis intentione sancti Patris hujus poscamus suffragia, ut ipse qui non justos, sed peccatores vocare venit, precibus sui dilecti Confessoris igne sancti Spiritus pectora nostra inflammans nos de convalle hujus miseriæ, & via peregrinationis revocet æternam ad patriam. Ergo Dei clementiam, quæ servum suum de labore perduxit ad requiem, superlaudantes, ne Lector circumlocutionibus corda detineat auditorum, sermonem vertamus ad ea, qualiter ad laudem & gloriam nominis sui nobis peccatoribus Christus servi sui terminum hujus vitæ manifestare dignatus est, pandamus breviter.

Cum verò omnipotens Deus beatum virum vellet à labore quiescere, & æterna mercede remunerare, ejusque vitam in exemplum hominibus demonstrare, ut posita super candelabrum lucerna claresceret, quatenus omnibus qui in domo Dei sunt luceret, contigit ut inclitus * tiiro, Dux videlicet *Bredislaus*, cum *Poloniam* gloriose sibi subjugasset, victorque cum pace ad sua redisset, cujusdam urbis, quæ *Praben* dicitur confinium, causa venationis cum suis adiit, ubi quadam die, ut solebat venatum exivit. Cumque sui omnes huc illucque discurrerent, nec in aliquo proficerent, subito apparuit eis cervus miræ magnitudis, quem ipse Dux cum magna alacritate subsecutus est, tunc cervus quasi fugam simulans, in quendam locum ipsius sylvæ quàm celeriter devenit, & veluti nullo sequente securè stare cœpit. Hoc Dux intuitus ac solo cliente parvo contentus cervum aggreditur & ejus formam & magnitudinem diligenter scrutatur, denique cum fidei armis munitus hæsitaret, animo, subitò de cœli fastigio audivit claram sibi vocem taliter insonantem: O *Bretislaë*, non semper quæ alta sunt Dei consilio, tuo fragili desiderio quæras, sed cum humilibus humilia tibi tuisque posteris profutura ne pigriteris attendere. Hoc enim loco latet Dei thesaurus, cui quondam valde amabilis, nunc verò & in futura tempora cunctis quærentibus pie desi- *Bredislaus eum convenit.* *f. heros.*

SÆC. XI. ANNO 1050. Joan. 5. desiderabilis. Nam scriptum esse cogita: Pater meus operatur, & ego operor, quia ego in Patre, & pater in me est. Ideoque quicquid servi mei operantur in hoc sæculo, non eorum, sed Dei virtutem in omnibus credas. Hæc talia dum Dux tacitus audiret, & ut amens stupefactus, de loco quo stratus jacebat, vix resumpto spiritu, surgit, ac circumquaque aspiciens, illico in ipsa vasta solitudine rivulum parvulum à longè videt, pulchroque gramine circumdatum, quasi quibusdam odoribus abundare, quo in loco lapidem miræ magnitudinis, & super eum cellulam vilibus de lignis constructam, miro odore redundantem invenit, & solus cum solo cliente de supercilio montis descendens, licet pavidus, *Cruce* tamen sancta in fronte signatus, quid ibi lateret cogniturus celeriter intrat. Et ecce senem pulchra canicie sedentem & albescentem, ac veluti Angelum Dei in vultu relucentem, lectoque ceu in oratione prostratum aspicit, nimio quoque horrore pervasus cœpit stare. Quem senex pio vultu intuitus ne ad talia trepidaret, sed ut Deum omnipotentem in omnibus laudaret, monuit: & quod ipse *Guntherus* esset, qui eundem de sacro fonte suscepisset, diversis indiciis licet admiranti Duci assignavit. Tunc Dux his verbis spiritum ad plenum resumit, & constantia animi recepta, pium virum interrogavit, quomodo vel quando ad tam insolitam solitudinem devenisset, vel cur tam duram vitam Monachorum attigisset; ac satis amicabili & multum lachrymabili affatu precatur, ne ulterius tam nobilis vir hominibus lateret incognitus, sed ad terram sui Ducatus melius fovendus perduceretur, quamplurimum rogabat. Quod vir Dei prorsus renuit, & ne Dei voluntati in aliquo contrairet solicitè Deum rogans. Unde Dux valde miratus, & in ejus piis admonitionibus, & diversis verbis consolationis, orationibus se Sancti viri commendavit, & ut in reliquo de apparatu proprio nulla necessaria ei deessent, se daturum promisit. Quæ omnia *Guntherus* à præfato Duce benigne suscipiens, & multa prædixit futura, & velut quodam præsagio inter reliqua pii affaminis verba proloquens dixit, Meæ dilectionis causa si venisti, Fili, meæ petitioni esse contrarius noli. Nam corpusculi mei jam dissolutio instat, & quamvis de sepultura mea diversi diversa sentiant, ego ut in spiritu loquar, corpusculi mei *Brunoviæ* depositionem locandam testor, & quod in spiritu loquor, id ab omnipotente, ut fiat, exopto. Proinde Charissime fili memoriæ causa prædicto loco *Brunoviæ* aliquid solatii apta, ut & mei in Domino, & tui tuorumque omnium in posterum in Deo memoria habeatur; & in mei requiei, quæ futura inibi diem judicii exspectabit, dignum memoriæ fructum tuis licet postea vel tuorum successorum in temporibus confirmanda prudenti consilio adapta.

Guntheri obitus. Super hæc autem omnia si meæ discessionis vel migrationis terminus delectat, crastinæ diei tertia hora quid de meo transitu divina operatio sentiat, meæ fragilis vitæ terminus declarabit. His Dux auditis turbatus est animo, & in oscula ruens, amarissimis circumfusus lachrymis, magno rugitu talia proclamabat, O charissime Pater, cur me, licet ad te tarde venisse detestaris? O canicies veneranda, quem veluti Angelum Dei, licet indignus amplector? cur me filium, ut dicis, tuum spiritualem tam cito ceu orphanum relinquis? Tuæ enim puræ orationes, tua crebra, ut spero, jejunia, meæ pravitatis deberent esse & fuerunt tuta præsidia, ut apud Deum omnipotentem pro meis criminibus, quibus humana fragilitas sæpius convincitur, hostisque mille fraudum dolis atteritur, fierent assidua suffragia.

His clamoribus motus pius *Guntherus* dixit flenti nimiumque gementi: Desine Fili, desine talia agere, & sperans in Domino noli metuere, meæque peticionis effectum libenter excipe, veraciter perfice, jam jam ad tuos redi, meique secretum prodere noli, sed crastino non tarde redeas, & meæ migrationi, si Dominus Deus voluerit interesse poteris. Tunc Dux valde tristis & gemebundus, benedictione tamen accepta cum suo cliente discessit, & ne cui talia secreta prodat, sub interminatione interdixit. Igitur sequenti die *Brecislaus* dux assumpto venerabili Episcopo *Severo*, qui sibi speciali familiaritate adunabatur, summo diluculo ad viri Dei cellulam pervenerunt, ipsumque orationi instantem, laudesque Deo omnipotenti psallentem invenerunt. Completa verò oratione post longa futuræ vitæ colloquia, peractisque à *Severo* Episcopo Missarum solenniis, vir Domini corporis & sanguinis perceptione se muniens, hora diei tertia, canentibus, qui aderant, & flentibus inter orationis verba, immaculatum Deo spiritum reddidit. De carnis igitur ergastulo jam fœlici recedente anima, tanta de eo suavissimi odoris redundavit fragrantia, ut cunctorum ibi assistentium perfunderet nares & pectora. Cujus odoris suavitas, tàm diù stabilis permanebat, quo usque viri Dei corpus ad locum sepulturæ perveniebat.

Post hæc peractis omnibus ad exequias attinentibus, corpus illud sanctissimum indo-

domitis equis est superpositum, quod cum tanta mansuetudine ad locum sepulturæ ab eisdem delatum, ut profecto clarescerct, quanti meriti extiterit in cœlis, cujus corpus bruta animalia postposita ferocitate venerabantur in terris. Obiit autem Christi famulus Heremita *Guntherus* anno incarnationis Domini MXLV. septimo Idus Octobris, sepultusque est in Monasterio *Breunoviensi*, quod à civitate *Pragensi* distat XX. stadiis, ubi ipse dum adhuc viveret se sepeliendum esse in Spiritu prædicebat. In quo loco per ejus merita fiunt assidue miracula, multa infirmis præstantur beneficia, donante Christi gratia, qui cum Deo patre vivit & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula, Amen. SÆC. XI. ANNO 1050.

Conditor & salvator humani generis, per ineffabilem suæ bonitatis clementiam mirabiliter Sanctos in cœlis glorificans, misericors est peccatoribus in terris, & licet jam senescente mundo corrupta sit omnis caro iniquitate, non tamen accensam lucernam patitur occultari, sed illuminatam igne cœlesti ponit super candelabrum, ut omnibus in domo Dei luceat; Lucernam dico beatum Guntherum, qui propria linquendo, & Christi præcepta sequendo mundum despexit: quem miracula ad sepulchrum ejus vel alias per merita ipsius operante divina clementia facta glorificant.

FINIS.





HERMANNI CONTRACTI
COMITIS DE VÖRINGEN,
MAJORIS AUGIÆ MONACHI
CHRONICON,
A
VULGATO ILLO
ET AB EO ETIAM, QUOD
URSTISIUS EDIDIT,
LONGE DIVERSISSIMUM ET LOCUPLETIUS.
A CANISIO
Ex Manuscripto Codice Augustani Monasterii SS. Afræ & Udalrici editum.

CANI.

CANISIUS

Ad Lectorem.

Sæc. XI. Anno 1054.



Hristianus *Urstisius tomo. I. illustrium Germanicorum Scriptorum, vulgatæ Hermanni editioni aliam locupletiorem adjunxit, è regione respondentem. Cum quibus, si quis hoc nostrum Ulricianum apographum conferat, deprehendet, esse utrisque longè plenius, auctius, atque emendatius. Ut autem hujus diversitatis causam, quæ mihi videtur, significem; censeo Hermanno in conscribendo chronico id evenisse, quod & hodie multis claris Scriptoribus: placuit fœtus, quem lambendo formavit, variavit; & hoc aliquoties: ut proinde accesserint multa. Hæc conjectura & Urstisii est: quam, erunt mecum, qui non pro certa recipiant; & eo quidem nunc minus, quod tertia Hermanni Editio accedit: qua ego fere persuadeor varietates à descriptoribus esse, quorum alius pro cujusque captu nonnulla adjecerit, alius resecuerit; id enim antiquitus plerumque fieri consuesse observo in illis libris, quos monachi sibi quisque privo usui describebant. Sane insunt huic, nusquam unquam antehac visa, quæ historiam illius ævi illustrent. Quis Hermannus fuerit, breviter habe. Comites de Vöringen ditionem habuerunt in alpibus Sueviæ, & ad Danubium supra Riedlingam. Ex horum illustri familia Hermannus. Trithemius Monachum sancti Galli facit: sed errat. Erroris causa forte est, quia vulgata illa editio primùm ex Codice Sangallensi transcripta fuit. Nam fuisse cœnobitam in Augia Majori* (Reichenaw) *in insula lacus Cellensis, qui Acronii appendix est, ipsemet sæpe diserte fatetur.* Hermannus, qui dicebatur Contractus, *inquit Abbas Spanheimensis*, Monachus Cœnobii sancti Galli, ordinis divi patris Benedicti, natione Teutonicus, filius Comitis de Vöringen in Suevia, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis, universaliter doctissimus, philosophus, poeta, astronomus, rhetor & musicus, nulli suo tempore secundus, trium linguarum, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ peritissimus. Scripsit carmine & prosa multa præclara volumina, de quibus ego tantum reperi subjecta; videlicet de musica, de monochordo, de sex ætatibus mundi, de compositione astrolabii, de utilitate astrolabii, de eclipsibus, de quadratura circuli, de conflictu rythmomachiæ, de physiognomia, vitas plurium Sanctorum, Hymnos & prosas varias. Composuit etiam dulci & regulari melodia cantus & prosas pulcherrimas: E quibus est illa de beata Virgine Maria dulcissima: *Salve Regina*. Et: *Alma redemptoris Mater*. & cæteræ, quarum copiosus est numerus. Transtulit etiam nonnulla Græcorum Philosophorum & Arabum Astrologorum volumina in Latinum. Membris fuit juxta nomen suum contractus, sed semper in gratiarum actione perseverans. Unde & per Beatam Virginem Dei Genitricem interius mirabiliter consolari & illustrari meruit. Claruit temporibus Henrici Imperatoris secundi, Anno Domini M XL. *Ex omnibus illis libris Hermanni solum Chronicon de sex mundi ætatibus jam extat.*

JA-

JACOBI BASNAGII

IN

HERMANNI CONTRACTI CHRONICON

OBSERVATIO.

I. PAuca de *Hermanno*, quia notior est quàm ut observationibus nostris indigeat, sumus dicturi. Verum est quod adversus *Trithemium* notavit *Canisius*, Hermannum non Sancti Galli, sed Augiæ majoris fuisse Monachum, quippe an. 1048. Imperator dum Alamaniam repeteret, *in Augiam nostram ingressus est* 8. *Cal. Maii novam Sancti Marci Evangelistæ patroni nostri Basilicam dedicari facit.* Ibi Augiam *suam* appellat, & Marcum illius cœnobii Patronum, *suum* agnoscit. Denique an. 1013. Verinharium, juvenem doctum, fratrem suum dicit; *Verinharius frater meus*; quia scilicet Augiensis erat Monachus. Augiam ea forsan ratione cæteris Monasteriis prætulerat, quod ibi recipi non solerent nisi illustri stemmate prognati; *Hermannus* vero ex *Comitum Veringensium* sanguine natus erat, a tenera ætate vitio membrorum laborans, ex quo nomen *Contracti* recepit. I. *De Hermanno.*

II. Mira diversitas in variis editionibus *Chronici* ab *Hermanno* confecti, quodque *Urstisius*, *Canisius* & *Pistorius* vulgarunt. Hanc diversitatem natam Canisius autumat ex eo, quod placuerit parenti fœtus, quem lambendo formavit, variavit, & hoc aliquoties; ut proinde accesserint multa. Eadem est conjectura *Urstisii*. Alia tamen mihi videtur causa discriminis. Eruditi scilicet viri, qui his Chronicis utebantur, ad proprium usum, plura adjecerunt. Id facile patet ex eo, quod aliquando eadem repetantur verbis immutatis. Deinde quisquis pro libitu eventus sibi notandos cæteris consuebat certisque annis assignabat. Inde natæ sunt variæ illæ editiones. II. *De editionibus Chronici.*

III. Canisianæ deerant quæ a principio mundi ad Christum usque concinnaverat Hermannus, ideo imperfectum dici poterat opus, quod *de sex ætatibus mundi* titulum habuit. Nos igitur illa ex *Urstisio* & *Pistorio* addidimus. III. *Addita in hac editione.*

Deerant etiam aliqua ad calcem. *Hermannus* enim illud Chronicon continuavit ad annum 1054. quo obiit: Canisianus vero codex desinebat ad annum 1051. sic mutilus fuit. Aliqua etiam adjecit *Bertholdus Constantiensis*. Legantur hæc verba, quæ scripta sunt ad annum illum: *Hermannus Wolferadi Comitis filius, ab infantia omnibus membris contractus, sed omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus præcellens, in Alesbusa prædio suo defunctus ac sepultus est.* Ex his facile probabitur genuinum Hermanni Chronicon fuisse continuatum aliena manu. Ut igitur perfectius evaderet, hæc additamenta cæteris subjecimus. Alia discrimina, quæ levioris sunt momenti, probabit qui volet editionem nostram cum cæteris conferre.

CHRONICA
HERMANNI,
VIRI NOBILIS,
COMITIS DE VÖRINGEN, (a)

Ac Aug. Monasterii Monachi religiosissimi: Scripsit ad tempora Papæ Victoris II. & Hainrici Imperatoris, ad annos ab Incarnatione 1054. & anno ætatis 44.

Ad verbum verè è Chronicis Bedæ presbyteri.



RIMA est mundi hujus ætas, ab Adam usque ad Noe, continens annos, juxta Hebraicam veritatem, M. DC. LVI: juxta Septuaginta interpretes, M. M. CCXLII, generationes juxta utramque editionem numero decem. Quæ universali deleta est Diluvio: sicut primam cujusce hominis oblivio demergere consuevit ætatem. Quotus enim quisque est, qui suam recordetur infantiam?

Secunda ætas, à Noe usque ad Abraham, generationes juxta Hebraicam veritatem complexa decem, annos autem CCXCII. Porrò juxta Septuaginta interpretes, annos M. LXXII. generationes verò undecim. Hæc quasi pueritia fuit gentis populi Dei, & ideo in ea lingua inventa est, id est Hebræa. A pueritia namque homo incipit loqui nosse, post infantiam, quæ hinc appellata est, quòd fari non potest.

Tertia ab Abraham usque ad David, generationes juxta utranque auctoritatem quatuordecim, annos verò DCCCXLII complectens. Hæc quædam velut adolescentia fuit populi Dei, à qua ætate quia incipit homo posse generare, propterea Matthæus Evangelista generationum ex Abraham sumpsit exordium: qui etiam pater gentium constitutus est, quando mutatum nomen accepit.

Quarta à David usque ad transmigrationem Babylonis, habens annos juxta Hebraicam veritatem CCCCLXXIII: juxta Septuaginta translationem, duodecim amplius, generationes, juxta utrosque codices, septendecim, quas tamen Evangelista Matthæus, certi mysterii gratia, quatuordecim ponit. A qua velut juvenili ætate in populo Dei regum tempora cœperunt. Hæc namque in hominibus ætas apta gubernando solet existere regno.

Quinta quasi senilis ætas, à transmigratione Babylonis, usque in adventum domini

(a) διατύπωσις Stirpis Veringensium Comitum, extat apud Urstisium.

Wolferadus comes in Veringen. Bertha uxor.	Wolferadus, obiit 1069. Hiltrud uxor 1052.	Lutpoldus, infans extinctus. Hermannus Contractus, monachus. Wolferadus comes, mort. 1065.
	Manegoldus, obiit 1104. Leuthildis uxor. 1106. fundatores cœnobii Isnensis.	Waltherus, periit in bello ad Idungsheimium. 1109. Wolferadus.
	Irmengardis comitissa de Veringen.... Manegoldus.	

Anno 1357. vixere Mangoldus comes à Veringen, & Eberhardus filius ejus; attamen audiendus potius Hermannus, qui anno 1009. hæc habet: Wolferadus comes Hildrudem Piligrim & Bernardi filiam uxorem duxit, ex qua postea, me Hermanno annumerato, XV. liberos produxit.
Anno 1010. Wolferadus Comes Avus Paternus moritur senex 4. K. Mart.
An. 1013. Hermannus ego XV. Kal. Aug. natus sum.
An. 1020. Ego litteris traditus sum 17. Kal. Octob.
An. 1021. Verinharius frater nascitur Kal. Novembr.
An. 1032. Bertha avia mea, fœmina satis Religiosa, vigesimo tertio viduitatis anno II. Cal. Janu. decessit.

ni *& incarnationem* salvatoris, est generationibus & ipsa quatuordecim, porrò annis DLXXXIX. extenta, in qua ut gravi senectute fessa, malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur. SÆC. XI. ANNO 1054.

Sexta quæ nunc agitur ætas, nulla generationum vel temporum serie certa, sed ut ætas decrepita ipsa totius seculi morte consummanda. Has ærumnosas plenasque laboribus mundi ætates, sancti quique felici morte vicerunt, septima jam sabbati perennis ætate suscepti, octavam beatæ resurrectionis ætatem, in qua semper cum Domino regnent, expectant.

¶ PRIMA igitur ætate seculi nascentis, prima hujus die, fecit Deus lucem, quam appellavit diem. Secunda, firmamentum cœli in medio libravit aquarum, ipsis aquis ac terra cum cœlo superiore, ac virtutibus, quæ in eo conditorem laudarent, ante horum sex dierum exordium creatis. Tertia die, congregatis aquis in suum locum, quæ cuncta contexerant, aridam jussit apparere. Quarta, sydera in firmamento cœli posuit, quæ nunc, quantum æquinoctii conjectura colligimus, XII Cal. Aprilium dies vocatur. Quinta, natatilia & volatilia creavit animalia. Sexta, animalia terrestria, & ipsum hominem formavit Adam, de cujus latere dormientis matrem omnium viventium produxit Evam: quæ nunc, quantum mihi videtur esse credibile, X Cal. Aprilium dies appellatur. Unde meritò creditur (si non verior sententia vincit) quòd beatus Theophilus cum cæteris, non solùm Palestinæ, sed & permultis aliarum regionum Episcopis, de Pascha disputans, scripsit, eodem decimo Calend. Aprilium die Dominum fuisse crucifixum. Decebat enim una eademque, non solùm hebdomadis sed mensis die, secundum Adam, pro generis humani salute vivifica morte sopitum, de productis è latere suo sacramentis cœlestibus, sponsam sibi sanctificare ecclesiam: qua videlicet die primum Adam, patrem videlicet humani generis ipse creaverat, eique de latere costam tollens, ædificavit mulierem, cujus adjutorio genus propagaret humanum. *Prima nascentis mundi ætas.*

Anni mundi.

Adam annorum CXXX genuit Seth, supervixit annis DCCC. Verùm septuaginta interpretes ante natum Seth posuêre annos CCXXX, postea DCC. Seth interpretatur resurrectio, significans resurrectionem à mortuis Christi, cujus mortem illatam à Judæis, significat Abel, qui dicitur luctus, à fratre Cain occisus. 130.

Seth annorum CV genuit Enos, cui supervixit annis DCCCVII. Porrò Septuaginta ante natum Enos annos CCV, postea posuêre DCCVII. Enos interpretatur homo, de quo bene dicitur: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Quod hominum est proprium, ut suæ fragilitatis memores, invocent conditoris auxilium, eorum duntaxat, qui in fide Christi viventes, filii resurrectionis esse lætentur. 235.

Enos annorum XC, genuit Cainam, cui supervixit annis DCCCXV. Sed Septuaginta ante natum Cainan CXC annos, postea DCCXV posuêre. 325.

Cainan annorum septuaginta genuit Malaleel, post cujus ortum vixit annos DCCCXL. Septuaginta ante natum Malaleel CLXX, postea dixêre DCCXL. 395.

Malaleel annorum LXV, genuit Jared, cui supervixit annis DCCCXXX. Septuaginta ante natum Jared CLXV, postea posuêre annos DCCXXX. 460.

Jared annorum CLXII genuit Enoch, cui supervixit annis DCCC. In hac generatione nusquam utrique codices discrepant. Hunc Enoch nonnulla divina scripsisse, Juda Apostolo attestante, comperimus. Sed ut beatus Augustinus dicit: *Non frustra non sunt in eo Canone scripturarum, qui servabatur in templo Hebræi populi, succedentium diligentia sacerdotum: nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent quæ ille scripsisset, poterat inveniri. Unde illa quæ sub ejus nomine proferuntur, & continent illas de Gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus judicantur non ipsius esse credenda.* 622.

Enoch annorum LXV genuit Mathusalam, post cujus ortum ambulavit cum Deo trecentis annis. Septuaginta ante natum Mathusalam posuêre CLXV annos postea CC. Et bene in septima generatione Enoch (qui interpretatur dedicatio) tulit à mortalibus Deus: quia civitas electorum in sex hujus seculi pro Deo laborans ætatibus, in septima sabbati futuri gloriam dedicationis expectat, atque reprobi sola præsenti sunt felicitate contenti. Cain civitatem quam statuit, non in septima generatione, sed in primogenito Enoch filio consecrat. 687.

Mathusalam annorum CLXXXVII genuit Lamech, cui supervixit annis DCCLXXXII, id est usque ad diluvium. Septuaginta ante natum Lamech CLXVII ponunt annos, postea DCCC & II. Qui numerus, ut lector facillimè videbit, juxta Hebraicam veritatem viginti annis, juxta ipsorum verò auctoritatem XIV annis diluvii tempora transit. De qua famosissima quæstione doctissimi patres, Hieronymus in libro 874.

bro quæstionum Hebraicarum, Augustinus in libro de civitate Dei 15 plenissimè disputant.

Lamech annorum CLXXXII genuit Noe, qui supervixit annis DXCV. Septuaginta ante natum Noe ponunt annos CLXXXVIII, & postea DLXV. In hac sola generatione
1056. summa universitatis discrepat, quia viginti & quatuor annis plus vixisse Lamech in Hebræis, quàm in septuaginta translatorum codicibus invenitur.

1656. Noe anno DC venit diluvium, mense secundo, decima septima die mensis. Sane de differentia annorum inter Hebræam & Septuaginta interpretum auctoritatem, ne quis nos laceret, novas movisse quæstiones, legat præfatorum patrum memorata opuscula, & intelliget hanc jam olim notissimam fuisse distantiam. Cujus originem distantiæ cum beatus Augustinus solertissimè quæsisset, dixit in libro suprascripto, capitulo tredecimo, inter alia sic: *Credibilius ergo quis dixerit, cùm primò de bibliotheca Ptolemæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in codice uno; sed primitus inde descripto, unde jam latius emanârit. Ubi potuit quidem accidere etiam scriptoris error; sed hoc in illa quæstione de vita Mathusalæ non absurdum est suspicari.* Et post aliquanta: *Rectè fieri*, inquit, *nullo modo dubitaverim, ut cùm diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrunque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.*

Secunda ætas mundi pubescentis. ¶ Secunda seculi ætate, prima hujus die, quæ est XXVII mensis secundi, egressus est Noe de Arca, in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.
1. *Petr.* 3. Quod memorans in epistola beatus Apostolus Petrus, mirificè statim exponere curavit, cùm subjunxit: *Quod & nos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei.* In aqua diluvii baptismum, in Arca & iis quæ continebat, Ecclesiam, & fideles illius, in octonario animarum numero mysterium dominicæ resurrectionis, in cujus fide baptizamur, docens esse figuratum.

1658. Sem centum annorum genuit Arphaxad, biennio post diluvium. Ab Arphaxad Chaldæos originem duxisse, Hieronymus scribit. Supervixit autem Sem, nato Arphaxad, quingentis annis, id est usque ad quinquagesimum annum nativitatis Jacob.

1693. Arphaxad annorum XXXV genuit Sale. Hîc septuaginta Interpretes una generatione plus quàm Hebraica veritas, posuêre: dicentes, quòd Arphaxad, cùm esset annorum CXXXV, genuit Cainan, qui cùm CXXX annorum fuerit, ipse genuerit Sale. Quorum translationem Evangelista Lucas hoc loco videtur esse sequutus. Verùm Chronographi Græcorum, cùm generationum seriem ad authoritatem Hebraicam castigassent, ablata una generatione Cainan, nec tamen numerum annorum in generationibus, quas eis habuêre communes, ad eorum auctoritatem castigare curassent, propriam sequuti auctoritatem, dederunt huic ætati annorum summam, minorem
al. 130.] quidem septuaginta Translatorum editione annis LXXX: sed Hebraica veritate annis
al. 942. DCL majorem, id est annorum DCCC & XLII.

Vixit autem Arphaxad post natum Sale annis CCC & tribus: cui tamen Septuaginta post natum Cainan adscribunt annos CCCCXXX, & Cainan post natum Sale CCCCXXXVIII.

1723. Sale annorum XXX genuit Heber, cui supervixit annis CCCIII. Septuaginta ante natum Heber posuêre annos CXXX, postea CCCXXX. Ab hoc Heber Hebræorum nomen & genus oritur.

1756. Heber annorum triginta quatuor genuit Phalech, cui supervixit annis CCCCXXX.
*al. 260. Septuaginta ante natum Phalech annos posuêre CXXXIV, postea * CCLXX. Phalech interpretatur divisio, cui propterea tale nomen imposuêre parentes, quòd tempore nativitatis ipsius, terra per linguarum confusionem divisa est. Cujus divisionis Arnobius Rhetor in expositione Psalmi CIII, ita meminit: *Sem primogenito Noe, pars facta est à Perside & Bactris usque in Indiam longè, & usque Rhinocozuras: quæ spacia terrarum habent linguas sermone barbarico viginti & septem. In quibus linguis gentes sunt patriarum* CCCC *&* VI, *non diversarum linguarum, sed (ut dixi) diversarum patriarum. Verbi gratia, cum una lingua sit Latina, sub una diversæ sunt patriæ, Brutiorum, Lucanorum, Apulorum, Calabrorum, Picentum, Tuscorum, & his atque hujusmodi similia si dicamus. Cham verò secundus filius Noe, à Rhinocozuris usque Gadira habens linguas, sermone Punico, à parte Garamantum: Latino à parte Boreæ: barbarico, à parte meridiana Æthiopum & Ægyptiorum, ac barbaris interioribus vario sermone, viginti duabus linguis, in patriis* CCCXCIIII. *Japhet autem tertius, à Media usque Gadira ad Boram. Habet autem Japhet flumen Tigridem, quod dividit Mediam & Babyloniam, in patriis ducentis, sermone vario, linguis viginti & tribus. Fiunt ergo*

go omnes simul linguæ LXXII: *patriæ autem, generationum mille, quæ in tripartito secu-* Sæc.
lo hoc ordine sitæ sunt. Habet autem, ut diximus, Japhet flumen Tigridem, quod dividit XI.
Mediam & Babyloniam: Sem autem Euphratem: Cham verò Geon, qui vocatur Nilus. Anno

Phalech annorum XXX genuit Reu, cui supervixit annis CCIX. Septuaginta ante natum Reu CXXX annos ponunt, postea * CCVIII. 1054. 1786. * al. 209.

His temporibus primùm templa constructa, & quidam principes gentium tanquam dii sunt adorati.

Reu annorum XXXII genuit Saruch, cui supervixit CCVII. Septuaginta ante natum Saruch CXXXII ponunt annos, postea CCVII. 1818.

Scytharum regnum dicitur exortum, ubi primus regnavit * Tanaus. * Taurus.

Saruch annorum XXX genuit Nachor, cui supervixit annis CC. Septuaginta ante natum Nachor ponunt annos CXXX, postea CC. 1849.

Ægyptiorum dicitur imperium inchoare, primò eis regnante Vexore.

Nachor annorum XXIX genuit Thare, cui supervixit annis CXIX. Septuaginta ante natum Thare ponunt annos LXXIX. postea CXXIX. 1878.

Assyriorum Sycionorumque regnum nascitur: his primùm Belo, illis Ægialeo regnante.

Thare annorum LXX genuit Abraham, cui supervixit CXXXV annis. Hactenus secunda ætas seculi protenditur, cujus tota serie recensita, beatus Augustinus libro de civitate Dei decimo sexto, capitulo decimo, hoc modo conclusit: *Fiunt itaque anni à diluvio usque ad Abraham, mille septuaginta duo, secundum vulgatam editionem, hoc est interpretum Septuaginta. In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos perhibent inveniri, de quibus rationem aut nullam aut difficillimam reddunt.* 1948.

¶ Tertia mundi ætas à nativitate cœpit Abraham Patriarchæ, qui LXXV annorum cùm esset, relicta gente patria, ad imperium Dei, venit in terram Chanaan, accipiens promissionem nasciturі de suo semine Salvatoris, in quo benedicerentur omnes gentes, simul & seipsum in gentem magnam esse futurum: quarum una spiritalis, altera est promissio carnalis. *Tertia ætas mundi.* 2013.

His temporibus Ninus & Semiramis Assyriis regnant.

Abraham annorum LXXXVI genuit Ismael, à quo Ismaelitæ. Genuit autem Ismael duodecim duces, & vixit annis CXXXVII. 2034.

Idem Abraham annorum centum genuit Isaac, qui primus & solus in tota Testamenti veteris serie legitur octavo die circumcisus, quod non sine magno mysterio privilegium est filio promissionis donatum. 2048.

Isaac annorum LX genuit Esau & Jacob, Patriarchas Idumeæ & Israeliticæ gentis: post quorum ortum vixit annis CXX. 2108.

His temporibus primus apud Argos regnavit Inachus annis L, cujus filia Jo, quam Ægyptii mutato nomine Isidem colunt.

Jacob CXXX annorum descendit in Ægyptum in animabus septuaginta. 2138.

Hujus temporibus Memphis in Ægypto ab Api Argivorum rege condita.

Sparta quoque à Sparto filio Phoronei regis Argivorum conditur.

Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit CCCCXXX annorum: quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus domini de terra Ægypti, ut scriptura testatur Exodi: Quorum tamen summam annorum Chronographi à septuagesimo quinto anno nativitatis Abraham, quando terram repromissionis intravit, computant: sequentes editionem septuaginta Interpretum, quæ dicit: *Habitatio autem filiorum Israel, qua haditaverunt in Ægypto & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni* CCCCXXX. Quam necessariò sequendam & ipsa veritas Hebraica ostendit, quæ narrat, Caath filium Levi, quem natum esse constat in terra Chanaan, vixisse annos CXXXIII, & filium ejus Amram, patrem Mosis, annos CXXXVII, & ipsum Mosen LXXX annorum fuisse tempore egressionis de Ægypto: quam nimirum horum summam annorum constat CCCC & XXX implere non posse. Annuit autem horum translationi & Apostolus cùm ait: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit, & seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, & semini tuo; qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quo post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit, ad evacuandas promissiones patrum.* 2453. Galat. 3.

Moses annis XL eductum ex Ægypto regit populum Israël in deserto: quorum primo anno tabernaculum domino construit, & septem mensibus opus perficiens, mense primo anni secundi, prima die mensis erexit. 2493.

Hucusque, ut Eusebius commemorat, quinque libri Mosi continent gesta annorum IIIMDCCXXX, secundum septuaginta Seniorum interpretationem. Quot verò annos

 hujus

Sæc. XI. Anno 1054.

temporis Hebraica veritas contineat, Joſephus in primo contra Appionem Grammaticum libro, ita commemorat: *Neque igitur innumera apud nos habentur volumina, inter ſe invicem diſcordantia: ſed duo tantùm & viginti ſunt libri, qui omnium temporum ſeriem continent, qui & juſtè creduntur divinitùs inſpirati. Ex quibus quinque ſunt Moſi, continentes leges vitæ & ſucceſſionis humanæ proſapiam, usque ad ipſius Moſi terminum pertendentes, qui paulo minus ad tria millia annorum continentiam gerunt.*

2519. Joſue annis viginti ſex regit populum Iſrael, ut Joſephus docet: nam ſcriptura ſancta quot fuerint anni ducatus illius tacet. Quare verò Euſebius in Chronicis viginti ſeptem poſuerit, infra dicemus. Primo autem ducatus ſui anno, Joſue primo menſe, decima die menſis, populum patefacto Jordanis alveo in terram repromiſſionis induxit: quo videlicet anno (ut in Chronicis præfati beati Euſebii reperimus) principium erat quinquageſimi primi Jubilæi ſecundum Hebræos, id eſt II MD erant ab initio mundi completi, ſingulis jubilæorum ordinibus per quinquagenos annos deputatis. At verò hanc temporis hujus eſſe ſummam, noſtra inquiſitio nequaquam invenire valuit. Conſtat enim, quòd MDCLVI ad diluvium uſque fuêre anni: inde ad Abraham CCXCII, qui ſeptuaginta quinque erat annorum, quando permiſſionem Dei accepit. Promiſſionis anni CCCCXXX, ducatus Moſi anni quadraginta. Qui profecto numerus non II MD, ſed ſeptem minus, id eſt IIMCCCCXCIII, ut prænotavimus, annos implet.

2559. Othoniel annis XL de tribu Juda primus Iſraëli judex, Domino jubente, conſtituitur.

Hujus temporibus primis filii Iſraël ſerviêre Chuſanraſathaim regi Meſopotamiæ octo annis.

2639. Aoth annis LXXX, filius Gera, filii Jemini, qui utraque manu utebatur pro dextera: cujus in primis temporibus ſervivit Iſraël Eglon regi Moab, annis octodecim, donec eum ipſe, percuſſo Eglon, liberavit.

Hoc tempore Cyrene civitas condita eſt in Lybia.

2679. Debora annis XL, prophetiſſa de tribu Ephraim, cum Barach de tribu Nephtalim, cujus in initio ducatus oppreſſit filios Iſraël Jabin rex Chanaan viginti annis, qui regnavit in Aſor. Sed occiſo ab Iſraël principe militiæ ejus Siſara, humiliatus tandem ac deletus eſt.

Hoc tempore Miletus condita.

2719. Gedeon annis quadraginta, ex tribu Manaſſe. Sub quo ſervivit Iſraël Madianitis
* al. ſeptem. & Amalechitis * octo annis: ſed Gedeon pugnante liberatus eſt.

Tyrus condita ante templum Hieroſolymorum annis CCXL, ut ſcribit Joſephus.

2722. Abimelech annis tribus, filius Gedeonis, qui regnabat in Sichem.

Hercules Ilium vaſtat.

2745. Thola annis XXIII, filius Phua, patrui Abimelech, vir de tribu Iſac, qui habitabat in Sanir montis Ephraim.

Bellum Lapitharum & Centaurorum, quos ſcribit Palæphatus, primo de Incredibilibus libro, nobiles fuiſſe equites Theſſalorum.

In Troia poſt Lamedontem regnavit Priamus.

2767. Jair annis XXII, ex tribu Manaſſe.

Hercules agonem Olympiacum conſtituit, à quo uſque ad primam Olympiadem ſupputantur an. CCCCXXX.

2773. Jephthe Galaadites annis ſex.

Philiſtini & Ammonitæ deprimunt Iſraël; ex quibus Ammonitæ debellantur à Jephthe: qui in libro Judicum ab ætate Moſi usque ad ſemetipſum ait ſupputari annos trecentos.

2780. Abeſſan de Bethlehem annis ſeptem.

Agamemnon imperat Mycenis annis XXXV, cujus anno decimo quinto Troja capitur.

2790. Achialon Zabulonites annis decem. Hic cum annis decem ſuis in ſeptuaginta Interpretibus non habetur. Pro quorum damno ſupplendo, Euſebius Joſue filio Nun, Samueli & Sauli, quorum annos ſcriptura non dicit, plures annos quàm in Joſepho legebat, annotavit: quatenus ab egreſſu Iſraël & Ægypto usque ad ædificationem templi * CCCCLXXX annorum ſummam, quam ſcriptura prædicat, haberet.

* 380. Abdon de tribu Ephraim annis octo.

2798. Hujus anno quarto Troja capta eſt: completis à primo anno Cecropis, qui primus apud Atticam regnavit, CCCCLXXV annis.

A XLIII anno regni Nini Aſſyriorum regis, anni DCCCXXV.

Mortuo

Mortuo Abdon servivit Israel Philistæis annis XL. SÆC. XI.
Samson de tribu Dan, annis XX. Hactenus Judicum liber tempora signat, habens annos CCXCIX, judices autem duodecim. ANNO
Latinis, qui postea Romani nuncupati sunt, post tertium annum captivitatis Trojæ, sive (ut quidam volunt) octavum, regnavit Æneas annis tribus. Post quem Ascanius annis 38. Ante Æneam, Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus in Italia regnaverunt annis circiter 150. Ascanius Æneæ filius Albam condidit urbem. 1054. 2818.
Heli sacerdos annis 40. In Hebræorum libro quadraginta anni inveniuntur: in septuaginta autem interpretatione 20. 2858.
Hectoris filii Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno sibi subsidium ferente.
Latinorum tertius Sylvius, Æneæ filius, regnat annis 29. qui quia post mortem patris editus, ruri fuerat educatus, & Sylvii & Posthumi nomen accepit, à quo omnes Albanorum reges Sylvii vocati sunt.
Sicyonis reges defecerunt, qui ab Ægialeo usque ad Zeuxippum regnaverunt 962. post quos sacerdotes Carani constituti sunt.
Samuel annis 12. ut docet Josephus: in scriptura enim sancta quam diu præfuerit, minime patet. Ab hoc tempora Prophetarum incipiunt. 2870.
Latinorum Æneas quartus Sylvius, annis 31. regnat.
Saul primus Hebræorum rex annis 20. Et hujus (quia in Canonica scriptura non habetur) de Antiquitatum libro Josephi tempus regni notavimus. 2890.
In Lacedæmone regnavit primus Eurystheus, annis 42.
Corinthi primus Alethes, 35.
¶ QUARTA mundi ætas non solum cum inchoato gentis Judææ imperio, sed cum innovata promissione, quæ patribus olim data est, imperii Christiani sumit exordium, jurante domino David veritatem: *De fructu ventris ejus sedere super sedem ejus.* Quarta ætas mundi.
David primus ex tribu Juda rex, annis 40. 2930.
Latinorum quintus, Latinus Sylvius, annis 50.
Ephesus condita ab Andronico.
Carthago condita est, ut quidam volunt, à Carchedone Tyrio: ut verò alii, à Didone filia ejus, anno * 243. post Trojanum excidium. * alii 143.
Solomon filius David annis quadraginta. Qui quarto regni sui anno, mense secundo, templum Domino ædificare cœpit in Hierusalem, collectis ab egressu Israëlis ex Ægypto annis 480. ut Regum quoque liber testimonio est. Quod in figura universi temporis, quo in hoc seculo Christi ædificatur ecclesia, quæ in futuro perficitur, septem annis perficit, & septima octavi anni mense dedicavit. 2970.
Latinorum sextus, Alba Sylvius, Sylvii Æneæ filius, regnat annis 39.
Regina Saba venit audire sapientiam Solomonis.
Roboam filius Solomonis, annis 17. 2987.
Hieroboam de tribu Ephraim separavit decem tribus à domo David & à Domino, in figuram hæreticorum, qui suos sequaces à Christo & ecclesia segregant. Hujus quinto anno Sesac rex Ægypti veniens Hierosolymam templum spoliavit.
Latinorum septimus rex, Ægyptus Sylvius, Albæ superioris regis filius, regnat annis 24.
Samus condita, & Smyrna in urbis modum ampliata.
Abiæ filius Roboam tribus annis. Hic pugnantem contra se Hieroboam superavit, occisis de exercitu ejus millibus quingenta, eò quòd sperasset in domino. 2990.
Asa filius Abia annis 41. Ab hoc conductus Benedad rex Syriæ Damasci contra Israel, percussit omnem terram Nephthalim. 3031.
Latinorum octavus Capys Sylvius, Ægypti superioris regis filius, regnat annis 28.
Asa idola destruit, templum mundat, egredientem contra se Zara Æthiopem cum suo sternit exercitu.
Amri rex Israël emit montes Samariæ, à Somer, duobus talentis argenti, & ædificat eam.
Achiel de Bethel Hiericho instaurat.
Josaphat filius Asa annis 25. Helias Thesbites tres & semis annos pluviam continuit, propter peccata Achab & populi Israël. Et inter cætera magnalia Helisæum filium Saphat, qui erat de Abelmeula, pro se unxit in Prophetam. 3056.
Latinorum nonus, Capetus Sylvius, superioris Capys regis filius, regnavit annis 13. Post quem filius ejus Tiberinus Sylvius, annis octo: à quo & fluvius appellatus est Tiberis,

SAEC. XI. ANNO 1054. beris, qui priùs Albula dicebatur. Post quem Agrippa Sylvius filius ejus annis 40. Josaphat fecit rectum coram Domino.

Joram filius Josaphat annis octo.

Helias curru igneo rapitur quasi usque in coelum, & Helisæus, hæres prophetiæ de-
3064. relictus, primo miraculo aquas Hiericho sanat.

In diebus Joram recessit Edom, ne esset sub Juda, & constituit sibi regem. Ambulavit autem Joram in viis domus Achab: filia quippe Achab erat uxor ejus.

3065. Azarias filius Joram anno uno. Jonadab filius Rechab clarus habetur.

Azariam cum filio suo Joas & nepote Amasia, ob enormitatem scelerum, & quia nec patrem filiumve quispiam eorum bonum habebat, Evangelista Matthæus à Domini Salvatoris genealogia secludit.

3071. Athalia mater Azariæ annis 6. Quæ videns interfectum ab Hieu rege Israël filium suum Azariam, interfecit omnem stirpem regiam domus Joram, præter solum Joas filium Azariæ, quem Josabeth soror Azariæ, uxor Joiadæ Pontificis furata est de medio filiorum regis, cùm interficerentur. In septuaginta Interpretibus septem annis regnasse Athalia narratur.

3111. Joas filius Azariæ annis quadraginta. Iste bono principio, & fine usus pessimo. In principiis sui regni templum innovat: in extremis, inter cætera facinora Zachariam quoque filium Joiadæ, tutoris quondam ac regnificatoris sui, inter templum & altare lapidari præcepit: quem, ob meritorum gratiam, Dominus in Evangelio filium Bara-
Matth. 23. chiæ, id est, benedicti Domini, cognominat.

Latinorum duodecimus Aremulus Sylvius, Agrippæ superioris regis filius, regnavit annis 19. qui præsidium Albanorum inter montes, ubi nunc Roma est, posuit.

Hujus filius fuit Julius, proavus Julii Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans, fundavit Juliam gentem.

3140. Amasias filius Joas annis 29.

Helisæus propheta defunctus, sepelitur in Samaria.

Azahel rex Syriæ afflixit Israël.

Latinorum 13. Aventinus Sylvius, Aremuli superioris regis major filius, regnavit annis 37. atque in eo monte, qui nunc pars urbis est, mortuus ac sepultus, æternum loco vocabulum dedit.

3192. Azarias qui & Ozias, filius Amasiæ annis 52.

Assyriorum trigesimus sextus, Tonosconcoleros, qui vocatur Græcè Sardanapalus, Tarsum atque Anchialen condidit, & in prælio victus ab Arbace Medo, semetipsum incendio concremavit. Usque ad id tempus fuisse reges Assyriorum historia refert, & fiunt simul anni 1197. Omnes autem anni regni Assyriorum à primo anno Nini supputantur 1140.

Latinorum 14. Procas Sylvius, Aventini superioris regis filius, regnavit annis 23. Post quem 15. Amulius Sylvius annis 44.

Arbaces Medus, Assyriorum imperio destructo, regnum, in Medos transtulit, ubi primus ipse regnavit annis 28.

Macedonum regnum inchoat, primum habens regem Caranum, annis 28.

Lacedæmoniorum reges deficiunt: Lydorum incipiunt.

3208. Joatham filius Oziæ annis 16.

Olympias prima ab Eliensibus constituitur, post annum Trojanæ captivitatis 405.

Romulus & Remus generantur Marte & Ilia.

Joatham inter cætera virtutum bonarum opera, portam domus Domini sublimissi-
Act. 3. mam ædificavit, quæ in actibus Apostolorum Speciosa vocatur: omnes siquidem portæ templi in terra fuerunt, excepta Speciosa, quæ pendebat: quæ ab Hebræis porta vocabatur Joatham.

3224. Achaz filius Joatham annis 16. Ab hoc conductus Theglathphalasar rex Assyriorum, Rasin regem Syriæ interfecit, & habitatores Damasci transtulit Cyrenem.

Roma condita in monte Palatino, 11. Cal. Majas, à geminis Remo & Romulo, filiis Rheæ Sylviæ, quæ erat filia Numitoris, fratris regis Amulii, virgo Vestalis, sed constuprata.

In Salibus ludis Sabinæ raptæ, anno ab urbe condita tertio.

Remus rastro pastorali à Fabio, Romuli duce, occisus.

3253. Ezechias filius Achaz annis 29. Hujus anno sexto, Salmanassar rex Assyriorum, capta Samaria, transtulit Israel in Assyrios, cujus regnum à primo Hieroboam steterat annis 360.

Mortuo Romulo, qui 37. annis regnavit, per quinos dies Senatores rempublicam rexe-

rexerunt, atque ita unus expletus est annus. Post quos Numa Pompilius annis 41. qui Æc.
Capitolium à fundamentis ædificavit. XI.

Manasses Filius Ezechiæ annis 55. Hic ob scelera sua catenatus & compeditus in Anno
Babyloniam ducitur: sed ob pœnitentiam & preces restituitur in regnum. 1050.

Romanorum tertius Tullus Hostilius regnavit annis 32. qui primus regum Romanorum purpura & fascibus usus est, & adjecto monte Cælio urbem ampliavit. 3308.

Amon filius Manassæ annis duobus. In Hebraica veritate duobus annis, in septuaginta legitur regnasse 12. 3310.

Histrus civitas in Ponto condita.

Amon à servis suis interficitur.

Josias filius Amon annis 31. Hic mundata Judæa & Hierusalem, templo etiam innovato, post abjectas idololatriæ sordes, Pascha domino celeberrimum facit, decimooctavo anno regni sui, & cum Nechaone Ægypti rege congressus, occiditur in campo Mageddo, qui nunc Maximianopolis vocatur. 3341.

Romanorum quartus, Ancus Martius, Numæ ex filia Nepos, regnavit annis viginti tribus: qui Aventinum montem & Janiculum urbi addidit, & supra mare sedecimo ab urbe miliario, Ostiam condidit. Post quem Tarquinius Priscus annis triginta septem, qui Circum Romæ ædificavit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos instituit, muros & cloacas ædificavit, Capitolium extruxit.

In Hebræo triginta uno annis regnasse Josias, in septuaginta interpretibus, triginta duobus legitur. Sed Eusebius inter regnum ejus & Joachim, alium de suo adjicit annum, propter menses bis ternos, quibus Joachas vel Joachim regnaverat. Verùm quid veritas habeat Hieremias pandit, qui se à tredecimo anno Josiæ, usque ad annum quartum Joachim, 23. annis prophetasse perhibet, & Nabuchodonosor quarto anno Joachim regnare cœpisse, decimo nono autem regni ejus anno Hierusalem destructam fuisse.

Joachim filius Josiæ, annis 11. Post Josiam regnavit Joachaz filius ejus tribus mensibus, quem Nechao vinctum ducens in Ægyptum, Joachim regem constituit. Hujus anno tertio à Nabuchodonosor capta Hierusalem & pluribus captivatis, in quibus erant Daniel, Ananias, Azarias & Misaël, partem vasorum templi Babyloniam transfert. A quarto Joachim anno scriptura regnum Nabuchodonosor computat, quia ex eo non solùm Chaldæis & Judæis, sed & Assyriis, Ægyptiis, Moabitis, aliisque innumeris gentibus incipit regnare. Joachim, qui & Jechonias, filius Joachim, mensibus tribus ac diebus decem. Hic circundata à Chaldæis Hierusalem exiit ad regem Babylonis & mater ejus, & ductus est in Babylonem cum populo, anno octavo regni Nabuchodonosor. 3351.

Sedechias, qui & Matthias, filius Josiæ, annis undecim. Hujus anno undecimo, regis autem Babylonis decimo nono, Judæa captivata in Babyloniam, & templum Domini incensum est, anno ex quo fundari cœpit, quadringentesimo trigesimo. Qui autem reliqui fuerunt Judæi, transfugerunt in Ægyptum, qua post annos quinque percussa à Chaldæis, in Babyloniam sunt & ipsi transmigrati. 3363.

¶ Quinta mundi ætas ab exterminio cœpit regni Judaici, quod juxta prophetiam Hieremiæ septuaginta annis permansit. *Quinta ætas mundi.*

Anno 14. postquam percussa est à Chaldæis civitas, qui est 25. annus transmigrationis regis Joachim, cum quo & Ezechiel captivatus est, ipse Ezechiel in visionibus Dei adductus in terram Israël, vidit renovationem civitatis ac templi, ceremoniarumque ejus. 3377.

Romanorum sextus Servius regnavit annis 34, qui tres montes Urbi addidit: Quirinalem, Esquilinum, Viminalem, fossas circum muros duxit, census Romanorum civium primus instituit.

Anno vigesimo sexto post eversionem Hierosolymorum, qui est annus tricesimus septimus transmigrationis regis Joachim, sublevavit Evilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœpit, caput Joachim regis Judæ de carcere, & posuit thronum ejus super thronum regum qui erant in Babylone. Meminit hujus temporis adhuc futuri propheta Hieremias, ita scribens: *Ecce ego mittam & assumam universas cognationes Aquilonis (ait Dominus) & Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores ejus, & super omnes nationes ejus, quæ in circuitu illius sunt: & interficiam eos, & ponam eos in stuporem & in sibilum, & in solitudines sempiternas: & servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint anni septuaginta, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam in solitudines sempiternas.* Et alibi, scribens ad transmigrationem, quam 3389. *Hierem. 25.*

SÆC. XI. ANNO 1054. transduxerat Nabuchodonosor de Hierusalem in Babylonem cum Jechonia rege: *Cùm cœperint* (inquit) *impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo vos super verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum, ait* DOMINUS.

Rursum, ejusdem temporis jam præteriti verba dierum ita recordantur: *Si quis* Hierem. 29. 2. Par. 36. *evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit regi & filiis ejus: donec imperaret rex Persarum, & compleretur sermo Domini ex ore Hieremiæ, & celebraret terra sabbata sua. Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Hieremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum,* &c. Quibus verbis ostenditur, quia vastata Chaldæi Judæa, non ut Assyrii in Samariam, alios misêre colonos, sed desertam reliquêre terram, donec ipsi post annos 70. in Josephus antiq. lib. 10. cap. 12. eam rediêre Judæi. Consentit his Josephus, in decimo Antiquitatum libro scribens, templum & Hierusalem & omnem Judæam septuaginta annis permansisse desolatam. Qui rursum enumerando reges Babylonis (si tamen ipse sic scripsit, & non codex fallit mendosus) centum ferè annos ab eversa Hierusalem usque ad eversionem regni Chaldæorum facit colligi. Scribit enim, post Nabuchodonosor (qui, teste Scriptura sacra, 25. post eversam Hierusalem vixit annis) Evilmerodach filium ejus regnasse annis 18, post quem Hegesar filium ejus annis quadraginta, cui successisse filium ejus Labosordach mensibus novem: hoc defuncto, ad Balthasar, qui Naboan nuncupatur, transisse imperium, qui cùm jam decem & septem regnaverit annis, captam à Cyro Persarum, & Dario Medorum rege Babyloniam. Et sequitur: *Darius autem Astyagis filius, qui Babyloniorum destruxit imperium, cum Cyro cognato suo agebat annum sexagesimum secundum, cùm Babylon fuisset invasa, qui tamen alio nomine vocabatur à Græcis. Is Danielem prophetam sumens ad se in Mediam duxit, & omni eum honore celebra-* Dan. 9. *vit.* Hujus Darii ipse Daniel ita meminit: *In anno primo Darii filii Asueri, de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem 70. anni.* Eusebius in temporum libro triginta annos ab eversione Hierusalem, usque ad initium Cyri regis Persarum: Julius autem Africanus 70, computat. Porrò Hieronymus in expositione Prophetæ Danielis, ita dicit: *Tradunt enim Hebræi hujuscemodi fabulam usque ad 70. annum, quo Hieremias captivitatem populi Judeorum dixerat esse solvendam.* De quo & Zacharias in principio voluminis sui loquitur: irritam putans Dei pollicitationem Balthasar, falsumque promissum, versus in gaudium fecit grande convivium, insultans quodammodo spei Judæorum & vasis templi Dei, sed statim ultio sequuta est.

3413. Persarum primus Cyrus regnavit annis 30. Hic, ut impleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ, primo sui regni anno, laxata Hebræorum captivitate, quinquaginta ferè hominum millia regredi fecit in Judæam, restituens eis vasa templi Domini aurea & argenta 5400. Qui congregati in Hierusalem, mense septimo ædificaverunt altare, & à primo die mensis ejusdem cœperunt offerre holocaustum Domino. Anno autem secundo adventus sui, mense secundo, templi fundamenta jecerunt: anno incensionis ejus, juxta Africanum, 72: juxta autem Chronica Eusebii 32. Sed impedientibus Samaritis, intermissum est opus, usque ad annum Darii secundum, qui etiam Asueri in regno & Artaxerxis, scripserunt accusationem adversum Judæos, & rescripsit Artaxerxes, ne ædificaretur Hierusalem.

Romanorum 7. Tarquinius, regnavit annis 35, qui caussa Tarquinii junioris, filii sui, qui Lucretiam corruperat, à regno expulsus est.

3431. Cambyses Cyri filius annis 8. Hic devicta Ægypto cunctam ejus religionem abominatus, ceremonias ejus & templa deposuit, Babylonem in Ægypto ædificavit. Hunc ajunt à Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Judith historia inscribitur.

3432. Fratres Magi mensibus septem.

Jesus sacerdos magnus & princeps gentis.

Zorobabel, Aggæus, Zacharias & Malachias Prophetæ clarescunt.

Pythagoras Physicus Philosophus clarus habetur.

3468. Darius annis 36. Inter Darium & Cambysen regnasse duos fratres Magos, in libris Chronicorum Eusebii reperimus. Verùm Hieronymus in expositione Danielis scribit, post Cambysen Smerden magum regnasse, qui Panthapten (inquit) filiam Cambysis uxorem duxit, qui cùm à septem Magis fuisset occisus, & in locum ejus Darius suscepisset imperium, eadem Panthaptes nupsit Dario, & ex eo Xerxen filium genuit. Secundo anno Darii septuagesimus captivitatis Hierusalem annus impletur, ut vult Euse-

Eusebius, testem adhibens Zachariam Prophetam, apud quem secundo Darii anno loquitur angelus: *Domine exercituum, usque quo tu non misereberis Hierusalem, & urbium Juda quibus iratus es? Iste septuagesimus annus est.* Item quarto Darii regis anno dicit idem Propheta: *Cum jejunaretis & plangeretis per hos 70. annos, nunquid jejunium jejunastis mihi?* SAEC. XI. ANNO 1054. Zach. 1. Zach. 7.

Sexto Darii anno Templi ædificatio completur, die tertia mensis Adar, qui est quadragesimus sextus annus, ex quo ejus sub Cyro fundamenta sunt jacta. Unde in Evangelio dicunt Judæi: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.* Cœperunt autem ædificare anno secundo Darii, mense sexto, die * 29. & anno sexto (ut dictum est) mense 12. die tertia, compleverunt. Ex quo apparet, opus templi & antea ex parte non parva peractum: annos autem 70. à destructione illius, usque ad perfectam restaurandi licentiam, esse computandos. Joan. 2. * al. 24.

Pulsis urbe regibus, qui imperaverant annis 243. vix usque ad decimum quintum lapidem Roma tenebat imperium. Romæ post exactos reges primùm Consules à Bruto esse cœperunt, deinde Tribuni plebis ac Dictatores, & rursum Consules remp. obtinuerunt, per annos fermè 474. usque ad Julium Cæsarem, qui primus singulare arripuit imperium, Olympiade 183.

Xerxes filius Darii annis 20. Hic Ægyptum, quæ à Dario discesserat, capit, & adversus Græciam pugnaturus 700. millia armatorum de regno, & * 400. de auxiliis, rostratas etiam naves mille ducentas, onerarias autem tria millia numerò habuisse, narratur. Attamen victus in patriam refugit. 3488. * 300. habet Beda.

Herodotus historiarum scriptor, Zeuxis pictor agnoscitur.

Artabanus mensibus septem. Socrates nascitur. 3489.

Artaxerxes qui & Longimanus, id est μακρόχειρ, annis 40. 3529.

Hujus anno septimo, prima die mensis primi, Esra sacerdos & scriba legis Dei ascendit de Babylone cum epistolis regis: & in prima mensis quinti venit in Hierusalem, cum viris 1700. Et inter alia strenuè gesta, castigavit filios transmigrationis ab uxoribus alienigenis.

Ejusdem anno decimo quinto, Neemias pincerna de Susis castro adveniens, mirum, Hierusalem 52. diebus restituit, & ducatum genti 12. annis præbuit.

Hucusque divina scriptura temporum seriem continet: quæ verò post hæc apud Judæos sunt gesta, de libro Machab. & Josephi atque Africani scriptis, exhibentur, qui deinceps universam historiam usque ad Romana tempora persequuti sunt. Et quidem Africanus in quinto temporum volumine hujus temporis ita meminit: *Mansit itaque imperfectum opus usque ad Neemiam, & vigesimum annum regis Artaxerxis. Quo tempore regni Persarum centum & quindecim anni fuerunt evoluti, captivitatis autem Hierusalem 180. & quintus annus erat. Et nunc primùm Artaxerxes jussit muros extrui Hierusalem, cui operi præfuit Neemias, & ædificata est platea & muri circundati. Et ex illo tempore si numerare velis 70. annorum hebdomadas usque ad Christum, poteris invenire.*

Xerxes menses duos. Post quem Sogdianus menses septem.

Plato nascitur. Hippocrates medicus insignis habetur.

Darius cognomento Nothus annis 19. Ægyptus recessit à Persis. Reversis de captivitate Judæis, non reges, sed Pontifices præfuerunt, usque ad Aristobulum, qui cum dignitate Pontificis etiam regale sibi cœpit usurpare vocabulum. 3548.

Artaxerxes, qui cognominatus est Mnemon, Darii & Parisatidis filius annis 40. Sub hoc rege videtur Hester historia completa. Ipse quippe est, qui ab Hebræis Asuerus, & à septuaginta interpretibus Artaxerxes vocatur. 3588.

Athenienses viginti quatuor literis uti cœperunt, cùm antea sedecim tantùm literas haberent.

Carthaginensium bellum famosum.

Galli Senones duce Brenno Romam invaserunt, excepto Capitolio, & incensam sex mensibus vastaverunt. Tribuni militares pro Consulibus esse cœperunt.

Aristoteles auditor est Platonis, decimum octavum ætatis annum agens.

Artaxerxes, qui & Ochus, annis 26. Ipse Ægyptum suo junxit imperio, Nectanebo rege in Æthiopiam pulso, in quo Ægyptiorum regnum destructum est. 3614.

Demosthenes Orator omnium rumore celebratur.

Romani Gallos superant.

Plato moritur: post quem Academiam Speusippus tenuit.

Artaxerxes Ochi filius, annis quatuor. 3618.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Judæorum pontifex maximus Jaddus clarus habetur: cujus frater Manasses templum in montem Garizi construit.

Speusippus moritur, cui succedit Xenocrates, quarto anno Ochi.

Alexander, Philippi & Olympiadis filius, vigesimum ætatis annum gerens, Macedonibus regnare incipit.

3624. Darius Arsami filius annis 6.

Alexander adversum Illyrios & Thracas feliciter dimicans, subversis Thebis in Persas arma corripuit, & apud Granicum flumen regiis ducibus oppressis, urbem Sardis capit. Idem capta Tyro Judæam invadit, à qua favorabiliter exceptus, Deo victimas immolat, & pontificem templi Jaddum honoribus plurimis prosequitur, Andromacho locorum custode dimisso: ac septimo regni sui anno Alexandriam in Ægypto condidit. Nec mora, Babylonem obtinuit, interfecto Dario, in quo Persarum regnum destructum est, quod steterat annis 231. Quo tempore etiam Latini à Romanis perdomiti sunt.

3619. Alexander post mortem Darii annis 5. regnavit, nam antea septem. Alexander Hircanos & Medos capit, revertensque in Hammone condidit Paratonium. Idem Indicum usque Oceanum victoriis potius quàm bellis pervenit, ac Babylonem reversus, trigesimo secundo vitæ, regni autem sui duodecimo anno, veneni haustu periit. Post quem translato in multos imperio, Ægyptum Ptolemæus Lagi tenuit filius: Macedonas Philippus qui & Aridæus, frater Alexandri: Syriam & Babylonem & omnia regna Orientis Seleucus Nicanor: Asiæ regnavit Antigonus, qui apud Danielem per quatuor hirci, qui arietem contereret, cornua designantur.

3669. Ægypto primus regnavit Ptolemæus Lagi filius, annis 40.

Appius Claudus cæcus Romæ clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit, & viam Appiam stravit.

Ptolemæus Hierosolymis & Judæa in ditionem suam dolo redactis, plurimos captivorum in Ægyptum transtulit.

Judæorum Pontifex maximus Onias Jaddi filius clarus habetur.

Tredecimo Ptolemæi anno, Syriæ & Babyloni & superioribus locis regnare incipit Seleucus Nicanor: à quo tempore Machabæorum Hebræa historia Græcorum supputat regnum, à quo & Edisseni sua tempora computant.

Seleucus Seleuciam, Laodiceam, Antiochiam, Apameam, Edissam, Berrœham, & Pellam urbes condidit.

Judæorum pontifex maximus, religiosissimus atque piissimus Simon, Oniæ filius clarus habetur. Post quem Eleazarus frater ejus suscepit templi ministerium, filio ejus Onia parvo admodum derelicto.

Seleucus in eas urbes quas extruxerat, Judæos transfert, jus eis civium & municipalem ordinem cum Græcis, æquali honore concedens.

3707. Ptolemæus Philadelphus annis 38.

Sostratus Gnidius Pharum in Alexandria construxit.

Ptolemæus Judæos qui in Ægypto erant liberos esse permisit, & Eleazaro Pontifici multa Hierosolymam, & in templi donativa vasa transmittens, septuaginta interpretes petit, qui scripturam sanctam in Græcum verterent eloquium.

Aratus cognoscitur.

Judæorum pontificatum post Eleazarum avunculus ejus Manasses accepit. Tantæ autem potentiæ fuisse narratur Ptolemæus ille Philadelphus, ut Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ, habuisse eum peditum ducenta millia, equitum viginti millia, curruum duo millia, elephantos, quos primus adduxit ex Æthiopia, quadringentos, & cætera his similia.

3733. Ptolemæus Evergetes frater superioris regis, annis viginti sex. Qui inde Euergetes ab Ægyptiis est vocatus, quia capta Syria & Cilicia, & propemodum universa Asia, inter innumera argenti pondera ac vasa pretiosa, quæ cepit, etiam deos eorum, quos Cambyses capta Ægypto in Persas portaverat, retulit.

Judæorum Pontifex Onias, Simonis Justi filius, clarus habetur: cujus item filius Simon, non minori gloria fulget. Sub quo Jesus, filius Sirach, Sapientiæ librum componens, quem vocant Panareton, etiam Simonis in eo fecit mentionem.

3750. Ptolomæus Philopator, filius Evergetis, annis 17. Antiochus rex Syriæ victo Philopatore Judæam sibi sociat.

Judæorum Pontifex maximus Onias, filius Simonis, insignis habetur, ad quem Lacedæmoniorum rex Areus legatos mittit.

3774. Ptolemæus Epiphanes, filius Philopatoris, annis 24.

Secun-

Secundus liber Machabæorum apud Judæos hujus temporis gesta continet. SÆC.
Onias sacerdos assumptis Judæorum plurimis fugit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorificè susceptus, accepit eam regionem, quæ Heliopoleos vocabatur, & concedente rege templum extruxit in Ægypto, simile templi Judæorum, quod permansit usque ad imperium Vespasiani annis 250. Sub occasione igitur Oniæ Pontificis, infinita examina Judæorum in Ægyptum confugerunt. Eo tempore & Cyrene eorum multitudine repleta est. Hæc autem vel Oniæ vel cæteris fuit caussa Ægyptum petendi: quia pugnantibus contra se magno Antiocho & ducibus Ptolemæi, posita in medio Judæa in contraria studia scindebatur, aliis Antiocho, aliis Ptolemæo faventibus. XI. ANNO 1054.

Ptolemæus Philometor annis 35. 3809.

Aristobulus natione Judæus, Peripateticus philosophus agnoscitur, qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Mosen commentarios scripsit. Antiochus Epiphanes, qui post Seleucum cognomento Philopatorem annis undecim regnavit in Syria, Judæorum legem impugnans, omniaque sordibus idolorum complens, in Templo Jovis Olympii simulacrum ponit. Sed & in Samaria super verticem montis Garizi, Jovis peregrini delubrum ædificat: ipsis Samaritanis, ut id faceret, precantibus. Verùm Mathathias sacerdos leges patrias vindicat, adversus Antiochi duces arma corripiens: Quo mortuo, ducatum Judæorum suscepit filius ejus Judas Machabæus, anno 144. regni Græcorum, 20. autem Ptolemæi, Olympiade 155. qui mox Antiochi duces de Judæa expellens, & templum ab Idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis civibus reddidit. Unde post secessum Oniæ sacerdotis in Ægyptum, de quo suprà diximus, & mortem Alchimi, qui effugato Onia pontificatum indignus invadere tentabat, omnium favore Judæorum Machabæo sacerdotium decernitur: quod post mortem ejus frater Jonathas sortitus, & novendecim annis summa ministravit industria.

Ptolemæus Evergetes annis 29. 3838.

Jonathas dux Judæorum & pontifex, cum Romanis & Spartiatis amicitias facit: quo à Tryphone interfecto, in sacerdotium frater Simon assumitur, anno regis Evergetis septimo, quod octo annis strenuissimè regens, filio Joanni reliquit. Hic adversum Hircanos bellum gerens, Hyrcani nomen accepit, & à Romanis jus amicitiæ postulans, decreto Senatus inter amicos relatus est. Samariam, quæ nostro tempore Sebaste vocatur, obsidione captam solo æquavit: quam postea Herodes instaurans, Sebasten in honorem Augusti appellari voluit.

Ptolemæus Physcon, qui & Soter, annis 17. 3855.

Cicero Arpini nascitur, matre Helvia, patre equestris ordinis, ex regio Volscorum genere.

Hyrcano in pontificatum, quem ipse viginti sex annis tenuit, Aristobulus succedit annum unum, qui rex pariter & pontifex primus apud Judæos diadematis sumpsit insigne, post quadringentos octoginta quatuor annos Babylonicæ captivitatis. Post quem regnavit Janneus, cognomento Alexander, annis viginti septem, qui Pontificatum quoque administrans, crudelissimè civibus præfuit.

Ptolemæus, qui & Alexander, annis 10. Hujus anno septimo Syria in Romanam ditionem cessit, capto Philippo à Gabinio. Expulsus de regno Ptolemæus Physcon per matrem Cleopatram, in Cyprum secedit. 3865.

Ptolemæus, qui à matre fuerat ejectus, annis octo: regressus de fuga regnum obtinuit: quia Alexandrum, qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris cives pepulerant. 3873.

Sylla Athenienses vastat.

Ptolemæus Dionysius annis triginta. Ab hujus anno quinto Alexandra, uxor Alexandri pontificis, post mortem ejus regnavit Judæis annis novem. Ex quo tempore Judæos rerum confusio & variæ clades oppresserunt. Post cujus mortem Aristobulus & Hircanus filii ejus contra se de imperio dimicantes, occasionem præbuêre Romanis, ut Judæam invaderent. Itaque Pompejus Hierosolymam veniens, capta urbe & templo reserato, usque ad sancta sanctorum accedit: Aristobulum vinctum secum abducit, pontificatum confirmat Hircano. Deinde Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium procuratorem Palestinæ facit, mansitque in Pontificatu Hircanus annis 34. 3903.

Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua nascitur Pompejo & Crasso Coss.

Pompejus captis Hierosolymis tributarios Judæos facit.

Virgilius Cremonæ studiis eruditur.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Cæsar Germanos & Gallos capit, & Britannos quoque, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum fuerat: victos, obsidibus acceptis, stipendiarios facit.

3925. Cleopatra soror Ptolemæi annis viginti duobus. Orto enim bello civili inter Cæsarem & Pompejum, victus Pompejus Alexandriam petit, ibique ab ipso, à quo sperabat auxilia, Ptolemæo percussus interiit. Mox Cæsar Alexandriam venit: ipsi quoque Ptolemæus parare insidias voluit, unde bello ei illato, victus in Nilo periit. Cæsar Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, cum qua consuetudinem stupri habuerat: cujus regni tertio anno, ipse primus Romanorum singulare obtinuit imperium, à quo Cæsares Romanorum Principes appellati. Cleoapatra regio comitatu urbem ingressa est.

3929. Cæsar ob insolentiam morum, conjurantibus in eum sexaginta vel amplius Senatoribus equitibúsve Romanis, in curia confossus interiit, post annos quatuor & menses sex quàm regnare cœperat.

Cassius Judæa capta templum spoliat.

3944. Octavianus Cæsar Augustus Romanorum secundus, regnavit annis quinquaginta sex, & mensibus sex, à quo Augusti appellati reges Romanorum, quorum quindecim vivente Cleopatra, quadraginta & unum postea vixit annos.

Undecimo Augusti anno, deficiente in Judæa pontificum principatu, Herodes nil ad eum pertinens, utpote Antipatri Ascalonitæ & matris Cypridis Arabicæ filius, à Romanis Judæorum suscepit principatum, quem tenet annis triginta sex. Qui, ne ignobilis fortè & à Judæorum semine argueretur extraneus, combussit libros omnes, quibus nobilitas gentis in templo servabatur adscripta, ut deficientibus probamentis, & ipse ad hanc pertinere putaretur. Insuper etiam, ut suam sobolem regio illorum generi commisceret, projecta Doside fœmina Hierosolymitana, quam privatus acceperat uxorem, & nato ex eo filio Antipatro, sociat sibi Mariamnem, filiam Alexandri, neptem Aristobuli fratris Hyrcani, qui ante eum rex erat Judæorum. Hæc quinque ei filios genuit: quorum duos, Alexandrum & Aristobulum ipse necavit in Samaria. Nec mora, post etiam matrem illorum, qua nil charius noverat, simili scelere peremit. E quibus Aristobulus Herodem ex Berenice susceperat filium, quem in Actibus Apostolorum ab Angelo percussum legimus.

Tertio inter Augustum & Antonium orto bello, quòd Antonius qui Asiam & Orientem tenebat, repudiata sorore Augusti, Cleopatram duxisset uxorem, Antonius & Cleopatra victi semet interficiunt. A quo tempore quidam primum annum Augusti monarchiæ supputant. Hactenus qui vocabantur Lagidæ in Ægypto regnaverunt, annis 295.

Hic incipit Editio Canisiana. Sexta Mundi ætas.

* ANNO 42. Octaviani Augusti Cæsaris, ex quo autem Ægyptus in Provinciam redacta est, & Cleopatra cum Antonio victa, 28. anno ab urbe verò condita 752. Olympiadis 193. anno tertio Dominus noster JESUS CHRISTUS in Bethleem Judææ nascitur: transactis ab initio mundi, secundum Hebraicam veritatem, annis 3952. secundum septuaginta Interpretes verò 5199.

2. Infantes pro Domino trucidantur ab Herode.

3.

4.

5. Asinius Pollio orator moritur.

6. Herodes Rex Judææ cum magno cruciatu moritur.

Pro quo Archelaus regnavit annis 9.

7. Fames magna Romæ facta est.

8. Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasque subegit.

9.

10.

11.

12. Jani portæ, 12. annis jam ab Augusto clausæ aperiuntur.

13. Messala Corvinus orator moritur.

14. Eclipsis solis facta est.

15. Archelaus in Viennam Galliæ urbem ab Augusto relegatur. Et *Augustus* moritur anno ætatis 76. Imperii 56. pro quo *Tiberius* regnat annis 23.

16. Herodes Tetrarcha Judæorum regnum tenuit annis 24.

17. Mathematici urbe pelluntur.

18. Livius Historiographus moritur. Ovidius poëta in exilio * mittitur.

al. moritur.

19. Ger-

19. Germanicus à Tiberio missus Germanos vicit.
20. Tredecim urbes terræmotu corruerunt.
21. Fenestella Historiographus & poëta moritur.
22. Tiberius multos Reges ad se vocatos dolo nunquam remisit.
23. Pompeii theatrum incensum est.
24. Tiberius Drusum consortem regni fecit, qui eodem anno veneno periit.
25.
26.
27. Pilatus præses Judææ à Tiberio mittitur.
28.
29.
30. Dominus Jesus Christus à Joanne baptizatur trigesimo anno ætatis suæ secundum carnem inchoante, & prædicare cœpit.
31. Joannes Baptista ab Herode Tetrarcha decollatur.
32.
33. Dominus in Jerosolyma passus est & resurexit. Eclipsis solis, & maximi terræmotus facti sunt.
34. Jacobus frater Domini Jerosolymorum Episcopus ab Apostolis ordinatus sedit annis 30.
35. Pilatus imaginem Cæsaris in templo statuens, seditionem excitavit.
36. Pilatus Romam venit, & de miraculis Domini Cæsari nunciavit.
37. Tiberius ea, quæ à Pilato audierat Senatui nunciavit, sed Senatus contempsit.
38. Tiberius populum Romanum graviter afflixit, & ipse veneno periit.

Hæc & sequentia ad oram adscripta sunt in m. s. Gajus regnat ann. 3. mense 10. dieb. 8. vir scelestissimus.

39. Herodes Agrippa Rex Judææ à Gaio constitutus, regnat annos 7.
40. Judæi apud Alexandriam profligantur, pro quibus Philo clarissimus scriptor Gajum interpellans, nihil profuit.
41. Pilatus semetipsum interfecit, magnis à Gajo calamitatibus oppressus.
42. Matthæus Evangelium hebraicè scripsit. Gajus occiditur à * suis.
43.
44. Petrus Apostolus Romam venit, ibique per 25. annos prædicans, Episcopatum tenuit.

* Ursis habet: protectoribus suis. Basn.

45. Herodes Agrippa ab Angelo percussus, expiravit: pro quo filius ejus Agrippa regnavit ann. 26. Marcus Evangelista in Ægypto prædicavit.
46. Claudius Britanniam subegit. Fames magna facta est.

Claudius annos 13. mens. 8. dies 28.

47. Nova Insula 30. stadiorum in mari apparuit.
48. Cives Romani à Claudio numerati inventi sunt sexagies novies centena & quadraginta quatuor millia.

m. s. habet; 69144.

49. Judæorum in seditione 30000. necantur in diebus Azymorum.
50.
51. Claudius Judæos urbe expulit.
52. Magna fames Romæ facta est.
53. Claudius Felicem Procuratorem Judææ fecit.
54. His temporibus Simon Magus Simoniacæ hæreseos auctor extitit.
55. Ægyptius quidam pseudopropheta Judæorum plures seducens, à Felice opprimitur.
56. Claudius veneno mortuus est anno ætatis 64.
57. Nero flagitiosus primam in Christianos persecutionem exercuit. Seditio in Cæsarea orta plures Judæorum perdidit.

Nero ann. 13. mens. 7. dies 28.

58. Paulus Apostolus Romam à Festo præside mittitur.
59. Huc usque librum, Actus Apostolorum, Lucas Evangelista perduxit, continentem annos à Passione Domini 27.
60. Statius Poëta clarus erat.
61. Nero Agrippinam matrem suam & sororem patris interficit.
62. Nero infinita luxuria & lascivia ignaviaque bacchatur.
63. Jacobus Frater Domini à Judæis lapidatur.
64. Marcus Evangelista apud Alexandriam passus est.
65. Neronianæ thermæ à Nerone ædificantur.
66. Nero ut similitudinem Troiæ ardentis videret, magnam partem urbis incendit.
67. Nero magistrum suum Senecam interfecit.
68. Vespasianus adversus Judæos rebellantes à Nerone mittitur.
69. Petrus & Paulus à Nerone propter Simonem magum trucidantur, & pestilen-

SÆC. XI. ANNO 1054. tia Romæ facta est. Neroque seipsum interfecit. Linus primus à beato Petro sedit ann. 12. Antiochiæ secundus Episcopus ordinatur Ignatius.

70. Galba menses 7. Otho menses 3. Vittellius menses 8. Vespasianus in Judæa pugnans Imperator ab exercitu constitutur, vir militari virtute præcipuus.

Vespasianus ann 9. mens. 11. dies 22.

71. Titus Judæos inenarrabili fame cruciatos obsedit.

72. Jerusalem à Tito expugnata destruitur anno à passione Domini 40. a prima vero conditione templi sub Salomone 1089.

73.

74.

75. Hoc tempore Josephus historiographus clarus habetur.

76.

77. Colossus erectus est habens altitudinis pedes 107.

78.

79. Pestilentia Romæ facta est, & terræmotus 3. civitates Cypri subvertit.

80. Vespasianus profluvio ventris in villa circa Sabinos obiit.

Titus ann. 2. mens. 2.

81. Titus vir erat omnium virtutum genere mirabilis, ita ut deliciæ & amor humani generis diceretur. Hic amphitheatrum Romæ construxit, in cujus dedicatione 5000. ferarum occidit.

82. Cletus Papa secundus anno. 12. Titus in eadem villa qua & pater obiit, anno ætatis 42.

Domitianus frater Titi ann. 15. mens. 5.

83. Domitianus infectus omnibus sceleribus secundo persequitur Christianos. Idem etiam eunuchos fieri prohibuit.

84. Decreto Senatus Titus inter Deos refertur.

85. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnantur.

86. Anianus primus post Marcum Evangelistam Episcopus Alexandriæ, post annos 22. obiit: pro quo Abilius sedit annis. 13.

87.

88. Domitianus se Deum & Dominum appellari jussit.

89.

90. Quintilianus rhetor Romæ clarus habetur.

91. His temporibus hæresis Menandri magi, & Hebionitarum, & Cerinthiorum & Nicolaitarum exoritur.

92. Romani plurima mala à Cæsare & ab hostibus pertulerunt.

93. Domitianus de Dacis & Germanis triumphat,

94. Clemens Papa tertius sedit annis 9. Cornelia virgo Vestalis ob stuprum viva defossa est.

95. Domitianus multos nobilium occidit.

96. Hoc tempore Joannes Apostolus in Pathmos insulam à Domitiano in exilium missus Apocalypsin scripsit.

97. Domitianus Flaviam Domitillam cum multis aliis in exilium pro fide Christi relegavit.

98. Domitianus cum multa mala egisset, à suis crudeliter interfectus est anno ætatis suæ 35.

Nerva ann. 1 mens. 4. dies 8.

99. Nerva primo edicto suo omnes exules revocavit. Sanctus Joannes Apostolus ab exilio rediens Evangelium scripsit. Nerva confectus morbo obiit, pro quo Trajanus regnavit.

Trajanus an. 19. mens. 6. dies 15.

100. Trajanus genere Hispanus vir Reip. utilis, sed errore deceptus tertius persequitur Christianos. Alexandriæ Cerdo 111. Episcopus sedit ann. 12. Joannes Apostolus apud Ephesum dormivit in pace, anno à passione Domini. 68.

101.

102.

103. Evarestus Papa IV. sedit annis. 8. Trajanus de Dacis & Scythis triumphat.

104. Trajanus multas gentes Romano subjecit imperio.

105.

106. Aurea domus Neronis incendio conflagravit.

107. Terræmotu multæ urbes subversæ sunt.

108. Alexandriæ Ecclesiæ IV. Episcopus ordinatur, nomine Primus.

109. Simon filius Cleophæ, qui in Jerosolymis Episcopatum tenebat, crucifigitur anno ætatis 120. Pro quo Justus tertius.

110. Ignatius Antiochiæ Episcopus Romam perductus bestiis traditur: Pro quo constituitur Episcopus Oron.

111. Ale-

111. Alexander Papa quintus ſedit annis 10. Sæc.
112. Pantheum Romæ fulmine concrematum. XI.
113. Poſt Juſtum Jeroſolymæ Epiſcopum Zachæus conſtituitur quartus. Anno
114. Terræ motus pænè totam Antiochiam ſubruit. 1054.
115. Trajanus Aſſyriam, Armeniam, & Meſopotamiam provincias facit.
116.
117. Judæi commoti magnas cædes hominum faciunt, ſed in Alexandria victi ab omnibus ubique trucidantur.
118. Trajanus apud Seleuciam profluvio ventris moritur anno ætatis 64.
119. Hic per Quadratum diſcipulum Apoſtolorum & Ariſtidem virum ſapientem libris apologeticis edoctus, mitis efficitur Chriſtianis. *Adriani ann. 21.*
Adrianus Alexandriam publicis reſtauravit expenſis.
120. Adrianus iterum Judæos profligat.
121. Xiſtus Papa VI. ſedit annis 12. Adrianus plurimum tributa relaxat.
122. Adrianus bellum contra Sauromatas geſſit. Terræ motus factus eſt.
123. Adrianus in Lybiam, quæ à Judæis vaſtata fuerat, colonias deducit.
124. Juſtinus Epiſcopus Alexandrinus ſedit annis 11. Adrianus legem dedit Athenienſibus.
125. Jeroſolymis poſt Philippum Seneca decimus conſtituitur.
126. Hoc tempore Aquila interpres habetur.
127. Adrianus Apologeticis noſtrorum acceptis literas pro Chriſtianis miſit.
128.
129. His temporibus Saturninus & Baſilides & Carpocrates hæreſin condiderunt.
130. Adrianus Pater patriæ primus appellatur.
131. Antiochiæ ordinatur Cornelius Epiſcopus. Nicopolis & Cæſarea terræmotu corruerunt.
132.
133. Teleſphorus Papa VII. ſedit ann. 7.
134. Judæi in arma verſi Palæſtinam depopulantur.
135. Alexandriæ Eumenes Epiſcopus ſedit ann. 13.
136. Judæi iterum commoti magnis ubique cædibus enecantur.
137. Jeruſalem ab Helio Adriano reparata eſt, & ex ejus nomine Helia nuncupata, & Judæis ne introirent, interdicta.
138. Primus ex gentibus Jeroſolymis Epiſcopus Marcus ordinatur, cùm jam 15. de Judaica gente obiiſſent.
139. Adrianus morbo intercutis aquæ moritur, major ſexagenario.
140. Antoninus cognomento Pius per Apologeticum Juſtini Chriſtiani Philoſophi, & poſtea Martyris edoctus clemens efficitur noſtris. Hyginus Papa IIX. ſedit annis. 4. *Antoninus ann. 22. menſes. 3.*
141. Antoninus pater patriæ appellatur.
142. Valentinus & Cerdo, & poſt hos Marcus & Marcion Eccleſiam hæreſi impugnant.
143. Juſtinus philoſophus pro Chriſtianis Apologeticon Antonino ſcripſit.
144. Pius Papa nonus ſedit annis 15.
145. Antiochiæ conſtituitur Epiſcopus Heros.
146.
147.
148. Alexandriæ Marcus VII. Epiſcopus ſedit annis 10.
149. Valentinus Hæreticus agnoſcitur.
150.
151.
152. Apollonius & Baſilides Philoſophi illuſtres habentur.
153.
154.
155.
156. Creſcens Cynicus philoſophus Juſtino noſtro perſecutionem commovit, in qua ille glorioſè ſanguinem fudit.
157. Alexandriæ Celadion Epiſcopus ſedit annis 14.
158. Anicetus Papa X. ſedit annis 13.
159. Jeroſolymis poſt Marcum factus eſt Epiſcopus Caſſianus XVII.
160. Antoninus Pius apud Lorum obiit anno ætatis 77.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Marcus & Lucius ann. 19. menʃ. 1.

161. Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo, æquo jure adminiſtraverunt imperium.
162. Lucio Cæſari Athenis ſacrificanti ignis ab oriente in occidentem in cælo ferri viſus eſt.
163. Fronto orator inſignis habetur.
164. Cæſares de Parthis triumphant.
165. Quarta perſecutio orta apud Aſiam Polycarpum cum plurimis & in Gallia multos Sanctorum coronavit.
166.
167. Lues maxima multas vaſtavit Provincias & exercitum Romæ pænè delevit.
168. Sother Papa XI. ſedit annis 8.
169. Antiochiæ Theophilus Epiſcopus ordinatur, vir ſapiens.
170. Lucius Cæſar apoplexia extinctus eſt. Alexandriæ Agrippinus Epiſcopus ſedit annis 12.
171. His temporibus Egeſippus, Dionyſius Corinthi Epiſcopus, & Pinitus Cretæ Epiſcopus clari habentur.
172.
173. Catafrigarum hæreſis oritur.
174. Hoc tempore Trajanus hæreſin Encratitarum condit.
175. Maxima per totum orbem peſtilentia fuit.
176. Antoninus multa bella per ſe & Duces ſuos faciebat. Eleutherius XII. Papa ſedit annis 15.
177. Antoninus Commodum filium ſuum conſortem regni fecit. Lucius Britanniæ Rex ab Eleutherio Papa Chriſtianus efficitur.
178. Imperatores dona largiti ſunt, debita relaxant, & ſeveriores leges temperant.

Commodus XV. ann. 13.

179. Antoninus in Pannonia morbo periit & Commodus à ſenatu Auguſtus appellatur.
180. Commodus poſt mortem patris Germanos vicit. Hic obſcœnus & pravus fuit.
181. Alexandriæ templum Serapis incenſum. Julianus X. Alexandriæ Epiſcopus ſedit annis. 10.
182. Hyreneus Lugdunenſis Epiſcopus inſignis habetur. Panthenus & Clemens Alexandriæ clari habentur.
183. Commodianæ thermæ Romæ factæ ſunt.
184. Commodus Septembrem menſem nomine ſuo appellavit.
185. Jeroſolymis XXVI. ordinatur Maximus Epiſcopus. Origenes apud Alexandriam naſcitur.
186. Montanus quidam hæreſin Catafrigarum condit.
187.
188. Capitolium Romæ & bibliotheca fulmine cremantur.
189. Alexandriæ Epiſcopus Demetrius ſedit annis 43.
Commodus coloſſi capite ſublato ſuæ imaginis caput juſſit imponi.
190. Commodus multos nobilium interfecit. Serapio VIII. Antiochiæ Epiſcopus ordinatur.
191. Quæſtio de Paſcha oritur & in Dominica die celebrari jubetur.

al. leg. Veſtiliani.

192. Commodus cunctis incommodus in domo veſtali ſtrangulatur.

Pertinax I. menſ. 7.

193. Pertinax major ſeptuagenario ex ſenatusconſulto juſſus eſt imperare. Victor XIII. Papa ſedit an. 10.
194. Pertinacem occidit in palatio Julianus juriſperitus: & regnavit pro eo 7. menſes.

Severus XVII. 17.

195. Severus genere Afer Julianum apud Milvium pontem interfecit: Et in honorem Pertinacis, quem idem Julianus occiderat, Pertinacem ſe cognominari fecit.
196. Hoc tempore Narciſſus Jeroſolymorum Epiſcopus &
197. Theophilus Cæſarienſis, Polycarpus quoque & Bacchilus & alii inſignes Epiſcopi habentur.
198. Judaicum & Samariticum bellum motum eſt.
199. Severus Parthos & Adiabenos Arabeſque ſuperavit.
200.
201. Thermæ Severianæ apud Antiochiam factæ ſunt.
202. Zepherinus Papa XIV. ſedit annis 18.
203. Severus quinta perſecutione plurimos Sanctos coronavit; inter quos pater Origenis, Leonides, cum multis aliis martyrizatur.

204. Per-

204. Perpetua & Felicitas hac persecutione bestiis deputantur apud Carthaginem. Sæc.
205. Symmachus & Theodocion interpretes habentur his temporibus. XI.
206. Severus vallum apud Britannos per 132. millia passuum à mari ad mare fecit. Anno
207. Tertullianus Afer clarissimus habetur. 1054.
208. Origenes Alexandriæ studiis eruditur.
209. Severus in Britannia moritur.
210. Antiochiæ Asclepiades Episcopus ordinatur.
211. Alexander Jerosolymorum Episcopus ordinatur, vivente Narcisso, Deo per visum jubente.
212. Antoninus Caracalla, propter genus vestis, quod Romæ erogabat, cognominatur.
213. Antonianæ thermæ dictæ sunt Caracallæ ex nomine Antonini. Antonini
214. Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificavit. XVIII. an.
215. Antoninus impatientia libidinis novercam suam Juliam duxit uxorem. 7.
216. Antoninus interficitur anno vitæ 43.
217. Romæ amphitheatrum incenditur. Antiochiæ Episcopus constituitur Philetus X.
Macrinus cum filio Diadumeno occiditur in Archelaide.
218. Aurelius Antoninus adeo impudicè in imperio vixit, ut nullum genus obscœnitatis omiserit. Callistus Papa XV. sedit annis 5. Macrini an. 1. Aurelius Antoninus an.
219. Hippolytus Episcopus, clarus habetur.
220. In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est. 4.
221. Aurelius tumultu militari Romæ occiditur.
222. Alexander Xerxem Persarum Regem vicit. Alexander
223. Hic militaris disciplinæ severus corrector fuit. XXI. 13.
224. Urbanus Papa XVI. sedit annos 9. Hic multos nobiles ad fidem Catholicam convertit.
225. Ulpianus jurisconsultus insignis habebatur.
226. Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificantur.
227. Geminus presbyter Antiochenus & Hippolytus & Beryllus Episcopus & Bosternus clari scriptores habentur.
228. Antiochiæ ordinatur Episcopus Zebennus XI.
Alexandriæ Heradas Episcopus ann. 16.
229. Mammea mater Alexandri Origenem celeberrimum doctorem ad se vocatum audivit.
230. Alexander in matrem Mammeam unice pius fuit & omnibus ob id amabilis.
231. Origenes de Alexandria ad Cæsaream Palæstinæ transit.
232. Pontianus Papa XVII. sedit annos 5.
233. Alexander Romæ favorabilis fuit.
234. Alexander tumultu militari Mogontiaci occiditur.
235. Maximinus Christianos & maximè Rectores Ecclesiæ sextus post Neronem persequitur. Maximinus 22. ann. 3.
236. Maximinus adversus Germanos bellum feliciter gessit.
237. Maximinus Aquilegiæ à Pupieno occiditur.
238. Antherus Papa XIIX. sedit....... mens. 1. post quem Fabianus XIX. ann. 13. Gordiani
239. Pupienus & Albinus, qui imperium arripuerant, in palatio Gordiano occisi sunt. 23. ann. 6.
240. Hoc tempore Julius Africanus chronographus clarus habetur.
241. His temporibus Origenes Theodorum & Athenodorum fratres, postea Episcopos nobiles divina imbuit Philosophia.
242. Gordianus cum victor à Parthis reverteretur, haud longe à Romano solo interficitur.
243. Milites Gordiano tumulum ædificant, & ossa ejus Romam reportant.
244. Philippus primus omnium Imperatorum Christianus fuit. Hic filium suum Philippum consortem regni fecit. Philippus 24. cum filio an. 7.
245. Regnantibus Philippis millesimus annus Romanæ urbis expletus est.
246. Millesimus annus à Christiano Imperatore variis ludis celebratus est.
247. Theatrum Pompeii Romæ incensum.
248. Philippus nominis sui in Thracia construxit......
His temporibus Origenes multa scripsit.
249. Alexandriæ Dionysius XIII. Episcopus sedit annis 17.

SÆC. XI. ANNO 1054.

250. Philippus senior Veronæ, Romæ verò junior occiditur.

251. Decius cum Philippos patrem & filium interfecisset, ob eorum odium in Christianos persecutionem movet.

Antonius in Ægypto nascitur. Decius cum filio occiditur. Fabianus martyrizatur: pro quo Cornelius Papa sedit ann. 2. qui etiam ipse martyrio coronatur.

Decius 25. anno 1. mens. 3.

252. Origenes anno ætatis 70. moritur. Novacius presbyter hæreseos auctor interficitur. Maxima pestilentia facta est.

Gallus cum Volusiano anno 2. mens. 3.

253. Lucius Papa XXI. mens. 8. post quem Stephanus ann. 2. Gallus cum filio interficitur.

Valerianus & Gallienus annis 16.

254. Valerianus octavus persecutionem in Christianos exercuit.

255.

256. Cyprianus doctor eximius Carthaginensis Episcopus martyrio coronatur.

257. Valerianus à Sapore Persarum Rege capitur. Xistus Papa sedit ann. 6.

258. Valeriano in Persas ducto, & oculis privato Galienus pacem reddidit nostris.

259.

260. Galienus in omnem lasciviam dissolvitur.

261. Germani Italiam, Alamanni Gallias & Italiam populantur.

262. Macedonia, Græcia, Pontus, Asia & aliæ provinciæ depopulantur per Gothos.

263.

264. Dionysius Papa sedit an: 9.

265. Hoc tempore Theodorus, qui etiam Gregorius Neocæsareæ Episcopus, virtutibus claruit.

266. Hierosolymis Hymeneus Episcopus ordinatur.

267.

268. Galienus Mediolani occiditur.

Claudius an. 1. mens. 9.

269. Claudius Gothos jam per annos 15. Illyricum Macedonicumque vastantes superat.

Paulus Samosatenus Antiochiæ Episcopus hæreticus esse convincitur.

Claudius Sirmio moritur: pro quo frater ejus Quintillus regnavit dies 17. & Aquileiæ occiditur.

Aurelianus ann. 5. mens. 6.

270. Aurelianus primo utilis & clemens Christianis, postea persecutor fuit.

271. Zenobia regina Orientis vincitur. Eusebius Laodicensis Episcopus insignis habetur.

272. Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia captivi præcessere.

273. Imperator Soli templum ædificat & nonus Christianos persequitur.

Tacitus mens. 6.

274. Aurelianus divino fulmine territus, interficitur à militibus: pro quo regnavit Tacitus mensibus 6. quo apud Pontum occiso Florianus regnavit diebus 88. & occiditur.

Probus ann. 6. mens. 4.

275. Felix Papa XXV. sedit an. 5.

276. Probus Gallias à Barbaris occupatas ingenti virtute restituit.

277. Anatolius Laodiceæ Episcopus clarus habetur.

278. Manes quidam genere Persa insanam Manichæorum hæresin condit.

279. Antiochiæ Episcopus XVIII. constituitur Quirillus.

280. Eutycianus Papa sedit menses 8. cui successit Gajus Papa, sedit annos 16.

Carus cum filiis Carino & Numeriano ann. 2.

281. Probus apud Sirmium tumultu militari occiditur.

282. Carus victor de Parthis super Tigridem, fulmine ictus interiit.

283. Numerianus insidiis Apri soceri sui occisus est.

284. Carinus apud Margum à Diocletiano prælio victus interficitur.

Huc usque ab Incarnatione Domini supputantur secundum Dionysium anni 284.

285. Ab hoc anno Græci Paschales circulos inchoabant.

Diocletianus ann. 20.

286. Diocletianus Herculianum Maximianum in consortium regni assumit.

287. Maximianus in Gallia Amandum cum rusticis vicit.

288. Hoc tempore Carausius Britanniam, Narseus Rex Persarum Orientem, Achilleus Ægyptum, Quinquegentiani Africam infestavere. Ob quæ Constantinus, Galerius, & Maximianus in regnum assumuntur.

289.

290. Diocletianus Constantium Constantini patrem Cæsarem fecit, qui regnavit annos 16.

291. Imperator Galerium Maximianum Cæsarem fecit.

292. Hoc tempore Phierius presbyter & Achillas & Militus Alexandriæ claruere.

293. His

293. His temporibus diversis & multis præliis hostes diversi diversi vincuntur. SÆC. XI.
294.
295. Diocletianus se ut Deum adorari jussit. ANNO
296. Gajo per Martyrium coronato Marcellinus XXIIX. successit. 1054.
297. Diocletianus victo Achilleo Alexandriam Ægyptumque recepit.
298. Idem plurimos per totam Ægyptum proscriptionibus & exiliis damnavit.
299. Constantius 6000. Alamannorum juxta Lingonas occidit.
300. Galerius Maximianus à Narseo victus, ante carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit.
301. Maximianus Narseum superavit & uxorem ejus ac liberos captivit.
302. Maximianus & Diocletianus insigni pompa de hostibus triumphant.
303. Diocletianus & Maximianus Ecclesias subvertunt, libros divinos incendunt & Christianos cruciant.
304. Diocletianus Nicomediæ & Maximianus Mediolani purpuras & regna deponunt. Eusebius Papa sedit menses 8. post quem Miltiades annos 4.
305. Maximinus & Severus Cæsares facti sunt. Constantius Augustus obiit: Post quem filius ejus Constantinus regnavit.

Constantinus Constantii ex concubina Helena filius, primus Imperator excepto Philippo Christianus fuit; & abhoc Christiani Imperatores esse cœperunt. *Constantinus ann. 30. mens. 10.*

306. Maxentius Maximiani Herculiani filius Augustus appellatur.
307. Maximianus apud Massiliam turpiter interficitur.
308. Occiso Severo Licinius Cæsar efficitur. Galerius Maximianus moritur.
309. Sylvester Papa sedit annos 25. Maximinus Christianos persequitur: & apud Tharsum moritur.
310.
311. Maxentius juxta Milvium pontem à Constantino superatus occiditur.
312. Persecutio post 10. annos finita est.
313.
314. Diocletianus in prædio suo moritur & solus omnium privatus inter Deos refertur.
315. Plurimi persecutorum & magorum trucidantur.
316.
317.
318. Licinius Christianos de palatio suo pellit, & eos persequitur.
319. Hoc tempore Arrius Alexandriæ presbyter nefandam Arrianorum hæresin condit.
320. Alexandriæ ordinatur Episcopus Alexander.
321. Arrius presbyter ab Ecclesia à suo Episcopo Alexandro ejectus multos suæ impietati sociat.
322. Concilium in Nicæa congregatur 318. Episcoporum sub Sylvestro Papa.
323. Constantius filius Constantini Cæsar efficitur. Licinius occiditur.
324. Hoc tempore Crux Dominica ab Helena matre Constantini Jerosolymis reperitur.

Sub Machario ejusdem urbis Episcopo Nazarius rhetor insignis habetur.

325. Vicennalia Constantini Romæ Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.
326. Hucusque historiam scribit Eusebius. Hinc Hieronymus.
327. Constantinus Drepanam Bithyniæ civitatem instaurans in honorem suæ matris Helenopolim appellavit.
328. Arriani Episcopi Ecclesiam obtinuerunt, quorum tempora non digeruntur, qui hostes Christi judicantur.
329. Juvencus presbyter claruit. Porphyrius hæreticus à Constantino de exilio liberatur.
330. Alexandriæ ordinatur Episcopus Athanasius. Dedicatur Constantinopolis.
331. Edicto Constantini Gentilium templa subversa sunt.
332. His temporibus Eusebius Cæsariensis Episcopus & alii multi doctores claruerunt.
333. Antonius Monachus clarus habetur.
334. Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium litteras mittit.
335. Tricennalibus Constantini Dalmatius Cæsar appellatur.
336. Constantinus dum bellum parat in Persas, apud Nicomediam obiit anno ætatis 66.

SÆC. XI. ANNO 1054.

337. Dalmatius Cæsar factione Constantii patruelis & tumultu militari interficitur.
338. Constantius Arriana hæresi per Arrianum presbyterum & Eusebium Nicomediensem pollutus, Athanasium Episcopum & omnes non suæ partis Episcopos persequitur.

35. Constantinus, Constantius & Constans ann. 24. mens. 5. dies 13.

339. Constantinus fratri Constantio bellum inferens juxta Aquileiam occiditur.
340. Terræ motus multas urbes subvertit.
341. Franci à Constante perdomiti in pacem recepti sunt.
342. Constantinopoli ejecto ab Arrianis Paulo Episcopo, Macedonius hæresiarches substituitur.
343. Hoc tempore Maximinus Trevirorum Episcopus claruit; à quo Athanasius à Constantio profugus suscipitur.
344. Athanasius ad Constantis litteras Alexandriam regreditur.
345. Eclipsis solis facta est: & terræ motus multas urbes subvertit.
346. Tribus diebus ac noctibus Roma nutavit: & Campaniæ urbes vexatæ.
347. Bellum contra Persas geritur gravi Romanorum damno.
348. Romæ ordinatur Liberius: quo ab Arrianis expulso, Fœlix in ejus locum substituitur.
349. Constans interficitur anno ætatis 30. Magnentius & alii multi conturbant P. R.
350. His temporibus ossa Timothei & Andreæ Apostolorum & Lucæ Evangelistæ Constantinopolim invecta sunt.
351. Gallus Constantii patruelis Cæsar factus, Magnentius seipsum occidit.
352. Antonius Monachus 105. ætatis suæ anno in eremo moritur. Et multi alii eremitæ claruerunt.
353. Gallus Cæsar occiditur. Victorinus Rhetor & Donatus Grammaticus insignes habentur.
354. Julianus Cæsar efficitur à Constantio. Eusebius Vercellinus & Dionysius Mediolanensis cum aliis exulantur.
355. Magnæ Alamannorum copiæ apud Argentarium deletæ sunt à Juliano Cæsare.
356. Julianus Rheno Germanos vicit. Hilarius Pictaviensis & Athanasius Alexandrinus ab Arrianis multa mala passi sunt.
357. Apud Ariminum Synodus Arrianorum contra fidem facta est. Paulinus Trevirensis Episcopus in exilio moritur.
358. Julianus Augusti nomen usurpat. Constantius in Parthos bellum parat.
359. Constantius Parthico bello dimisso contra Julianum arma sumit.
360. Constantius moritur anno ætatis 45.
361. Julianus ex Christiano lectore paganus factus, persequitur Christianos. Athanasius, Eusebius, & Lucifer de exilio revertuntur. Pagani apud Sebasten sepulchrum sancti Joannis Baptistæ invadunt.

36. Julianus an. 1. menses 8.

362. Julianus ad bellum Parthicum profectus, & Christianorum sanguinem Diis suis vovens, Dei judicio à quodam hoste occisus interiit anno ætatis 32. post quem Jovianus Imperator factus cum omni exercitu ad Christianitatem redit. Antiochiæ synodus hæresiaca collecta est.

37. Jovianus mens. 8.

363. Jovianus in nova domo recubans, suffocatus odore prunarum & calcis moritur: pro quo Valentinianus regnat; qui ob fidem Christi tribunatu militum à Juliano privatus est.

Valentinianus ann. 11.

364. Valentinianus Valenti fratri suo Orientis imperium dedit.
365. Romæ Damasus Papa ordinatur. Valens ab Eudoxio Arrianorum Episcopo baptizatus Christianos persequitur.
366. Gratianus filius Valentiniani imperator efficitur. Vera lana pluviæ mixta de nubibus fluxit.
367. Athanaricus Rex Gothorum, Christianos persequitur. Hilarius Episcopus Pictaviæ moritur. Nicæa terræ motu corruit.
368. Eusebius Vercellinus moritur. Hoc tempore Apollinaris Episcopus hæresin condit.
369. Magna fames in Phrygia.
370. His diebus post Auxentii Arriani mortem Ambrosius Episcopus Mediolanensis ordinatur.
371 Didymus Alexandriæ cæcus claruit. Valentinianus Saxones cæde perdomuit.
372. Eunomius agnoscitur, à quo hæresis Eunomiana.
373. Burgundiones juxta Rhenum consederunt. Hoc tempore docente Ambrosio, Italia ad Christi fidem convertitur.

374. Va-

374. Valentinianus subita sanguinis eruptione moritur: pro quo Gratianus filius cum patruo. Sæc. XI. Anno 1054.
375. Gratianus 30. millia Alamannorum delevit.
376. Valens legem dedit, ut monachi militarent: nolentes fustibus jussit interfici.
377. Gothi datis à Valente Arrianis doctoribus Arriani efficiuntur. *Valens cum Gratiano & Valentiniano an. 4.*
378. Valens Arrianus imperator post multa mala sua in Thracia trucidato à Gothis Romano exercitu, ipse sagitta fauciatus, fugiens, & in vilem casam, cum sæpe equo laberetur, deductus; insequentibusque hostibus, vivus in ipsa casa incensus sepultura caruit. Post quem Gratianus tertius fratris ejus filius cum fratre suo Valentiniano regnavit annos 6.

Huc usque Chronicam Eusebii Hieronymus perduxit. Hinc Herimannus.

379. Gratianus Imperator ob perturbatum imperii statum, genere Hispanum armis, fide & religione præcipuum Orienti Imperatorem præfecit: Qui 17. annis regnans Gothos, Hunnos, Alanos, & alias gentes plures coërcuit deque Tyrannis Romanorum sæpe imperium vindicavit. Priscillianus de Galliis Episcopus hoc tempore sui nominis hæresin condit. *Theodosium intelligit.*

380. Ab hoc anno Theophilus Alexandrinus Episcopus Paschales ciclos inchoat.

Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus multa hoc tempore sublimiter scripsit.

381. Synodus secunda Universalis 150. Episcoporum Constantinopoli agitur. contra Macedonium Hæresiarcham ipsius urbis Episcopum sub Theodosio Augusto & Damaso Papa.

382. Athanaricus Rex Gothorum persecutorque Christianorum Constantinopoli receptus à Theodosio moritur.

383. Arcadius filius Theodosii Augusti à patre in consortium regni assumptus regnavit annis 26.

384. Theodosio Augusto filius Honorius nascitur. Romæ post Damasum Papam Siricius, qui in chronicis Prosperi Ursinus dicitur, Papa quadragesimus sedit annis 14.

385. Maximus in Britannia à militibus Imperator creatus ad Gallias transfretans, Gratianum Augustum à suis proditum bello victum fugavit, & Lugduni captum occidit, Valentinianumque Augustum fratrem ejus de Italia ad Theodosium in orientem pepulit, Victoremque filium suum Imperii consortem fecit.

386.

387.

388. Maximus tyrannus à Theodosio & Valentiniano Augustis victus & captus juxta Aquilejam purpura privatur, capite plectitur, & Victor filius ejus ab Arbogaste magistro militum in Galliis peremptus est. & Valentinianus Imperio restitutus.

389. Ithacius & Ursacius Episcopi ob necem Priscilliani, quem accusaverant, Ecclesiæ communione privantur.

390.

391.

392. Valentinianus Augustus nimia, ut ajunt, Arbogastis austeritate, vitæ pertæsus, apud Viennam laqueo vitam finivit. A quo Arbogastes insimulatus, Eugenium in Gallia Imperatorem creat. Hieronymus librum, quem de viris illustribus Ecclesiæ scripsit, hucusque perduxit.

393. Theodosius Imperator cum filiis Arcadio & Honorio 3. annos regnavit.

394. Joannes Anachoreta, cujus vitam Hieronymus edidit, Theodosium Imperatorem, contra Eugenium tyrannum victorem fore prædixit.

395. Theodosius Imperator divinitus adjutus Eugenium pugna victum peremit: & ipse eodem anno Mediolani vita decessit, & apud sanctum Laurentium sepultus est: pro quo filius ejus Arcadius cum fratre Honorio annos 13. regnavit. Augustinus Ecclesiæ propugnator facundissimus à Maximo veterano Episcopo Hippone regionis Africæ, adhuc vivente, ipsius urbis Episcopus quamvis invitus ordinatur. Claudianus Poëta clarus habetur. Joannes Eremita migravit ad Dominum.

Huc usque Ruffinus Ecclesiasticam historiam Eusebii Cæsariensis Episcopi à se translatam perduxit.

396. Gildo Comes Africæ tyrannidem inibi invasit, eam sibi usurpare præsumens.

397. Concilio Carthagini habito Hipponense concilium roboratur.

Sanctus Martinus Turonorum Episcopus post multas virtutes migravit ad Dominum anno ætatis 81. Episcopatus verò 26. cujus virtutes & vitam Sulpitius Severus egregio edidit stilo.

398. San-

SÆC. XI. ANNO 1054.

398. Sanctus Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus doctor Ecclesiæ mirificus ad Dominum migravit. Romæ Anastasius Papa 41. sedit annos 4. In Africa Gildo Comes Africæ Mascezele Domino juvante, pugna victus interiit.

399. Templa idolorum jussu Imperatorum in diversis partibus orbis destruuntur, & Ludi gladiatorum tolluntur. Eutropius eunuchus, qui hoc anno cum Theodoro consulatum invaserat, honore & vita privatus interiit.

400. Gothi Alarico & Radagaiso Regib. Italiam ingredientes devastant. Hoc tempore Anastasius Papa sua & Italiæ decreta constituit, inventos in urbe Manichæos damnavit; & Basilicam, quæ Crescentiana dicitur, via Mamurtina construxit.

401. Joannes Constantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus Episcopi clarissimi habentur; sed adeò inter se discordes, ut molimine Theophili Joannes in Pontum exilio relegatus sit.

402. Pollentiæ Romani, Stilicone Duce, contra Gothos, gravi utrorumque clade pugnantes, tandem victi terga vertunt.

Romæ Innocentius Papa 42. sedit annos 14.

403. Carthagini concilium contra Donatistas habitum.

404. His temporibus Innocentius Papa plurima in Ecclesia constituit decreta & Ecclesiam Sanctorum Prothasii & Gervasii martyrum Romæ constructam dedicavit, & Titulum in urbe constituit.

405. Romanis Duce Stilicone in Tuscia pugnantibus, Radagaisus cum ducentis millibus Gothorum facili victoria, Deo donante, victus & captus est.

406. Wandali, Suevi, & Alani trajecto Rheno 3. Kalen. Januarii Gallias hostiliter ingressi.

407. Constantinus in Britannia tyrannide invasa ad Gallias transit.

408. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur, relicto pro se filio Theodosio: Cum quo demum hujus Patruus Honorius annis 15. regnavit. Stilico Dux fortis cum filio Eucherio ab Honorio Augusto occiditur.

409. Wandali Albani in die octava Hispanias occupant. Attalus Imperator Romæ per tyrannidem factus, & mox pulsus Gothis cohæsit.

410. Alaricus Rex Gothorum Romam obsedit, multasque cædes ibi & prædas faciens, locis tantum sacris, & ad ea profugis, quia Christianus erat, pepercit. Anno ab urbe condita 1164. Placidia soror Honorii Augusti à Gothis in urbe inter alios capta. Gothorum pars Venetiam captam possedit, & postea Ostrogothi vocati, & cum Romanis confœderati sunt.

Arelatum. 411. Constantinus Tyrannus apud Relatum victus ab Honorio captus est, filiusque ejus Constans in Hispania à Gerontio Comite peremptus; & Maximus ab eo in regnum levatus est. Constantinus ab Honorio Dux constitutus est. Alarico Gothorum Rege mortuo, Ataulfus successit; qui Placidiam captivam uxorem accepit. Pestilentia, fames, bestiæ, & gladius barbaricus miserum late vastant & comprimunt orbem.

412. Maximo in Hispania regno ablato vita concessa est. Gothorum pars maxima Rege Ataulfo Gallias ingressa. Heros sancti Martini discipulus Arelatensis Episcopus sanctus, innocens sede sua pulsus est, & pro eo Patroclus ordinatus. Wandali & Suevi Galleciam, Alani Lusitaniam & Carthaginensem provincias, Silingi Bœticas sortiuntur.

413. Herodianus hujus anni cum Lucio consul, novarum rerum in Africa reus, honore & vita privatur. Burgundiones partem Galliæ Rheno contiguam obtinuerunt. * Loviunus & Sebastianus fratres, Galliæ tyranni, Narbonæ ab Honorio perempti sunt. His temporibus Pelagius Brito, adnitentibus Cælestio & Juliano liberum arbitrium plus justo extollens, & hominem sine gratiæ Dei auxilio, proprio nisu, perfectum fieri posse asserens fidem Christi & Ecclesiæ turbat. Ejus hæresin sanctus Augustinus singulariter præ cæteris expugnat: & Papa Innocentius cum aliis Hæreticis condemnat.

414. Attalus Gothis auctoribus in Gallia tyrannidem invasit.

415. Gothi Hispanias petunt, quorum præsidio Attalus destitutus à Romanis captus est. Ataulfus Rex Gothorum à quodam sociorum vulneratus interiit, & pro eo Wallia regium nomen invasit. Hierosolymis corpora sanctorum Stephani protomartyris, Gamalielis, & Nicodemi Luciano presbytero divinitus revelata inveniuntur, & innumeris miraculis glorificantur.

416. Wallia Rex Gothorum pacem cupiens, filiam Ataulfi Placidiam fratri Honorio Augusto reddidit. Ejus nuptias Dux Constantius promeruit. Romæ Zosimus XLIII. Papa sedit annis 3. qui sua etiam ad Ecclesiæ statum decreta promulgavit.

417. Honorius Augustus Romam triumphans ingreditur, Attalo currum ejus præceden-

cedente, & postea in exilium misso. Quæstio & dissensio de hujus anni Pascha sub Zosimo Papa Romano. Constantius Fredibaldum Regem Wandalorum, sine bello, arte captum Honorio Imperatori misit.

418. Carthagini concilio Episcoporum 217. collecto, & à Zosimo Papa confirmato, Pelagius aliique Hæretici damnantur. Eclipsis solis 14. Kalend. Augusti facta, & cometa hinc usque ad mensem Septembrem visa. Pugna inter Gundericum Regem Wandalorum & Ermenricum Suevorum Regem facta.

419. Honorius Augustus Constantium Ducem in consortium imperii assumit. Romæ Bonifacius Papa XLIV. sedit annis 4. cum quo ab aliis Papa ordinatur Eulalius: Quo ab Augustis ejecto, Bonifacius in sede firmatur: sua etiam decreta constituit, & Ecclesiam sanctæ Fælicitatis & sancti Silvani in urbe construxit. Constantius Imperator cum Wallia Rege Gothorum pacem firmat, data ei cum aliquot urbibus ad inhabitandum Aquitania secunda.

420. Wallia Rege Gothorum mortuo Theodoricus successit. Bethlehem Hieronymus presbyter doctor & interpres incomparabilis scripturarum, anno ætatis 91. obiit. Alani à Gothis adeo cæde domiti, ut regio nomine neglecto, Gunderico Wandalorum Regi se tuendos submitterent.

421. Constantius Imperator Ravennæ moritur. Bellum inter Wandalos & Gothos oritur.

422. Exercitus contra Wandalos, Duce Castino, ad Hispanias Gothis auxilium mittitur, à quo offensus Bonifacius vir bellicosus secedens ad Africam se contulit. Wandali vero pene ad desperationem coacti, Castino incautè manum conserente victores effecti sunt.

423. Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa cum filio Valentiniano ad Theodosium Augustum in orientem proficitur. Romæ Cælestinus Papa XLV. sedit an. qui plurima in Ecclesia fecit statuta, & Basilicam Julii in urbe constitutam dedicavit. Honorius Occidentis Imperator Ravennæ moritur, & Joannes Tyrannus regnum ejus occupat. Theodosius Imperator Orientis post mortem Patrui sui Honorii regnat annis 26.

424. Theodosius Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Cæsarem faciens, ad regnum Occidentis cum matre possidendum remittit. Joannes Tyrannus Africam contra Bonifacium petiit.

425. Valentinianus cum matre Joannem Ravennæ extinctum oppressit: regnum Occidentis recepit: Castinum Joanni faventem exilio damnavit: Aëcio patricio, qui Hunnos reverti fecerat, veniam dedit.

426. Patroclus Arelatensis Episcopus à tribuno quodam barbaro innocens trucidatus est. Gundericus Rex Wandalorum Dei judicio percussus moritur, eique Geisericus tyrannus, Arrianusque hæreticus & Catholicorum crudelis persecutor successit.

427. Bonifacius in Africa pollens duces quosdam contra se dimicantes occidit; contra quem evocatis barbaris, mare ad id tempus ignotum, pervium efficitur: unde gens effera Wandalorum de Hispaniis exclusa à Gothis freto trajecto Africam invadens; gladio, præda, & igne miserabiliter debacchatur: interfecto postea Ermengario Rege Suevorum, postquam in Hispania 19. annis debacchati sunt.

428. Nestorius Episcopus Constantinopolitanus duas in Christo personas prædicans, hominemque purum ex Virgine natum divinitatem postea accepisse affirmans à Cyrillo Alexandrino Episcopo & Papa Cælestino hæreseos arguitur. Aëcius Comes Romanus multis Franchis cæsis, partem Galliarum quam pervasam tenuerant recepit.

429. Aëcius magister militum & patricius factus est.

Agricola Hæreticus Pelagianista Britanias suo inficit errore. unde sanctus Germanus Antisiodorensis Episcopis à Cælestino Papa illò missus, hæresin expugnavit plurimisque saluti fuit.

430. Sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus, Ecclesiæ Christi & Catholicæ fidei propugnator & defensor invictissimus, in civitate sua à barbaris obsessus, cum inter ipsas obsidionis angustias pro Ecclesia sollicitus, Juliani argutiis pro gratia Dei oppugnans respondisset, ipsa Dei gratia, ne ruinam suorum videret, subtractus 5. Calend. Septemb. migravit ad Dominum anno ætatis 76. Episcopatus verò seu presbyteratus 40.

431. Tertia Synodus universalis 200. Episcoporum apud Ephesum congregatur sub Cælestino Papa, ubi inter alias hæreses, Nestorius cum secta sua damnatur. Palladius ad Scotos Christo credentes à Cælestino Papa primus Episcopus mittitur.

SÆC. XI. ANNO 1054.

432. Romæ Xiftus Papa XLVI. fedit annis 8. qui accufatus à Baffo quodam, ventilata in fynodo caufa ab Epifcopis 56. purgatus, & Baffus damnatus eft. Bonifacius de Africa reverfus & magifter militum factus cum Aëcio pugnavit & vicit; & poft paucos dies morbo abfumptus eft. Aëcius vero inimicos fugiens, Dalmatias Pannoniafque petiit, & Hunorum auxilio gratiam Principum priftinamque dignitatem recepit.

433. Burgundiones Aëcio pugna victi funt hoc tempore. Xiftus Papa Ecclefiam fanctæ Mariæ, quæ Liberii dicebatur, & Ecclefiam fancti Laurentii in urbe conftruxit. Confeffionem fancti Petri itemque fancti Laurentii adornavit. Valentinianus quoque Auguftus Ecclefiis multa dona dedit & Confeffionem fancti Pauli conftruxit. Petrus etiam Epifcopus fanctæ Sabinæ Ecclefiam fecit.

434. Wandali jam nono anno Africam infeftantes pactum à Romanis poftulant.

435. Pax cum Wandalis facta, data eis ad inhabitandum Africæ portione. Aëcius Gundickarium Regem Burgundionum bello obtinuit, fupplicantique pacem conceffit: qua tum non diu potitus à Hunis cum gente fua peremptus eft.

436. Gothi pacem turbantes inter alia mala Narbonam obfeffam fame premunt: fed Littorius Dux Romanus fuperveniens & hoftes vi repulit & civitatem advecto frumento fame liberavit.

437. Bellum à Romanis contra Gothos, Hunis auxiliatoribus, geritur. Geifericus Rex Wandalorum Arianus Catholicos in Africa perfequens, quofdam Ecclefiis fuis pepulit, quofdam exilio damnavit, quofdam etiam variis pœnis affectos martyrio coronavit. Barbari piraticam exercere aggreffi. Valentinianus Auguftus ad Theodofium Auguftum avunculi fui filium Conftantinopolim veniens, filiam ejus accepit uxorem. Ermenricus Rex Suevorum morbo oppreffus Richilam filium pro fe Regem conftituit.

438. Gothi Richilam Regem Suevorum pugna victum thefauris fpoliaverunt.

439. Julianus Atelenenfis Epifcopus, Pelagianifta jactantiffimus Ecclefiæ communioni furrepere tentans, à Xifto Papa denuo damnatur. Romani Hunis auxiliatoribus adverfum Gothos & Regem Theodoricum infaufta pugna confligunt in Gallia; & Littorius Dux Romanus vulneratur, & poft ab eis capitur & occiditur. Quibus tamen non multo poft fuppliciter petentibus, pax cum eis à Romanis pacta eft. Ipfo anno Aëcio & Romanis contra Gothos intento, Geifericus Rex Wandalorum, qui fidus & amicus Romani populi putabatur, dolo fub fpecie pacis 14. Calend. Novemb. Carthaginem cepit, cives & maximè nobiles trucidavit, opes omnes diripuit; facerdotibus cæfis & pulfis Ecclefias in ufus fuorum vertit, omniaque divina & humana jura confudit, ibique 37. anno regnum obtinuit, fub quo plurimi fanctorum martyrio ob fidem Catholicam coronati funt.

440. Romæ defuncto Xifto Leo vir doctrina infignis & moribus Papa XLVII. fedit annos 22. Qui plurima ad utilitatem Ecclefiæ fublimiter fcripfit & conftituit, Eutychianam & Neftorianam hærefes condemnavit: cujus tempore Demetrias ancilla Chrifti Romæ S. Stephani Ecclefiam fecit. Geifericus Siciliam pervafam graviter affligens, timore Ducis ad Carthaginem tuendam rediit. Richila Rex Suevorum Bœthicam provinciam, & Carthaginem Hifpaniam cepit.

441. Theodofius Imperator contra Geifericum & Wandalos per Duces fuos bellum movet; fed ipfi negotium cunctando differentes Siciliæ magis oneri quàm præfidio fuere.

442. Hunnis Thracias & Illyricum fæva populatione vaftantibus, exercitus contra Wandalos miffus ad tuitionem Orientalium revocatur. Valentinianus Imperator cum Geiferico Rege Wandalorum pacem firmat. Africa inter utrumque certis fpatiis divifa.

443. Sanctus Brictius Turonorum Epifcopus deceffit, cui Euftochius fucceffit. Leo Papa multos Manichæos in urbe inveniens publicavit & libros eorum incendit.

444. Attila Rex Hunorum Bledlam Regem fratrem fuum regnique confortem interemit, & ejus regnum populumque fibi fubjecit. De hujus anni Pafcha Proterius & Pafchafius Leoni Papæ fcribunt.

445. His temporibus Leo Papa inter alia bona Bafilicas Apoftolorum Petri & Pauli renovavit, & Ecclefiam S. Cornelii Papæ & martyris via Apia conftruxit.

446. Britanni ab Aëtio & Romanis contra Scotos & Pictos auxilium implorant nec impetrant. Apud Ephefum feptem dormientes, qui fub Decio multa pro Chrifto tormenta paffi, in fpelunca quadam obdormierunt, poft annos 196. expergefacti funt, & confirmata fide refurrectionis mortuorum iterum obdormierunt.

447. E-

447. Euthices presbyter & Abbas Constantinopolitanus, confusa in Christo divinitatis & humanitatis substantia, unam in eo naturam dogmatizans, annitente Theodosio & Dioscoro Alexandrino Episcopo, resistentem sibi Flavianum Constantinopolitanum Archiepiscopum expulsum, usque ad mortem persequuntur. contra quam hæresin Leo Papa legatos misit. Richila Rex Suevorum moritur, eique Richarius filius successit.

448. Theodosius Imperator Leonem Papam pro defensione Euthicetis vocat, qui à Populo Romano venire prohibitus, legatos pro se misit. Richarius Rex Suevorum ducta in conjugium Theodori Regis Gothorum filia, Wasconiam devastavit. Hoc tempore Angli-Saxones à Britannis contra Pictos & Scotos auxilio asciti insulam petunt, & hostibus fugatis in socios arma convertunt; & post multa bella magna ex parte insula subacta potiti sunt.

449. Iterum Catholici ab Imperatore Theodosio ad audientiam evocati. Attila Rex Hunorum Gallias aliasque circum provincias vastat, & arte Aëtii magno inter eum & Gothos prælio concitato, Theodorus Rex Gothorum cecidit eique Thorismod filius ejus successit.

450. Leo Papa legatos ad confutandam hæresin mittere curavit. Theodosius Imperator moritur, & à Placidia Augusta & Leone totoque senatu, ingenti pompa deductus in Mausoleo apud S. Petrum sepelitur. pro quo Martianus Orientis imperium adeptus & 7. annis regnans Euthicetem cum suis damnavit sequentibus. Placidia Augusta moritur. Romani Aëtio Duce Gothis auxiliatoribus contra Attilam Regem Hunnorum grandi utrinque cæde pugnantes, in campo Catalaunico acie victum in superiorem Galliam fugere compellunt: Qui in regnum timidè reversus non multo post arma commovit in Italiam.

451. Attila recollectis viribus Aquileiam vi magna diu obsessam cepit, & circumquaque prædis & cædibus furibundus bacchatur. Ad quem Valentinianus Imperator Leonem Papam mittens pacem cum eo fecit, exercitusque ejus fame, peste, morbo, cædibus insuper ab Aëtio attritus eum reverti fecit.

452. Attila Rex Hunorum in ædibus suis moritur. Thorismodo Regi Gothorum perempto, Theodoricus frater successit. Hoc tempore quarta Synodus universalis 630. Episcoporum Calcedone contra Euticem & omnes hæreticos congregatur.

453. Valentinianus Imperator in palatio Aëcium patricium, qui multa pro populo Romano laboraverat, manu sua fraudulenter occidit, & à circumstantibus Boëtius ejus amicus interemptus est.

454. Valentinianus Imperator in campo Martio ab amicis Ecii peremptus interiit, pro quo Maximus invadens imperium infra duos menses à militibus interemptus & in Tyberim projectus est, post quem Avitus in Galliis auxiliis fidens Gothorum item imperium arripuit. Ipso anno Geisericus Rex Wandalorum de Africa trajiciens, Romam, quæ sine Imperatore erat, invasit, eamque opibus cunctis expoliavit.

Huc usque Prosper chronicam suam produxit.

455. Richario Rege Suevorum in Hispaniis vastationibus instante, consilio Aviti Theodoricus Rex Gothorum contra eum veniens inita pugna graviter cæde protrivit vulneratumque fugavit, & postea captum occidit; vastataque impie & crudeliter Hispania & ipsa quam possederat provincia, Suevos sibi subjugavit. Avitus Gothorum auxilio destitutus, jubente Martiano Augusto, Placentiæ imperium deposuit. Hoc tempore apud Francos mortuo Meroveo Rege filius ejus Hildericus regnavit annos 24. Qui ob luxuriam regno pulsus in Turingiam fugit: sed astu Viomadi amici revocatus est.

456. Ab hoc anno Victorius Paschales ciclos inchoat, jubente Papa Hilario. Martiano Imperatore defuncto in Oriente, Leo Imperator annis 17. Romæque Majorianus Imperator annis 4. regnavere.

457. Theodoricus Rex Gothorum multis in Hispania Ecclesiis & civitatibus vastatis Emeritam obsidet urbem. Suevi Maldram sibi statuunt Regem. Majorianus Imperator contra Wandalos in Africam movet procinctum. Theodoricus nunciis territus, relicta Emerita, Gallias repetit, & pace fucata, cæde furens Ecclesias, urbes, villas vastavit & incendit. Suevi Galliciam & Gothi Boëthicam provincias vastant.

458.

459. Item Suevorum alii cum Maldra Rege Lusitaniam, alii cum Richmundo Galliciam deprædantur. Veruli Boëthicam invadunt. Majorianus Imperator facta cum Theodorico & Gothis pace contra Wandalos & Suevos suo eos ascivit auxilio.

460. Maldras Rex Suevorum occiditur. Suevi à Gothis prædati pacem postulant.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Majorianus Imperator Hispanias petens contra Wandalos paravit classem: Quæ tamen ab ipsis invasa & direpta est. Rursum cùm ad Africam contra eos trajicere moliretur, Geisericus territus pacem postulat. Majorianus Romam reversus, cum R. P. disponeret, fraude Richimeris Patricii, Suevorum, ut ajunt, consilio peremptus est.

461. Severus Ravennæ à Richimere Imperator effectus, 4. annis regnavit. Attabenus in Gallia Comes Theodorico Regi Gothorum confœderatus, Narbonam ei tradidit. Turonis beatus Perpetuus Episcopus factus est; qui Basilica beati Martini adaucta, corporis ejus translationem fecit. In Gallicia villæ, homines, & greges mirum in modum fulmine tacti comburuntur: & duo juvenes concretis in unum adustione cadaveribus inveniuntur.

462. Roma Hilarius Papa XLVIII. sedit an. VI. mensibus III. Qui pro statu Ecclesiæ nonnulla decrevit & constituit, hæreses Euthycianam & Nestorianam damnavit, & multis metallis plures in urbe Basilicas ornavit, oratoriaque construxit, Monasterium S. Laurentii ad Balneas fecit, itemque aliud ad Lunam: & duas bibliothecas in urbe condidit.

463. Rex Alanorum Beorgor Italiam petens apud Pergamum à Richmere patricio pugna victus interiit.

464. Severus Imperator fraude, ut ajunt Richmeris, in palatio veneno interiit. Wandali per Marcellinum in Sicilia victi cæsique sunt & fugati.

465.

466. Leo Imperator Anthemium de Constantinopoli ad regendum Occidentis imperium Romam misit, quo suscepto regnavit annos 6.

467. Marcellinus in Sicilia occiditur. Tolosæ ubi sedes regni Gothorum erat, in medio civitatis sanguis è terra prorumpens tota die una fluxit.

468. Arabundus imperium tentans, jussu Anthemii Imperatoris, exilio deportatur. Romæ Simplicius Papa XLIX. sedit annis 15. mensibus 3. Qui Basilicam S. Stephani in Celio monte dedicavit. Item Basilicam S. Andreæ juxta sanctam Mariam construxit. Item Basilicam sancti Stephani juxta sanctum Laurentium. Item Basilicam sanctæ Fabianæ juxta palatium Licinianum.

469. Romanus Patritius imperium affectans capitaliter punitus est.

470. Constantinopoli Aspar affectata tyrannide à Leone Imperatore occidi jussus est. In Gallia sanctus Remigius antequam nasceretur cælitus prænunciatus est. A cella, in quam se adolescentulus, Deo militans incluserat, vi abstractus Remorum Archiepiscopus ordinatur.

471. Romæ Richmer patricius Olybrium faciens Imperatorem, Anthemium Imperatorem, contra jus affinitatis & imperii, cum gravi clade urbis occidit. sed non diu scelere lætatus ipse 40. post die, & Olybrius 7. mense vitam exegerant.

472. Gundebaldo hortante Glycerius Ravennæ sumpsit imperium. Constantinopoli Leo Imperator Leonem nepotem suum imperii consortem fecit.

473. Constantinopoli Leo senior Imperator obiit: post quem Leo junior paucis mensibus regnans, & ipse decessit, & post hunc Zeno Imperator factus regnavit annis 17. Romæ quoque Glycerio nepos in imperio successit.

474. Romæ Orestes patricius nepotem Imperatore in Dalmatias fugato, filium suum Augustulum Imperatorem constituit.

475. Odoacer Rex Torcilingorum & Rugorum, cum multis barbarorum auxiliis pervasa Italia, Romam obtinuit anno à conditione ejus 1230. Orestem & Paulum patricios occidit. Augustulum Imperatorem exilio damnavit, & pro eo Regis nomen arripuit, cum tamen nec purpura nec regni insignibus uteretur.

476. Odoacer possessa Roma maximam Italiæ partem sibi subjugavit.

477. Geisericus Rex Wandalorum post 37. & paulo plus invasæ Carthaginis annos, tandem moriens tyrannidi suæ finem fecit. Post quem non melior filius Hunericus regnavit annos ferè 8.

478. Hujus tempore Zenonis Imperatoris, corpus Barnabæ Apostoli, & Evangelium Matthæi Evangelistæ, stilo ipsius scriptum, ipso revelante, inventum est.

479. His temporibus Simplicius Papa Petrum Alexandrinum Episcopum hæreticum Euticianum ab Acatio Constantinopolitano accusatum damnat.

480. Hoc tempore mortuo Hilderico Rege Francorum, Ludovicus filius ejus, quem Clodoveum dicunt, regnavit annis 30.

481. Odoacer Romæ regnans in Dalmatia Odiciam Regem vicit & peremit.

482. Theodoricus Theodmari filius Rex Ostrogothorum, vel qui olim remanserant in Italia Gothorum, Zenoni Augusto familiaris effectus cum suis ei Gothis militavit.

483. Zeno

483. Zeno Augustus Theodoricum hujus anni Consulem & magistrum militum fecit. Romæ Felix III. Papa L. sedit annis ferè 9. qui Basilicam beati Agapiti juxta sanctum Laurentium construxit. Cirola Arrianus Episcopus in Africa adversus Eugenium Carthaginensem Archiepiscopum aliosque Catholicos miraculis claros, zelo ductus quendam è suis pecunia correptum cæcitatem simulare jussit, ut eum coram Rege se invocantem, quasi per fidem suam illuminaret: cui cum coram omnibus manus imposuisset, vera mox divinitus cæcitate percussus dolum aperuit, conversusque à sanctis Episcopis Eugenio, Vindemiale & Longuvino rursum illuminari promeruit. Ab hoc Cirola Hunericus Rex instigatus Catholicos persequitur, & plurimis martyrio coronatis ipsum Eugenium cum 324. Episcopis exilio relegavit & Catholicas Ecclesias clausit. SÆC. XI. ANNO 1054.

484. Hunericus Rex Wandalorum divinitus percussus, scatens vermibus, expiravit Post quem fratris ejus filius Gundamundus regnavit annis ferè 12. qui non multò post Eugenium Episcopum revocavit. Ludowicus Rex Francorum juvante Caganhario cognato suo, Siagrum Regem Galliæ Egidii filium, bello victum, ad Alaricum Regem Gothorum fugere compulit, sibique redditum occidit & totum regnum illius ac thesauros sibi subjecit.

485. Hoc tempore Achacius Constantinopolitanus hæresi favens, Petrum Alexandrinum revocat: quo audito Felix Papa utrumque cum sequacibus erroris condemnat.

486. Odoacer Fœbam, qui & Feletheus, Regem Rugorum vicit & apprehendit.

487. Gundamundus Rex Wandalorum Carthagini Ecclesiam sancti Agilei Catholicis reddidit, petente sancto Eugenio Episcopo.

488. Theodoricus Rex Ostro Gothorum, permissu Zenonis Augusti, Italiam petiit, cui apud Isoncium Odoacer occurrens bello conflixit, & victus aufugit; & iterum recollectis viribus Veronæ acie congressus, denuo victus & fugatus est.

489. Theodoricus ad fluvium Adduam Odoacrum tertio certamine vicit, fugientemque apud Ravennam obsedit. Ludowicus Rex Francorum Turingos petens gravi eos cæde prostravit: ipsos cum terra eorum sibi subjecit.

490. Odoacer noctu à Ravenna cum Berulis egressus, collectis viribus, quarto cum Theodorico conflixit, & itidem victus captusque ab eo est. Ipso anno Gundamundus Rex Wandalorum pacem cum Romanis fecit. Constantinopoli Zeno moritur Imperator: post quem Anastasius imperium Orientis 28. annis tenuit. Hoc tempore Ludowicus Rex Francorum, intercurrente Aureliano legato suo, de Burgundia Bruodhildem uxorem Christianam accepit, filiam scilicet Hilperici, quem frater suus Gundobaldus cum uxore & filiis trucidaverat.

491. Romæ defuncto Felice Papa concilium à presbyteris & diaconis actum.

492. Theodoricus Ravennæ Odoacrum insidias sibi molientem peremit, ac ipse Occidentis imperium 30. annis obtinuit. Romæ Gelasius Papa LI. sedit annis 4. mensibus 7. vir doctus & pius, qui pro Ecclesiæ statu nonnulla decreta fecit: multa sublimiter scripsit: hæreticos damnavit: clerum Romanum auxit: pauperes dilexit: ipse dedicavit Ecclesiam sanctæ Eufemiæ Tiburtina urbe aliasque Basilicas sanctorum Nicandri, Eleutherii & sancti Andreæ via Lavicana: fecit etiam Basilicam sanctæ Mariæ via Laurentina.

493. His temporibus in Africa beatus Fulgentius Episcopus, qui Ruspensem 26. annis rexit Ecclesiam, doctrina & actibus clarus effulsit: qui etiam ipse plurima inter alios Catholicos mala & exilia perpessus. Hac etiam tempestate Ludowicus Rex Francorum Gallias usque Sequanam & deinde usque Ligerum fluvios suo regno subegit. Hunc multa instantia Bruodhildis uxor sua ad fidem Christi cohortatur. Gundamundus Rex Wandalorum, persuadente Eugenio Episcopo, tandem post 10. annos omnes catholicos Episcopos de exilio revocavit, & diu clausas Ecclesias, pace reddita, aperuit. Ludowicus Rex Francorum contra Alamannos pugnans, cùm exercitus ejus periclitaretur, Deum cæli invocans & suam fidem Christo vovens, ipso juvante, Alamannos subjugavit.

494.

495. Ludowicus Rex Francorum seu Clodoveus, instante Bruodhilde conjuge sua, à sancto Remigio Remensi Archiepiscopo fide Christi imbutus cum gente sua baptizatur.

496. Gundamundo Rege Wandalorum defuncto, Trasamundus 26. paulo plus annis regnat pro eo. Qui item Catholicis infestus Ecclesias post aliquot annos clausit, &

SÆC. XI. ANNO 1054.

& inter alios persecutionis labores 240. Episcopos exilio in Sardinia & aliis insulis afflixit.

497. Boëtius patricius & consul multa his temporibus ingenii sui in seculari philosophia excellenter edidit: Romæ Anastasius Papa LII. sedit annis fere 2. hic Confessionem sancti Laurentii exornavit. Et quia quibusdam communionem clam reddere velle videbatur, quidam se ab ejus communione sequestrant.

498. Isauri occiso Lilingo duce suo, ab Anastasio Imperatore victi trucidati sunt. Hoc tempore Ludowicus Rex Francorum Gundebadum & Godegiselum, fratres Burgondionum Reges, pugna & fugavit, & Gundebadum Avennione obsessum tributarium fecit, & cum magna præda rediit.

499. Theodoricus Rex Romæ & alibi multa per hæc tempora mirifica construxit ædificia. Romæ Symmachus Papa LIII. sedit annis 15. mensib. fere 8. cum quo simul per nimiam dissensionem ordinatus est Laurentius: & magna Romæ inter clerum & populum discordia facta; donec judicio Theodorici Regis & majoris multitudinis, Symmachus in sede confirmaretur.

500. Symmachus Papa Romæ Synodo acta inter alia Laurentium æmulum suum Nuceriæ Episcopum constituit.

501. Theodoricus Rex aquæ ductum Ravennæ fecit. His temporibus Sanctus Mamertus Viennensis Archiepiscopus virtutibus claruit, qui propter luporum & ursorum immanitatem, aliasque plagas, triduanas ante Ascensionem Domini Litanias primus instituens, Domini misericordiam plagarumque cessationem promeruit.

502. Theodorus Rex victis Vulgaris, Sirmium regno Italiæ restituit.

503. Quidam ex Romanis Symmachum falso criminantes, & apud Regem accusantes, Laurentiumque revocantes, magnum Schisma fecerunt: Et Petrus Altinæ urbis Episcopus, permissu Theodorici, Sedem Apostolicam invasit.

504. Synodo CXV. Episcoporum collecta, beatus Papa Symmachus de illatis purgatur, & sedi suæ cum gloria restituitur, & pervasores sedis ejus Laurentius Nucerinus, & Petrus Altinas condemnantur. Ludowicus Rex Francorum per suffragia sancti Petri sanctique Martini & aliorum sanctorum divinum implorans auxilium Gothos petiit, eosque juxta Pictavis urbem in campo Voglensi pugna vicit, & Regem eorum Alaricum, qui jam 22. annis regnabat, occidit regnumque ejus, quod in Galliis habebat ac thesauros accepit. Almaricus vero filius Alarici fugiens, regnum patris sui in Hispaniis recepit.

505. Ludovicus Rex Francorum Parisiis beati Petri Basilicam ædificat.

506. Hoc tempore Ludovicus Rex Francorum Ragneharium, cognatum suum regnique participem, ignavum & luxuriosum, à suis proditum, bello fugavit, victum & comprehensum sua manu cum fratre Richario occidit, & ejus sibi populum subjecit. Theodoricus Rex Italiæ contra Francos in Galliam exercitum misit.

507. His temporibus Romæ iterum dissensione contra Symmachum Papam & Ecclesiam orta, nonnulli ex parte ejus fustibus & diversis plagis afflicti, nonnulli trucidati & necati; & multa indigna & nefaria contra Ecclesiam & religionem commissa sunt.

508. Hoc anno Romæ Boëthius vir eruditissimus Consulatum administravit.

509. Ludovicus, qui & Clodoveus magnus Francorum Rex, post multas victorias totam pæne Galliam possidens, Parisiis, ubi regni sedem instituit, moritur, & in Basilica sancti Petri a se constructa sepelitur anno regni 30. post transitum sancti Martini, ut in gestis Francorum habetur, anno 112. post quem quatuor filii ejus, diviso regno, Theodoricus Mettis sedem habens 23. cum strenuo filio suo Theodeberto regnavit; Chlodomeris, Aurelianis; Hildebertus, Parisiis; & quartus Lotarius Suessionis sedem statuens, an. 51. regnavit. Horum soror Hrodhildis, æquivoca matris & æquè religiosa, Almarico Regi Gothorum Arriano in Hispaniis nupsit, materque vidua apud sanctum Martinum Turonis in orationibus & eleemosynis permansit.

510. His temporibus Symmachus Papa inter alia bona Manichæos in urbe inventos damnavit. Ecclesiam S. Andreæ ad S. Petrum construxit. Oratorium sancti Thomæ, Confessionem sancti Cassiani, itemque sanctorum Proti & Jacincti, Oratorium sancti Apollinaris, itemque sancti Sossii, item sanctæ *Crucis*, item sancti Joannis Baptistæ, item sancti Joannis Evangelistæ. Basilicam sancti Petri & porticum marmore stravit & multis modis ornavit. Xenodochia instituit, & singulis annis Catholicos à Trasamundo Rege Wandalorum Arriano per exilia dispersos alimonia & vestibus juvit. Construxit etiam Basilicam sanctæ Agathæ, via Aurelia, item sancti Sylvestri, item

item sancti Martini, item sancti Cosmæ & Damiani, & alias nonnullas struxit, renovavit, & ornavit. SÆC. XI.

511. Hoc tempore Reges Francorum Chlodomeris, Hildebertus, & Lodharius Burgundionum Reges Sigismundum & Gotdmarum petunt, & pugna victos fugant. E quibus Sigismundus Rex religiosus ad sanctos Agaunenses confugiens, insequente Clodomere ibidem captus, & Aurelianis in carcerem missus, una cum uxore & filiis trucidatus est: & secuto tempore Clodomeris iterum Burgundiones petens pugna fugavit, & ipse inter hostes equo delatus ab ipsis jugulatur; & Burgundia à Francis subjugatur. ANNO 1054.

512. Almaricus Rex Gothorum in Hispaniis Arrianus Hrodhildem uxorem suam Catholicam multis modis afflixit. Qui postea à fratre ejus Hildeberto pugna victus est, & peremptus & pro eo Theuda regnavit.

513. Cassiodorus hujus anni Consul fuit, qui postea conversus & monachus factus, Cœnobium construxit & in seculari divinaque literatura clarus effulsit. Psalmos exposuit, libros institutionum & chronica fecit. Romæ tandem dissensione cessante inter clerum & populum, optata rediit concordia: & Symmachus Papa beatus obiit.

514. Theodoricus Rex Italiæ filiam suam Amalsuindam Eutharico Ciliciæ in matrimonium junxit. Romæ Ormisda Papa LIV. sedit annos 9. qui inter alia bona Euthicianos itemque Manichæos damnavit: clerum erudivit, Basilicas adornavit.

515. Hoc tempore Vitalianus quidam servus, dignitatibus elatus, Anastasio Imperatori rebellat, & Scythis adjunctis, crebris præliis milites ejus victos fugans, magno Romano populo dedecori & detrimento fuit.

516. His temporibus Ormisda Papa pro fide catholica ad Imperatorem Anastasium Constantinopolim Legatos mittens, & nihil proficiens, alios itidem cum epistolis legatos mittit: Quos cùm Anastasius corrumpere non posset, deputavit exilio: & inter alia domno Papæ rescripsit dicens: Nos jubere volumus, non juberi.

517. His temporibus Rex Francorum Danos se invadentes per filium Theodobertum una cum rege suo ad internecionem delevit.

518. Anastasius Imperator cùm Hæresi Euthicetis favisset & Catholicos persequeretur, fulmine ictus interiit, major octogenario: pro quo Justinus Imperator catholicus Constantinopoli regnavit an. 8. qui nonnullos imperio inhiantes & cum Vitaliano tyranno pace prius facta, eundem postea peremit.

519. Justinus Imperator Augustus Legatos apostolicæ sedis ab Ormisda Papa Constantinopolim pro fide missos summo honore suscepit, eisque in damnatione hæreseos per omnia consentaneus plurima per eos donaria Romam misit.

520. Hac tempestate Theodoricus Rex Francorum cum filio Theodeberto Thuringos petens, immensa eos cæde protrivit, & Ermensfridum Regem eorum fugavit; quem postea fide data ad se venientem suscipiens, è muro præcipitavit, & filios occidi fecit.

521. Justinus Augustus hæreticis infestus Arrianos etiam Constantinopoli persequitur. Unde iratus Theodoricus Rex Italiæ Arrianus exitium in Italia Catholicis minatur.

522. In Africa mortuo tandem Trasamundo Rege Wandalorum Arriano, Heldericus pro eo regnavit an. 8. qui statim in principio regni Ecclesias diu clausas aperuit & omnes Catholicos de exiliis revocare studuit & optatam Ecclesiæ pacem restituit.

523. Romæ Joannes Papa LV. sedit annos 2. menses 9. qui cœmeteria in urbe restaurans & aliis bonis instans à Theodorico Constantinopolim Legatus mittitur, & summo honore & gaudio à Justino Augusto & cunctis civibus susceptus ad portam, quæ dicitur aurea, cæcum illuminat: & coronato à se Augusto Justino, & pro quibus venerat impetratis, donariis & muneribus donatus revertitur.

524. Theodoricus Rex Gothorum & tyrannus Romanorum inter alia mala Boëtium Patricium & philosophum diu carceratum occidit, nec post multum tempus socerum ejus Symmachum patricium itidem peremit, Joannemque Papam beatum de Constantinopoli revertentem Ravennæ una cum comitibus carceris afflictione necavit 15. Calend Junii: qui non multo post Romam relatus apud sanctum Petrum sepultus est.

525. Theodoricus tyrannus post 7. menses ab obitu Papæ Joannis post multa mala sua, Dei judicio subita morte Ravennæ interiit; & sicut solitario cuidam revelatum est, à Joanne Papa & Symmacho patricio in ollam Vulcani conjectus est, anno regni

Italici

Italici 32. post quem nepos ejus Athalaricus puer cum matre sua Amalsuinda regnavit an. 8. Romæ Felix IV. Papa LVI. sedit annos 4. mens. 2. qui fecit Basilicam sanctorum Cosmæ & Damiani via sacra, & beati Saturnini via salaria.

526. Constantinopoli Justinus Imperator Justinianum regni consortem & successorem faciens, obiit: pro quo Justinianus ex sorore nepos ejus imperavit an. 38. multa pietate & prudentia conspicuus, nisi in quibusdam hæreticis savisset.

527. Justinianus Augustus Belesarium amicum suum principem militiæ fecit, per quem & de Parthis triumphavit, & magna ex parte R. P. recuperavit. Gens Winilorum sive Longobardorum Rege Odwino Pannoniam invasit ibique habitare cœpit.

528. His temporibus beatus Abbas Benedictus immensa virtutum gloria claruit. Priscianus quoque Grammaticus.

529. Exercitus Romanus sabbato Paschæ à Parthis superatur.

530. In Africa occiso malè Helderico Rege Wandalorum Catholico, Geilamer regnum invadens, tanta feritate in Catholicos & in omnes debacchatur, ut nec parentibus suis parceret. Romæ Bonifacius II. Papa LVII. sedit annis 11. mense ferme uno: cum quo per dissensionem ordinatus est Dioscorus, & paucis post diebus mortuus: Quem tamen Bonifacius collecta Synodo damnare molitus est.

531. Bonifacius Papa Vigilium Diaconum in Synodo post se Papam eligi sub chirographo decrevit; quod tamen postea rescindens, quòd contra Canones erat, combussit. Ipse in periculo famis clerum & pauperes alimonia juvit.

532. Ab hoc anno scilicet Justiniani Imperatoris 6. Dionysius Romanus Abbas utriusque linguæ peritissimus, ciclum magnum Paschalem inchoat: qui jam semel ab Incarnatione Domini in annis 532. exactus, totidem ipse annos continet. Incipit autem à primo Diocletiani anno, unde Græci ciclos suos inchoabant ciclis decennovenalibus 13. exactis, id est, an. 242. Romæ Joannes II. qui & Mercurius, Papa LIIX. sedit an. 2. mensibus 4. Ad hunc Justinianus Augustus de fide sua litteras & donaria sancto Petro transmisit. Theodoricus Rex Francorum anno Regni 23. moritur, & Mettis sepelitur, pro quo filius ejus Theodobertus regnavit an. 14.

533. Romæ mortuo Atalarico Rege Gothorum Amalsuinda Theodatum in consortium regni assumit, qui ipsam non multo post occidi jussit, & regnum sibi soli usurpavit.

534. Belesarius patricius à Justiniano Imperatore missus Wandalorum gentem in Africa bello victam delevit: Geilamerum Regem eorum captum Constantinopolim abduxit & Carthaginensibus Rempub. restituit post annos 94. ex quo à Geiserico capta est. Geilamer quoque post aliquot annos à Justiniano Augusto Comes effectus & in terminos Parthorum ad eos arcendos constitutus est.

535. Romæ Agapitus Papa LIX. sedit anno fere uno. Hic à Theodato Tyranno pro gratia Justiniani Augusti propter occisam Amalsuindam sibi infensi Constantinopolim missus constanter cum Augusto pro fide Christi decertavit. Anthemium ejusdem urbis Episcopum hæreticum convictum damnavit, & in locum ejus, favente Augusto, ordinavit Mœnam; ipseque ibidem morbo tactus obiit, & in loculo plumbeo Romam relatus ad sanctum Petrum sepultus est.

536. Romæ Silverius Hormisdæ Papæ dudum filius, contra voluntatem Cleri à Theodato tyranno pecunica corrupto, LX. Papa violenter promotus sedit an. 1. mensib. 5. Theodatus tyrannus abhinc post 2. menses à Wittigiso peremtus & Witigis Rex Gothorum factus est. Belesarius Patritius à Justiniano Augusto in Italiam contra Gothos missus per Siciliam transiens & Fuderat Ducem ejus vincens Africamque de tyrannis ejus eruens Neapolim transfretavit, ipsamque urbem sibi resistentem obsessam vi cœpit, & tam cives quàm Gothos nulli parcens trucidavit. Inde cum Romam ingressus esset, Gothi omnes, qui ibi fuerant, nocte egressi Ravennam fugientes petierunt, quos insecutus conserto prælio 7000. ex eis occidit. Witigis vero collecto grandi exercitu Belesarium urbemque Romam uno anno obsedit, omniaque circum devastans, urbem bello fameque graviter oppressit: postea vero egresso Belesario pugna commissa victus Ravennam aufugit. Fames tanta facta est, ut in Liguria quædam mulieres parvulos suos comederent.

537. Sylverius Papa cum in restitutione Anthemii & communione hæreticorum Augustis nollet parcere, jussu ipsorum a Belesario patricio falsò criminatus, & secreto positus, monachique habitu indutus, indictione 15. à Vigilio diacono exilio afflictus & deficiens 12. Calend. Julii post obitum etiam miraculis claruit, ipseque Vigilius Papa LXI. ordinatus, sedit annos 17. menses 7. Ipsis diebus Belesarius Theodobertum Regem Francorum cum grandi exercitu Italiam ingressum vicit, & inde reverti coëgit. Ipse Romæ S. Petro dona obtulit.

538. Be-

538. Belesarius patricius commissa cum Gothis pugna, iterum victor, Wittigisum Regem eorum in ipsa fuga à Joanne sanguinario magistro militum comprehensum, & Romam adductum, ipse & Vigilius Papa Constantinopolim cum uxore & thesauris ad Justinianum Augustum perducunt. à quo patricius & Comes factus in oriente contra Parthorum seu Persarum excursiones constitutus ibidem vitam finivit. Gothi in Liguria manentes Hellebadum sibi Regem elevant, iterumque Romanis rebellant. SAEC. XI. ANNO 1054.

539. Parthi rupta pace Antiochiam totamque Syriam invadentes devastant, donec à Belesario tandem repulsi ad terminos suos rediere. Posteaque à Martino Duce pax cum eis facta est, Belesario ad Italiam contra Totilam revocato. Gothi Hellebado post primo anno perempto Errarium Regem faciunt.

540. In Italia occiso post 1. annum Errario Rege Gothi Totilam qui Baduila dictus est, Regem sibi statuunt; qui successibus bellorum fretus, Romanum exercitum Ducesque aliquoties superavit, & per multos annos Italiam totam ipsamque urbem Romam captam pluribus malis attrivit & vastavit.

541. Totila per hæc tempora apud Faventinum Æmiliæ oppidum Romanum exercitum superat; nec multo post iterum Romanos Duces fugans partim vi partim donis exercitum sibi consociat & tyrannidi instans ipsam etiam Romam & Campaniam vastat.

542. Hujus Justiniani temporibus corpus sancti Antonii monachi divinitus revelatum, ad Alexandriam translatum, in Ecclesia S. Joannis Baptistæ tumulatum. Hoc etiam tempore VI. Synodus universalis Constantinopoli contra Theodorum & omnes hæreticos sub Vigilio Papa collecta est.

543. Per hæc tempora cum Belesarius à Parthorum finibus ad auxilium Italiæ revocatus & diu impeditus, tandem cum classe Romam jam pæne vastatam ingressus esset, Totilæ superirruentem exercitum commisso prælio fudit, & in Tiberi mersit ipsumque in Campaniam repulit. Hoc tempore Benedictus Abbas cum discipulum suum Maurum ad Gallias transmisisset, migravit ipse post multas virtutes ad Dominum.

544. Sanctus Remigius Remorum Archiepiscopus & gentis Francorum Apostolus anno Episcopatus 74. idibus Januarii plenus virtutibus migravit ad Dominum. Arator Subdiaconus Romanus librum suum, quem de Actibus Apostolorum heroico metro edidit, Vigilio Papæ oblatum publice cum magno fervore recitavit.

545. Hoc tempore cum Belesarius à Sicilia jussu Augusti Constantinopolim revocatus esset, Totila jam securus iterum Romam invasit, & secuto tempore collectis viribus Siciliam etiam invasam cepit, totamque Romanis, qui diversis occasionibus subducti erant, devastat Italiam.

546. Theodebertus Rex Francorum strenuus & fortis moritur & filius Theodbaldus multum patre nequior & ignavior pro eo regnavit ann. 7.

547. His temporibus Vigilius Papa cum ad consensum hæreseos & restitutionem Anthemii Episcopi nullatenus adduci posset, jussu imperiali Romæ vi captus & Constantinopolim perductus, cum Comitibus affectus & exilio adductus, & per annos aliquot graviter afflictus est.

548. Per hæc tempora Justinianus Augustus inter magnifica Basilicam Salvatoris, quæ Agiæ Sophiæ dicitur, incomparabili opere construxit: ipse leges Romanas infinitas abbreviatas collegit & leges, quæ Justinianæ dicuntur, composuit.

549. Hoc tempore gens Gepidorum à Rege Albuino & Longobardis, qui in Pannonia tunc habitabant, prælio victa & pæne deleta est. Et Chunimundus Rex eorum occisus est, de cujus capite auro incluso Alboni sibi Praolam fecit, filiamque ejus Rosmodam inter alios multos captivam, postea defuncta conjuge, Lodharii Regis Francorum filia, in sui perniciem duxit uxorem.

550. Victor Episcopus Capuanus de hujus anni Pascha scribens, erroneos Victorii ciclos arguit. Hoc tempore Totila Rex Gothorum iterum Romam obsessam & fame nimis oppressam cepit: & quibusdam senatoribus Constantinopolim fugientibus Severus urbem possedit.

Hucusque Jordanis Episcopus Chronica sua de gestis Romanorum abbreviata perduxit.

551. His temporibus in Africa Mauri per Joannem patritium domiti sunt.

552. Hoc tempore Justinianus Augustus Narsetem Eunuchum Carthularium & cubicularium suum principem militiæ fecit, & in Italiam misit, qui commissa pugna, Dei gratia, victor Totilam Regem occidit & gentem Gothorum, auxiliantibus etiam

Sæc. XI. Anno 1054. Longobardis, in Italia exterminavit. Per hæc etiam tempora cum Bucellinus Comes cum sociis à Theodeberto Rege Francorum dudum missus per annos aliquot Italiam Siciliamque infestaret & Romanum sæpe exercitum superaret, tandem exercitus ejus profluvio ventris attritus, à Narsete pugna victus & profligatus; ipse dux occisus est: nec multo post socius ejus Ammingus Dux cum reliquiis Gothorum, quibus se junxit, peremtus est.

553. Theodbaldus Rex Francorum moritur, & regnum ejus Wanderadam Lotorius Rex, patris ejus Theodeberti patruus, accepit, qui jam 44. anno regnabat. Ipso anno Hlotharius ipse Saxones rebellantes juxta Wiseram fluvium magna cæde domuit & Thuringam pervasam devastavit.

554. Vigilius Papa tandem, impetrantibus Romanis & Narsete, de exilio revocatus, cùm Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit: Sed tamen Romam relatus apud sanctum Marcellum via salaria sepultus est: pro quo ordinatus Pelagius Papa LXII. sedit, annos 11. mensibus 10. qui à Pop. Rom. factionis contra Vigilium incusatus, celebratis una cum Narsete litaniis apud sanctum Petrum, ambone ascenso Evangelioque super caput suum posito, juramento se crimine purgavit.

555. Hoc tempore Saxones iterum Hlodhario rebellantes, cùm ab eo peterentur hostiliter eique, pro satisfactione dimidium rerum suarum offerrent, idque exercitus Francorum refutans, eo invito pugnam iniisset, magna ab eis cæde protritus fugæ præsidium petiit.

556. His temporibus Chramnus patri suo Hlodario, annitente patruo Hildeberto, rebellans, regnum Francorum domestica seditione perturbat. Saxones factione Hildeberti in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem Campaniam populatur.

557. In Britannia Bridus Rex Pictorum efficitur. Hildebertus Rex Francorum circa hæc tempora moritur, & Parisiis in Basilica S. Vincentii à se constructa sepelitur. Regnumque ejus Hlodharius frater assumens, totam paterni regni Monarchiam obtinuit.

558. Chramnus patrem Hlotharium, quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, insequente eo ibidem cum Conobro Rege ibidem victus & captus, cum uxore & filiabus vivus incensus est. Quo etiam tempore Turonis Basilica sancti Martini, rebellibus ad eam confugientibus, igne crematur.

559. Lotharius Rex de sceleribus & peccatis suis poenitentiam agens Basilicam sancti Martini hoc tempore studiosè reparans, stanno texit. Sanctus Medardus Episcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum & à Hlodhario Rege Francorum Suesionis magna cum gloria sepultus est.

560. Hlodharius major filius Chlodovei magni, Rex Francorum anno regni 51. Compendii moritur, & Suesionis apud sanctum Medardum sepelitur. Post quem quatuor filii ejus diviso regno, Sigibertus Mettis & Remis sedem habens, annis 14. Haribertus Parisiis, Hilbericus Suesionis, 25. annis regnavit. Guntrammus Aurelianis & in Burgundia, 23. annis regnavit.

561. In Britannia Edilbertus Rex Anglorum regnavit annis 56. Hunni cum Rege suo Chagano Gallias petentes à Sigeberto Rege pugna victi & humiliati, vix impetrata pace, fœdere pacto redierunt.

562. Hilpericus Rex regnum fratris sui Sigeberti & urbem Remensem invasit, Campaniamque vastavit. Quo audito Sigibertus à Hunnis reversus è contra Suesionis urbem cepit; Theodebertum filium Hilperici ibidem captum in exilium misit ipsumque Hilpericum pugna victum fugavit, & civitates suas recepit. Postea verò accepto ab eo pacis Sacramento filium ei reddidit pacemque cum eo firmavit.

563. Haribertus Rex libidini deditus cum Ingoberga uxore sua repudiata duas ancillas germanas sibi in matrimonio junxisset, à suo germano Parisiorum Episcopo excommunicatus, non multo post interiit. Quo etiam tempore Sigibertus Rex Brunam, quæ & Brunihildis, filiam Athanagildi Regis Gothorum de Hispaniis uxorem accepit, & secuto tempore Hilbericus frater ejus Hielswindam, sororem Brunæ, conjugem accepit, quam postea suasu Fridegundis concubinæ noctu strangulavit: cujus etiam astu Audoveram Reginam commatrem suam factam repudiavit, & multa mala fecit.

564. Constantinopoli Justinianus Imperator anno imperii 38. decessit: pro quo Justinus minor ann. 11. regnavit, homo iniquis ultra modum deditus. His temporibus immensa pestilentia & mortalitas totam Italiam & maximè Liguriam incredibiliter vastavit.

565. Sanctus

565. Sanctus Columba presbyter & Abbas de Hybernia veniens Brittannis verbum Dei prædicat. His temporibus Narses patricius Sinduvaldum Regem de reliquiis Herulorum in Italiam sibi rebellantem pugna vicit, & captum alta trabe suspendit. Qui divitiis auctus magnam à Romanis passus invidiam apud Augustum criminatus, & ad id adductus est, ut relicta Roma in Campaniam * subsecuti secederet, eique Longinus successor in Italiam mitteretur.

566. Romæ Joannes LXIII. Papa, sedit ann. fere 14. Qui Ecclesiam Philippi & Jacobi Apostolorum, quam decessor ejus Pelagius cœperat, perfecit & dedicavit.

567. Narses Eunuchus & Patricius, qui Italiam à Gothis aliisque hostibus liberaverat, & multum pro Repub. laboraverat, Justino Augusto & Sophia uxore ejus injuriis lacessitus, Longobardos, qui in Pannoniis habitabant, ad vastandam & possidendam Italiam invitavit, missis eis de ubertate Italiæ fructibus terræ & muneribus. Multa prodigia & præcipuè igneæ acies in cælo visæ, sanguisque coruscans Italiam terrent.

568. Longobardi Rege Alboino mense Aprili Venetiam & fines ejus ingressi sunt, eamque, paucis civitatibus exceptis, captam subjicientes; apud Aquilegiam seu forum Julii electam partem copiarum cum Duce Gihulfo relinquentes, ad totam Italiam capiendam animos intendunt. Ingens hoc anno cecidit nix, & insolita frugum copia subsecuta est.

569. Hoc tempore Hunni rupta pace iterum Franciam petentes, dolis instructi Sigibertum Regem cum Francis acie victum fugant. Alboinus Rex cum Longobardis Liguriam invasit; Mediolanum & alias plerasque urbes cepit & circumquaque prædis & cædibus furibundus Papiam plus triennio obsedit.

570. Alboinus plerasque in Tuscia citraque civitates, exceptis Roma Ravennaque & paucis castris, cepit. Ingens etiam fames post ubertatem Italiam pestilentia attritam invasit. Sanctus Vedastus Episcopus decessit.

571. Papienses cives ultra resistere non valentes Regi Alboino se tradunt: qui civitatem ingressus corruente & jacente intra portam equo suo divinitus mitigatus contra votum, quo omnes se puniturum minitabatur, civibus pepercit, & sedem ibi regni statuens 3. ann. & 6. menses in Italia regnavit. Quo etiam tempore Narses patricius cum è Campania Romam reversus esset, non multo post mortuus & in loculo plumbeo cum thesauris suis Constantinopolim relatus est.

572. Hilpericus Rex Chlodoveum hoc tempore hostiliter filium suum in regnum fratris sui Sigiberti misit: Qui cum juxta Burdegalensem resideret urbem, Sigulfus Dux ex parte Sigiberti super eum irruit, fugientemque cum tubis & buccinis vociferando, quasi cervum, Parisios usque, ubi pater ejus fuerat, persequitur.

573. His diebus Hilpericus filium suum Theodebertum item ad vastandum Sigeberti regnum trans Ligerim misit: Qui cum vastationibus crudelissimè instaret & civitates nonnullas cepisset, tandem cum Ducibus Sigeberti pugna incaute conserta decisus interiit.

574. Alboinus Rex Longobardorum apud Veronam insidiis Rosmodæ conjugis suæ à Helmichso armigero suo peremptus est: ipseque Helmichis frustra regnum attentans, cùm ad mortem quæreretur, cum eadem Rosmoda conjuge sua & thesauris filiaque regia Albswinda Ravennam fugit; ibique venenum ab ipsa acceptum, ipsam quoque bibere cogens cum ipsa pariter interiit. Sigibertus Rex Francorum cum suas ulciscens injurias, fratris Hilperici regnum invasisset, eumque contra vetitum sancti Germani Parisiorum Episcopi, mortifero odio, fugientem persequeretur, missis dolo Fridegundis jam Reginæ duobus adolescentibus, ab eis peremptus interiit; ipsique pariter extincti sunt; & Brunihild uxor ejus cum filio Hildeberto capta & custodiæ mancipata est. Sed Hildebertus puer clanculo à suis ereptus, & Rex pro patre promotus regnavit an. 23. Rex admodum fortis & strenuus. Hujus soror Ingundis Irmingildo Regi Gothorum, filio Levigildi nupsit.

575. Constantinopoli Justinus Imperator post multa mala & cupiditates suas in amentiam versus moritur: Pro quo Tiberius Constantinus, qui & ipso mente capto palatium rexerat, regnavit ann. 7. vir Deo devotus & in eleemosynis pauperum omnium largissimus atque in acquirendis facile divitiis omnium fortunatissimus. In Italia Clep Longobardorum Rex, qui pro Alboino electus fuerat, cum anno & mense uno crudeliter regnasset, & multos Romanorum peremisset, à proprio servo suo peremptus est. Post quem Longobardi sine Regibus per ann. 10. sub Ducibus militantes, pluribus per totam Italiam debacchantur sceleribus; Burgundiam, quam (sicut sanctus

Sæc. XI. Anno 1054. Hospicius reclusus prædixerat) ingressi, Amatum Ducem Guntramni Regis pugna victum occidunt, & multa cæde facta prædis ditati in Italiam revertuntur.

576. Hoc tempore Meroveus Hilberici filius à patre contra Pictavos missus & inde revertens Brunhildem accepit uxorem; à qua statim à patre separatus, cùm suspectus haberetur; non multo post attonsus & presbyter ordinari jussus est. Per idem tempus sanctus Germanus Parisiorum Episcopus migravit ad Dominum. Circa hoc tempus Longobardi iterum Burgondiam ingressi à Mummulo patricio Guntrammi, qui Amato successerat, circumventi, pluribus trucidatis & captis vix refugerunt.

577. His diebus Hilpericus Chlodoveum filium suum & Desiderium Ducem contra fratrem suum Guntrammum transmisit: sed à Mummulo patricio Guntrammi, pugna victi, terga verteruut. Hoc item tempore Saxones, qui cum Alboino Italiam intraverant, Gallias invadunt: sed à Mummulo cæsi & humiliati, impetrata pace, redeunt; & post annum iterum patriam repetere volentes, Gallias petunt; Viso Mummulo territi, auro se redimunt. Postremo à Suevis, qui locum ipsorum possederant, pugna victi & pene deleti sunt.

578. Romæ Benedictus Papa LXIV. sedit annos 4. menses 2. à quo beatus Gregorius de monasterio ablatus, & diaconus ordinatus, Constantinopolimque apocrisiarius missus Euthicium ejusdem urbis Episcopum in fide resurrectionis erraffe, Tiberio Augusto præsente convicit: Ubi etiam egregium opus Moralia in Job venientibus ad eum monachis suis scribere compulsus est. Hoc tempore Guntrammus Rex Diacolemum Ducem superbè sibi vincula minitantem pugna victum occidit.

579. Hilpericus Rex Francorum inauditis exactionibus populum suum & descriptionibus afflixit: sed exactor ejus occisus, & pictacia census incensa sunt. Magna aquarum inundatio, & illuvies, fulmina & terræ motus, & prodigia sequens pestilentia Gallias aliasque provincias afflixere. Tres filii Hilperici dysenteria periere: quartus ab ipso in custodia positus molimine novercæ Fridegundis cultro fixus interiit. In Hispaniis Levigildus Rex Gothorum Arrianus instigante Goesinda uxore catholicos persequitur. His diebus magnæ Longobardorum copiæ cum tribus Ducibus Galliam ingressæ diversis modis ac præliis à Mummulo attritæ vix tandem in Italiam refugerunt.

580. Cometa die Pascæ visus. Suesionis cælum ardere visum est. Parisiis sanguis de nubibus fluxit. Pestilentia & mortalitas ingens facta. Levigildus Rex Hermigildum filium Catholicum persequitur cum exercitu. Rodinus Dux Hildeberti pius & religiosus obiit.

581. Hoc tempore exercitus Tiberii Imperatoris missus Persas potenter superavit, & inter innumerabilem prædæ copiam 20. elephantos Imperatori reddit. Ipse Imperator, cùm Italia & ipsa Roma bello Longobardorum, pestilentia, & insuper fame graviter laboraret, naves frumento onustas Romam misit, & annonæ copiam populo subministravit.

582. Constantinopoli Tiberius Imperator omni laude dignissimus morbo tactus filiam suam & imperium Mauricio tradidit; & ipse ex hac vita fœliciter discessit. Pro quo idem Mauricius genere Capadocus regnavit annos 21. Romæ Pelagius II. Papa LXII. sedit an: 10. mensib. 2. Hic templum sancti Petri tabulis argenteis deauratis texit. Domum suam fecit xenodochium, Basilicam sancti Laurentii construxit & sepulchrum ejus tabulis argenteis ornavit.

583. Hildebertus Rex Francorum cùm hoc tempore 50. millia solidos auri à Mauricio Imperatore accepisset, quatenus Longobardos ex Italia pelleret, valido cum exercitu Italiam petiit. Sed Longobardis petentibus & munera offerentibus pacem cum eis pactumque confirmans sine bello rediit, Mauricioque pecuniam repetenti nec responsum dedit.

584. Guntrammus Rex in suburbano Gavillonensi summo studio monasterium sancti Marcelli construens, ad exemplum Agaunensis instituit. Gundoaldus quidam cum auxilio Mummuli & Desiderii regnum affectans contra Guntrammum tyrannidem invasit. Sed adversis ejus Leudiselo & Egilano fugatus, cum latebram Cambanis urbe foveret, ab Osone de rupe præcipitatus interiit.

585. Hilperico Rege Francorum post multa scelera & mala sua insidiis perempto, & Parisiis in Basilica sancti Vincentii sepulto, Lotharius puer filius ejus à Guntrammo Rege, suo patruo, baptizari jussus est, & de sacro fonte susceptus inque regno patris sublimatus, regente matre Fridegunde & Lauderico Majore domus, regnavit ann. 45. Mummulus patricius reus majestatis convictus jussu Guntrammi Regis interficitur & thesauri ejus in fiscum rediguntur.

586. In Italia Longobardi post 10. annos, quibus duces præerant, Autharium Flavum Elephonis filium Regem statuunt; qui bellica clarus virtute regnavit ann. 6. qui inter alia Brexillam urbem diruit, & totam pæne Italiam secuto tempore bello peragravit. Levigildus Rex Gothorum in Hispania Arrianus Herminigildum Regem filium suum die sancto paschæ 18. calend. Maii securi jussit interfici. Guntrammus Rex exercitum in Hispanias misit, qui infirmatus statim redit.

587. Leudisolus à Guntrammo patricius promovetur. Magna aquarum inundatio facta. Globus igneus scintillans & quasi rugiens de cælo in terram cecidit. In Hispania Levigildus Rex Gothorum moritur: & Richaredus filius ejus Rex pro eo efficitur; qui instante Leandro Hispolitano Episcopo, à quo frater ejus Hirminigildus conversus fuerat, cum tota gente Gothorum non multo post ad Catholicam fidem convertitur.

588. Guntrammus & Hildebertus Reges inter se pacem & pactum confirmant, regnumque Guntrammi post obitum ejus Hildeberto promittitur. Nonnulli principum & ducum Hildeberti, conjurationis contra eum convicti, puniti sunt. In Hispania hæresis destructa, & Synodus Toletana collecta est industria Leandri præsulis & Richaredi Regis. Cæsara regina Aunulfi Regis Persarum Constantinopolim dissimulato nomine regio profuga veniens, se baptizari impetravit; postea à marito inventa ipsum quoque cum multis e gente sua Antiochiam venientem baptizari & Christianitatem aggredi effecit.

589. Exercitus Guntrammi ad Hispanias missus negligentia Bosonis Ducis graviter à Gothis trucidatus est. Hoc tempore Hildebertus Rex sororem suam, quam Authario Regi Longobardorum promiserat, Regi Gothorum, qui nuper Catholicus factus fuerat, in matrimonium tradidit.

590. Tunica Domini Salvatoris à Simone quodam Judæo tormentis coacto monstrata, à Gregorio Antiocheno, Joanne Constantinopolitano & Thoma Hierosolymitano, & aliis Episcopis multis, jejunio triduano celebrato, in arca marmorea in oppido Saphadt inventa, summo cum honore Hierosolymam allata est. Inter Francos & Britannos pugna commissa est. Hoc quoque tempore Hildebertus petitione Maximi Imperatoris iterum Longobardos in Italia cum exercitu petiit: Sed victo ab Authario Rege cæsoque graviter exercitu suo cum paucis rediit.

591. His diebus Rex Longobardorum Theodelindam filiam Garibaldi Regis Bavariorum, pulchram, prudentem, & piam accepit uxorem: Quo tempore magnus Francorum exercitus cum 20. Ducibus à Hildeberto Rege contra Longobardos missus diversis casibus, præcipuè morbo afflictus, parumque hostibus, intra munitiones septis, nocere prævalens, parvo effectu, fame afflictus, ægrè tandem revertitur.

592. Immensa pluviarum inundatio & illuvies facta ingensque mortalitas subsecuta est. In qua primo Pelagius Papa, dein innumeri catervatim extincti sunt: & beatus Gregorius tunc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus constituitur, litaniis, & plaga cessante, Papa LXVI. ordinatus, doctrina & actibus cunctis merito præferendus Apostolicis. sedit an. 13. mensib. 6. diebus 10. Qui statim inter alia bona librum pastoralem egregio edidit stylo. Hic quoque super corpus beati Petri ciborium fecit & Missas celebrare instituit; itemque S. Pauli similiter. In Italia, cum Autharius Rex ad Francos pro pace petenda misisset, veneno, ut ajunt, mortuus est: & Theodlinda Regina ejus vidua Agonem Ducem, qui & Agilolfus, maritum & Regem selegit: Qui Rex Longobardorum factus regnavit ann. 22. Longobardi pacem cum Francis peragunt.

593. Guntrammus Rex Burgundiæ in omni bonitate præcipuus anno regni 33. 5. Calend. Aprilis obiit, & in Monasterio S. Marcelli à se constructo sepultus est; regnumque Hildebertus fratris ejus Sigeberti filius accepit, & post eum 4. ann. tenuit. In Britannia Edelfridus Rex super Anglorum partem constitutus est. Siccitas magna & fames facta est, & insolita locustarum magnarum multitudo.

594. Quintrio Dux Gallicæ Campaniæ regnum Lotharii Regis filii Hilperici hostiliter ingressi ab ipso Lothario cruenta utrinque pugna victus aufugit. Item locustarum multitudo frugibus nocuit.

595. Gregorius Papa Synodum 24. Episcoporum pro utilitate Ecclesiæ ad S. Petrum collegit Indictione 14. Franci & Britanni, gravi utrinque cæde, pugna confligunt. His diebus Tassilo Rex Bajoariorum à Hildeberto constituitur, qui mox Sclavis superatis magnam exinde prædam deportavit.

596. Sanctus Columba presbyter & Abbas post multa miracula in insula Hii juxta

Hyberniam migravit ad Dominum, anno ætatis 73. Hoc tempore beatus Gregorius Papa missis doctoribus Augustino, Mellito, Joanne, & aliis servis Dei, Anglorum genti in Britannia verbum vitæ prædicare jussit, eamque cooperante Dei gratia, ad fidem Christi per eosdem convertit. Cometa & multa signa apparuerunt in cœlo.

597. Hildebertus Rex Francorum fortis & strenuus, filius Sigiberti 23. anno regni, ætatis vero 25. veneno, ut ajunt, à conjuge accepto, moritur: pro quo duo filii ejus Theodebertus in Austrifrancia ann. 17. & Theodoricus in Burgundia cum avia Brunihilde 18. annos regnaverat: ipsoque anno Fridegundis cum filio Lothario regnum eorum invasit, & eos cum exercitu resistentes gravi cæde protritos fugavit.

598. Fridegundis Regina mater Lotharii Regis moritur. His temporibus cùm Romanus patricius aliquot urbes à Longobardis dudum captas, & cum deditione recepisset, idque Agilolfus Rex ultum ire molitus, Italiæ ipsique Romæ infesto cum exercitu immineret, studio sancti Papæ Gregorii & suffragio Theodelindæ religiosæ Reginæ, pax utrinque effecta est.

599. Quintrio Dux, instigante Brunihilde, peremptus est. Per hæc tempora Agilolfus Rex nonnullos Duces Longobardorum sibi rebelles, alios occidit, alios aliis modis perdomuit: ipse etiam perpetuam cum Theodorico Rege Francorum pacem fecit. Circa hæc etiam tempora Monasterium S. Benedicti in castro Cassino situm, fugientibus ex eo monachis à Longobardis omnino destructum & desolatum est.

600. Gregorius Papa Lindune & Eboraci Episcopos in Brittannia, misso pallio, Metropolitanos esse decernit, Indictione quarta. Clades glandularia Massiliam aliasque partium illarum civitates & Italiam graviter attrivit. In lacu Dunensi aqua repente bulliens & fervens magnam piscium partem decoxit. Warinharius Major domus Theodorici omni substantia distributa obiit.

601. Brunihildis de regno Theodeberti ob scelera sua depulsa, à quodam paupere sola inventa, & ad Theodoricum Regem, ut rogabat, perducta, benigneque suscepta, eidem pauperi Episcopatum Antisiodorensem impetravit.

602. Mauritius Imperator R. P. utilem principem militiæ faciens, Focam scilicet, eumque cum exercitu mittens, de Persis & aliis nonnullis gentibus triumphavit. Globi ignei & alia signa in cælo visa. Theodebertus & Theodoricus fratres ingenti pugna Lothario Rege superato & exercitu ejus trucidato atque fugato, regnum ejus diripiunt & inter se dividunt: modica tantum parte illi, id est 12. comitatibus juxta litus Oceani cum pacto pacis relictis.

603. Constantinopoli Focas victor de Persis reversus, Mauritium Imperatorem, peccata sua in præsenti, ut ipse semper orasse fertur, exsolventem, turpiter interfecit, & ipse imperium arripiens, 8. ann. tenuit. Egilan dux, Brunihilde instigante, sine causa propter divitias tantum suas occisus est. Theodebertus & Theodericus misso exercitu Wascanes victos subjiciunt. Corpus sancti Victoris Martyris, qui cum beato Urso Solodori passus est, apud Genuensem urbem divina revelatione in loculo argenteo invenitur, & multis miraculis declaratur. Filius Agilolfi Regis Adaloaldus baptizatur, & à servo Dei Secundo Tridentino Episcopo de fonte suscipitur.

604. In Britannia Edilfeidus Rex Anglorum Edanum Regem Scotorum insulam petentem forti profligato exercitu pugna vicit. Etherius Lugdunensis Episcopus obiit, eique Secundinus successit. Ipseque Arridius Agilolfus Rex Cremonam & Mantuam captas diruit aliasque provincias vastavit. Et Romani reddita illi, quæ prius capta erat, filia ejus, pacem ab eo ad tempus acceperunt.

605. Beatus Papa Gregorius & doctor sanctissimus migravit ad Dominum, Indictione 8. post quem cessante Episcopatu mensib. plus 5. Fabianus Papa LXVII. sedit anno ferme uno. Quare de Constantinopoli legatio imperialis expectabatur. & hoc anno synodus nefaria Gavillanis congregata. Et beatus Desiderius Viennensis Archiepiscopus, machinante Brunihilde, quia scelera ejus arguebat, depositus & exilio deputatus, & in locum ejus Domnusus subrogatus est. Sol obscuratus est. Hyems nimis sæva magnam vinearum partem perdidit.

606. Fames Romæ facta. & pax cum Longobardis in annum unum pro 12. millibus solidorum condita est. Prothadius, qui cum Brunihilde inter alios plures concubuerat, dux effectus est. Lotharii exercitus contra pactum, regnum Theodorici invasit, & Berchwaldum Majorem domus, virum strenuum & pium fugatum Aurelianis obsedit. Filius Agilolfi Adaloaldus coram patre Rex à Longobardis effectus & electus; & desponsata ei filia Theodeberti, pax perpetua cum Francis facta est. Mense Aprili & Majo cometa visus est.

607. Theodoricus exercitum Lotharii pugna inita victum fugavit: In qua tamen Berchtoal-

Berchtoaldus Major domus audacius inter hostes progressus occubuit. pro quo Prothadius molimine Brunihildis promovetur. Theodebertus & Lotharius cùm exercitibus collectis hostiliter convenirent, facta invicem pace digressi sunt. Theodoricus instigante Brunihilde & Prothadio contra fratrem Theodebertum arma movit, cumque infestis exercitibus concurrere pararent, cæterisque pacem persuadentibus solus obsisteret Prothadius, eo impetu militum in tentorio Regis trucidato, fratres ab invicem pace facta discedunt. SÆC. XI. ANNO 1054.

608. Romæ Bonifacius III. Papa LXIIX. sedit mensibus fere 9. post quem idem cessavit Episcopatus mensibus 10. Hic quia Constantinopolitana Ecclesia primam se scribebat, apud Focam Augustum obtinuit, ut Romana Ecclesia omnium caput Ecclesiarum decerneretur. Hic quoque synodum 72. Episcoporum Romæ collegit. In regno Theodorici Claudius vir prudens & pius pro Prothadio efficitur Major domus.

609. Romæ Bonifacius quartus Papa LXIX. sedit ann. 6. mensibus 8. & post hunc Episcopatus cessavit mensibus 7. Hic apud Focam Augustum templum omnium idolorum, quod Pantheon vocabatur, obtinuit, & in honore omnium Sanctorum dedicavit 3. idus Maii, & S. Mariæ ad Martyres appellavit, festivitatemque omnium Sanctorum Calendis Novembris celebrari constituit. Cujus tempore fames & pestilentiæ & inundatio aquarum immensa acciderunt. Uncilenus Dux ob mortem Prothadii, instigante Brunihilde, à Theoderico pede truncatus est, & facultatibus spoliatus. Itemque Volfus patricius occisus est. Ipse Theodoricus Ermenbergam de Hispaniis, filiam Betterici Regis Gothorum, conjugem sibi adductam, ejusdem Brunihildis suasu, ne honor suus vilesceret timentis, non uxorem accepit, sed repudiatam & expoliatam post annum remisit. Beatus Desiderius Viennensis Archiepiscopus de exilio revocatus, factione Brunihildis, Theoderici & Aridii Lugdunensis, lapidatus & martyrio coronatus, plurimis post mortem claruit miraculis.

610. Bettericus Rex Gothorum, aliis tribus Regibus auxilio sibi ascitis, contra Theodericum bellum parat. His temporibus Persæ bello furentes, multas provincias Romanis abstulerunt, intra quas ipsam Hierosolymam auferentes, & loca sancta destruentes, inter alia ornamenta & thesauros Ecclesiarum, *Crucem* Dominicam abstulerunt.

611. Heraclianus, qui Africæ præerat, Focæ Augusto rebellans, & cum exercitu veniens, regno eum vitaque privavit, & filium Heraclium Imperatorem promovit: Qui accepto Imperio regnavit annis 26. Beatus Abbas Columbanus qui cum discipulis suis sancto Gallo & aliis, temporibus Sigiberti Regis de Hybernia veniens Luxoviense monasterium, multis virtutibus coruscans, construebat, cùm sæpe Theodericum pro sceleribus suis & maxime adulteriis increpans, ad legitimum hortaretur conjugium, molimine Brunihildis, reginas ambitiosè execrantis, jussu Theoderici Regis exinde pulsus, sanctum ibi Eustasium pro se reliquit Abbatem.

612. Circa hæc tempora beatus Augustinus Anglorum Apostolus & Archiepiscopus & doctor mirificus, migravit ad Dominum. Sanctus Columbanus de Luxovio propulsus, ad Lotharium Regem, inde ad Theodebertum venit, eoque optione manendi in regno dante, tandem in Alamannia Brigantium venit, ibique triennio mansit. Brigentia Contentione inter Theodebertum & Theodericum de regno exorta, Theodebertus Alsatiam violenter accepit. Alamanni Aventicum pagum & ultra Juranum petentes victores cum præda reversi sunt. Theodebertus conjugem suam peremit & aliam duxit.

613. In Hispania mortuo Betterico Sisebodus Rex Gothorum factus est, vir fortis & pius, qui sæpe Romanis militibus congressus, victor pepercit, & captis plerisque urbibus regnum Gothorum nobiliter ampliavit. Theodericus contra fratrem Theodebertum bellum parans Lotharium Regem patruelem suum promissa quadam provincia ab auxilio ejus avocare satagit. Circa hæc tempora Hunni, qui & Avares, Venetiam petunt & totam provinciam ferro, igne prædaque vastantes, ipsum forum Julii à Romhilda Gisulfi vidua proditum evertunt, & depopulata provincia redeunt.

614. Heraclius Imperator Constantinum imperii consortem fecit. Theodericus & Theodebertus cum infestis exercitibus apud Thulense territorium forti pugna confligunt; & magna utrinque cæde patrata, Theodebertus victus Coloniam aufugit: Quem cum Theodericus odio & insuper venerabilis viri Iconisii Mogontiacensis Episcopi instigatione, persequeretur, ille denuo collectis undique viribus, apud Thulbiacum occurrens conflixit, & immensa strage hominum facta iterum victus fugit.

SAEC. XI. ANNO 1054.

git. Theodericus vero Coloniam ingressus thesauros ejus ac regnum rapuit, filiumque ejus parvulum necari jussit, & ipsum comprehensum ac detonsum Cavillonis misit, nec multo post suspectum habens, instigante Brunihilde, occidi præcepit. Quibus diebus beatus Columbanus de Brigantio pulsus, febricitantem Gallum reliquit, ipseque in Italiam veniens & benignè ab Agilolfo Rege & Theodlinda susceptus cœnobium Bobiense construxit. Sanctus quoque Gallus solitudinem cellæ suæ incolere cœpit.

615. Theodoricus contra Lotharium arma parans profluvio, &, ut quidam ajunt, fraude Brunihildis, veneno Mettis interiit; & Sigibertus ex concubina filius ejus à Brunihilde & principibus ejus Rex pro eo factus est: nec multo post Lotharius Rex regnum ejus invasit anno regni sui 30.

616. In Britannia Edilbertus primus Anglorum Regum Christianus anno regni 56. obiit: pro quo Eatpolt regnavit annis 24. Hoc tempore Isidorus Hispalensis Episcopus clarus in Hispaniis habetur, qui huc usque temporum abbreviationem produxit, & multa egregia opuscula edidit. In Italia Agilolfus Rex Longobardorum moritur: pro quo filius Adoloaldus cum matre Theodelinda regnavit annis 10. Apud Francos Sigibertus Rex cum contra Lotharium exercitum collegisset, à suis desertus & ab hostibus captus, una cum fratribus jussu Lotharii peremptus est: à quo etiam Brunihildis ipsa indomitis equis alligari jussa & ab eis discerpta, digna tandem morte periit: & Lotharius Monarchiam regni accepit.

617. Romæ Deusdedit Papa LXX. sedit annis 4. mense ferè uno, qui clerum & sacerdotes dilexit, eisque sumptus auxit, cujus tempore Eleutherius patricius Ravennam veniens Joannis patricii peremptores occidit. Item Neapoli & aliis in locis tyrannis occisis pacem Italiæ reddidit. In Britannia Ediwinus occiso Edilfrido & filiis ejus in Hyberniam fugatis regnum illius per annos 17. egregiè rexit.

618. Terræ motus ingens factus est, & clades scabiosa subsecuta populum fœda morte attrivit, ita ut mortui non possent agnosci. Hierosolyma inter alias Palæstinæ civitates à Chosdroë Rege Persarum capta, & CRUX Dominica in Persidem abducta est.

619. Lotharius Rex Warinharium, cui aliquantulum infensus erat, suffragantibus multis in gratiam recipiens in principatu Majoris domus confirmavit.

620. Romæ Bonifacius V. Papa LXXI. sedit ann. 5. Vir valde mitis & pius. Eleutherius patricius tyrannidem & regnum affectans, in Italia à militibus peremptus est, & caput Constantinopolim missum. In Britannia defuncto sancto Laurentio Archiepiscopo Mellitus successit. Magundat magus genere Persa ad fidem Christi conversus est & Anastasius dictus, Hierosolymæ miræ sanctitatis monachus effectus est.

621. Lotharius Rex acceptis amplis muneribus, Longobardis petentibus, 12000. solidorum auri, quos annuatim pro invasa quondam Burgundia Francis persolvebant sub nomine tributi, * quibus consiliantibus dimisit.

622. Gertrudis Regina uxor Lotharii Regis, ipsi & omnibus pro pietatis & morum excellentia nimium amabilis, obiit.

623. His temporibus beatus Adtala & post hunc Perpholsus Bobienses Abbates; in Almannia quoque beatissimus Gallus virtutibus claruerunt.

624. In Britannia defuncto Mellito Justus substitutus est, qui sequenti anno beatum Paulinum ordinans Episcopum, Anglis illis, qui adhuc Pagani erant, prædicatorem & doctorem misit. Lotharius Rex Francorum anno regni sui 39. Dagobertum filium consortem fecit, & beato viro Arnolfo Pipinoque Duci commendatum, ad regendum Austrifranciæ dirigit regnum.

625. Romæ Honorius Papa LXXII. sedit annis 13. qui multis bonis studens, Ecclesias plures adornavit, renovavit, extruxit. fecit Basilicam sanctæ Agnetis via Numentana. Item sancti Apollinaris in portica sancti Petri. Item sancti Quiriaci via Hostiensi. Item quatuor Coronatorum. Item sancti Severini Tiburtina urbe. Item sancti Pangratii via Aurelia. Item sanctæ Luciæ. Item sancti Adriani, & alia multa laudabilia patravit.

626. Sormo quidam Francus negotiator dum cum aliis ad Slavos venisset, eisque contra Hunnos, qui & Avares, bellum moventes fortissimè pugnans, adjuvisset, ipsi victoriam nacti, super se Regem illum eligunt, ubi multis clarus victoriis 35. ann. fœliciter regnum tenuit. Hic ibi 12. uxores habuit, & ex eis filios 22. filiasque 15. accepit. In Italia Adaloaldus Rex Longobardorum cum in amentiam Græci cujusdam legati malefico unguento versus nonnullos Principum peremisset, depositus de regno non

non multo post veneno extinctus est: Post quem Harialdus Rex factus annis 7. regnavit. Hic Gundabergam filiam Agilolfi habuit uxorem. SÆC. XI.
627. In Britannia Edwinus Rex Anglorum à Paulino Episcopo conversus cum gente sua baptizatur, anno adventus Anglorum in Britanniam circiter 180. Discordia inter Lotharium Regem & filium ejus Dagobertum incepta, beato Arnolfo aliisque principibus mediantibus sedatur. ANNO 1054.
628. Beatus Anastasius monachus multa pro Christo tormenta passus tandem in Perside Rege Chrosdroë cum aliis 70. strangulatus martyrium complevit. Ipso anno Heraclius Imperator Persidem petiit victoque & occiso Chosdroë cum infinita præda crucem Dominicam triumphans Jerosolymam revexit. Apud Francos Warnharius Major domus moritur. Et Godinus filius ejus novercam suam uxorem accipiens, Lothario persequente, per diversa fugitans, postremo peremptus est.
629. Lotharius Rex magnum de toto regno suo Clippiaci habuit conventum: ubi magna dissensio & tumultus exortus, vix tandem studio Regis sedatur.
630. Lotharius Rex Francorum fortis, pius & religiosus, anno regni 45. defunctus, & Parisiis in Basilica S. Vincentii sepultus est. Ejus regnum Dagobertus accipiens, cum jam 6. annis regnaret, 10. annis postea rexit, modica tantum parte juxta Wascones & Pireneum fratri Hariberto concessa.
631. Dagobertus Rex sancto Arnolfo Mettensi Episcopo, & Pipino Duce Majore domus, Chumbertoque Coloniensi Archiepiscopo utens consiliariis, nimio justitiæ flagravit amore, & Rex per omnia laudabilis extitit. Postea verò propria secutus consilia multum ad exteriora defluere cœpit; uxoreque Gomadruda repudiata Nanthildem quandam de Monasterio puellam accepit uxorem.
632. Heribertus Regulus frater Dagoberti Wasconiam invadens suo eam regno adjecit. Dagobertus ex quadam concubina Sigibertum filium genuit. Pax perpetua inter Heraclium Imperatorem & Dagobertum, legatis mediantibus, pacta est: & petitione Imperatoris, qui imperium suum à gente circumcisa vastandum præcognoverat, Judæi multi in regno Francorum, sicut & alibi in Romano imperio, profligati sunt. Nec multo post secutis temporibus crudelissima Saracenorum gens & ipsa circumcisa multas provincias inundans vastavit, & Romanum exercitum crebris præliis trucidatum vehementer attrivit.
633. In Britannia Edwinus Rex Anglorum pacificus & pius à Ceadwalda & Penda paganis Regibus victus & peremptus est. Post cujus mortem, filii Edilfridi de Scotis reversi, regnum quondam patris sui arripiunt. E quibus duo à Christi fide, quam apud Scotos didicerant, apostatantes, intra unum annum pereunt. Apud Francos Heribertus Regulus frater Dagoberti moritur, & regnum ejus Dagobertus frater cum thesauris accepit. Tres exercitus à Dagoberto contra Samonem & Sclavos diversis partibus missi. Unus Francorum victus, duo Suevorum & Longobardorum victores redierunt.
634. Calamitosus fuit iste annus Anglis, tam Regum apostasia & perditione, quàm barbarica & crudeli, quam à Ceadwalda pertulerant vastatione. Sed statim Oswald tertius filius Edilfridi Christianissimus paucis collectis in Domino confisus, & adorata quam erexerat lignea cruce, audacter cum Ceadwalda pugnam inivit; eoque victo, provincia & fratribus vindicatis, paternum regnum 8. annis plenus pietate nobiliter rexit. Samo cum Sclavis Turingiam vastat. Saxones Slavis se resistere pollicentes, tributo 500. vaccarum, quas Francis annuatim solvebant, à Dagoberto absolvuntur. In Italia mortuo Harialdo Rege Longobardorum, Rotharius à Gundeberga maritus assumptus & Rex electus regnavit annis 13.
635. Per hæc tempora cum Sergius Constantinopolitanus annitente Cyro Alexandrino, hæresim Acephalorum instaurans, unam in Christo Divinitatis & Humanitatis voluntatem & operationem dogmatizasset, ipsumque Imperatorem seduxisset, ab Apostolica sede damnatus est. Sclavis cum Samone Turingiam & confines pagos incursantibus, Dagobertus filium suum parvulum Sigibertum, Pipino & Adalgiso ducibus & Chuniberto. Archiepiscopo Coloniensi commendatum Austrifranciæ Regem fecit; eique sedem Mettis dedit, principibusque, ut terminos regni Orientalis deinceps tuerentur, persuasit.
636. Dagoberto Regi Clodoveus seu Ludowicus ex Nanthilde Regina filius nascitur; Cui non multo post regnum suum Occidentale destinavit & confirmavit. Ratholfus Dux Thuringiæ Sclavis sæpe congrediens victor eos fugabat. Unde elatus, ut Regi suo rebellare tentaret, sensim animos attollebat.
637. Constantinopoli Heraclius Imperator à Sergio Constantinopolitano Episcopo in

in hæresin, ut ajunt, prius inductus moritur, pro quo filius ejus Heraclonas cum matre Martina annis duobus imperat. Per hæc tempora Cotharius Rex Longobardorum, quamvis Arrianus, justitiæ tamen amator, leges Longobardorum scripsit. Ipse etiam nonnullas Romanorum urbes cepit, & Ravennatibus pugna confligens ex eis octies millia occidit reliquosque fugavit.

638. Romæ defuncto Papa Honorio cessavit sedes Apostolica ann. 1. menses 7. dies 14. Quia Constantinopoli autoritas imperialis morte principum nutabat. quo tempore Lateranensis thesaurus à Mauricio Chartulario & Hisario patritio Exarcho Italiæ direptus & distractus est. Wascones rebellare tentantes, misso à Dagoberto exercitu perdomiti sunt. Britonum Rex ad Dagobertum veniens humiliter ei satisfecit & pace impetrata rediit.

639. Constantinopoli mortuo Heraclona Imperatore frater ejus Constantinus regnavit menses 6. In Britannia Eadwald Rex Cantuariorum Anglorum decessit, eique filius Ercharnbertus successit, ann. 25. Wascones à Dagoberto pro rebellione sua veniam precantur & impetrant.

640. Constantinopoli post mortem Constantini Imperatoris filius ipsius Constantinus, qui & Constans, regnavit annis 28. Romæ Severinus Papa 73. sedit mensib. duobus, diebus quatuor, vir sanctus, mitis & pius: post quem cessavit Episcopatus mensibus quinque. Dagobertus Rex anno regni 16. moritur, & in suburbano Parisiaco in monasterio sancti Dionysii summo studio à se constructo, ornato, & dicato & ad institutionem Agaunensis monasterii ordinato sepelitur; cum quo pariter regni Francorum virtus & dignitas collapsa paulatim deficiebat, & pro eo filii ejus Sigibertus & Ludowicus regnum patris obtinuerunt.

641. Romæ Joannes IV. Papa LXXIV. sedit anno 1. mensibus fere 10. qui missa multa pecunia multos captivos in Histria & Dalmatia à barbaris redemit: & Basilicam sanctorum martyrum Venancii, Anastasii & Mauri construxit & ornavit. Ludowicus seu Clodoveus infans, regnante matre Nanthilde regno Occidentali præponitur. In Hispania Sentila Rex Gothorum moritur: pro quo Tholga puer regnum accepit: quo non multo post deposito & detonso Chinthasindus regnum assumens, superbiam Gothorum, trucidatis primoribus, nimis humiliavit.

642. Romæ Theodorus Papa 75. sedit annis 6. mensibus ferè 6. Hic corpora sanctorum Primi & Fœliciani levavit, & in Basilica sancti Stephani protomartyris sepelivit, Ecclesiam sancti Valentini via Flaminia, Oratorium sancti Sebastiani Lateranis, Oratorium sancti * Cupli ante portam sancti Pauli fecit & inter alia bona constans in fide hæreticos damnavit. In Brittania Oswald Rex Anglorum piissimus pro patria contra Pendanum Regem Mertiorum paganum pugnans occubuit & plurimis post mortem miraculis claruit, pro quo frater ejus Oswi regnavit ann. 28.

643. Hoc tempore Mauritius Chartularius tyrannidem affectans missis ab Hisacio patricio militibus Romæ comprehensus & abductus juxta Ravennam decollatus est. Nec multo post ipse Hisacius morte apud Ravennam periit & pro eo Theodorus Italiæ Exarchus ab Imperatore missus est. Ega Major domus Ludowici, vir strenuus & religiosus obiit: Post quem Erchovaldus item vir laudabilis Major domus efficitur.

644. Sanctus Paulinus Eboracensis Episcopus & doctor Anglorum anno Episcopatus 20. migravit ad Dominum 6. Idib. Octobris. Pipinus Major domus & Dux Sigeberti, justitiæ & pietatis amator eximius obiit; post quem filius ejus Grimoaldus Major domus effectus est.

645. Hoc tempore Pyrrhus Constantinopolitanus Sergii & in sede & in hæresi successor cùm à Theodoro Papa dudum damnatus, ex Africa Romam venisset, & fictam pœnitentiam satisfactionemque simulasset, benignè susceptus & reconciliatus est. Postea verò domum reversus & errorem repetens denuo ab ipso Papa depositus, damnatus & anathematizatus est.

646. His temporibus beata virgo Gertrudis, filia Pipini, soror Grimoaldi Majoris domus, Nivalensis cœnobii mater virtutibus claruit. Hujus soror Begga & ipsa fœmina religiosa Ansgiso sancti Arnolfi filio nupsit, cui etiam Pipinum juniorem peperit.

647. His temporibus cùm Paulus Constantinopolitanus Pyrrhi successor hæresin non solum non dimitteret ipsumque Imperatorem cum aliis seduceret, sed eam magis augmentaret, nec à domno Papa admonitus & increpatus resipisceret, & ipse identidem damnatus est. In Italia mortuo Cothario Rege Longobardorum Rodoaldus filius ejus regnavit annis quinque.

648. His

648. His Constantis Imperatoris temporibus gens Saracenorum crudelissima Palæstinam, ipsamque Jerosolymam, utramque Ægyptum, Alexandriam urbem & magnam Africæ partem aliasque plures provincias Romani imperii vastavit atque diripuit. Sæc. XI. Anno 1054.

649. Romæ Martinus Papa 76. sedit ann. 6. mensibus fere duobus. Quo tempore Paulus Constantinopolitanus ipso Imperatore Constante seducto legatos Apostolicæ sedis, se pro hæresi arguentes, carceribus, exiliis, & diversis modis afflixit, Catholicis ubicunque potuit non modicam persecutionem concitavit.

650. Martinus Papa indictam nonam Synodum Romæ 105. Episcoporum colligit, in qua Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, cum sequacibus erroris condemnat.

651. In Britannia Oswi Rex pius ab Oswi Rege fugatus pugna ad quendam suorum cui fidem habebat, venit, à quo statim proditus ab Oswo Rege cognato interfici jussus est. Ipso anno beatus Aidanus Scotigena Episcopus, & doctor Anglorum 2. Calend. Septemb. decessit. In Italia mortuo Rodoaldo Rege Longobardorum Haribertus filius Gundoaldi fratris Theodelindæ Reginæ regnat annis 9.

652. Hoc tempore Olympius Exarchus à Constante Imperatore in Italiam missus cum Domnum Papam ac cæteros in fide Catholica unanimes depravare, eisque nocere non posset, frustraque ipsi Papæ divinitus protecto insidias paravisset, cum eo tandem pacificatus, collecto exercitu Siciliam contra Saracenos ingreditur: ubi victo cæsoque ab ipsis exercitu Romano, tædio morboque confectus moritur.

653. In Britannia Honorius Anglorum Archiepiscopus obiit, pro quo Deus dedit annis 10. præfuit.

654. In Britannia mediterranei Angli ad fidem Christi conversi sunt. Beatus Papa Martinus jussu Constantis hæretici Imperatoris à Theodoro Exarcho ad hoc misso Romæ in Basilica Salvatoris, quæ Constantiana dicitur, comprehensus & Constantinopolim adductus, cùm flecti nullatenus posset, exilio in Cersonam damnatus est.

655. Martinus Papa in exilio migravit ad Dominum, ibique sepultus, postea miraculis claruit: pro quo Romæ Eugenius LXXVII. ordinatus sedit ann. 2. mensibus ferè decem, vir benignus & mitis & pius. In Britannia Pendan Rex Merciorum paganus ab Oswi Rege, sancti Oswaldi fratre, pugna victus interiit. Et gens Merciorum Christi fidem accepit.

656. Petrus Constantinopolitanus quasi satisfaciens pro fide sua misit Romam Synodicam epistolam, valde obscuram & dubiam: sed à Domno Papa & Ecclesia Romana non est accepta.

657. Romæ Eugenio Papa defuncto cessavit Episcopatus mensibus ferè duobus.

658. Romæ Vitalianus Papa LXXVIII. sedit annis 14. mensibus 6. qui literis ex more Constantinopolim missis sede confirmatus Ecclesiam Romanam insigniter rexit.

659. In Britannia Vulfhere filius Pendani Rex Merciorum effectus regnavit an. 17. Constantinus, qui & Constans, Imperator sancto Petro donaria pretiosa Romam misit.

660. In Italia defuncto Hariberto Rege Longobardorum duo filii ejus Godabertus Ticini, & Bertharicho Mediolani regnum statuentes, sed non multo post, factione pravorum, odio infando alterutrum regno pellere cupientes dissentiunt. Et Godabertus misso Gumbaldo Duce perfidissimo Grimoaldum virum strenuum, qui jam 25. ann. Dux Beneventi erat, auxilio sibi contra fratrem ascivit; qui ab ipso Gumbaldo instigatus Godabertum occidit, & Pertharich ipso terrore fugatus ad Hunnos secessit post unum annum & 3. menses sui regni, Grimoaldusque arrepto regno Longobardorum annis 9. strenuè regnavit.

661. Hoc tempore Pertharichus dudum Rex Longobardorum, cum de exilio reversus Grimoaldi Regis gratiam petiisset, benignèque susceptus esset, factione pravorum proxima nocte ab ipso Rege observari jussus est, sequenti die perimendus; sed astu, imo fide Himoldi amici sui & cujusdam fidelis vestiarii sui, eductus ex urbe Ticinensi ad Francorum exercitus Italiam ingressus, cùm in castris Grimoaldi Regis simulata ab ipso fuga relictis epularetur, ipso irruente ad internecionem deletus est.

662. Constantinus, qui & Constans Imperator Italiam contra Longobardos petiit, & aliquot oppidis eorum captis Rumoaldum Ducem filium Grimoaldi Regis apud Beneventum obsedit. Sed adventante Grimoaldo cum exercitu territus Neapolim repetit, magnaque exercitus sui parte, Duce Saburro, cum Rumoaldo pugna confligente & victa trucidataque, nihil contra Longobardos profecit.

663. Constantinus Imperator Romam venit, & à Vitaliano Papa honorificè susceptus,

 tus,

tus, toto exercitu cum cereis in Ecclesiam intrante, beato Petro pallium auro textile obtulit, & actis ibi 12. diebus cuncta pæne urbis ornamenta abstulit. Inter quæ etiam tegulas æreas, quibus Basilica sanctæ Mariæ ad martyres, quæ Pantheon antiquitus vocabatur, tecta fuerat, diripiens in Siciliam præmisit, ipseque suis in Italia deprædatis, ipsam insulam septima Indictione intravit, ibique quinquennio multa infamis avaritia & nequitia mansit.

664. Eclipsis solis 5. Non.Maii facta est hora quasi decima. In Britannia conventu ab Anglis & Scotis acto quæstio de Pascha ventilata, & Scotis à Wilfrido presbytero rationabiliter victis, sæva lues & pestilentia Britanniam & Hyberniam nimium vastat. Deus dedit Archiepiscopus Anglorum obiit. Ceydla & Wilfridus Nordanumbrorum Episcopi ordinantur.

665. In Britannia Erchanberto Rege Cantuariorum mortuo, Egibertus filius ejus regnat ann. 9. Angli ad Vitalianum Papam pro Episcopo & doctore postulatum Romam mittunt. His diebus apud Francos Clodoveus seu Ludovicus Rex iners & infamis, filius Dagoberti, frater Sigiberti, cùm Parisiis manens brachium S. Dionysii auferre ausus esset, in amentiam versus est.

666. Hoc tempore cum Lupus Dux Forojulianus Regi Grimoaldo rebellaret, Hunni, qui & Avares, ab ipso Rege invitati, Venetiam petunt, & ter pugna victi, quartoque certamine victores, ipso Lupo cum suis occiso, provinciam vastant; donec arte Grimoaldi territi tandem redire coacti sunt.

667. Circa hoc tempus Sclavi de Carunto, quod Carentanum dicimus, cum exercitu Venetiam vastantes, Duce Wectario cum 25. suorum super eos irruente, pauci ex quinque millibus effugere vix potuere.

668. In Sicilia Constantinus Imperator, qui & Constans, post multas exactiones & deprædationes per provincias actas, tandem à suis in balneo occisus interiit, Indictione 12. post quem Mezecius imperium ibi arripiens ab Italico exercitu cum complicibus suis peremptus est. Et Constantinus Constantis filius Constantinopoli Imperator factus regnavit annis 17. Imperator sane Catholicus & pius. Hoc anno Theodorus Archiepiscopus à Vitaliano Papa ordinatus, & cum Adriano Abbate ad Anglos missus, multis in verbo profuit & exemplo. Apud Francos, mortuo Clodoveo seu Ludowico Rege infami, filius ejus Lotharius puer regnavit annis 4.

669. Saraceni, qui jam multis depopulatis provinciis, Ægyptum tenebant, Siciliam hoc tempore invadentes, magnas hominum strages faciunt: & deprædata insula hisque, quæ Constans Imperator ibi collegerat, ablatis, Alexandriam redeunt.

670. In Britannia Oswi Rex Anglorum, frater sancti Oswaldi, obiit: pro quo Egfridus regnavit 15. annis. In Italia mortuo Grimoaldo Rege Longobardorum Pertherich de exilio reversus, regnum paternum magno Longobardorum favore recepit; & per annos 17. magna pietate insignis obtinuit.

671. Per hæc tempora in Italia regnum Longobardorum Perterich adeptus, summa pace & probitate regebat. His temporibus Childericus frater Lotharii Regis, filius Ludowici, cùm ad Austrifranciæ regnum vocatus leviter in eo & crudeliter ageret, à Francis una cum uxore & filiis trucidatur.

672. Romæ Vitaliano Papa Indictione 15. defuncto, post duos menses Adeodatus Papa 79. sedit ann. 4. mensibus 2. vir valde mitis & pius. Qui & Ecclesias renovavit & ædificia nova construxit. Apud Francos post Lotharium puerum frater ejus Theodericus regnat annis 19.

673. In Britannia Egberto Cantuariorum Rege mortuo frater ejus Luthere regnavit ann. 11. mensib. 4. Quo tempore Theodorus Archiepiscopus Anglorum synodum utilem collegit.

674. Circa hæc tempora Alachis Dux Tridentinus, de quodam Comite Norico victoria nacta, elatus, adversus Pertharich Regem suum rebellabat: sed per Chunibertum Regis filium sæpius reconciliatus & honoribus auctus est.

675. In Britannia Vulfhere Rex Mertiorum obiit. pro quo frater ejus Edilred 35. annis regnat, qui sequenti anno Cantiam vastavit.

676. Romæ defuncto Adeodato post menses 4. Donus Papa 80. sedit annis 2. mensibus 5. Qui inter alia bona studia porticum S. Petri marmore stravit: qua æstate immensa vis tonitruorum & pluviarum homines afflixit; & legumina, quæ propter pluvias colligi non poterant, quibusdam in locis renata & ad maturitatem reducta sunt. Cometa per tres menses visus, & magna hominum pestilentia in Oriente subsecuta est.

677. In Italia Pertharich Rex Longobardorum Chunibertum filium suum regni con-

consortem fecit: Cum quo 10. annis postea regnavit. Ecclesia Ravennas, quæ Autocephaliam sibi usurpans, à Romana desciverat, Dono Papæ denuo se subjecit. SÆC. XI.

678. Romæ defuncto Dono post duos menses Agatho Papa 81. ordinatus sedit annis 2. mensibus 6. vir mansuetus & benignus. Wilfridus Anglorum Episcopus ab Egeberto Rege sede sua pulsus, multos in peregrinatione sua ad Dominum prædicando convertit. ANNO 1054.

679. Constantinus Augustus Legationem Romam misit, & ut pro confutandis hæreticis Synodus Apostolica authoritate Constantinopoli fieret, postulavit, Agatho Papa Synodum 120. Episcoporum Romæ collegit, & hæreticos unam in Cristo operationem dogmatizantes damnavit.

680. Eclipsis Lunæ & magna mortalitas Romæ per æstivos menses facta. Agatho Papa legatos Constantinopolim misit Indict. 9. qui honorificè ab Augusto suscepti atque tractati, sextæ Synodo universali 150. Episcoporum præfuerunt, & convictos rationabiliter hæreticos, unam in Christo voluntatem asserentes & operationem, damnaverunt. Theodorus Archiepiscopus Anglorum item Synodum collegit.

681. Constantinopoli sexta Synodus 150. Episcoporum indict. 9. mense Februario acta, & Macharius Antiochenus sequacesque erroris damnati sunt. Quibus damnatis, subito plurimæ aranearum telæ in Basilica coram omnibus ceciderunt, hæreticas videlicet nugas dejectas esse portendentes.

682. Romæ defuncto Agathone Papa cessavit Episcopatus anno 1. mensib. ferè 7.

683. Romæ Leo II. Papa 82. sedit mensibus ferè 11. vir per omnia eruditissimus & eloquentissimus ac piissimus, qui aliquot Ecclesias renovans dedicavit atque ornavit. sua decreta fecit; & plurima egregie scripsit, docuit, atque instituit. Hoc anno 16. die Aprilis in Parasceve tota pene nocte luna eclipsin passa. Egfridus Rex Anglorum misso exercitu Hyberniam insulam sine causa crudeliter vastat. Sanctus Cudbertus Lindusarnensis Ecclesiæ Episcopus ordinatur: qui pluribus Britanniam virtutibus decorabat.

684. Romæ defuncto Leone cessavit Episcopatus anno ferè uno: post quem Benedictus II. Papa 83. sedit mensibus 10. vir & doctus, pius & beneficus omnibus, Ecclesias restaurans & exornans, & bona jugiter studia sectans. Cometæ apparent, & mons Campaniæ Bobius ultra modum flammas eructans circumposita exussit, In Britannia Egfridus Rex, cùm dissuadente sancto Cudberto Pictos incautè bello peteret, ab ipsis victus & peremptus interiit: pro quo Aldfridus Rex pius & prudens regnavit annis 19.

685. Romæ post Pascha defuncto Benedicto exactis plus duobus mensibus Joannes V. Papa 84. sedit anno 1. vir item eruditus & discretus: qui prius Archidiaconus legatus in 6. Synodo Apostolicæ sedis fuerat. Constantinopoli Constantino Imperatore defuncto, filius ejus Justinianus regnat ann. 10. Qui hæresi pollutus, Orthodoxis fuit infensus & pravus. hic etiam cum Saracenis, provincias plures devastantibus, data eis multa pecunia, pacem in decennium condixit. In Britannia Luthere Rex Cantuariorum interiit.

686. Romæ defuncto Joanne post 3. menses Conon Papa 85. ordinatus sedit mensibus 11. vir provectæ ætatis, summæ innocentiæ, sanctæque simplicitatis: qui dissentiente in duorum presbyterorum electione clero & populo, tertius postremo ab utrisque electus est. In Britannia sanctus Joannes Hagustaldensis Ecclesiæ Episcopus ordinatus, multis claruit miraculis.

687. Romæ defuncto Conone, exactis ferè tribus mensibus, Sergius Papa 9. Hic quoque dissentientibus in duorum electione partibus, tertius, Deo volente, electus est. Qui in fide Catholica fortis, persecutionem ab Augusto Justiniano passus est, & Ecclesias multas construxit, renovavit, & exornavit, atque ditavit; vir videlicet sanctus & omnibus bonis intentus. In Italia defuncto Perthericho Rege Longobardorum Cumbertus filius ejus Rex strenuus, mitis & bonus regnavit annis duodecim.

688. Ceadwald Rex Occidentalium Saxonum, ad fidem Christi conversus, Romam venit, & in Sabbatho sancto Paschæ à Sergio Papa baptizatus, & Petrus vocatus, inibi in albis defunctus, ab ipso Papa summo honore sepultus, & Epitaphio decoratus est. In regno Francorum Pipinus filius Ansgisi filii sancti Arnolfi Theodericum Regem filium Ludowici in Testritio pugna vicit, & potestatem regni Francorum adeptus, Dux & Major domus, regnavit annis 27. Interim tamen Hilderico & Dagoberto regale nomen non dignitatem habentibus.

689. Circa hæc tempora in Italia Alachis Dux tyrannidem invasit, & Papia occupata, Regeque Chuniberto in insula Comacina, quia copiâ militum impar erat, se communiente, cunctos & maximè clericos crudelis insequitur.

690. Theodorus Venerabilis Anglorum Archiepiscopus anno adventus sui in Britanniam 23. ætatis verò 88. decessit: qui inter alia bona librum pœnitentialem magna discretione conscripsit.

691. Apud Francos Theodericus Rex anno regni 19. moritur: pro quo filius ejus Ludowicus puer à Pipino & Francis Rex solo nomine factus, annis regnavit duobus.

692. Hoc tempore Chunibertus Rex Longobardorum, recepto Dei gratia regno, votis omnium, pugna victo & perempto Alachiso tyranno, optata suis deinceps pace regnavit.

693. Apud Francos post Ludowicum frater ejus Hildibertus, Regis nomen adeptus, regnavit annis 17.

694. His diebus duo Angli presbyteri Niger & Albus Zebald, studio divini verbi accensi, dum Saxonibus prædicarent, à quibusdam rusticis martyrio coronati sunt, & divinis miraculis declarati à Pipino Coloniæ tumulati sunt.

695. Constantinopoli Justinianus Imperator hæreticus à Leone & Tiberio aliisque conjuratoribus injuriis affectus abscissis naribus regno pulsus, exul in Pontum secessit: & Leo arreptum imperium annis 3. obtinuit.

Vir sanctus Willibrordus à Sergio Papa Archiepiscopus ordinatus, & Clemens vocatus, genti Frisonum verbum vitæ prædicans, plurimis saluti fuit.

696. In Britannia provincia Nordanumbrorum quidam Druthelinus corpore raptus, & horrendis jocundisque visis, vitæ redditus districtissimam & sanctam deinceps duxit vitam. Hoc tempore Sergius Papa, Domino revelante, capsam cum portione Dominicæ Crucis invenit.

697. In Britannia sanctus Cudbertus ex Anachoreta Episcopus post multas virtutes migravit ad Dominum: Cujus vitam Beda presbyter & ipsam hexametris versibus edidit. Ipso anno Ostric Regina à suis perempta est.

698. Constantinopoli Tiberius imperium invadens, Leonem Imperatorem 7. annis, quibus ipse post hunc regnavit, in carcere tenuit.

699. Hoc tempore Synodus Aquilegiensis facta, & quidam, qui Concilium V. Universale noluerunt recipere, à Sergio Papa correcti sunt.

700. In Italia Chunibertus Rex Longobardorum, fortis & pius, moriens, filio parvulo Luitperto regnum relinquens, eique tutorem Asprandum, virum prudentem & strenuum dedit. Sed post octo menses Taginbertus Dux, Gotaberti dudum Regis filius, Luitperto cum suis pugna victo, regnum sibi usurpavit; sed eodem anno mortuus est: cujus filius Haribertus susceptum à patre regnum 12. ferè annis obtinuit: Qui denuo Luitpertum cum suis vicit, fugavit, cepit, atque peremit.

701. Romæ defuncto Sergio Joannes VI. Papa 87. sedit annis tribus, mensibus 2.

702. In Italia his diebus cum Heribertus reliquis inimicis victis & subactis, Asprandum infestus sequeretur, ille viribus impar, primo Clavennam, inde ad Theodebertum Bajoariæ Ducem confugit, ibique novem annis mansit.

703. Beda presbyter Anglus, vir doctus usque huc Chronicam minoris libri de temporibus perduxit.

Hoc tempore cum Gisulfus Beneventi Dux Campaniam vastaret, & captivos educeret, eique nullus resisteret, à Joanne Papa, postulante pacem, donaria accipiens, captivos reddidit pacemque fecit.

704. In Britannia Edilred Rex Merciorum regnum suum Coenredo tradidit, & ipse factus est monachus.

705. Constantinopoli Justinianus Imperator auxilio Terbelli Regis Vulgarorum, imperium recipiens, Leonem & Tiberium, imperii pervasores, cum aliis multis occidit. Gallicinum Patriarcham excæcatum Romam misit, & in locum ejus Cyrum Abbatem, qui se in Ponto exulem aluerat, promovit. De hoc Imperatore fertur, quod quoties de truncis naribus profluvium deterserit, pæne toties aliquem de inimicis suis perimi jusserit. Romæ Joannes 7. Papa 88. sedit annis duobus, mensibus ferè 8. vir facundus, & eruditus. In Britannia Alfridus Rex Nordanumbrorum, vir pius & prudens obiit; & pro eo filius ejus Ofredus annis 11. regnavit. Sanctus Beddi Episcopus Occidentalium Saxonum obiit: pro quo Daniel & Aldhelmus Episcopi facti sunt.

706. Joan-

706. Joannes Papa Oratorium sanctæ Mariæ ad sanctum Petrum construxit & ornavit, & plures ad Ecclesias ornatus impendit.

707. Hoc tempore Haribertus Rex Longobardorum possessionem Alpium Cottiarum, dudum à Longobardis captam atque detentam, per privilegium aureis literis scriptum S. Petro Joannique Papæ reddidit.

708. Romæ Silinnius Papa LXXXIX. ordinatus ingravescente podagra 20. tantum diebus supervixit: post quem Constantinus Papa XC. effectus, sedit annis 7. diebus 15. vir valde mitis & pius, & omnibus studiis intentus & stabilis. Aldhelmus Episcopus vir doctus & eloquens, prosa metroque facetus, obiit.

709. Coenredus Rex Merciorum & cum eo Offa juvenis Regius, filius Sigiheri Regis, relictis regnis Romam veniunt, ibique monachi effecti mortalem non multo post vitam finiêre. Wilfridus Episcopus venerabilis anno Episcopatus 45. post exilia multosque labores obiit; eique Acca in Hagustaldensi Episcopatu successit.

710. Adrianus Abbas venerabilis anno, ex quo à Vitaliano Britanniam cum Theodoro Archiepiscopo missus est 41. obiit. Hildebertus Rex Francorum filius Theoderici moritur anno regni 17. pro quo Dagobertus annis 5. regnavit.

711. Constantinopoli Philippicus Imperator factus, Justinianum Imperatorem occidit, & ipse annum unum & 6. menses regnat, catholicos persequens & hæreticis favens.

712. Heribertus Rex Longobardorum moritur: post quem Luidprandus.

713. Constantinopoli Anastasius Philippicum oculis & regno privavit; & ipse annos 3. regnavit.

714. Anastasius Imperator missis Constantino Papæ literis, se Catholicæ fidei fautorem declaravit. Pipinus filius Angisi, nepos sancti Arnulfi, Major domus, & Dux Francorum 27. obiit: pro quo filius ejus Carolus, ex supradicta uxore Alpheide natus, regnat annis 27. Romæ defuncto Constantino Papa Gregorius II. Papa XCI. sedit annos 15. menses 9.

715. Carolus è Custodia, in quam eum Pliddrud vidua patris sui conjecerat, divino auxilio liberatus, contra Radpodum Fresonum Regem cum sui damno exercitus pugnat. Dagobertus junior filius Hildeberti, Rex Francorum moritur: pro quo Hilpericus qui & Daniel.

716. Egbertus vir sanctus, natione Anglus, inter alia bona sua Scotos legitimè Pascha celebrare docuit. Constantinopoli Theodosius Imperator factus, annum unum regnavit, qui Anastasium Imperatorem victum pugna, presbyterum ordinari fecit. Helpericus Rex & Reginfridus Major domus, regiones regno contiguas vastantes, à Bliddruda, vidua Pipini, muneribus avocantur. Apud Anglos Osred Nordanumbrorum Rex anno regni 11. obiit.

717. Romæ Tiberis supra modum inundans multa subvertit ædificia. Carolus Hilpericum & Reginfredum apud Wiciacum, Dominica Palmarum, pugna victos fugavit. Hoc tempore Winfridus, qui & postea Bonifacius, genere Anglus Germaniæ gentibus verbum salutis prædicat, auctoritate Gregorii Papæ II.

718. Constantinopoli Leo Imperator annis 9. regnavit, cujus tempore Saraceni, qui jam multas pervaserant provincias, triennio ipsam urbem obsidentes divino tandem auxilio fame, peste, ferro naufragioque repelluntur. Carolus receptis à Bliddruda patris sui thesauris Lotharium sibi quendam Regem constituit, & inita rursum pugna Helpericum & Reginfredum unà cum Eudone duce Aquitaniæ, auxilium eis ferente, victo, fugavit.

719. Helpericus ab Eudone, ad quem confugerat, Carolo reposcenti redditus est. & Lotharius Rex mortuus est. Sanctus Bonifacius à Gregorio Papa Mogontiæ Archiepiscopus ordinatus, multis populis & gentibus verbo & exemplo profuit.

720. Mortuo Helperico, Theodericus filius Dagoberti, Rex à Carolo constituitur. S. Othmarus cellæ S. Galli primus Abbas constitutus, coenobialem inibi vitam instituit, & 40. per annos nobiliter rexit.

721. Carolus item Reginfredum vicit, Andegavis urbem vi cepit, Saxones bello superavit. S. Joannes Hagustaldensis Episcopus obiit.

722. Carolus Alemanniam & Bajoariam armis subegit.

723. Alamanni & Bajoarii item Carolo rebellant.

724. Carolus transito Ligere, Aquitaniam vastat; Eudonem ducem pugna victum fugat.

Sanctus PIRMINIUS Abbas & Chorepiscopus, à Berchtoldo & Vehi principibus ad

SÆC. XI. ANNO 1054.

ad Carolum ductus, Augiæque insulæ ab eo præfectus, serpentes inde fugabat & cœnobialem inibi vitam instituit tribus annis.

725. Saraceni ab Eudone in auxilium evocati Gallias præda & incendio vastant.

726. Carolus inita pugna magnam Saracenorum multitudinem una cum Rege eorum victor prostravit.

Ad oram hæc erant: Augia major, aliàs Sinthlas Avugia, mundatur & inhabitatur.

727. Carolus Burgundiam petens sibi eam subjecit. Sanctus Pirminius ob odium Caroli à Theodebaldo Gotifridi Ducis filio ex Augia pulsus Eutonem pro se constituit Abbatem, & ipse Alsatiam, alia instructurus cœnobia, petiit.

728. Eudo Dux moritur. & Carolus Aquitaniam sine bello recipit.

729. Carolus Fresiam invadit, Poponem Ducem pugna victum occidit, fana incendit, & victor rediit. Sanctus Egbertus Anglus presbyter obiit, ætatis anno 90. die Paschæ.

730. Saraceni collecto exercitu Avinnionem urbem capiunt, regionesque circumquaque devastant. Landfridus Dux Alamanniæ moritur.

731. Carolus Avinnionem, victis & cæsis Saracenis, inexpugnatam recipit. Beda presbyter & monachus, natione Anglus, Doctor mirificus, obiit. Romæ Gregorius III. Papa 92. sedit annos 10. menses 9. Tria Cœnobia, id est, Altaha, Morbach, & Favarias ex Augensibus fratribus instructa sunt, duodenis ad singula fratribus deputatis, & totidem Augiæ remanentibus.

Ad oram hæc erant: Altha inferior, Morbach, Phavoria Pfeffers.

732. Carolus Gothiam invadens, Regem Saracenorum Narbone inclusum obsidet. Euto Augiæ Abbas à Theodebaldo ob odium Caroli Muraniam relegatus: sed eodem anno pulso Theodebaldo à Carolo restitutus est.

733. Exercitus Saracenorum de Hispaniis Narbonam superveniens à Carolo commissa pugna ad internecionem deletur.

734. Saraceni item à Carolo pugna victi fugientesque naufragio periere. Augiæ Euto Abbas post 7. annos Kebam successorem relinquens, ipse Argentinæ Ecclesiæ Episcopus à Carolo promotus, non longè post sui nominis idem Ethenheim Cœnobium construxit.

735. Carolus item victus & protritis Saracenis cum præda magna & captivorum multitudine victor revertitur.

736. Carolus Gothos petiit, & nonnullas urbes eorum & castella diruens, victor rediit. Audonius Episcopus obiit. Augiæ defuncto post duos annos Keba, Ernfredus monachus Augiæ Abbas & Constantiæ Episcopus factus præfuit annis 10.

737. Carolus Saxones victos tributarios fecit.

748. Carolus provinciam petens Maurontem Ducem, qui Saxones invitaverat, fugavit.

739. Carolus totam provinciam suæ subjecit ditioni.

740. Victis circumquaque hostibus pax & quies regno Francorum per Carolum facta.

741. Romæ Zacharias Papa 93. sedit annos 10. menses 4. Carolus post multa fortiter facta moritur Carisiaci & apud sanctum Dionysium sepelitur: pro quo filius ejus, diviso inter se regno Francorum, Majores domus præfuerunt; Carolomannus annis 6. Pipinus annis 10.

742. Carolomannus & Pipinus rebellare molientem Hunaldum Aquitaniæ & Theodebaldum Sueviæ duces celeriter comprimunt.

743. Ipsi Duces Odillonem Bajoariæ Ducem sibi rebellantem prælio vincunt.

Fuld.

744. Carolomannus cum Odillone Duce pacem facit. Fuldense Cœnobium in saltum Bochonia à sancto Bonifacio Archiepiscopo fundatum est.

745. Carolomannus cum fratre Saxoniam rebellantem vastavit. Heseburg castrum cepit.

746. Carolomannus Alamannos iterum rebellare conantes comprimit. Sanctus Bonifacius annuente Carolomanno, autoritate Zachariæ Papæ duos in parochia sua episcopatus facit Wirtznburgensem scilicet, cui sanctum Burchardum; & Eichstetensem, cui sanctum Willibaldum comprovinciales suos primos Episcopos ordinavit. Sidonius Augiæ monachus, quintus ei loco Abbas, Constantiæque Episcopus factus, præfuit annis 13. qui cellam quoque S. Galli ambiens, iniquis principibus in damnatione sancti Othmari Abbatis consensit.

Wirtznburg Aichstet.

Ad oram erat: Sidonius nequam.

747. Carolomannus divino amore tactus mundo abrecunciavit, & Romam pergens mutato habitu monachum se in castro Cassino ad sanctum Benedictum fecit.

748. Gripho ex concubina frater Pipini, tyrannidem affectans, ad Saxones se con-

contulit, Pipinoque adveniente, pacificari cum eo nolens, in Bajoariam fugit. SÆC. XI. ANNO 1054.

749. Pipinus Bajoariam adiens, Thassilonem, sororis suæ Hildrudis filium, Ducem ibi constituit, Griphone & Landfrido inde abductis.

750. Pipinus Griphoni 12. comitatus in partibus Neustriæ dedit; sed ille rursum diffidens ad Vuayuarium Ducem Aquitaniæ transfugit.

751. Pipinus missis Romam legatis, Zachariam Papam de regno Francorum, & ignavis Regibus ejus Merovingis, nomine solo regnantibus, consuluit. Lantfridus Dux Alamannorum moritur.

752. Auctoritate Zachariæ Papæ, & non multo post Stephani (qui Papa XCIV. eidem in pontificatu 6. annos succedebat) deposito, ac dein tonso Rege Hilderico Merovingorum ultimo, Pipinus Rex Francorum electus, & Suesionis à S. Bonifacio Archiepiscopo unctus & consecratus; regnavit annis 17. Audogarius primus Campidonensis cœnobii fundator & Abbas locum illum incolere cœpit.

753. Pipinus Rex perfidam rursus Saxoniam vastat: ibique Hildigarius Coloniensis Archiepiscopus occisus est. Gripho, cùm Italiam petere moliretur, à Comitibus Pipini in valle Maurienna interimitur. Stephanus Papa, pro auxilio contra Haystulfum Longobardorum Regem poscendo, ad Pipinum Regem in Franciam venit, & filios ejus Carolum & Carolomannum Parisiis Reges unxit.

754. Sanctus Bonifacius Moguntinensis Archiepiscopus, cùm Fresonibus evangelizaret, martyrio ab eis coronatus est, anno Episcopatus 36. & apud Fuldense cœnobium sepultus: pro quo Lullus Archiepiscopus præfuit annis 32. Carolomannus frater Pipini, cùm ad eum pro dissuadenda expeditione Italica venire vellet, Lugduno obiit. Pipinus Italiam cum exercitu petit, & Haystulfum Regem, victum & Papiæ obsessum, obsides dare & res S. Petri sacramento reddere compulit. Stephanus Papa, Duce Hieronymo Pipini fratre, Romam rediit.

755. Haystulfus sacramentum contemnens Romam obsidet, omnia circum ferro & igne devastans: pro qua re Papa legatos marino itinere ad Pipinum questum & denuo auxilium obsecratum mittit.

756. Pipinus Rex iterum Italiam petens Haystulfum Papiæ inclusum, & Ravennam cum Pentapoli aliisque, quæ pervaserat, S. Petro & Domno Papæ per legatum suum Folradum reddere coartat.

757. Haystulfus Rex in venatu ex equo lapsus interiit: pro quo Desiderius regnavit. Constantinus Imperator inter alia munera Pipino Regi etiam organum misit.

758. Pipinus Saxonibus item superatis annuatim 300. equorum censum imponit. Romæ Stephano Papæ Paulus successit, sedit annos 10.

759. Vuaifarius tyrannidem in Aquitania exercens, pressuras Ecclesiarum, prædas, & incendia villarum facit. Sanctus Othmarus Abbas à Vuarino & Ruthardo, consensu Sidonii Episcopi, iniquè damnatus, & in insulam Reni Stein relegatus, migravit ad Dominum. Cujus abbatiam cùm Sidonius Episcopus & Abbas temerario ausu invasisset, ante altare sancti Galli, profluvio ventris percussus interiit: pro quo Joannes Augiensis item Monachus, Episcopatum & utramque Abbatiam accipiens, præfuit annis 21. qui primum Romanæ sedis privilegium Augiæ ab Adriano Papa impetravit.

760. Pipinus Aquitaniam seu Wasconiam invadens, Waifarium, quæ injustè invaserat, sacramento reddere compulit.

761. Waifarius sacramenta postponens cuncta, quæ potuit usque Cavillionem, ferro, præda & igne vastavit.

762. Pipinus cum filio Carolo Aquitaniam item petens plurimas urbes cepit, & plurimas sibi rebelles domuit.

763. Thassilo Dux de exercitu se subducens Bajoariam petiit.

764. Hyems frigore sæva & ultra solitum prolixa hoc anno accidit. Pipinus magnum conventum Carisiaci habuit.

765. Rodgangus Metensis Archiepiscopus corpora Sanctorum Gorgonii, Naboris, & Nazarii à Paulo Papa impetravit. Rudgangus.

766. Corpus sancti Gorgonii in Gorza Cœnobio; sancti Naboris in Novacella; sancti Nazarii in Laureshain conditum est.

767. Pipinus in Aquitania Lemovicam urbem expugnatam capit. Romæ Paulus Papa obiit: pro quo Stephanus sedit annos 4.

768. Pipinus occiso Waifario & subacta Aquitania, victor rediens 8. Calend. Octobris obiit Parisiis, ibique sepelitur anno ætatis 54. & Carolomannus 4. annos regnat.

Sæc. XI. Anno 1054.

769. Carolus & Carolomannus Hunoldum Aquitaniæ Ducem bello victum capiunt. Corpus sancti Othmari Abbatis post 10. annos, in insula, qua obiit, incorruptum repertum, ad Monasterium S. Galli translatum est.

770. Carolus filiam Desiderii Regis Longobardorum, adducente Bertha matre sua, uxorem duxit, sed statim eam repudiavit.

771. Carolomannus Rex obiit, & Remis sepelitur. Carolus Synodum magnam colligit.

772. Carolus Saxones petit, Eresburg castrum capit, idolum eorum Irminsul dictum diruit; & laborantem siti exercitum, datis divinitus in sicco quodam torrente aquis, reficere meruit: acceptisque pro pace 12. obsidibus rediit, Romæ post Stephanum Adrianus Papa sedit annis 24.

773. Carolus ab Adriano Papa pro defensione rerum sancti Petri rogatus Italiam petit, & claustris vi potitus, Desiderium fugientem Papiæ obsedit, & ipse Romam orandi gratia adiens Pascha inibi celebravit.

774. Longobardi cum Desiderio Rege suo Carolo se tradunt, anno, ex quo Italiam cum Alboino Rege intraverunt 205. ipseque regno eorum & thesauris potitus, abducto secum Rege cum conjuge sua victor rediit. Saxones pactum frangentes Hessios petunt: sed Ecclesiam apud Friteslar à sancto Bonifacio dedicatam, Deo prohibente, incendere nequeunt. Corpora Sanctorum Gordiani & Epimachi de Roma in Alamanniam translata sunt. Ecclesia sancti Nazarii Laureshain dedicata est.

Ad oram hacerant: Gordianus & Epimachus Campidonam sunt translati.

775. Carolus latè Saxonum terras vastat, & duobus eos præliis vasta strage superat. Reudgaudus Longobardus Italiæ regnum affectat.

776. Carolus item Italiam petit & Reudgaudum victum occidit. Saxones item rebellantes, Caroli præsidia bello petunt.

777. Saxones multa tandem cæde perdomiti, Carolo subduntur & Christiani efficiuntur, se suaque omnia tradentes, si ultra fidem violarent.

778. Carolus Hispanias bello petiit, & obsidibus acceptis, Wasconibusque & Narbaris subactis, rediit. interim Saxones iterum rebelles, Duce Midicundo, Francorum terminos usque ad Rhenum vastant, & insequente Regis exercitu magna ex parte cæsi fugiunt.

779. Carolus item Saxonibus pugna victis & subactis, obsides accepit. Fuldis Sturmi Abbas obiit, & Bagolf successit.

780. Carolus habito in Saxonia conventu & dispositis tàm Saxonum quàm Sclavorum rebus, ipse Romam orandi gratia adiit.

781. Pipinus filius Caroli Romæ ab Adriano Papa baptisatus est, & cum fratre Ludowico Rex unctus. Tassilo Dux Bajoariæ fidem subjectionis Carolo sacramento & obsidibus firmat. Constantiæ Episcopus & Abbas Joannes obiit: pro quo Egino Episcopus annos 32. & Petrus Augiæ Abbas annos 5. & apud sanctum Gallum Rudpertus Abbas annum unum præfuerunt. Inter alia prodigia Cruces multis in vestibus apparent. sanguis è terra & aëre fluxisse dicitur.

782. Carolus item in Saxonia conventum habens, legatos Danorum & Hunnorum audivit: quo reverso, Saxones, legatos ejus in Slavos cum exercitu missos, persuadente Widichindo, commisso prælio non sine magna clade sua interimunt. Ob quorum vindictam Carolus Saxonum 4500. decollare jussit. Apud sanctum Gallum Waldo Abbas præfuit anno uno & dimidio.

783. Hiltigardt Regina uxor Caroli 2. calend. Maii, & Bertha mater ejus 4. idus Julii obierunt. Carolus item Saxones bis acie confligens, magna strage vicit, Fastrandamque eo anno duxit uxorem.

784. Junior Carolus à patre in Saxoniam missus Westfaldos prælio vicit & domuit. Apud sanctum Gallum Werdo Abbas præfuit annos 25.

785. Widikind Saxo ad deditionem Caroli veniens baptisatus est, & tota Saxonia subacta est. Conjuratio Orientalium Francorum contra Carolum orta & compressa est.

786. Carolus misso per Antulfum exercitu, Britones domuit, & ipse Romam orandi gratia adiit: auctores conjurationis contra Carolum diversis pœnis mulctavit. Lullo Moguntiensi Archiepiscopo Riculfus successit. Augiæ post Petrum Waldo Abbas VIII. præfuit annis 20.

787. Carolus Beneventum petens obsides accepit. Ruddrud filia ejus Constantino Imperatori desponsatur. Eclipsis solis 15. calend. Octobris.

788. Tassilo Dux Bajoariæ infidelitatis & perjurii convictus à Carolo ducatu privatur.

tut. Græcorum exercitus à Francis & Italis vincitur. Item Hunni, qui & Avares à Caroli vincuntur exercitu. SÆC. XI.

789. Carolus valido undique collecto exercitu Albiam fluvium transit, & Sclavos præliis protritos subjugavit. ANNO 1054.

790. Hunc annum Carolus sine bello Wormaciæ quietus transegit.

791. Carolus trifariam diviso exercitu terras Hunnorum ingrediens ferro & igne devastat.

792. Synodo Ratisbonæ collecto hæresis Fœliciana damnata est. Conjuratio Pipini contra Carolum detecta, & supplicio auctorum punita est.

793. Pugna inter Saracenos & Francos in Gothia Saracenis superioribus commissa est. Saxones item more suo rebellant.

794. Synodo magna in Franconofurt habita; hæresis item Fœliciana damnata est. Fastrada Regina mortua & Moguntiaci sepulta est. Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, ab Episcopis damnata est. Carolus Saxonibus subactis, tertiam virorum partem transtulit. His temporibus Alcuvinus, qui & Albinus, apud Regem cæterosque vita & doctrina clarus habetur.

795. Saxones cùm Wizam Ducem Abodritarum ad Regem Carolum venientem peremissent, vastata item regione sua, puniti, obsides tradunt. Hunni quinque missis legatis se cum terra sua ipsi tradunt, Christianitatem promittunt.

796. Romæ defuncto Adriano Papa Leo tertius sedit annis 20. Principibus Hunnorum Cagano & Jugurto civili bello peremptis, terra eorum Carolus per Ehericum Forojuliensem Ducem & Pipinum suum filium potitus est, Tudunque princeps eorum ad ipsum veniens cum populo suo baptisatus & honorificè ad sua remissus est. Saxonia etiam iterum rebellis ab ipso pervasa vastatur.

797. Barcinona urbs Hispaniæ Carolo reddita est. Constantinopoli Constantinus Imperator à Græcis excæcatur. Saxonia item à Carolo usque ad Oceanum vastata, & in deditionem per obsides recepta.

798. Carolus in Saxonia cum exercitu hyemavit, & Transalbianos Saxones, qui & legatos ejus comprehènderant, latè vastavit; & per legatos suos conserto prælio 4000. ex eis occidit; reliquos pacem postulare & obsides dare compulit. Hadefuns Rex Galleciæ Carolo post munera pretiosa itemque manubias suas pro munere misit. Herena Constantini mater Imperatoris cæci legatos Carolo pro pace misit. Mauri piraticam exercere incipiunt.

799. Leo Papa, ut fama est, in Litania majore à Romanis lingua præcisa excæcatur: sed per Wirundum Abbatem & Winigisum Spolitanum Ducem ereptus atque in Saxoniam ad Carolum perductus est. Ehericus Dux Forojuliensis à Liburnis per insidias occisus est. Geroldus quoque præfectus Bajoariæ, signifer & consiliarius Caroli pius & religiosus contra Hunnos pugnans, occubuit; Augiæque, quam multis auxerat donis & prædiis, sepultus est. Waleares insulæ victis auxilio Caroli Mauris & Saracenis, liberatæ sunt. Britannia Cismarina per Wittonem Ducem Carolo subjicitur. Patriarcha Hierosolymitanus reliquias de Sepulchro Domini; & Azan præfectus civitatis, quæ dicitur Osca, claves urbis & alia præclara munera Carolo mittunt. Augiæ sancti Petri Basilica ab Eginone Veronensi Episcopo constructa & dedicata est.

800. Carolus Hierosolymam ad sancta loca insignia dona transmisit, ipse dispositis per Gallici maris littora contra piratas præsidiis, ad sanctum Martinum orandi gratia venit, ibique defunctam Luitgardam conjugem sepelivit. Inde Romam petens Leonem Papam se de illatis & non probatis criminibus purgantem sacramento, sedi suæ restituit, ibique hyemavit, Pipino filio in Campaniam prædatum misso.

801. Carolus in die Natalis Domini à Leone Papa corona imposita primus Regum Francorum Cæsar Augustus Imperator, succlamantibus Romanis laudes, appellatus est. Qui postea juxta leges Romanas, temeratores Leonis Papæ capitali sententiæ addixit; sed precibus ejusdem Papæ vita concessa, in exilium eos relegavit. Terræ motus magnus 2. Calend. Maii factus est.

802. Herena Imperatrix de Constantinopoli legatos item ad Carolum Imperatorem pro pace misit, & ille vicissim missis ad eam Jesse Episcopo Ambianensi, & Helmgaudo Comite pacem firmavit. Aaron Rex Persarum inter alia munera elephantum Imperatori Carolo misit. Franci Transalbianos Saxones vastant. Fuldis Baugolfo Abbati Radtgarius successit. Paulinus Patriarcha Forojuliensis seu Aquilegiensis obiit. Egino Veronensis Episcopus hac vita decessit, Augiæ in Basilica cellæ suæ sepultus est.

SÆC. XI. ANNO 1054.

803. Constantinopoli deposita Herena Niciferus Imperator factus, legatos Caroli Imperatoris, suis adjunctis, firmata pace remisit; quos ille suscipiens, compacto pacis litteris mandato dimisit. Sanguis Domini Mantuæ inventus Carolo Imperatori nunciatur: cujus rei veritatem perquirendam Leoni Papæ Imperator commendavit. Qua occasione arrepto itinere Papa ad Imperatorem venit & cum eo Natalem Domini Carisiaci celebravit.

804. Domnus Papa ab Imperatore magnis muneribus donatus, Bajoariam rediit. Carolus Imperator Transalbianos Saxones cum mulieribus & natis in Franciam transtulit, & pagos eorum Abodritis dedit. Richpoto Treverensis Archiepiscopus obiit.

805. Carolus junior à patre missus, Boëmiam, occiso Rege Lechone, subjugavit. Imperator Cagano apud Hunnos priscum honorem reddidit.

806. Carolus Imperator inter tres filios regnum divisit. Carolus junior Sarabos vastavit, & Miliduch Ducem eorum occidit. Item misso exercitu Boemia vastatur. Pipinus Rex filius Caroli Mauros de Corsica insula pepulit. Augiæ Waldone Abbate, ad regendum sancti Dionysii Cœnobium transposito, Heyto nonus Abbas præfuit annos 17.

807. Aaron Rex Persarum inter alia multa & pretiosa munera artificiosum satis Carolo Imperatori misit horologium. Classis à Carolo Imperatore missa, Mauros item in Corsica commisso prælio multis cæsis fugavit.

808. Godafridus Rex Danorum & Nortmannorum, multo militum suorum damno, cum Abodritis bello conflixit & vicit. Carolus junior Linones & Simeldingos, qui ad Godafridum defecerunt, vastavit. Rex Nordanumbrorum Cardolf regno pulsus, primo ad Carolum Imperatorem ac deinde Romam questum venit.

809. Ludowicus filius Imperatoris Hispaniam petiit. Cardolf in regnum suum per legatos Papæ & Imperatoris remittitur. Quæstio de processione Spiritus Sancti, Synodo habita ventilatur. Imperator contra Godafridum castrum Esesfeld trans Albiam ædificat. Trasco Dux Abodritarum cùm fortiter multa contra perfugas Godafridi suosque desertores fecisset, à militibus ejus dolo occisus est. Apud S. Gallum Wolflec Abbas præfuit annos 4.

810. Riddrud filia Imperatoris 8. Idus Junii obiit. Godafridus missa magna classe, Fresonibus ter prælio victis tributum imposuit: Cui cùm Imperator Carolus jam cum exercitu occurreret, elephas, quem Aaron miserat, subito moritur; classisque reversa: & Godafridus, qui se cum ipso Imperatore acie conflicturum minitabatur, domi à suis peremptus nunciatur. Castellum quoque * Hochbd'ch super Albiam situm cum præsidio suo à Wilzis captum. Pipinumque filium suum Italiæ Regem 8. Idus Julii defunctum didicit. Hispani itemque Græci per legatos cum illo pacem firmant. Maxima boum pestilentia hoc anno facta. Hemmingus Rex Danorum filius Godafridi cum Imperatore pacem fecit.

811. Heyto Abbas Augiæ & Episcopus Basileæ cum Hugone & Hajone Comitibus Constantinopolim missus hodœporicum suum scripsit. Interim Nicephorus Imperator cum Vulgaribus pugnans occisus est. Tandem Michaël Imperator factus legatos Caroli Imperatoris remittit. Tres exercitus fausto omine, in Linones, in Pannonias, in Britones ab Imperatore mittuntur. Carolus Rex filius Imperatoris 2. Nonas Decemb. obiit.

812. Hemungo Rege mortuo, orto inter Danos & regni primatum prælio 10940. cecidisse feruntur. Michaël Imperator Legatis Caroli remissis, suos etiam pacem confirmatum misit. Beneventani 25000. solidorum auri tributum Carolo persolvunt. Classis Danorum Hyberniam invadens à Scotis victa est.

813. Carolus Imperator Amalharium Trevirensem Archiepiscopum & Petrum * Antulanum Abbatem item Constantinopolim misit, quorum hodœporicum item scriptum habetur. Ipse Ludovicum consortem imperii, Berinhardum quoque Pipini filium nepotem suum Italiæ Regem fecit. Quina permagna concilia Mogonciaci, Remis, Turonis, Cacillonis, Arelati pro statu Ecclesiarum fieri jussit. Pons Mogonciaci super Rhenum à Carolo structus incendio periit. Constantiæ Egino Episcopus obiit; Post quem Wolflech Episcopus factus, qui Cœnobium S. Galli 4. jam annis tenuit. Apud S. Gallum Gozbertus Abbas præfuit annis 27.

*f. Nonantulanum.

814. Carolus Imperator magnus cùm prius thesauros suos inter 21. Archiepiscopatus regni sui cæterosque Episcopatus & Ecclesias divisisset, febre & pleuresi pulsatus 5. Calend. Februarii Aquisgrani obiit, ibique honorificè sepultus est, anno ætatis 71. regni 47. subjectæ Italiæ 44. Imperii 14. Indictione 7. pro quo filius ejus Ludovicus, cogno-

cognomento Pius, regnavit ann. 27. qui statim auditis & absolutis diversarum gentium legatis, generale colloquium Aquisgrani habuit, & multa per totum regnum perperam gesta correxit.

815. Exercitus Herioldo Danorum Regi ad auxilium à Ludovico Rege missus, 40. obsides ab hostibus accipit. Quidam ex Romanis primoribus, in necem Leonis Papæ conjurantes, puniuntur.

816. Sorabi itemque Wascones rebellare molientes comprimuntur. Leone Papa 8. Calend. Junii defuncto, Stephanus sedit mensib. 7. Qui ad Ludovicum Regem in Franciam veniens, Remis eum Imperatorem coronavit, muneribusque & amicitia mutuo illi junctus Romam rediit. Imperator, Synodo collecta, multa de statu & religione Coenobiorum bene disposuit. Augiæ Basilica S. Mariæ ab Heytone Abbate & Episcopo constructa dedicata est.

817. Stephano Papa 9. Calend. Februarii defuncto, Paschalis sedit annis 7. Eclipsis solis Nonis Februarii facta, & cometa visus est. Legati Leonis Imperatoris de Constantinopoli pro pace ad Ludovicum veniunt Imperatorem. Ludovicus Imperator Lotharium primogenitum suum imperii consortem Ludovicum, & Pipinum filios suos Bajoariæ & Aquitaniæ Reges præfecit. Sclaomir Dux Abodritarum rebellat. Bernhardus Rex Italiæ rebellare molitus, cùm rebus suis desperaret, patruo Imperatori ad deditionem venit. Ratgarius Fuldensis Abbas à fratribus accusatus & convictus deponitur.

818. Bernhardus Rex item rebellionis convictus, judicio Francorum excæcatus moritur, complicesque ejus diversis modis puniti, Episcopique depositi sunt. Ludovicus Imperator Cismarinus Britannos rebellantes, exciso Marmanno Duce eorum, domuit. Eclipsis solis 8. Idus Julii facta. *Irnimgarth Imperatrix obiit 5. Non. Octob. Fuldis Eigil Abbas constituitur.

* Irmingarth

819. Sclaomir Dux Abodritarum, exilio damnatus, & regnum ejus Ceaddrogo Trasconis filio datum. Synodo Aquisgrani habita, multa de statu Ecclesiarum & Coenobiorum tractata sunt. Imperator Judith filiam Welphi Comitis duxit uxorem: ex qua Carolum genuit. Pipinus filius Imperatoris Wascones rebellantes subjicit. Exercitus in Pannonias contra Luidwidum Slavum rebellantem, parvo effectu, mittitur. Fuldis Ecclesia S. Bonifacii ab Herstolfo Archiepiscopo dedicata est.

820. Tres exercitus contra Luidwidum ex diversis partibus immissi, Pannoniam magna ex patre in devastant. Bera Comes Barcionæ, reus majestatis, duello convictus, exilio damnatur. Ex inundatione pluviarum nimia, pestilentia magna & fames facta.

821. Ludowicus Imperator regnum inter filios dividit, exilia relaxavit, debita cunctis dimisit, possessiones in fiscum redactas restituit. Lotharius filius ejus uxorem duxit. Ceadrogo Dux Abodritarum perfidiæ notato, Sclaomir exilio revocatus, tactusque morbo, percepto baptismate obiit.

822. In Thuringia cespes longitudine 50. pedum, latitudine 14. altitudine 18. de loco suo, 25. pedes translatus, integer invenitur. In Orientali Saxonia nocte quadam juxta lacum Artisco, tellus per spatium leugæ unius in modum aggeris intumuit. Ludowicus Imperator de publicis peccatis suis publicam poenitentiam egit, & quæque in regno suo corrigenda correxit. Lotharius in Italiam; Pipinus, ducta uxore, in Aquitaniam Reges missi sunt. Fuldis Eigil Abbas obiit: Cui Rabanus vir doctus & divinorum tractator egregius successit. Augiæ Heytone Abbate & Episcopo privatam & quietam vitam adoptante, Erlebaldus Abbas XIII. præfuit annis 13. Ebo Remorum Archiepiscopus genti Nordmannorum verbum Dei prædicat.

823. Lotharius Rex Italiæ, rogante Papa Paschali, Imperator ab eo Romæ coronatur. Luidwidus Pannoniæ tyrannus in Dalmatiam transfugiens, dolo Ducis provinciæ peremptus est. Inter alia prodigia, terræ motus Aquense Palatium concussit. In territorio Tullensi puella quædam duodennis triennio ferè sine cibo & potu sana & manibus suis laborans permansit. In pago Saxoniæ Firihsazn 23. villæ & in aliis provinciis ultra solitum plures fulmine crematæ: fulgura crebro sereno cælo cecidere, agri præter solitum multi grandine vastati, veris inter ipsam & magnis lapidibus, quibusdam in locis, decidentibus, pestilentia quoque ingens facta.

824. Rex Vulgarorum Omartag pro pace ad Imperatorem Ludowicum misit. Romæ Eugenius Papa post Paschalem sedit annis 3. Hyems præter solitum frigida & prolixa.

In territorio Augustudunensi glacies de aëre cecidisse dicitur 15. pedum longa, 7. lata, 2. grossa. Ludovicus Imperator filium suum Lotharium pro quibusdam corri-

SÆC. XI. ANNO 1054.

gendis Romam misit. Ipse rebellantem Britanniam ferro & igne vastans domuit. Augiæ Wetinus monachus è corpore ductus & reductus, post triduum obiit: cujus visiones Heyto Episcopus prosa; & Walachfridus heroico metro scripsit.

825. Item Rex Vulgarorum legatos pro terminis regnorum dirimendis Imperatori mittit, Wiomarcus Brotto Francorum terminos infestans; à militibus Lantperti Comitis in domo propria peremptus est. Imperator cum filiis Godafridi pacem fecit.

826. Item Vulgarorum Rex legatos insolentius pro terminis sine mora statuendis Imperatori mittit: quos Imperator negligentius remisit. Herioldus Rex Danorum cum uxore & filiis & magna suorum multitudine Mogontiaci baptisatus est. Georgius quidam * pr Veneticus organum Ydraulicum Aquisgrani fecit. Aizo Gothus de palatio ad Saracenos se conferens rebellare tentavit. Hildowinus de sancto Dionysio Abbas, ab Eugenio Papa ossa beati Martyris Sebastiani impetravit, quæ Suessionis in Basilica sancti Medardi locata variis & innumeris refulsere miraculis.

827. Exercitus Saracenorum Aizoni ad auxilium missus, Pipino Rege tardius resistente, territorium Barcinonensium & Gerundensium vastavit. Vulgari turbata pace Pannoniam per Dravum fluvium navibus invadunt, vastant, sibique subjiciunt. Corpora Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri in Franciam translata sunt, mense Novembri. Romæ post Eugenium Valentinus Papa sedit diebus 40. & post hunc Gregorius IV. Papa sedit annis 16.

828. Reliquiæ sancti Marcellini Aquisgrani allatæ, plurimis glorificantur miraculis. Imperator Lotharium filium ad terminos Hispaniæ contra Saracenos, Ludovicum verò contra Vulgaros in Pannonias cum exercitu misit. Rupto incautè pacto cum Nordmannis fœdere, castra nostrorum ab ipsis direpta sunt.

829. Aquisgrani terræmotus Sabbato sancto Paschæ factus. Generalis conventus mense Augusto Wormaciæ ab Imperatore habitus. Vulgari item navibus per Dravum invecti, Pannoniam vastant. Lotharius filius Imperatoris in Italiam proficiscitur. Bernhardus Comes Barcinonensis Camerarius Imperatoris contra voluntatem Francorum factus.

830. Dissensio Principum contra Imperatorem propter Bernhardum mota; ipsa eo pulso ad tempus modicum, sedatur. Corpus sancti Marci Evangelistæ, sub nomine Valentis Martyris Ratholdus Veronensis Episcopus à Duce Venetiæ impetravit, & cum corpore Genesii martyris in Augiam insulam attulit. Basilica sancti Galli à Gozberto Abbate incepta.

831. Imperator conventu Noviomagi habito, omnes, qui sibi contrarii fuerant, honoribus privavit, quosdam etiam prædiis spoliavit, quosdam exilio relegavit; animosque tàm filiorum quàm cæterorum contra se & Judith uxorem suam graviter irritavit.

832. Imperator contra filium Ludovicum cum exercitu Augustam Vindelicam venit: quo resistente, contra alterum filium Pipinum ad Aquitaniam se convertit, eumque regno privavit: sed inde rediens, timore filiorum, uxore abdicata, difficulter Aquense palatium repetiit. Eclipsis solis 2. nonas Maii, & Lunæ 13. Calend. Junii facta.

833. Imperator recepta uxore, contra filios ad se venire volentes, collecto exercitu, in Alsaciam arma movit; ibi veniente cum filiis Gregorio Papa, Imperator à suis proditus ac derelictus in filiorum suorum potestatem devenit.

834. Imperator judicio Episcoporum, armis depositis, ad agendam pœnitentiam includitur, & uxor ejus in Italiam relegatur: sed mox æstate, recepta uxore & armis, Lotharium filium in Italiam repulit. Eodem anno pugna contra Machstedum & Lantpertum facta, in qua inter alios plures cecidit Odo comes Aurelianensis & Theodo Abbas Turonensis.

835. Imperator cum filiis Pipino & Ludovico Lugduni magnum habuit conventum. Nordmanni Dorestatum vastant. Basilica S. Galli dedicata est.

836. Imperator conventum apud Theodenhove palatium habuit: ad quem Lotharius filius ejus gravi morbo detritus venire non potuit. Nordmanni Andowerpam urbem & in ostiis Mosæ situm Witlam emporium incendunt, & à Fresonibus tributum accipiunt. Augiæ Heyto Episcopus obiit & sepelitur.

837. Ticinum 3. Calend. Januarii octies noctu tremuisse dicitur. Multi Principum Italiæ morbo absumpti. Cometa in signo libræ visus. Nordmanni in Walcra insula, commissa pugna 15. Calend. Junii multos interimunt: Itemque Dorestatum vastantes tributum à Fresonibus accipiunt.

838. Terræ

838. Terræ motus 15. Calend. Februarii vespere factus. Naves contra Nordmannos ædificatæ. Imperator optimam partem regni filio juniori Carolo dedit. Lotharius & Ludowicus fratres in Tridentina valle inter se colloquium habuere. Imperator habito Noviomagi conventu, consilio quorundam, Ludowico filio regnum Orientalium Francorum, quod ab eo acceperat, interdixit. Quod ille invidia pravorum factum sciens, cùm idem regnum invasisset, Imperator collecto exercitu, eum expellere statuit. Pipinus Rex Aquitaniæ, filius Imperatoris, mense Novembris obiit. Apud sanctum Gallum Gozberto Abbati Pertiwicus successit. Augiæ Erlebaldo Abbate cedente Rddhelm Abbas XI. præfuit annis 4.

839. Ludowicus Patri Imperatori cedendum ratus, in Bajoariam rediit. Imperator celebrato juxtà Brigantinum lacum Pascha, postea habito Wormaciæ conventu, Lothario de Italia venienti reconciliatur, ipsique & Carolo filio regnum partitur, Bajoaria tantum Ludovico, qui eum offenderat, relicta. Lotharioque Italiam repetente, ipse cum filio Carolo ad disponendam proficiscitur Aquitaniam. Cometa in signo Arietis, cælum instar sanguinis rubeum, igniculique per äera discurrere visi.

840. Ludowicus se privatum dolens, multis sibi adunatis per Alamanniam, quasi debitum repetens regnum, Francofurt venit. contra quem pater Imperator Ludowicus relicta Aquitania copias colligit, eumque per Thuringiam ad barbaros pulsum per Sclavorum gentes laboriosè Bajoariam repetere coëgit. Ager quasi sanguis coagulatus in Paschæ tempore rubeus apparuit. Eclipsis solis 7. Idus Maii post sextam diei horam facta. Imperator Ludovicus morbo correptus, & in quandam Rheni insulam prope Ingeleheim, designato in imperium Lothario filio, 12. Calend. Julii obiit, & Mettis in Ecclesia sancti Arnolfi sepultus est. Lotharius de Italia rediens, regnum accepit: quod fratribus ejus Ludovico & Carolo non ferentibus, primus ei Ludowicus cum copiis Orientalium Francorum Moguntiaci occurrit; vixque pugna dilata; cùm Lotharius contra Carolum Gallias peteret, Ludowicus sibi Francos Orientales, Saxones, Thuringios, Alamannos, Bajoariosque confœderat.

841. Ludowicus cùm Orientalem Rheni ripam præsidiis occupasset; Lothario, omissa Caroli insecutione, redeunte, & mense Aprili juxta Wormaciam clam Rhenum cum exercitu transeunte, à quibusdam suis pene proditus & à fratre circumventus, in Bajoariam redire compulsus est: Lothariusque relicta ad præsidium Rheni copiarum parte, ad persequendum rediit Carolum. Interim Ludowicus ad auxilium Caroli per nuncios revocatus, occurrentibus in Retiensi territorio relictis Lotharii copiis, 3. Idus Maii pugna conflixit, & Adalbertum Comitem cum multis aliis victor prostravit. Inde transito Rheno adunatis cum fratre Carolo copiis, cùm Lothario monarchiam appetente, de partitione regni concordare non possent, juxta Fontinatam villam 7. Calend. Julii acie confligunt, & innumera strage commissa Ludowicus & Carolus castris potiti sunt: Lotharius verò fugiens Aquense palatium petit, & recollectis undique copiis digressos à se invicem fratres, primo Ludovicum autumno, & hyeme Carolum in Galliis frustra persequi laboravit. Cometa in signo Aquarii 8. Calend. Januarii visus. Grimaldus Archicappellanus Ludovici cœnobium sancti Galli beneficii loco ab eo accipiens tenuit annis 31.

842. Visa fratris pertinacia Ludovicus & Carolus copiis collectis, apud Argenturacum conveniunt, eumque persequi statuunt, & apud Sentiacam villam, Viventum, cùm à suis desereretur, 17. Calend. Aprilis fugere compellunt, regnumque ejus cis Alpes inter se dispertiunt, qui rursum collecto exercitu apud Madasconam Galliæ urbem eos expectat; tandemque cum cunctis pacem quàm bellum malentibus ter quadragenis proceribus regnum in tria partiendum die statuta mandant. Ludovicus in Saxonia conjurationem libertorum contra dominos, auctoribus capite plexis, compescuit. Cum legati statuta die concordare non possent, partitio in aliud tempus differtur. Augiæ Walachfridus Strabo vir doctus Abbas 12. præfuit annis 7. multa ingenii sui monumenta prosa & metro reliquit.

843. Descripto regno & in tria diviso, fratribusque Viridum convenientibus, Lotharius cum Imperatoris nomine Italiam & Galliam Belgicam, quæ nunc usque abeo regnum Lotharii dicitur; Ludovicus Germaniam, Pannonias, Noricum & Alamanniam; Carolus reliquas Galliarum provincias accipiunt: firmataque sacramento pace digressi sunt. Carolus Aquitaniam Pipino fratris sui Pipini filio auferre moliens, eumque infestans, plurima proprii exercitus damna pertulit. Judith Imperatrix obiit. Romæ Gregorio Papa defuncto, Sergius II. sedit annos tres. Mauri Beneventum occupant.

844. Carolus Rex Galliarum Bernhardum Barcinonensem Ducem nihil mali suspican-

SÆC. XI. ANNO 1054.

cantem occidit. Exercitus ejusdem à Pipini Ducibus pugna victus est 7. Idus Junii, ceciditque cum multis aliis nobilibus Raban signifer ejus, & Hugo, Richpotoque Abbates. Ludovicus Rex Germaniæ, Abodrites defectionem molientes, occiso Rege eorum, bello perdomuit, & per Duces dispofuit. Rabanus Fuldensis Abbas librum, quem de laude sanctæ Crucis variis figuris metroque composuit, Sergio Papæ transmisit. Remis post Ebonem Hincmarus vir doctus Archiepiscopus ordinatur.

845. Nordmanni regnum Caroli vastantes Parisios usque per Sequanam navigio veniunt, acceptaque ab eo magna pro pace pecunia discedunt. Item in Fresia semel victi, & bis victores, magnas hominum strages faciunt. Item in Saxonia Hemmeburg populati, non multi redeunt. Carolus Rex inita cum Brittonibus pugna, pluribus amissis, vix cum paucis effugit. Ludovicus Rex quatuordecim ex Ducibus Boëmanis ad fidem conversos baptisari fecit. Lotharius Imperator Burgondiones rebellare molientes ad deditionem coëgit.

846. Gisalbertus Caroli miles filiam Lotharii Imperatoris vi rapuit; unde iratus Lotharius cum Carolo, licet Ludovico satagente, pacificari noluit. Ludowigcus Marahensibus Sclavis compressis, Rastizen Ducem constituit, & per Boëmiam cum gravi damno exercitus rediit. Mauri cùm Romam petentes, urbem ipsam capere non possent, Ecclesiam S. Petri vastant. Romæ Leo IV. sedit annis 8. mensib. 3. qui castrum, quod Leontianum vocatur, ad Ecclesiam S. Petri communiendam construxit.

847. Lotharius & Ludovicus se vicissim invitantes mutuo conviviis regiis muneribusque fruuntur. Nordmanni iterum Dorestatum incendunt. Mogontiæ Otgarius Archiepiscopus obiit: pro quo Rabanus Fuldensis Abbas doctissimus Archipræsul sedit annis 9. Qui mox Ludovico jubente, Synodum magnam Mogontiaci collegit: ubi inter alia Thiota Pseudoprophetissa, ex Salamonis Constantiensis Episcopi parochia, correpta, & publicè flagellis cæsa, tandem à vaticiniis quæstum quærentibus obticuit.

848. Ludowicus Rex misso filio Ludowico Boëmanos compressit & obsides dare compulit. Gotescalcus quidam presbyter quosdam homines ad vitam, quosdam ad mortem inevitabiliter adeo prædestinatos dogmatisans, in conventu Episcoporum Mogontiaci convictus de regno Ludovici pellitur, & Remis ad Hincmarum Episcopum suum mittitur.

849. Exercitus à Ludovico Rege contra Boëmanos item rebellantes missus cùm pactum & obsides hostium petentium pacem contempsissent, turpiter ab ipsis cæsus & spoliatus, obsides dedit, & cum dedecore rediit. Terræ motus factus est Augiæ. Walachfridus Abbas Strabo obiit: pro quo Folcwinus XIII. præfuit annis 9.

850. Nordmanni Godefrido Duce per Sequanam ascendentes regnum Caroli vastant: Contra quos Lotharius Imperator in auxilium evocatus, cùm se pugnaturum cum hostibus crederet, Carolus timore perculsus Gothefridum cum suis in societatem regni assumit, eisque terram ad inhabitandum dedit. Fames magna Germaniam & maximè circa Rhenum oppressit. Et Rabanus Episcopus multos pauperes aluit.

851. Ludovicus Rex Sorabos, terminos Francorum infestantes, vastata regione eorum, perdomuit. Pipinus Rex comprehensus à suis, à patruo Carolo traditus, & ab eo tonsus Suessionis in Monasterium sancti Medardi retrusus est. Similiter & Carolus frater ejus junior, cum ad ipsum proficisci vellet, à Comitibus Caroli ejusdem captus, eoque jubente tonsus in Corbeiense Cœnobium custodiæ traditus est.

852. Magna Synodus & generalis conventus Mogontiaci à Rabano Archiepiscopo & Ludovico Rege habita, multaque correcta sunt. Herioldus Nordmannus diu bene à Ludovico tractatus, suspicione proditionis à quibusdam Francis punitur. Translatio sancti Remigii Remorum Archiepiscopi ab Hincmaro ejusdem urbis Archiepiscopo Calendis Octob. facta.

853. Nordmanni per Ligerim ascendentes & Gallias vastantes, Basilicam quoque sancti Martini Turonis incendunt. Aquitani Caroli injurias questi, Ludovicum, ut super se regnet, vel filium Regem donet, solicitant.

854. Ludovicus æquivocum filium Aquitaniam mittens, instabiles eorum animos deprehendens contempsit. Nordmanni ex diversis, quas jam per viginti annos vastabant, regionibus collecti vulgus innumerum totumque genus regium usque ad unum puerum mutua cæde mactaverunt.

855. Apud Mogontiacum terra vicies tremuisse fertur. Insoliti aëris turbines & gran-

grandines, fulgura & tonitrua facta. Ecclesia sancti Kiliani fulmine cremata Nonis Junii, postea muri turbine diruti sunt. Gozpaldus ipsius urbis Episcopus obiit: Cui Arnus successit. Ludovicus Rex Rastizen Ducem Marahensium Sclavorum petens, vastata ex parte regione, subjugare nequivit: quo reverso Marahenses secuti contigua trans Danubium loca vastant. Lotharius Imperator relicto mundo, divisoque inter filios regno, monachum se Prumiæ fecit, & non multo post 3. Calend. Octob. ad regnum cæleste migravit. Post quem filius ejus Ludovicus Imperator Italiam, & Lotharius Cisalpinas partes regni tenuere. Igniculi crebri instar spiculorum ab Oriente in Occidentem per aëra ferri 16. Calend. Novemb. per totam noctem visi.

856. Rabano Mogontiensi Archiepiscopo 11. Non. Februarii defuncto, Carolus Pipini Regis Aquitaniæ filius, qui è custodia Corbeiensis Cœnobii ad patruum Ludovicum transfugerat, Archiepiscopus ab ipso promotus, præfuit annis 8. Hildigart Regina obiit. Fuldis Hatto Abbas obiit, Thietoque successit. Ludovicus Rex per Sorabos transiens, auxiliaque inde assumens, Dalmatas bello victos tributarios facit, & Boëmanos nonnullos eorum in deditionem accipiens rediit. Romæ Leone defuncto, Benedictus Papa sedit annis duobus mensibus 6.

857. Exercitus item à Ludovico Rege in Boëmiam missus Sclavitam tyrannum in Marahenses pepulit. Synodus à Carolo Mogontiæ Archiepiscopo collecta. Tempestas valde terribilis Coloniæ 7. Calend. Octob. facta, & fulmen instar ignei draconis Ecclesiam S. Petri penetrans, tres homines diversis in locis extinxit, plures prostravit. Terræ motus magnus Calend. Januarii factus est.

858. Lotharius Rex filius Lotharii Imperatoris contra Ludovicum Regem patruum suum cum Carolo Rege alio patruo suo conjuravit. Ludovicus Rex legatione populi, de tyrannide Caroli flebilia conquesti, solicitatus, diu cunctabundus, Gallias tandem cum exercitu intrat; cunctisque pene ad eum conversis, Carolus fugit: ipse plus æquo securus, proprio exercitu remisso, regnum illud, prout voluit, disposuit. Sed fraus quorundam fratrisque Caroli versutia incautum ibi circumvenisset, nisi fama rebellantium Soraborum proprio auxiliatum regno maturius eum revocasset; quo redeunte Carolus regnum suum recepit. Augiæ Folwino Abbati Waltheri XIV. successit annis 6. Villam quandam juxta Mogontiam & Renum, Cammunti vocatam, nequam spiritus primò invisibiliter responsa dando, furta prodendo, deinde etiam lapidibus jactis & domorum incendiis homines persequendo per triennium infestans, vastam reddit. Romæ post Benedictum Nicolaus Papa sedit annis 9.

859. Ludovicus Rex frequentibus missis legatis cum fratre Carolo & Lothario Rege fratruele pacificari satagens, tandem cum denominatis viris ad secretum cum eis colloquium veniens, diem pacificationis condixit. Legatos etiam Nicolao Papæ & Ludowico Imperatori fratrueli suo se de invaso fratris regno excusatum misit. Crebri terræ motus Moguntiacum concutiunt; ibique Probus presbyter religiosus & sanctus obiit 7. Calend. Julii.

860. Hyems nimis sæva & prolixa terræque frugibus noxia facta est; adeo ut & Jonium mare glaciatum usque Venetiam equis & carpentis se meabile præbuerit. Ludovicus & Carolus Lothariusque Reges in Confluente castro convenientes, pacificantur, mutuum sacramento pactum confirmantes.

861. Ludovicus Rex habito Ratisbonæ conventu, aliquot primates suos infidelitatis accusatos deposuit. Item contra majorem filium suum Carolomannum Carantani Ducem, quasi novas res contra se molientem, iratus est. Fames validissima hoc anno facta. Meginradus Augiæ monachus & primus incola eremi, quæ Turicino adjacet lacui, à quibusdam latronibus inibi 12. Calend. Februarii peremptus, post mortem virtutibus claruit, Augiæque sepultus est: à quo usque hodie eremus ipsa à sanctis & religiosis culta viris, in nobile & famosum jam dudum excrevit Cœnobium. *Sanctus Meginradus.*

862. Lotharius Rex, faventibus Archiepiscopis, Gunthario Coloniensi, Theodgaudo Trevirensi, repudiata Tiothpirga uxore legitima, Waldradam concubinam sibi conjunxit, Synodo, ad hoc quasi jure machinandum, Mettis collecta. Carolomannus objecta excusans cum patre pacificatur. Ludovicus Rex Abodritos rebellantes petens, obsides dare coëgit.

863. Carolomannus item apud patrem adeò innocens accusatus est, ut patrem contra se venientem, à suis proditus & ducatu privatus, vix innocentiam probans placaverit. Synodus coram Arsenio legato Nicolai Papæ Mettis habita, & Guntharius Theotgaudusque Archiepiscopus, pro roboranda, quam machinati sunt, Lotharii Regis causa, Romam missi; Synodo Romæ à Nicolao Papa collecta, ab ordine depositi, & cum Synodo sua anathematizati; Lothariusque Rex, nisi resipisceret, ex-

SÆC. XI. ANNO 1054.

communicatus est. Moguntiæ Carolo Archiepiscopo defuncto Luitpertus successit. Nonnulli ex Hunnis Christiani effecti sunt.

864. Guntharius Coloniensis, qui contumeliose Domno Papæ rescripserat, & contra interdictum ejus officium Episcopale usurpaverat, pœnitentia ductus Romam ad eum venit; sed minimè reconciliari meruit. Ludovicus Rex Germaniæ Rastizen Marahensium Ducem petens & apud Dowinam castrum obsidens, jussos obsides dare & in jusjurandum subjectionis iterare coartat. Ipse item Ludovicus & frater ejus Carolus Rex Galliarum convenientes, debita sibi invicem relaxant, & fœdus pactumque innovant & confirmant. Augiæ post Waldharium Abbatem Heyto XV. præfuit annis 7. Translatio S. Othmari in Basilicam S. Galli.

865. Riddosus Fuldensis presbyter & monachus, doctor, poëta, & historicus satis doctus 8. Idus Maii obiit. Arsenius Episcopus, Domni Papæ Nicolai legatus, pacem inter Ludovicum Regem & fratruelem ejus Ludovicum Italiæ Imperatorem reintegravit. Ipsique Lothario fidem connubii per sacramenta 12. Principum suorum pollicenti Thiotpirgam conjugem reconciliatam reddidit: Waldradam concubinam in Italiam relegavit; multisque apud Carolum per Gallias dispositis, honoratus à Regibus & donatus Romam rediit.

866. Ludovicus junior propter quædam beneficia sua, fratri Carolomanno data, Ludovico Regi rebellare multo studio molitus, & facile victus, tandem Luitperto Archiepiscopo mediante, patri reconciliatus est. Gundpaldus miles Carolomanni contra ipsum pugnare ausus, amissis copiis victus vix aufugit. Vulgari missis à Nicolao Papa & Ludovico Rege prædicatoribus, fidem Christi suscipiunt.

867. Lotharius Rex promissis suis Principumque sacramentis posthabitis, conjugem Thiotpirgam denuo injurians, Waldradæ revocatæ clam se miscuit. Unde motus Papa Nicolaus, missis ad diversos literis, cum cunctis illum complicibus suis excommunicavit. Rudpertus fortissimus de regno Caroli Comes, alter sui temporis Machabeus, qui Nordmannos & Brittones magnis sæpe protriverat præliis, apud Ligerim fluvium, cum Nordmannis fortiter dimicans, occubuit. Terræ motus magnus septimo Idus Octob. factus.

868. Synodus magna Wormaciæ coram Ludovico Rege collecta est, & multa inibi pro statu Ecclesiæ decreta. Mense Majo Romæ defuncto Papa Nicolao Adrianus secundus sedit annis 5. ad quem cum Lotharius Rex venisset, & frustra opitulante fratre Ludovico Imperatore, pro Waldradæ matrimonio fategisset, nihil profuit. Cometa visus, inundatio & illuvio magna facta, famesque & pestilentia ingens secuta est.

869. Boëmani Bajoariæ fines infestant. Sorabi & Suisli itemque Boëmani Turingiam vastant. Carolomannus bis numero copiis Rastizi pugna congressus vicit & prædas ingentes abduxit, Gundacrumque perjurum refugum suum divinitus in pugna debilitatum inibi occidit. Lotharius Rex cum complicibus suis se apud Adrianum Papam de illatis criminibus excusans, & corpus Domini temerariè ab eo accipiens, domumque rediens, mense Julio Placentiæ periit, fautoresque sceleris pene omnes interiere: regnumque ejus patruus Carolus invadens Mettis se coronari Imperatoremque jussit appellari. Interim Ludovicus Rex usque ad desperationem Ratisbonæ ægrotans thesaurosque suos Ecclesiis pauperibusque dispensans tres filios suos cum totidem exercitibus contra diversos miserat hostes. E quibus Carolus cæteris junior cunctis Rastizi munitionibus captis, totam Marahensem regionem ferro, igne, prædaque vastavit. Carolomannus regnum Zwentibaldi nepotis Rastizi nihilominus depopulatur. Ludovicus verò Sorabos & eorum complices bis pugna victos ad deditionem compulit. Fames valida & pestilentia facta.

870. Ludovicus Rex ex infirmitate convalescens multos ex regno Lotharii ad se venientes suscepit, postea ad colloquium obviam fratri Carolo venturus de solario quodam cum multis aliis, cadente ædificio, corruit, & graviter colliso corpore costisque confractis, dissimulato tamen dolore, crastino ad condictum venit, & cum fratre regnum Lotharii æqualiter divisit. Zwentibaldus cum regno suo Carolomanno se tradidit; unde Rastiz iratus prius eum dolo perimere, & hoc non procedente, manifestè eum persequi statuit. Ille verò superior factus Rastizen victum comprehendit, & Carolomanno vinctum tradidit: à quo pervaso regno, & Gazissius in carcerem missus, & Ludovico Regi exhibitus judicioque Francorum morti addictus, luminibus tandem oculorum privari jussus est. Ipso anno Willipertus Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopus à Luitperto Moguntiensi ordinatus; Synodusque magna Coloniæ collecta, & multa pro statu Ecclesiæ decreta: & Ecclesia sancti Petri dedicata est.

Inter

Inter alia prodigia terræ motus facti sunt, & duæ rutilæ nubes quasi ignea inter se tela emittentens, se instar pugnantium commiscere visæ. SÆC. XI.

871. Ludovicus & Carolus propter quædam beneficia sua Carolomanno fratri donata, contra patrem Ludovicum rebellare molientes, vix tandem ab eo placari pacarique consentiunt. Zwentebald perfidiæ incusatus à Carolomanno in custodiam mittitur: Sed crimine non probato relaxatus ab eo & muneribus donatus, exercitusque ei auxilio contra Slagamarum presbyterum, quem Marahenses invitum pro ipso Ducem fecerant, missus est. Qui dolose rediens & se in civitatem recipiens, ipsum auxiliatorem exercitum dolo circumventum, paucis fuga elapsis vel comprehensis, prorsus delevit. Boëmienses eruptionem molientes oppositis * prædiis reprimuntur. Constantiæ Salomon Episcopus obiit, cui Pateon successit; præfuit annis 3. Augiæ Heytoni Abbati Rudho XVI. præfuit annis 17. Apud S. Gallum Yso magister obiit. ANNO 1054.

* *forte, copiis.*

872. Basilius Imperator Græcorum inter alia munera crystallum grandem cum portione Dominicæ Crucis non modica, auro & gemmis pretiosis ornatam Ludovico Regi misit. Ludovicus pacificatur secum & inter se filiis regni post se partitionem disposuit. Exercitus contra Marahenses missus cùm sine Duce sibi dissentiret, ab hostibus victus, cæsus, & ludibrio habitus turpiter aufugit. Luitpertus Archiepiscopus cum exercitu in Boëmanos missus 5. Duces eorum pugna vicit, & regionem ex parte vastavit. Carolomannus Marahenses vastat; sed custodes navium ejus ab hostibus trucidati sunt, Embricone Ratisponæ Episcopo vix fuga elapso. Aestas pene tota fulminibus, tonitruis, grandinibusque horrida homines multos frugesque pessum dedit. Wormaciæ Ecclesia sancti Petri fulmine incensa & diruta est. Terræ motus magnus 3. Non. Decemb. factus Moguntiacum diruit. Apud sanctum Gallum defuncto Grimaldo Hartmout Abbas præfuit annis duodecim.

873. In conventu à Ludovico apud Franconofurt habito, Carolus filius ejus arreptus à dæmone graviter vexatur. Carolus Galliarum Rex Carolomannum Diaconum suum filium, tyrannidem exercentem, excæcari jussit. Pax cum Danis petentibus à Ludovico firmatur. Nordmanni Fresiam superbe classe petentes & tributum exigentes, pugna victi & Duce Ruddolfo cum 800. amisso & cuncta pecunia multati turpiter redierunt. Fames magna facta. Tanta multitudo inauditæ magnitudinis locustarum ab oriente gregatim, more exercituum, veniens has pertransit regiones, ut per duos continuos menses sæpe radios solis per unius spatium milliarii volitantes obnubilarent, & in una hora, quidquid in centum vel amplius jugeribus viride invenerant, depascerentur, & postea in mare vento actæ, & fluctu rejectæ, fœtore corrupto aëre, non modicam gignerent pestilentiam. In pago Italiæ Brixiensi sanguis tribus noctibus pluisse fertur. Item Græci missis per Agathonem Archiepiscopum muneribus, amicitiam cum Ludovico Rege confirmant. Romæ defuncto Adriano Joannes Papa sedit annis 10.

874. Hyems valde prolixa, sæva & nivosa multos homines & jumenta frigore extinxit. Sorabi & Suifli defectionem molientes à Luitperto Archiepiscopo facile comprimuntur. Ludovicus Rex in Quadragesima visione monitus multas pro liberatione animæ patris sui Ludovici Imperatoris eleemosynas & orationes patravit. Item in Italiam veniens cum Joanne Papa & Ludovico Imperatore fratris sui filio colloquium habuit. Idem cum Zuentibaldo Duce Morahensium subjectionem per legatos promittente, & fidem censumque annum pollicente, pacem fecit, Boëmanosque idem facientes suscepit. Idem cum fratre Carolo colloquium habuit. Fames magna & pestilentia per Gallias & Germanias facta: tertia ferè pars hominum interiit. Ratholfus Veronensis Episcopus obiit, qui sui nominis cellam juxta Augiensem Insulam construxit. Hemma Regina paralysi dissoluta est.

Ad oram erat: Ratolfszell.

875. Inter Francos & Saxones seditio pæne usque ad cædem mutuam mota, à Ludovico sedata est. Cometa plus solito scintillans 8. Idus Junii visus. Villa quædam in pago Nitensi, Ascrabrunno dicta, nocte 5. Non. Julii, subita tempestate 88. hominibus extinctis ita absumpta & deleta est, ut nec vestigium ejus remaneret. Ludovicus Italiæ Imperator defunctus, Mediolani in Basilica sancti Ambrosii sepultus est, anno regni 20. Cujus thesauros & regnum patruus ejus Carolus Rex Galliarum quasi sibi soli debitum invasit ac diripuit: unde motus frater ejus Ludovicus Rex Germaniæ filium suum Carolomannum contra eum in Italiam misit, ipseque cum Æquivoco Gallias regnum ejus invasit: Carolus verò congredi bello timens dolis & pecuniis mendaciisque Carolomannum de Italia abegit, seque discessurum & fratrem Ludovicum de regni illius divisione expectaturum jurans: quo credulo & reverso ipse

Sæc. XI. Anno 1054. Romam tendens conciliatisque sibi dolo & pecuniis, Romanis, Imperatorem se à Joanne Papa coronari fecit, Italiamque uti voluit, quasi suam disposuit.

876. Ludovicus Rex precibus populi annuens, de Galliis, ne eas vastaret, rediit. Hemma Regina Ratisbonæ obiit, & in Basilica sancti Emerammi sepulta est. Fresones item Nordmannis pugna victis, plurima spolia diripuere. Carolus Imperator fraudulenter de Italia Gallias repetens, nova habitus, actuum, & virorum vanitate, jactantia, & levitate usus, Ludovico fratri procaciter & stultè minitabatur: sed Ludovico exercitum colligente perterritus, crebros & supplices pro pace petenda legatos ad eum mittebat. Interim ipse Ludovicus Rex fortis & religiosus, morbo tactus, apud Franconofurt 5. Calend Septemb. vita decessit, anno regni 36. & apud Laureshaim Cœnobium sepultus est. regnumque ejus tres filii, Carolomannus Bajoariam, Ludovicus Germaniam, Carolus Alamanniam, singuli cum adjacentibus provinciis accepere, pacemque inter se sacramento firmavere. Sed Carolus Galliarum tyrannus, comperta fratris morte, gavisus statim collecto exercitu regnum ejus Rheno contiguum invasit: Quem cum Ludovicus junior per legatos redire pacemque servare frustra postulasset, eumque sibi dolo insidias struere comperisset, transito Rheno 8. Idus Octobris in Ribuaria bello inito vicit, multisque occisis & comprehensis, illum pæne nudum cum paucis turpiter fugere compulit & castra ejus cum innumeris spoliis diripuit.

877. Linones & Suisli eorumque confines defectionem molientes à Ludovici missis facile compressi sunt. Carolus Galliarum Imperator tyrannicus, æstate item Italiam ingressus, cum Carolomannum quoque fratris sui filium, se invito, transcensis Alpibus, pugna secum congredi velle cognovisset, fugam more suo iniit, & inter fugiendum dysenteria correptus periit, anno regni 37. & in Burgondia Agauni sepultus est, post quem filius ejus Ludovicus Balbus regnum Galliarum accepit; & apud patrueles de omnibus patris injuriis per legatos se excusans, pacem cum eis fecit. Carolomannus verò disposita, prout voluit, Italia, in Bajoariam rediit & fratri Ludovico partem suam de regno Lotharii reddidit. Febris Italica, tussis, & dolor oculorum, & pestilentia multos graviter vexavit & extinxit.

878. Ludovicus Rex Germaniæ cum fratre Carolo regnum Lotharii divisit. Lantpertus & Adalpertus Comites Romam cum manu valida petentes, Joanne Papa sub custodia retento, principes Romanorum fidem Carolomanno sacramento firmare coëgerunt. Unde idem Papa commotus, Ecclesiam S. Petri clausit divinaque inibi officia celebrare prohibuit, ipseque per mare Tyrrhenum Gallias adiens totum pæne inibi moratus est annum: deinde sumpto secum Bosone quodam, qui propria uxore veneno necata filiam Ludovici Italiæ Imperatoris vi rapuerat, quemque Carolus provinciæ præfecerat, Romam rediit, ipsique regnum Italiæ subjicere & Carolomanno auferre studuit. Eclipsis solis 7. Calend. Novemb. post nonam horam facta: magnaque hominum & boum pestilentia.

879. Carolomannus Rex Bajoariæ paralysi dissolutus usum loquendi amisit: ad quem Ludovicus frater visendum veniens, regnum Bajoariæ disposuit. Ludovicus Balbus filius Caroli, Rex Galliarum 3. Idus Aprilis Compendii obiit, ibique sepelitur. Carolo filio posthumo relicto, duobusque aliis non legitima conjuge natis, Ludovico scilicet & Carolomanno in regnum illi succedentibus, quo mortuo Ludovicus Rex Germaniæ statim contiguam sibi Galliam Belgicam petit, indeque rursum in Bajoariam à quibusdam vocatus, quæ videbantur disposuit, fratremque Carolomannum ægrotum, scripto ei res suas (quia lingua non potuit) commendantem invisit, eique ministraturos principes nonnullos deputavit. Itemque missis copiis Hugonem Lotharii Regis & Waldradæ filium in Gallia Belgica tyrannidem exercentem cum suis compressit. Boso Burgondia invasa tyrannidem exercet.

880. Hyems prolixa & nimis frigida facta. Ludovicus Rex Germaniæ in Gallias veniens, & filios Ludovici Balbi ad se venientes suscipiens, pacem cum eis fecit, totumque Lotharii regnum sibi subjicit. Ipse inito cum Nordmannis, qui in Scilta fluvio residebant, prælio, plus quàm quinque millia ex eis occidit, ibique Hugo ex concubina filius ejus cecidit. Item Nordmanni inita cum Saxonibus pugna, victores, duos Episcopos, 12. Comites, 18. regios milites cum secuta magna multitudine peremerunt & captivos multos duxerunt. Sorabi, Dalmatæ, & Boëmani, Sclavi, collecto exercitu Thuringiam juxta fluvium Salam populati à Popone Marchione circumventi, omnes perempti sunt. Carolomannus Rex Bajoariæ fortis, prudens, & pius 11. Calend. Aprilis apud villam Ottingam obiit & sepelitur. Ludovicus Rex Germaniæ *frater*

ter ejus missis item contra Hugonem in Gallias copiis, cruentam adeptus est victoriam. Ejus item auxilio freti filii Ludovici Balbi Bosonem tyrannum ultra Chodanum persecuti sunt & in Viennam compellunt, & Madasconam urbem captam subjiciunt. Nordmanni Gallias itemque Fresiam igne, præda, cædeque vastantes, tandem Noviomagum muniunt, & in palatio Regis hiemare disponunt: contra quos Ludovicus moto exercitu, impediente hyeme, parum proficere potuit. Magna sterilitas frugum Germaniam affligit.

881. Hyems item sæva & prolixa magnaque fames facta est. Ludovicus Rex Germaniæ Hugonem ad deditionem venientem benigne suscepit, rursumque rebellantem persecutus in Burgondiam pepulit. Ludovicus Rex Galliæ cum Nordmannis pugnans 9000. equitum victor prostravit: illi verò collectis rursum copiis, regnum Ludovici Germaniæ Regis petunt. Cameracum, Trajectum, Hispanicum pagum, Ribuariam totam, Prumiam, Stabulau, Mamuldarium, Vidam & alia perplura loca vastant, Aquisgrani in capellà Regis equos suos stabulant, Coloniam Agrippinam & Bunnam unà cum Ecclesiis incendunt; contra quos Ludovicus Rex cum morbo detentus venire non posset, exercitum misit. Terræ motus interim magnus 3. Calend. Januarii Moguntiaci factus. Eodem anno Carolus Rex frater Ludovici Italiam petens Romamque veniens unà cum Regina Richgarda imperiali unctione à Joanne Papa coronatur.

882. Cometa ultra modum comas spargens 15. Calend. Februarii visus. Ludovicus Rex Germaniæ crescente morbo 13. Calend. Febr. defunctus & Laureshaim juxta patrem æquivocum sepultus est. Quo audito exercitus contra Nordmannos missus infecto negotio rediit: Nordmanni verò nullo resistente, residua circumcirca vastantes, Walach Mettensem Episcopum incautè occurrentem occidunt, & inter alia multa mala Trevirensem quoque urbem, fugatis & occisis civibus, Nonis Aprilis incendunt, vastataque & incensa regione in munitionem suam, quæ Ascaloha dicitur, juxta Mosam fluvium, redierunt. Carolus Imperator de Italia reversus, habito Wormaciæ conventu, regnoque fratris accepto, magno collecto exercitu, Nordmannos cum Regibus suis per 12. dies obsedit: cumque magno æstu & fœtore præter mutua tela utrinque vexarentur, & immensa tempestate horridaque grandine 12. Calend. Augusti exorta perturbarentur; visa expugnandi difficultate, petentibus hostibus, pacemque deinceps regno ejus sacramento pollicentibus, datis obsidibus, cum Rege eorum Sigefrido mutuum colloquium habuit; eumque Christianitatem professum de baptismo suscepit, datisque mutuo muneribus & firmata pace & amicitia digressi sunt. Orto inter Saxones & Thuringios bello, Saxones superiores extitere. Pestilentia magna in Bajoaria facta.

883. Carolus Imperator celebrato in Alamannia Natali Domini, ad sancti Galli quoque Cœnobium venit, ibique petente Hardmoto Abbate jam sene Bernhardum pro eo constituit Abbatem, qui eidem loco 7. annis præfuit: ipseque Ratisbonæ Pascha egit. Romæ Joannes Papa, dato sibi à quodam propinquo suo veneno, cùm adhuc victurus putaretur, malleo percussus in cerebro expiravit, percussorque ejus concurrente turba, eadem hora à nullo læsus cecidit mortuus. Et Martinus Archidiaconus Papa CXIII. factus, præfuit anno uno, mensibus 6. Imperator Carolus iterum in Italiam obviam Papæ pergit, & Widonem Ducem reum majestatis accusatum, fugientem persequi jussit. Pestilentia exercitum vexat. Item Saxones cum Thuringiis & Popone pugnantes vincunt. Nordmanni item Prumiam petentes à Hainrico Marchione Poponis fratre ad internecionem cæsi sunt. Ludovicus Rex Galliæ, postquam regnum fortiter rexit & defendit, defunctus & Parisiis est sepultus 6. regni anno. Zwentibald Dux Marahensium Pannonias, quibus Arnolfus Dux filius Carolomanni Regis præfuit, crudeliter vastat.

al. Marinus archid. Papa CX.

884. Bajoarii in Italiam contra Widonem missi. Item Zwentibald Pannonias immanissimè vastans, quosdam ex Bajoariis juxta Rabam flumen incautè congressos, vicit, occisisque aliis nonnullos comprehendit. Carolomannus Rex Galliæ, filius Ludovici Balbi, cùm multam pecuniam Nordmannis pro pace dedisset, in venatu ab apro percussus interiit, anno regni 7. & regnum Galliæ ad Carolum Imperatorem rediit. Carolus Imperator in citeriore Pannonia conventum habens Zwentibaldum Ducem Marahensium, per manus se dominio ejus tradentem, pacemque & servitium promittentem suscepit. Itemque Brazlavonem Ducem, qui inter Dravum & Savum fluvios Pannnoniæ præfuit, nihilominus se tradentem, accepit: ipse per Carentanum in Italiam veniens Natalem Domini Papiæ celebravit.

885. Imperator Carolus habito in Italia conventu Widonem Ducem Spoletanum se excu-

SÆC. XI. ANNO 1054. excusantem seque subdentem suscepit: Inde Gallias adiens, susceptisque primoribus, regnum illud, ut videbatur, disponens, ad condictum cum Papa placitum Wormaciam venit. Sed Papa ad eum veniendi arrepto itinere obiit, Romæque pro eo Adrianus III. Papa CXI. sedit anno uno, mensib. 4. Gotafridus Rex Nordmannorum perfidiæ contra regnum Francorum insimulatus, ab ipsis accusatoribus dolo peremptus est. Hugo quoque nothus Lotharii Regis, cum incautè contra Imperatorem agitaret, oculorum luce privatus est. Pax inter Arnolfum Carentani & Pannoniæ Ducem, & Zwentibaldum Marahensem Ducem confirmatur.

886. Imperator celebrato Ratisbonæ Natali Domini Italiam à Papa invitatus adiit, & Luitwardum Vercellensem Episcopum pro quibusdam quærendis Romam misit. Tumultus Papiæ inter cives regiosque milites gravi utrorumque damno movetur. Imperator habito post Pascha Papiæ conventu, per Burgondiam Gallias contra Nordmannos petiit: ubi cum malè contra eos pugnatum esset, & Heinricus Marchio Neustriæ occubuisset, rebus minus prospere gestis discessit. Peringarius Dux Forojuliensis cum Luitwardo Episcopo dissentiens, Vercellensem urbem expoliat. Inundatio insolita autumni tempore facta, exundantibus aquis plurimas villas evertit, & multis in montibus vias diruit, multaque mala mortalibus intulit. Romæ V. Stephanus Papa CXII. post Adrianum ordinatus sedit annis. 6.

887. Imperator Carolus in Alsatia gravi infirmitate detentus jacuit, & parum convalescens incisionem capitis pertulit; habitoque in Alamannia conventu in villa Weiblinga, Peringarium Ducem ad deditionem venientem, & Luitwardo Episcopo satisfacientem suscepit. Mortuo Bosone filius ejus ex filia Ludovici Italiæ Imperatoris puer Ludowicus ad Carolum Imperatorem veniens, benignè ab eo susceptus, & in filium adoptatus est. Richarda Imperatrix adulterii cum Luitwardo Vercellensi Episcopo, qui apud eam & Imperatorem familiariter in palatio vigebat, ab Imperatore, & aliis incusata, divino judicio ab omni se virorum commixtione integram & eatenus virginem se comprobavit; quamvis jam duodecim annis in conjugio Imperatoris apparuerit: Moxque ab eo separata in Andelahense cœnobium virginum à se constructum secessit, ibique sedula in divino servitio virgo Regina permansit. Deinde Carolus Imperator graviter infirmatus, mente etiam, ut videbatur, minus valuit omnesque regni Principes averso jam ab eo animo, cùm apud Franconofurt conventum habuisset, unanimiter eum deseruere, & Arnolfum fratris ejus Carlomanni filium non ex legitima conjuge, sed tamen nobili natum, Carenthani scilicet Ducem, super se Regem constituere. Carolus verò cum se à cunctis omnino ministris etiam & servis suis deseri & à solo Luitperto Moguntiensi Archiepiscopo adhuc vidisset sustentari, supplex jam Arnolfo munera misit, & pauca ab eo in Alamannia usque ad obitum suum prædia postulans impetravit.

Ad oram hæc erant: Carolus Crassus Augiæ sepultus. Richarda ejus uxor, virgo.

888. Carolus imperio jam privatus, Deo devotè serviens in villa Alamanniæ Indinga infirmatus, & ut quidam perhibent, à suis strangulatus, Idibus Januarii vita decessit: & quibusdam videntibus, cœlo aperto & lumine super eum apparente, Augiam delatus, juxta altare sanctæ Mariæ sepultus est. Arnolfo Rege Natali Domini Paschaque Ratisbonæ morante, multis Regulis emergentibus, Perengarius filius Eberhardi in Italia Regem se fecit; Rodolfus filius Conradi in Burgundia; Ludovicus filius Bosonis & Wido filius Lamperti in Gallia Belgica & Provincia; Odo filius Rudperti in Gallia usque ad Lierim & in Aquitania ultraque in Gallia Ramnolfus regium nomen * nichil invasere: è quibus Odo Arnolfum Regem Franciam petentem humiliter adiens & benignè susceptus, permisso ejus invasum retinuit regnum. Itidem Rodolfus Ratisbonam ad eum veniens favore ejus pervasam impetravit Burgundiam. Nihilominus cum Italiam vellet Rex Arnolfus petere, obviam venienti Peringario, qui paulò ante cum Widone conflixerat tyranno, paucis exceptis totam concessit Italiam. In expeditione ingens equorum pestilentia facta. Augiæ Rudolpho Abbati Hatto successit: præfuit annis 25. qui cellam & Basilicam sancti Georgii in insula construxit.

889. Luitpertus venerabilis omnique laude dignus Mogontiæ sedis Archiepiscopus hac vita decessit: cui Sunderold successit. Calamitosus iste annus morbis ac pestilentia, aquarum inundationibus, insolitis tempestatibus, turbinibus & grandinibus multis, fame, peste, & quaque versum bellis socialibus comprovincialium fuit. In Thuringia torrens in nivibus defluens, tres in momento villas absumpsit, & 300. homines cum pecoribus multis extinxit. Arnolfus Rex Zwentibaldo & Ratoldo filiis suis ex concubina natis subjectionem à Francis promitti vix effecit, si ei legitimus non nasceretur filius. Magna contra Abodritas expeditio ab eo, sed parvo effectu mota est.

890. Ar-

890. Arnolfus Rex habito in Pannonia de diversis colloquio à Zwentibaldo Duce Marahensi ex verbis Apostolici obnixè rogatur, ut Romam veniens Italiamque sub ditione sui retinens à tantis eam eruat tyrannis. Quod ille aliis præpeditus ad præsens facere distulit. Iterum conventu apud Foracheim acto, Ludovici Imperatoris Italiæ filiam Bosonis viduam ad se cum muneribus venientem, benigne suscepit. Inde Constantiam Augiamque orandi gratia adiit: indeque Ratisponam rediit. SAEC. XI. ANNO 1054.

891. Apud S. Gallum post Bernhardum Salomon Abbas præfuit annis 30. S. Salomon secundus Constantiæ venerabilis Episcopus obiit, pro quo tertius Salomon, de cœnobio sancti Galli Abbas Episcopus promotus præfuit annos 30. Embricho Ratisponensis Episcopus vita & ætate verendus obiit. ipsaque urbs (exceptis divinitus sancti Emerammi sanctique Cassiani Ecclesiis) 4. Idus Augusti incendio tota conflagrat. Gordianni item Franciam Rheno contiguam vastant, contra quos exercitu misso prælioque incautè conserto, Sunderolt Mogontiensis Archiepiscopus cum aliis multis peremptus occubuit, cæterique fugerunt: pro quo Hatto Augiensis Abbas, vir ingeniosus, Archiepiscopus promovetur. Arnolfus verò Rex Nordmannos victoria elatos, & regnum Lotharii vastantes cum exercitu insequens, juxta fluvium Dila, palustribus locis munitos, manumque pugna conserere trepidantes offendit. Qui milites adhortatus, equis propter loci difficultatem dimissis, pedes eos aggreditur; clamor attollitur, res deinde gladiis cominus eminus geritur, unoque tantum milite ex nostris perempto, duo Nordmannorum Reges Sigifridus & Godafridus totusque ejus exercitus multis milliis numerosus, trucidatus ferro & in flumine fugam impediente demersus, ad internecionem deletur. Et Rex eâdem, litaniis celebratis & Deo laudibus redditis multisque hostium spoliis direptis, in Alamanniam venit, & Natalem Domini Ulmæ celebravit.

892. Apud Gallias Carolus adolescens Ludovici Balbi posthumus filius, à quibusdam primatibus Rex effectus, multa deinceps Odoni mala fecit, & ab eo vicissim sustinuit. Arnolfus Rex Pannonias adiens, cum Zwentibaldum Ducem Marahensem iterum sibi rebellantem cognovisset, colloquio cum Brazlacione Duce Pannoniæ ulterioris habito, trifariam cum tribus exercitibus, Ungaris etiam auxiliatoribus, nuper illas in partes adventantibus per continuum mensem Marahensem devastat regionem: ipse etiam eodem tempore priscam cum Vulgaris renovat amicitiam. Popo ducatu Turingiæ privatus est. Romæ post Stephanum Formosus prius Portuensis Episcopus Papa CXIII. sedit annis 4. mensibus 7.

893. Engilstalcus Marchio Pannoniæ, judicio Noricorum excæcatus, & patruelis ejus Wilhelmus decollatus est. Arnolfus Rex Marahensem iterum vastat regionem. ipsi Regi ex Uta Regina Ludowicus filius nascitur, & à Hattone Archiepiscopo Mogontiensi & Adaberone Augustensi Episcopo nobili baptisatur, & sacro Chrismate ungitur. Formosus Papa missis epistolis & legatis, Arnolfum Regem ad suscipiendam & eruendam à tyrannis maximeque à Widone Italiam magnopere invitat: quod ille annuens legatos muneribus donatos remittit. Hyems sæva & diutina hoc anno facta.

894. Tonitruum magnum 5. Calend. Feb. factum. Widone Italiæ tyranno mortuo, Angiltruda vidua ejus cum filio Lamperto tyrannidem invasit.

895. Arnolfus Rex Hildigardam Ludovici Regis patrui sui filiam, cujus maximo molimine, dejecto Carolo, Rex factus fuerat, exilio damnat. Synodus magna apud Tiburiam collecta. Arnolfus Rex cum Odone Galliarum Rege ad se veniente pacem firmat, Caroloque filio Regis Ludovici * Waldi non multo post venienti & munera offerenti, auxilium denegat. Ipse etiam Zwentibaldum filium ex concubina suum, Regem super Lotharii regnum ungi fecit: Itemque per epistolas à Formoso Papa rogatus Italiam petit Peringariumque perterritum, ad deditionem venientem, regnumque pervasum Italiæ reddentem suscepit, & Waltfredo Maginfredoque Comitibus Italiam cis Padum distribuit, & omnia vastando divisisque ad superum & inferum mare copiis, transiens, ipse Natalem Domini Luccæ celebravit. * leg. Balbi.

896. Magna pluviarum inundatione exercitu fatigato, & plurimis equis inde amissis Perengario etiam à fidelitate ejus deficiente, & ad Lampertum se conferente, Arnolfus Rex tandem Romam venit, eamque, Angildruda Widonis vidua cum filio Lamperto machinante, obseratam inveniens, mandato Formosi Papæ intus inclusi, celebratis apud sanctum Pandracium litaniis, eam oppugnat: expugnataque citius urbe ingressus à Domno Papa honorifice susceptus, Imperatorque coronatus est, & dispositis ibi rebus primoribusque sacramento subactis, Angildrudam persequi statuens, infirmari cœpit, metuensque morbum graviorem de Italia statim redire acceleravit. Quo reverso Perenga-

SÆC. XI. ANNO 1054. rengarius ac Lampertus Megenfredum Comitem decollare jussit. Formosus Papa die Paschæ obiit, pro quo VI. Bonifacius Papa CXIV. ordinatus 15. die podagra defunctus est. cui VI. Stephanus, Campaniæ prius Episcopus, Papa CXV. substitutus sedit anno uno, qui tyrannis favens & Arnolfum odiens, Formosum Papam 7. post obitum mense effossum & in sella positum, loquente pro eo diacono, criminatum & quasi convictum degradavit, & per crura de Ecclesia pertractum in Tiberim projici præcepit: sed divinis per merita ejus miraculis territi cives Romani, non multo post Stephanum dignè cruciatum ejecerunt, Formosumque in sepulchrum suum reposuerunt. Eodem anno Græcis cum vagantibus hostibus Ungariis pacem facientibus, Vulgari irati Græciam invasam, Constantinopolim usque devastant. Interim Græca astutia Ungarii inducti oram Vulgarorum ferro, præda igneque pessundant. Vulgari reversi bis ab eis pugna victi & cæsi terga verterunt. Tertio demum divinam enixius gratiam precati, 20. millibus suorum amissis, cruentam vix profligatis hostibus, meruere victoriam. Tanta etiam fames hoc anno facta, ut innumeri inedia perirent, hominesque Christiani nonnulli se invicem comederent. Arnolfus Imperator quodam ædificio cadente cum multis aliis graviter conterens corpus cecidit.

897. Magna fames in Bajoario multos consumpsit. Boëmani contra Marahenses ab Arnolfo Imperatore auxilium petunt. Romæ post Stephani interitum Romanus Papa CXVI. sedit mensibus paulò plus 4. & post hunc Theodorus II. Papa CXVII. sedit dies 20. post quem IX. Joannes Papa CXVIII. ordinatus, sedit annos duos. Arnolfus Imperator, habito conventu, nulli fidens, sacramentum fidelitatis denuo sibi & filio parvulo Ludowico à...... exigit.

898. Discordia capitalis inter fratres Zwentibaldum & Mormarum Marahenses Duces facta. Luitpaldus Marchio cum aliis Marahenses * impm rebelles vastat. Item Bajoarii fines Marahensium hyeme vastant.

* fort. in imperium.

899. Uta Regina adulterii crimine cum quibusdam viris infamata, 72. Principum juramento Ratisbonæ in conventu absoluta est. Arnolfus Imperator paralysi dissolutus est. & nonnulli inde veneficulorum maleficii criminati & puniti sunt. Item Bajoarii Marahensium terram vastant. Isanricus Imperatori rebellans obsessusque, & ad deditionem vi coactus, ad Marahenses item confugit. Romæ Benedictus IV. Papa CXIX. sedit annis 3. mensibus 5.

900. Arnolfus Imperator Ratisbonæ, ubi frequentius manebat, ægrotans obiit: & in Basilica S. Emerammi sepultus est, anno regni 12. pro quo filius ejus Ludovicus puer in regnum constitutus est: cujus frater ex concubina Zwentibaldus Galliæ Belgicæ Rex, cùm crudeliter & temere ageret, res Ecclesiarum affectaret, Ratpotonemque etiam Trevirensem Archiepiscopum baculo in caput percuteret, à suis spretus ac desertus, cùm incautè viribus impar pugna cum eis congredi vellet, peremptus est. Bajoarii per Boëmanos transeuntes ipsis secum assumptis, Marahensem item devastant regionem. Ungarii hostes novi Italiam magna ex parte vastaverunt & conserto prælio victores * 20. ex Italis una die peremerunt. Itidem exploratam Bajoariam invadentes circa Anesum flumen plurimas prædas abducunt: item Pannonias depopulatas occupant. Luitpardus Marchio quibusdam copiis Ungariorum cum paucis Noricorum congressus uno tantum ex suis amisso 1200. peremit.

901. Ungarii Caretanum petentes commissa pugna victi cæsique fugerunt. Eodem anno Mormarus Dux Marahensis, & Isanricus Noricus Comes, qui ad ipsum transfugerat, cum Ludowico Rege pacificati sunt. Ungarii Marahenses petunt pugnaque victi terga verterunt. Ipso anno Beringer, Reginolf, & Gerhart nobiles Germani fratres, filii Atonis Comitis & Adellindæ, non longe ab Duchaugiensi Cœnobio virginum, in pago Alamanniæ Erichgewe, à matre per ipsum tempus studiose in honorem sancti Cornelii & sancti Cypriani martyrum constructo, cum sororem virginem nuptum tradere molientes, clam inde abducerent, ab inimicis circumventi & occisi sunt, & à matre sua apud ipsum cœnobium sepulti: ubi etiam ipsa, postquam Jerosolymam aliaque loca sancta causa orationis adiit & rediit, divinis intenta servitiis & animarum inhians lucris, fœliciter hanc vitam finiens condita est. Ipsa filia virgine æquivoca sua Abbatissa inibi constituta.

902.

903.

904. Romæ post Benedictum Leo V. prius presbyter Forensis, Papa * CXX. sedit mensibus fermè 2. post quem, ut in quibusdam inveni, Christophorus prius Cardinalis, Papa CXXI. sedit mensibus 4. qui dejectus est & monachus factus.

905. Romæ Sergius III. Papa CXXII. sedit annis 7. mensibus 4.

906. Adal-

906. Adalpertus nobilis & bellicosus de Babenberg Francus, commissa cum æmulo suo Conrado pugna, vicit, eumque cum multis aliis peremit.

907. Adalpertus cùm prædia ejus, utpote rebellantis, à Ludowico Rege vastarentur, & castrum oppugnaretur, perfidia, ut fama est, Hattonis Archiepiscopi & cujusdam Luitpaldi, de quibus plurimum confidebat, ad Ludowicum Regem spe pactionis adductus, decollari jussus est. Bajoarii cum Ungariis commissa pugna victi sunt.

908. Ungarii Saxoniam & Thuringiam latè vastant. Luitpaldus occisus est.

909. Ungarii Alamanniam invadentes vastant.

910. Ungarii Franciam petentes commissa pugna superiores fuere. ADALBERO venerabilis & famosus Augustæ Vindelicæ Episcopus obiit: post quem Hiltine annis 13. præfuit.

911. Ludovicus Rex adolescens moritur & Ratisponæ sepelitur. Post quem deficiente nostris in partibus stemmate regio, Conradus filius Conradi, Rex electus & unctus regnavit annis 7. Burchardus Dux Alamanniæ in conventu suo orto tumultu occisus est, pro quo Erchanger ducatum invasit.

912. Ungarii item Bajoariam petentes, congregatis Bajoariorum & Alamannorum copiis, juxta fluvium INE congressi magna strage profligantur. Cometæ hoc anno visi. Rudolfus Rex Burgundiæ obiit, & Rudolfus filius ejus regni illius jura disposuit anno 25. Romæ Anastasius II. Papa CXXIII. sedit annis 2. mensibus 2. Apud sanctum Gallum Notkerus magister doctus obiit. Otpertus Episcopus occiditur. Linhart excæcatus.

912. Item Ungarii ingressi Alamanniam vastant. Mogontiæ Hattone Archiepiscopo Augensique Abbate mortuo Heriger in Episcopatu succedens annis 14. in Abbatia verò Hugo Abbas XXI. annum unum præfuit.

914. Salomon Constantiæ Episcopus & Abbas Cœnobii S. Galli à quodam protervo captus & in custodiam missus est. Augiæ post Hugonem Thietingus Abbas * XIX. præfuit annis 3.

* *fort. XXII.*

915. Romæ Lando Papa CXXIV. sedit mensib. 5. post quem Leo VI. Papa CXXV. mensib. fermè duobus: & post hunc Joannes X. Papa CXXVI. annis 14. mensib. duob.

916. Ungarii item egressi inter alia mala totam pæne Alamanniam igne & gladio miserabiliter vastant. Ipso anno apud Altheim coram misso Apostolico Synodus habita. Augiæ Thietingo Abbate defuncto, Heribracht Abbas XXIII. præfuit ann. 10. Apud S. Gallum B. Virgo Wiborada arctius inclusa est.

Ad oram hic erat: Wilibradis inclusa.

917. Ungarii pervasa ut ceperant Alammannia, Basileam urbem destruunt, indeque *Alsatia vastata, Lotharii regnum, multa mala facientes, invadunt.* Erchanger, qui ducatum Alamanniæ invaserat, cum fratre Bertholdo, Regi Edunrado rebellantes, eique tandem ad deditionem spe pactionis venientes, ipso jubente apud villam Adingam decollantur 12. Calen. Feb.

918. Burchardus Dux Alamanniæ factus tyrannidem invasit. Conradus Rex obiit.

919. Heinricus Comes natione Saxo in Regem electus sine regali unctione regnavit annis 18. Pugna apud Winterturum inter Rudolfum Regem Burghardum Ducem Alamanniæ commissa, Rex à Duce victus fugatur. Salomone Episcopo Constantiensi Abbateque Cœnobii S. Galli defuncto, Notinger in Episcopatu annis 15. Hartmannus in Abbatia 4. fermè annis successere.

920. Carolus Rex Galliarum in Franciam venit. Apud S. Gallum Rachildis virgo inclusa est.

921.

922. Luithardus à Burghardo Duce, oppresso Heriberto, Augiæ propositus, & fratres in exilium missi sunt. Sanguis Domini in Augiam Insulam à quadam matrona defertur, sicuti literis inibi historica relatione continetur. Apud sanctum Gallum Engilbertus Abbas constitutus annis 9. præfuit.

923.

924. Sanctus Udalricus Augustæ Vindelicæ Episcopus ordinatus, mira pietate & religione præfuit annis 50.

925. Ungaris jam Alamanniam vastando pervagantibus, & ad Cœnobium quoque S. Galli pervenientibus, Wiborada virgo inclusa, fracta cella à quodam ex eis perempta & martyrio coronata. Rachildisque contectalis ejus illæsa divinitus conservata est.

926. Ungarii vastata Alamannia, totam Franciam, Alsatiam, atque Galliam igne, &

Sæc. XI. Anno 1054.

& gladio sævientes percurrunt. Burghardus Dux occiditur. Heinricus Rex magnum conventum Wormaciæ habuit. Herimannus Alamanniæ Dux promovetur. Augiæ Luithardus Abbas XXI. effectus præfuit annis 8.

927. Heriger Mogontiensis Archiepiscopus obiit, & pro eo Hildipertus Archipræsulatum accepit.

928.

929. Romæ Stephanus VII. Papa CXXVII. sedit ann. 2. mense uno.

930. Heinricus Rex Boëmiam petit.

931. Romæ Joannes undecimus CXXIIX. sedit annis 4. Heinricus Rex Reges Abodritarum & Nordmannorum Christianos fieri fecit, ipseque Gallias petit.

932. Ungarii Soraborum provinciam petentes ab exercitu Regis Heinrici cæde profligati, fugati, multique ex eis capti sunt.

933. Apud sanctum Gallum Thieto Abbas præfuit annis ferme 10.

Ad oram erat adscriptum: sanctus Conradus Episcopus Constantiensis.

934. Constantiæ Notingo Episcopo defuncto, Conradus, genere & vita prænobilis præsul ordinatus, 41. per annos illam nobiliter rexit Ecclesiam. Augiæ quoque post Luithardum Alawicus venerabilis Abbas XXII. præfuit annis 25. Eberhardus Argentinensis præpositus proximus incola cellæ Meginradi venit.

935. Romæ Leo VII. Papa CXXIX. sedit annis 3. mensibus 6.

936. Heinricus Rex obiit, & in Saxonia apud Rhutilineburg Cœnobium Virginum sepultus est: pro quo Otto filius ejus regni gubernacula accipiens 38. fermè annis strenuè rexit.

937. Ungarii per Bajoariam Alamanniamque & Orientalem Franciam prædis, gladio, igneque furendo vagantes, transito Wormaciæ Rheno, Alsatiam, regnum Lotharii, & adjacentes usque Oceanum Gallias vastantes, per Burgundiam Italiamque tandem in Pannoniam redierunt: monasteria S. Bonifacii, sanctique Galli incendio conflagraverunt. Ipso anno Rudolfus Burgundiæ Rex defunctus Agauni apud sanctum Mauricium sepultus est: filius ejus Conradus regnum pro eo suscepit. Arnolfo etiam Bajoariæ Duce mortuo, Ducatum ejus Bertolfus accepit. Bajoarii cum multis aliis Ottoni Regi rebellant.

938. Otto Rex contra Bajoarios procinctus movit; interim frater ejus Heinricus ab Eberhardo comprehensus est: quo liberato, Eberhardoque in exilium relegato, denuò Noricos cum exercitu invasit, omnesque præter Arnolfi Ducis filium Arnolfum subjugavit, interim Ungarii Saxoniam invadentes à Saxonibus pugna victi cæsique fugantur. Romæ Stephanus IIX. Papa CXXX. sedit annis 3. mensibus 4.

939. Otto Rex Lotaringos rebellantes petens usque ad Caprimontem cum exercitu venit: interim Ludowicus Rex Galliarum Caroli filius Alsatiam invasit: sed mox Ottone hoc comperto redeunte, perterritus regnum suum repetit; cumque castrum Brisacha ab Ottone Rege obsessum oppugnaretur, capita rebellionis Eberhardus Dux occisus, & Gisalpertus Dux in Rheno submersus interierunt, Episcopique & alii qui cum eis contra Regem venerant, fugati & dispersi, reversus cunctos sibi rebelles, præter Mettensem Episcopum, subjugavit. Heinricus quoque frater ejus projectis armis ipsi se subdit.

940. Otto Rex Gallias contra Ludowicum Regem petens, magnam provinciæ partem, usque ad Sequanam amnem vastavit, & Hugonem, Heribertum Principes ad se venientes suscepit. Hyems sæva hoc anno facta & pestis animalium subsecuta. Hugo filius Richardi moritur.

941. Nota. Dux Lutpoldus Austriæ occisus fuit cum multis militibus anno ab Incarnatione Domini 85. 4. Calend. Junii & fecerunt civitates silvestres, quæ dicuntur Walstet: postea anno 85. multæ gentes volebant destruxisse illam provinciam, quæ dicitur Glarus, & venerunt per portus; postea illi Glarenses venerunt cum 80. viris & occiderunt bene 300. qui turpiter dederunt fugam.

942. Otto Rex cum Ludowico Rege Galliarum pacificatur. Cometa per noctes 14. visus & immensa animalium pestilentia facta. Romæ Marinus secundus Papa CXXXI. sedit annos 3. menses 6.

943. Ungarii item Bajorios invadentes, pugna cum eis commissa victi terga verterunt. Apud sanctum Gallum Gralo Abbas præ fuit annis 17.

944. Terræ motus factus est 16. Calend. Maii.

945. Romæ Agapitus II. Papa CXXXII. sedit annis fermè 10. Otto Rex Galliam inferiorem petit. Tietlandus Patuen. primus Abbas loci.

946. Apud sanctum Gallum Rachildis virgo inclusa migravit ad Dominum.

947. Bertolfo Duce Bajoariæ defuncto, Heinricus frater Ottonis Regis, ducatum illum

illum accepit. Luitolfus filius Regis Itam laudabilem fæminam duxit uxorem. Mirmidona igne consumitur.

(Nota. anno ab Incarnatione * 73. 90: propria quarta feria post Nativitatem Domini fuerunt fulgura & tonitrua tetra media nocte.)

Thiertlandus Abbas monasterii heremitarum, qui facit glossam super epistolas S. Pauli.

948. Herimannus Dux Alamanniæ, qui provinciæ sibi creditæ cultum, habitum, mores, instituta multum, ut fertur, honestaverat, defunctus, Augiæque in capella S. Chiliani sepultus est: & Luitolfus filius Regis Ottonis, vir omnium sui temporis universo populo acceptissimus, Dux pro eo à patre suo constitutus est. Synodus magna 30. Episcoporum coram Ottone & Ludovico Regibus apud Ingelenheim habita est. ipso anno Londaugia incendio conflagrat. Capella cœnobio sancti Meginradi cælitus consecrata est 18. Calend. Octobris.

949. Lothario Rege Italiæ mortuo, Beringarius regnum invasit, viduamque ejus Adalhaidem Rudolfi Regis Burgundiæ filiam multis injuriis afflixit & coarctavit: qua vix fuga elapsa Ottonis Regis adventum in multis angustiis præstolatur. Gregorius 2. pater ac nobilissimus venit.

950. Otto Rex Italiam petiit eamque subjiciens sibi, Beringarium Regem resistere non valentem pepulit, Dominamque Adalhaidem suam futuram conjugem liberavit.

951. Synodus * 15. Episcoporum magnusque totius regni Principum conventus apud Augustam Vindelicam coadunatur; ibique Beringarius Ottoni Regi ad deditionem venit, eique subjectionem promittit. Inter alia prodigia ignitus lapis, quasi massa cadentis ferri ab Occidente per aëra venit, & draco visus est ambulans. *al. 25.

952. Otto Rex Boëmiam, & filius ejus Luitolfus Dux Italiam petivit. Otto Rex uno cum filio Luitolfo Italiam item ingreditur, & nuptiæ regales Papiæ celebrantur. Discordia inter Luitolfum Ducem & patruum ejus Heinricum Ducem agitata. Fridericus Mogontiæ Archiepiscopus & Hartpertus Curiæ Episcopus Romam à Rege missi sunt.

953. Otto Rex fratri Heinrico favens filium contra se incitavit Luitolfum, magnaque totius regni turbatio diversarum studiis partium facta est. Arnolfus filius Arnolfi quondam Dux Noricorum, partibus se Luitolfi contra Regem jungens, Augustensem urbem Episcopatumque deprædatur, & beatum Udalricum Episcopum Regi fidum in castello Mandichinda obsessum capere vel occidere nititur: sed superveniente cum copiis militum Adalperto de Marthale Comite & Theodpaldo Episcopi fratre item Comite, pugna victus, turpiter repulsus est, divinaque ultione cum cunctis fautoribus non multò post digne punitus. In ea congressione Adalpertus Comes parum vulneratus moritur, & à sancto Episcopo Augustæ honorificè sepelitur. Secuto tempore cum invalescente discordia Otto Rex & filius ejus Luitolfus Dux collectis contra se invicem exercitibus juxta fluvium Hilaram, & villam vocabulo Tussam, jamque pugna conflicturi consedissent, intercurrentibus sanctis Episcopis Udalrico Augustensi & Halperto Curiensi, Deo donante, pacificati & confœderati sunt. *Ad oram hac erant: Pugna in Menuchingn facta tempore S. Udalrici.*

954. Ungarii item egressi Franciam, Bajoariam, Italiamque devastant.

955. Ungarii cum tantis, ut nunquam ante, copiis percursa Bajoaria, Licum fluvium transeunt, Basilicam sanctæ Afræ Augustæ incendunt, sanctum Episcopum Udalricum multa instantia divinum implorantem auxilium Augustæ cum suis obsessum armis circumstrepunt: sed superveniente cum exercitu Ottone Rege IV. * W. Aug. pugna valida nimis committitur, multum humani sanguinis funditur, cædes Ungariorum immensa sequitur, alveus fluminis fugientium cadaveribus oppletur, & paucissimis fuga elapsis, innumerabilis eorum exercitus ad internecionem deletur; ipsi, qui tunc effugere poterant, per totam postea passim Bajoariam capti trucidatique sunt: inter quos Reges eorum comprehensi Ratisponæ patibulis suspensi sunt. in ipsa pugna ex nostra parte inter alios multos Conradus Dux bellicosus & pius, gener regius & sancti frater Episcopi, Theodpaldus sororis ejus filius, Reginbaldus Comes aviæ meæ Perthæ patruus occubuere. Romæ Joannes XII. qui & Octavianus Papa CXXXIII. sedit annis 8. mensibus 4. qui tanti ordinis, heu prò dolor, oblitus, vanitati & spurcitiæ vitam suam deditus duxit. Mogontiæ Fridericus Archiepiscopus decessit eique Hatto successit. Heinricus quoque frater Regis Bajoarii Dux moriens filium æquivocum successorem reliquit. **legend. 4. Idus Augusti.* *Reginbaldus aviæ Hermanni patruus.*

956. Luitolfus Dux Italiam hostiliter invasit fugatoque Beringario & filio ejus, Papia urbe provinciaque potitus est.

957. Luitolfus Dux commissa pugna Adalpertum vicit, cunctisque sibi unà cum

SÆC. XI. ANNO 1054.

regno Italiæ subjugatis, ipse eodem anno apud Plumbiam immaturo obitu vita decessit, & magno multorum luctu Mogontiæ sepultus est, Ottone filio adhuc parvulo superstite relicto. Et Burghardus Alamanniæ Ducatum accepit.

958. Alawico Augiæ Abbate defuncto Eggehardus Abbas XXIII. præfuit annis 15. qui Ecclesiam sancti Joannis Baptistæ formoso inibi artificio construxit. Nonnullis hominibus signa Crucis in vestibus apparent. Eberhardus Argentinensis Præpositus cum magno apparatu in cellam sancti Meginradi veniens, ibique regularem vitam instituens post ejus introitum 25. anno ad Dominum migravit.

959. Apud S. Gallum ANNO Abbas præfuit anno paulò plus uno.

960. Apud S. Gallum Burghardus Abbas præfuit ann. 13. Gregorius Abbas efficitur.

961. Otto Rex filium suum æquivocum, ex Adelhaide Regina, Regem eligi fecit: & ipse Italiam cum exercitu petiit. Signum in Sole apparuit.

962. Otto Rex Romam veniens à Joanne seu Octaviano Papa imperiali unctione coronatur, ipseque Papam pro sceleribus, quæ fama de illo vulgabat, arguens, ejus corrigere turpitudinem non valebat.

963. Otto Imperator Natalem Domini Papiæ moratus, ipso anno cùm propter alia tum maximè propter Joannis scelera, quæ magis magisque infamari audiebat, dijudicanda Romam venit. Quo comperto idem Papa fugiens, Campaniam petiit, ibique in sylvis & montibus latitavit: in cujus locum à Romanis & Imperatore electus vir venerabilis Leo VIII. Papaque CXXXIV. ordinatus est.

964. Imperator Otto Natalem Domini Romæ egit, eoque alias inde Italiæ partes lustrante, Romani non multo pòst contra Leonem Papam insurgentes eum neci dare, Joannemque reducere moliuntur. Papa verò fugiens ex urbe in partes Spoleti ad Imperatorem venit, suas illi conquestus injurias: cùm iratus Imperator Romam infesto exercitu repeteret, mors illi Joannis scelerati nunciatur; & Benedictus Diaconus à Romanis Papa postulatur, abnuente vero Imperatore, idem Benedictus ejus nominis V. Papa CXXXV. nolente Imperatore sedit mensibus 2. & civitas ab Imperatore obsessa est tantaque fame oppressa, ut modius furfuris 30. væniret danariis, nec multo post afflictis subactisque Romanis, Imperator dedita urbe traditoque Benedicto, Leonem Papam restituit, eique subjectionem & fidelitatem à Romanis sacramento promitti fecit. Qui tamen Papa multis postea ab ipsis affectus injuriis. Eodem anno Rege Romæ morante cum cæteris Principibus, idem Papa consecrationem Cappellæ cælitus factam in Cœnobio S. Meginradi, coram Principibus, scriptis confirmavit.

965. Otto Imperator Natalem Domini item Papiæ manens indeque per montem Cenerum de Italia rediens octavam Epiphaniæ Curiæ egit: Burghardus verò Dux Suevorum Italiam hostiliter invadens, Adalbertum pugna victum fugavit, fratremque ejus Widonem occidit & (*ad*) Imperatorem victor rediit. Ipso anno Brun Agrippinæ venerabilis Archiepiscopus frater Ottonis obiit: cujus vita literis edita à quibusdam habetur. *Colonia.*

966. Romæ defuncto Leone Joannes 13. prius Narniensis Episcopus, Papa CXXXVI. ordine sedit an. plus minus 7.

967.

968. Eclipsis solis 11. Calend. Decemb. facta.

969. Hoc tempore Rodfredus Comes & Petrus præfectus cum aliis quibusdam Romanis Joannem Papam comprehensum, & in castellum S. Angeli retrusum, & in exilium demum in Campaniam missum per 10. & amplius menses affligunt; donec Rodfredo occiso à Joanne quodam, Crescentii filio, ad suam sedem vix tandem relaxatus rediret.

970. Otto Imperator Italicas iterum invasit provincias, Romamque veniens injurias Domini Papæ graviter in auctoribus sceleris partim exiliis, partim patibulis, variisque pœnis, & abominationibus judicavit.

971. Otto Imperator, cùm in Italia moraretur, beatus Udalricus Augustensis Episcopus jam grandævus & infirmus, cùm Romam causa orationis petisset, eum adiit & Episcopatum Adelberoni Clerico sororis suæ Luitgardæ & Peieræ Comitis filio ab eo impetravit. Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparuit.

972. Augiæ Eggehardo Abbate, ob res Ecclesiæ in paupertatem redactas, incusato, & ab Imperatore Ottone privato, Rudmandus Præpositus Abbas XXIV. promotus, præfuit annis 24. nimisque Abbatiam ditavit. Synodus apud Ingelenheim ab Episcopis collecta est, ibique B. Episcopus Udalricus & Adalbero sororis ejus filius, transgressionis Canonum accusati, causa sua dicta & excusata, absoluti revertuntur

Romæ.

Romæ Benedictus VI. Papa CXXXVII. præfuit anno 1. mensib. 10. Apud S. Gallum Notkerus Abbas 4. 6. annos præfuit. Ratisbonæ S. Wolfgangus Episcopus factus est.

S. Wolfgangus. Phlebotomatus.

973. Cum beatus Episcopus Udalricus apud Dilingam castrum cum Richwino Comite fratris sui Theodwaldi filio Pascha ageret, Adalbero Clericus, futurus post eum, ut sperabatur, Episcopus, ibidem fleothomatus subita morte periit; Augustæque in Basilica S. Afræ ab avunculo Episcopo S. sepultus est. Ipse B. Episcopus inter alia bona Abbatiam Uttenburam sibi subditam, libertatis privilegio ab Imperatore absolvi impetravit. Otto Imperator per ipsum tempus Non. Maii subitò mortuus, apud Parthenopolim, quæ Magedeburg dicitur, ubi Archiepiscopatum summo studio fecerat, sepultus est; & filius ejus Otto II. regni pro eo jura suscepit. Sanctus quoque Udalricus Augustensis Episcopus longa infirmitate decoctus anno ætatis 83. Episcopatus verò 50. feria 6. 4. Non. Julii fœlici obitu migravit ad Dominum, & Basilica sanctæ Afræ Martyris venerabili Wolfgango Ratisbonensi Episcopo tumulatus, innumeris usque hodie claret miraculis: post quem Heinricus Augustæ Episcopus factus, præfuit annis 9. Burghardus etiam Dux Alamanniæ defunctus, Augiæque in capella sancti Erasmi conditus est: & Otto filius Luitolfi paternum pro eo ducatum recepit.

974. Romæ Benedictus Papa criminatus à Romanis, & Crescentio Theodoræ filio in castello sancti Angeli custodiæ mancipatus, ibique strangulatus est: & * ea juventute Bonifacius Ferrutii filius Papa ordinatus, & post unum mensem expulsus Constantinopolim postea petiit, & Benedictus VII. Sutriæ prius Episcopus Papa CXXXVIII. ordinatus, sedit annis 9. * Constantinæ sanctæ memoriæ Conradus Episcopus 6. Calend. Decemb. hac vita decessit, & pro eo Gamenolfus annis præfuit plus minus. 4.

** leg. eo vivente.*

** al Constantia.*

975.

976. Dissensio inter Regem Ottonem & patruelem ejus Heinricum Ducem Bajoariæ commota est.

977. Apud sanctum Gallum Ymmo Abbas præfuit annis 8. qui templum patroni sui pro viribus adornare studuit, juxta distichon illud in arcu Ecclesiæ scriptum. Discordia inter Ottonem Ducem Sueviæ & Heinricum Bajoariæ Ducem agitata.

978. Otto Imperator contra Lotharium Regem in Gallias duxit exercitum. Heinricus Dux Bajoariæ, & alius Dux, Augustensis quoque Episcopus Heinricus, rebellantes Imperatori capti & exilio mancipati sunt, ducatumque Bajoariæ Otto Dux Suevorum cepit.

979. Constantiæ Gamenolfus Episcopus obiit: eique Gebehardus nobilis & venerabilis Præsul succedens 16. annis Ecclesiam rexit, qui Basilicam sancti Gregorii in ripa Rheni abbatiamque suis ex prædiis construxit: jam dicitur Petri domus.

Adoram erat: Petersshausen. Petri domus.

980.

981. Otto Imperator peragrata Italia Campaniam Calabrosque fines cum exercitu ingreditur.

982. Græci cum magnis copiis, conductis etiam pretio Saracenis, Calabriam contra Ottonem Imperatorem defendere aggressi, magnis utrinque viribus * conferta primo victi, & deinde nova manu succurrentibus Agarenis exercitum nostrum privant vel capiunt. Ipseque Imperator in mari natando fugiens, ab hostibus captus, cùm non agnosceretur ab eis, ad quoddam castrum maritimum pro pretio, ut rogabat, adductus à suis redemptus est. In eo conflictu nostris infaustissimo, inter alios innumeros Heinricus etiam Augustensis interceptus disparuit, eique Etich in Episcopatu successit. Ipso anno Otto Dux Suevorum & Noricorum obiit: & post eum Conradus Dux Alamanniæ factus est, Heinricusque ducatum Bajoariæ recepit.

983. Otto Imperator Romæ infirmatus 6. Idus Decemb. moritur, ibique honorificè in porticu sancti Petri tumulatur.

984. Otto III. secundi Ottonis ex * Greta conjuge filius, adhuc infantilibus annis Rex pro patre, quibusdam primoribus invitis, constitutus est, & magna cura educatus, summa indole crevit. Romæ Joannes 14. qui & Petrus Papiæ prius Episcopus, Papa CXXXIX. sedit mensibus 8. eumque Bonifacius Verrucii filius, prius relegato Benedicto, male ordinatus, de Constantinopoli quo fugerat, reversus, comprehendit & in castellum S. Angeli relegatum fame, &, ut perhibent, veneno enecuit, ejusque sedem CXL. Papa invasit.

** legend. Graca: Theophanam enim intelligit.*

985. Romæ Bonifacius 7. postquam 11. mensibus malè invasam sedem occuparat, subita morte periit & mortuus à suis cæsus, confossus & triviatim pedibus tractus, vix tandem Ecclesiasticis miserantibus (*est humatus*) Augiæ Rudmanno Abbate defuncto Wit-

Sæc. XI. Anno 1054.

Wittegonno 25. Abbas præfuit annis 12. Apud S. Gallum post Ymmonem Uldaricus Abbas præfuit annis 5.

986. Romæ Joannes XV. Papa CXLI. sedit annis 10. mensib. 7. qui clericos suos parvi pendens odio ab ipsis habitus est.

987. Fames magna hoc anno facta. Ecclesia cellæ S. Meginradi aucta est.

988. Nota quod 88. annus fuit valde mirabilis ab Incarnatione Domini.

989 In Alamannia fuerunt multæ rixæ. primo Liga traxit ad Pavariam & destruxit ibi multas villas. 2. de Wirtenb. habuit bellum cum Liga. In eodem an. duo Duces Pavariæ Dominica die ante Bartholomæi Apostoli & victoriam habuerunt; & de Liga occisi fuerunt quatuor millia hominum. De Constantia evasit unus, de Lindaudia nullus, de sancto Gallo unus, de Basilea duo. Est illud bellum factum penes Richenwil.

990. Apud sanctum Gallum Udalricus Abbas & Eggehardus magister doctus obierunt & Gehardus Abbas præfuit annis undecim.

991. Theophania Græca Imperatrix, mater Ottonis Regis, octavo viduitatis anno obiit.

Apud sanctum Gallum * Faillanus Scotus eruditus hac vita decessit.

* al. Eaillanus.

992.

993.

994. Conrado Rege Burgundiæ mortuo, & apud sanctum Mauricium sepulto, Rudolfus filius licet ignavus, regium ibi nomen per annos circiter 38. occupavit: sub quo, cessante jure, violentia & rapinæ, nullo regno, ut non facile propelli possint, adolevere, ibique, ut hodie apparet, cum suis complicibus regnum obtinuere.

995. Heinricus Dux Bajoariæ obiit, & filius ejus ex Gisela Conradi Regis Burgundiæ filia, itidem Heinricus, Imperator postea futurus, ducatum interim obtinuit: hujus soror Gisela Stephano Regi Ungariorum, cùm se ad fidem Christi converteret, quasi vere juxta nomen suum fidei * obses, in conjugium data, eleemosynis cæterisque bonis operibus inibi intenta consenuit. Constantiæ Gebehardus Episcopus venerabilis obiit, & in Basilica sancti Gregorii Papæ à se constructa sepultus quiescit, eique Lantpertus habitu & professione monachus in Episcopatu succedens præfuit annis 23. qui templum sanctæ Mariæ ex parte diruens ampliavit.

* Giselen.

996. Otto Rex Italiam cum exercitu petit, sibique rebelles coartavit. Gregorius sanctus Abbas obiit.

997. Otto Rex subactis rebellibus, Italia Romaque potitus est. Et Gregorius V. qui & Bruno, filius Ottonis Ducis Papa CXLII. ordinatus, & Otto ab eo Imperator coronatus. qui venerabilis Papa Canonicam ibi disciplinam reparare satagens, sedit annis 3. mensibus 9. Augiæ Wicegowone Abbate privato, Alawicus Abbas 26. promotus Romæ ab ipso Papa consecratus, & privilegio donatus est. Conradus Alamannorum Dux obiit & pro eo Herimannus ducatum accepit, qui & ipse filiam Conradi Regis Burgondiæ Gerbirgam in matrimonio habuit, ex qua filium æquivocum tresque filias reliquit.

998.

999. Otto Imperator iterum Italiam cum exercitu invisit.

1000. Mortuo in Italia Wideroldo Argentinæ Ecclesiæ Episcopo Alawicus Augiensis Abbas Episcopus pro eo ab Imperatore promovetur, & Werinharius Augiæ Abbas 27. statutus præfuit annis 6. Romæ quoque defuncto Gregorio Papa Silvester sedens, qui & Gerbertus primò Remorum, post Ravennatium Archiepiscopus, seculari litteraturæ nimium deditus & ob hoc curioso Imperatori admodum amatus, Papa in ordine CXLIII. ordinatus sedit annis 5.

1001. Otto Imperator in Italia in castro Palerna anno regni 19. 10. Calend. Feb. immaturo obitu decessit, & inde asportatus, intestinis Augustæ conditis, Aquisgrani sepelitur. Et Bajoariæ Dux Heinricus assumptis insignibus regni Rex pro eo regnavit annis 23.

1003. Heinricus Rex Heinricum Marchionem sibi rebellantem petens, plurima ejus diruit castella. Ernust comprehenditur à Brunone Regis fratre, & Heinricus vix fuga dilapsus Argentinæ à Herimanno Duce Alamanniæ Regi rebellante spoliatus, & divinitus in autores sceleris graviter vindicatum est, & ab ipso Duce sacro loco satisfactum.

1004. Heinricus Rex per Veronam Italiam cis Padum petens, omnes sibi partium illa-

illarum civitates subjecit. Papiam ipsa qua coronatus est die, irrumpens, gladio & Sæc.
igne perdomuit. Inde acceptis obsidibus in Saxoniam reversus, post paucos dies in XI.
Sclavos arma convertit. Boëmanisque ad pristinam servitutem tributumque redactis, Anno
Bolizlaum etiam Ducem Sclavorum, Bolanorum cum tota gente sua subjugavit; & in 1054.
Saxoniam victor rediit. Herimannus Dux Alamanniæ obiit, eique filius ejus Herimannus puer omni populo acceptabilis in ducatum successit.

1005. Fames magna facta est. Romæ post Gerbertum Joannes 16. Papa CXXXIX. sedit anno uno.

1006. Augiæ Werinhario Abbate defuncto, fratres Heinricum Monachum elegerunt. Sed Rex Heinricus ejus insolentiam, quamvis ab eo pecunias accepisset, detestatus, fratribusque apud se accusatis infensus, Ymmonem quendam Gorziensem Abbatem, qui & Prumiam ipso tempore tenebat, virum austerum, ipsis invitis præposuit. Unde nonnullis ex ipsis sponte locum illum relinquentibus, quibusdam etiam ab eo jejuniis, verberibus, exilioque graviter afflictis, nobile Monasterium in magnis viris, librisque, & Ecclesiæ thesauris, grave (peccatis exigentibus) pertulit detrimentum. Sicuti Rudolpertus Monachus nobilis, doctus, & facetus, matris meæ patruus, prosa, rithmo, metroque flebiliter deplangit. Romæ Joannes 17. qui & Fasanus Papa CXLV. ordinatur.

Rudolpertus Hermanni matris patruus.

1007. Heinricus Rex summo studio apud castrum suum, Babenberg nobilem & divitem Episcopatum construxit, primusque ibi hoc anno Episcopus promotus est Eberhardus.

1008. Luitolfo viro docto Treverensi Archiepiscopo defuncto, Megingaudus pro eo Archiepiscopus promovetur, sed Adalbero clericus Reginæ Cunigundis germanus, quibusdam faventibus, ad Archipræsulatum, quasi ex regio promisso sibi debitum, adnisus, Treverense palatium præsidiis occupat; & jam cum fratribus suis Theodorico Metensi Episcopo, & Heinrico Bajoariæ Duce, Fridericoque Comite adnitente, etiam cum aliis multis Gerhardo item Comite contra Regem rebellavit: qui omnes à Rege post aliquot temporis spatium subacti sunt: & Heinricus ipse Bajoariæ ducatu privatur. Ipso anno Heinricus Rex cognita tandem post duos annos Ymmonis crudelitate, remoto eo Bern. virum doctum, & primo Prumiensem monachum, Augiæ constituit Abbatem, qui gratanter susceptus, fratres dispersos recolligit, & à Lantperto Constantiensi Episcopo Abbas ejus loci 29. consecratus, magna insignis scientia pietateque præfuit annis 40.

Ad orhm: Bernardus Abbas Augiensis, qui scripsit Legendam S. Udalrici.

1009. Wolferadus Comes Hildrudem, Piligrim & Bernhardi filiam uxorem duxit, ex qua postea, me Hermanno annumerato, 15. liberos produxit.

Hildrud mater Hermanni.

1010. Senior Wolferadus Comes, paternus avus in censibus clemens, & justitiæ tenax, inter suosque præclarus, 4. Nonas Martii jam senex moritur.

1011. Willigisus Mogontiensis Archiepiscopus obiit, eique Erchenwaldus successit. Theodoricus Dux partis Lotharingorum sub ipsa pæne præsentia Regis à Heinrico Bajoariæ dudum Duce à quibusdam Lotharingis captus & abductus est: quo tamen postea relaxato, Heinricus ipse gratiam Regis ducatumque recepit.

1012. Conradus Dux Carentani filius Ottonis Ducis fraterque Brunonis dudum Papæ, obiit, & privato filio ejus puero Conrado, Adalbero ducatum accepit. Herimannus quoque Alamanniæ defunctus Ernustum sororis suæ Giselæ maritum successorem accepit.

1013. Romæ defuncto Sergio Papa Benedictus VIII. Papa CXLVII. sedit annis fermè 12. Herimannus ego 15. Calend. Augusti natus sum. Heinricus Rex Italiam cum exercitu petit.

1014. Heinricus Rex Romæ imperiali à Benedicto Papa coronatur benedictione.

1015. Ernust Dux Alamanniæ in venatu ab Adalberone Comite feram appetente, sagitta vulneratus interiit: & ducatum ejus filius æquivocus, viduam verò Giselam Conradus filius Heinrici filii Ottonis Ducis, futurus postea Imperator, accepit. Megingaudus Trevirorum Archiepiscopus obiit, eique Poppo vir venerabilis frater ipsius Ducis Ernusti successit.

1016.

1017. Godefridus Dux partis Lotharingorum Gerhardum Comitem, Conradi, postea Imperatoris, avunculum commisso prælio vicit.

1018. Constantiæ Lantperto Episcopo defuncto, Riddhardus præsulatum accepit, annisque fermè quinque præfuit.

1019. Conradus adolescens filius Conradi quondam Ducis Carentani, auxiliante

patruele

Sæc. XI. Anno 1054.

patruele suo Conrado, postea Imperatore, Adalberonem tunc Ducem Carentani apud Ulmam pugna victum fugavit.

1020. Benedictus Papa ab Imperatore invitatus Babenberg venit, ibique Ecclesiam sancti Stephani dedicavit. Werinharius Argentinæ Episcopus auxiliantibus quibusdam Suevis, Burgundiones invasit & conserto prælio vicit. Ego Herimannus litteris traditus sum 17. Calend. Octob.

Ad oram hac adscripta: Hermannus Contractus ad scholam missus est.

1021. Terræ motus magnus 4. Idus Maii feria 6. factus. Heribertus Coloniæ Agrippinæ Archiepiscopus, vir magnæ sanctitatis hac vita decessit; multis miraculis claruit: eique Piligrinus successit. Erchenbaldo quoque Mogontiensi Archiepiscopo defuncto, * Aricho Archipræsul efficitur. Post Wolfpotonem quoque Leodicensem Durandus Antistes promovetur. Irmendrudio etiam * Brdchaugiensis Abbas venerabilis 10. Cal. Maii obiit: eique Abarhilt Abbas successit. Ex quo tempore locus ille magis magisque in deterius defluere cœpit. Heinricus Imperator in Italiam expeditionem movit. Werinharius frater meus Calend. Novemb. nascitur.

* al. Aribo.

frater Hermanni.

1022. Heinricus Imperator Campaniam petens Beneventum intravit, Trojam oppugnavit & cepit, Neapolim, Capuam, Salernum, aliasque eo locorum civitates in deditionem omnes accepit; & Nordmannis quibusdam, qui tempore ejus illò confluxerant, quoddam, ut fertur, illis in partibus territorium concessit; sicque per urbem transiens Romanam, victor rediit in Germaniam. Pestilentia in exercitu orta multos extinxit, inter quos Ruddhardus Constantiæ Episcopus, atque Burghardus Abbas de Cœnobio S. Galli obierunt. Et pro his Heimo Episcopus annis ferme quatuor, Theobaldusque Abbas undecim annis præfuerunt. Notkerus quoque magister & alii præstantes fratres apud S. Gallum decesserunt.

1023. Ratisbonæ post Gebehardum Episcopum, castum virum à singularibus quibusdam moribus & munditiarum ornatusque consueto quodam amore famosum, & in divinis officiis nimis studiosum, ab hac luce subtractum, alter item Gebehardus Augustensis Canonicus successit.

1024. Romæ defuncto Benedicto frater ejus Joannes 18. ex laico Papa CXLVIII. ordinatus, sedit annis ferme 9. Heinricus quoque Imperator 3. Id. Julii absque filio diem obiens apud Episcopatum * Benbergerensem à se constructum, quem omnium prædiorum & thesaurorum suorum reliquerat hæredem, in Basilica S. Petri sepelitur. Deinde cùm Conradus senior filius Heinrici & Adalheidæ, & patruelis ejus Conradus filius Conradi Ducis ex Mathilde, ad regnum præcipue adniterentur, habito apud villam Kambam principum * p. conventu, senior Conradus, Rex promotus, & ab Aribone Archiepiscopo Moguntiaci unctus est 6. Id. septemb. Nec multo post uxor ejus Gisela à Piligrino Archiepiscopo Coloniæ Regina nihilominus benedicta 11. Calend. Octob.

* al. Babenbergensem.

1025. Rebellio & discordia multa contra Conradum Regem à patruele ejus Conrado, & Ernusto Duce Alamanniæ, privigno ejus Welph quoque Suevigena Comite & aliis pluribus facta.

1026. Rex Conradus sedatis ex parte rebellibus, circa tempus Quadragesimæ cum exercitu Italiam adiit, & Pascha Vircellis acto totam, præter Luccam urbem Tusciæ, Italiam in cis Romanis partibus sibi subjugavit. Ernust Dux Alamanniæ cùm eo ipso anno interpellante matre, pacificatus Campidonensem loco beneficii Abbatiam accepit, suisque militibus distribuit, nec multo post privato aversus consilio iterum rebellavit. Ipso anno Constantiæ Heimo Episcopus subita morte pleuresi tactus decessit, eique Warmannus successit annis fermè 8. Burghardus quoque Campadonensis & Rhenaugiensis Abbas obiit, eique Rhenaugiæ Pirhtilo Abbas substituitur. Brun Augustensis Episcopus, & Welph Comes prædis & incendiis inter se de mutuo debacchantur.

1027. Conradus Rex acto Yporegiæ Natali Domini in ulteriora progressus, Luccam cum Reginhero Marchione in deditionem accepit, Romamque perveniens, à Joanne Papa in die sancto Paschæ Imperator coronatus est, subactaque Italia tota reversus, in Alamannia apud Ulmam placitum habuit, ibique ad deditionem Ernustum Ducem privignum suum & Welph Comitem cum aliis accipiens, per aliquot tempora exilio deputavit. Cinyburg castrum Werenharii Comitis adhuc renitentis, aliaque nonnulla rebellium castra capta sunt. Conradus & patruelis ejus sese Imperatori tradens, in exilium nihilominus mittitur. Werinharius Argentinæ Præsul Constantinopolim ab Imperatore legatus dirigitur, ibique insequenti anno defunctus Wilihelmum successorem accepit. Hiltegart * Bdchaugiæ Abbas efficitur.

* Buchangia.

1028. Heinricus filius Imperatoris Aquisgrani in die Sancto Paschæ Rex à Principibus cunctis adhuc puer electus, à Piligrino Coloniensi Archiepiscopo unctus est.

1029. Im-

1029. Imperatore Ratisbonæ Paschale festum agente Brun Augustensis Episcopus, summus Symmista ejus, vita inibi decessit, Augustæque in incepta S. Mauricii Basilica sepultus Eberhardum accepit successorem.

1030. Ernust Dux cum exilio relaxatus ducatum suum recepisset, privatorum consilio usus, & denuo Imperatori refragatus, Ducatu privatur: & frater ejus junior Herimannus Dux Suevorum efficitur. Conradus Imperator jam dudum inimicitiis cum Stephano Ungariorum Rege conflatis Pannoniam petiit, & quantum fluminibus & paludibus non obstantibus poterat, Rabam devastavit. Interim in Alamannia cum Ernust dudum Dux ejusque complices parvis viribus contra Imperatorem agitantes, prædis circa silvam Martianam populares infestarent, à Manegoldo Comite ex Augiensi militia observati, & 16. Calend. Septemb. conserto prælio victi sunt. Ipsoque Manegoltto ibidem perempto, Ernust pridem Dux, & Werinhere Comes caput rebellionis, Adalbertus quoque & Werin nobiles milites cum aliis ciderunt. & Ernust Constantiæ, Manegoldus verò Augiæ sepulti sunt. Burghardus Augensis monachus Ratisbonæ apud S. Emmerammum Abbas promovetur. Pax cum Stephano Rege Ungariorum redintegratur.

1031. Aribo Mogontinæ sedis Archiepiscopus Romam orandi gratia petens, hac vita decessit: eique in Archipræsulatu Bardo vita & habitu monachi venerandi successit. Primi lapides Ecclesiæ sancti Megenradi Cellæ 6. Id. Maji positi.

1032. Rudolfus ignavus Burgundiæ regulus obiit, & diadema ejus regnique insignia Conrado Imperatori per Seligerum allata sunt. Imperatoreque ipsis diebus contra Misiconem Sclavorum, qui Boloni vocantur, Regem exercitum ductante, Odo sororis ejusdem Rudolfi filius, princeps Gallicæ Campaniæ, regnum Burgundiæ invasit, captisque Nuenbug & Murtena castris, sua in eis præsidia posuit. Bern. Augiæ Abbas, missis Romam Cœnobii sui privilegiis, à Papa Joanne item privilegium cum sandaliis, ut episcopalibus indumentis Missas ageret, accepit. Unde permoto Warmanno Constantiensi Episcopo, apud Imperatorem quasi sui pervasor officii & honoris accusatus eousque ab utrisque coartatur, donec * idem in Cœna Domini sequentis an. incendendum. Ipso an. Bocaugiense Cœnobium 11. Idus Januarii incendio flagrat. Bertha avia mea fœmina satis religiosa 23. viduitatis anno 11. Calend. Januarii decessit.

* Urstis. edit. ita: cum sandaliis privilegium ipsi Episcopo traderet publicè in Synodo sua, id est, in Cœna Domini.

1033. Imperator post Natalem Domini Burgundiam petiit. Murcenam obsedit, sed impediente Hyemis algore nihil inibi se dignum potuit efficere. Idem rursum æstate ipsam Odonis provinciam, Gallicam invadens Campaniam prædis & incendiis devastavit, donec ipse Odo supplex ad eum veniret, & clementer susceptus satisfactionem licet fictè promitteret. Romæ defuncto Joanne Benedictus * VIII. qui & Theophylactus Papa CXLIX. ordinatus, licet indignis tanto ordini moribus & factis, sedit annis plus 12. Eclipsis solis 3. Calend. Julii circa septimam diei horam facta.

* al. IX.

1034. Imperator iterum Burgundiam cum magnis petens copiis omnia cis Rodanum castella subjecit, Murcenam diruit, Genuensem urbem intravit, Ludunensem Archiepiscopum Burghardum, genere nobilem & strenuum, sed per omnia scelestum & sacrilegum, cum multis aliis principibus in deditionem accepit, subjugatoque Burgundiæ regno rediit. Ipso anno Warmanno Constantiensi Episcopo mortuo frater ejus Eberhardus succedens plus 12. præfuit annis. Megenhardo quoque præsule Werzeburgensi defuncto Brun patruelis Imperatoris filius * Seliæque ex Mathilde Conradi Ducis Episcopatum die Paschæ accepit apud sanctum * eciam. Theobaldo Abbate decedente Nordpertus successit. Pagani Sclavi Leutizi dicti Saxoniæ terminos infestant.

1035. In Italia minores milites contra dominos suos insurgentes, & suis legibus vivere, eosque opprimere volentes, validam conjurationem fecere. Ad quos coercendos cùm primores adunati pugnam inirent multi utrinque ciderunt; inter quos & Aistensis Episcopus vulneratus interiit. Adelbero Dux Carentani & Histriæ, amissa Imperatoris gratia, ducatu quoque privatus est. Leutizi Wirbinam castellum clam proditum capiunt, multosque nostrorum occidunt, captivos abducunt. Imperator vi transito Albia flumine provinciam eorum ingrediens, late vastat. Synodus magna apud Tiburiam ab Imperatore collecta est.

1036. Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus decessit; eique Herimannus Ottonis II. Imperatoris ex filia nepos successit. Gebehardus 2. Ratisbonensis Episcopus 16. Calend. Maii obiit; pro quo 3. Gebehardus Conradi Imperatoris ex matre Adelheide frater Episcopus ordinatur. Heinricus Rex filius Imperatoris Chunihildem Cnutonis Danorum & Anglorum filiam regalibus sibi apud * Noviomagnum nuptiis copulavit uxorem.

* al. Noviomagum.

Sæc. XI. Anno 1034. uxorem. Conradus patruelis Imperatoris patris sui ducatum & in Histria, quem Adelbero habuerat, ab Imperatore suscepit. Heremannus quoque Dux Alamanniæ Marcham soceri sui Meginfridi in Italia ab Imperatore accepit. Leutizi Sclavi Imperatori vectigales facti. Burghardus Luctunensis Archiepiscopus imo tyrannus & sacrilegiis Ecclesiarum deprædator incestuosus, cùm Udalricum Selegereri filium bello peteret, ab ipso victus & captus Imperatorique adductus, ferro compeditus & custodia mancipatus, multis annis detinetur in vinculis. Imperator hyeme Italiam petit. Sanctimoniales & Domina Irmengarda Welph Comitis vidua apud Altorf pro clericis collectæ sunt.

Lugdunensis.

1037. Imperator celebrato Veronæ Natali Domini, per Brixiam & Cremonam Mediolanum pervenit, inde Papiam adiens Heribertum Mediolanensem Archiepiscopum, infidelitatis accusatum, apprehendi jussit, eumque Poponi Patriarchæ Aquilegiensi custodiendum commendavit: qui fuga elapsus cunctis viribus eidem Imperatori rebellare contendit. Imperator Paschali festo Ravennæ acto territorium Mediolanense repetiit, urbem obsedit, castella, villas omniaque circum ad rebelles continentia vastavit. Conjuratorum verò manum facilè compescuit, eisque legem quam & prioribus habuerant temporibus, scripto roboravit. Papa Benedictus Cremonam ad Imperatorem venit. Episcopi Placentinus, Cremonensis, & Vircellensis incusati ab Imperatore, captique, & in exilium missi. Ipso anno pugna inter Odonem Gallicæ Campaniæ Principem & Gozzilonem Lotringorum Ducem commissa. Odo victus & cum suis fugatus in ipsa fuga peremtus interiit.

1038. Cum Imperator Natalem Domini Parmæ ageret, orto inter Parmenses cives & exercitum tumultu, multi ceciderunt, & pluribus civium trucidatis, ipsa civitas incendio consumpta est. Papa Archiepiscopum Mediolanensem Imperatori adhuc rebellantem excommunicat. Imperator cum ultra Romanas partes peragrasset, indeque per Adriatici maris oras remearet, mense Julio ingens exercitum pestilentia invasit, & plurimos passim extinxit; inter quos Chunihildis Regina Heinrici Regis uxor 17. Calend. Augusti defuncta. & ad castrum Linaburg translata, ibique sepulta est. Hermannus quoque Dux Alamanniæ suis admodum flebili morte 5. Calend. Augusti occumbens Tridenti tumulatus est. Imperator de Italia reversus Solodori colloquio habito, plurimos Burgundionum primores tam sibi quàm filio suo subjectionem sacramento firmare cœpit. Ipso anno Stephanus Ungariorum Rex cum ante plurimos annos se cum tota gente sua ad Christi fidem convertisset, Ecclesiasque multas & Episcopatus contraxisset, & regnum suum probis mitissimus * operam impendisset, Petrum sororis suæ filium de Venetia natum pro se Regem constituens, obiit.

1039. Conradus Imperator apud Trajectum Fresiæ urbem, Pentecosten 3. Nonas Junii inopinata morte subito decessit; & Nemetum allatus ibique sepultus est: & filius ejus Rex Heinricus gubernaculum regni suscepit. Regiabaldus quoque Nemetensis Episcopus, vir vita & habitu monachico verendus, 3. Idus Octob. decessit: Conradus & Dux Carentani & Adelbero æmulus ejus, qui ante eum ducatum eundem tenuerant, ipso anno obierunt. Heinricus Rex mota in Boëmiam expeditione, cum Dux gentis Brezizlaus filium suum ob fidem ei obsidem misisset, seque ipsum venturum & imperata facturum, licet fictè promisisset, statim rediit. Petrus Rex Ungariorum hyeme terminos regni sui invadens, prædis, incendiis, & captivitate depopulatur. Ecclesia Cellæ sancti Meginradi 3. Idus Octobris dedicatur, & * reliquiæ corpus sancti Meginradi

1040. Heinricus Rex Boëmiensium Ducem iterum rebellantem petens, ad præstructionem seu munitionem Silvæ citra & ultra expugnandam, partem expeditam exercitus per devia saltus in provinciam misit: sed cum undecimo Calend: Septembris istac, crastina verò die illac milites silvosa difficilia & obstructa loca ingressi casso labore jam fatigabundi, firmissimam quandam machinam oppugnatum aggredi frustra tentarent, irruentibus undique Boëmanis cæsi, capti, fugatique, & qui in provincia adhuc ex nostris remanserant, interveniente Gunthario Eremita incolumes educti redierunt. Rex vero plurimis militum & procerum amissis, infecto interim negotio discessit. Eberhardus Babenbergensis Ecclesiæ primus Episcopus anno promotionis 33. decessit: cui Suidegerus natione Saxo, vir laudabilis successit.

1041. Heinricus Rex reddito Boëmano Duci obside filio suo, captivos in Silva captos redemit; secutaque æstate collecto grandi exercitu provinciam ipsam per devia ingressus, prædis & incendiis cuncta devastat, donec Dux malis subactus pacem postularet, sui deditionem, & cum tota gente subjectionem, Ratisbonamque se ad Regem ven-

venturum & imperata facturum, fidelibus Regis ad se vocatis promitteret. Quod & Rege discedente, mox facto implevit. Ipso anno Ungarii perfidi Ovonem quendam Regem sibi constituentes, Petrum Regem suum occidere moliuntur; qui vix fuga elapsus primo ad Marchionem nostrum Adelbertum sororis suæ maritum profugus venit, indeque ad Regem Heinricum veniens, pedibusque ejus provolutus veniam & gratiam imploravit & impetravit.

SÆC. XI. ANNO 1054.

1042. Heinricus Rex hyeme Burgundiam invasit, multosque Principum se illi subjicientes suscepit, nonnullaque legitimè dijudicavit. Ovo Ungariorum tyrannus, ob susceptum à nostro Rege Petrum, divisit bifariam exercitum suum; fines Bajoariæ ex utraque parte Denubii deprædans & incendens depopulatur. sed una pars exercitus ejus à Septentrionali parte Denubii ab Adalberto Marchione & filio ejus Luitpaldo ad internecionem cæsa est. Heinricus quoque autumno Pannonias petens Heimenburg & Brecesburg evertit: Septentrionalem Danubii partem (quia flumina Australem & paludes munierant) usque ad Grana flumen vastavit seu in deditionem accepit: & pars exercitus bis numero Ungariam incursantibus congrediens, strages magnas effecit, & subactis partium illarum Ungariis, cùm Petrum recipere nollent, quendam alium ex illis, item apud Boëmanos exulantem, Ducem eis constituit; quem tamen Ovo statim post discessum Regis, resistere non valentem, in Boëmiam repulit. Popo Patriarcha Aquilegiensis obiit eique Eberhardus Augustensis Canonicus à Rege promotus successit.

Danubii.

1043. Gisela Imperatrix apud Goslere, quamvis, à sortilegis nonnunquam vera sibi prædicentibus decepta, filio Regi se supervicturam, crederet * desuncere morbo 15. Calend. Maii decessit, & Nemeti juxta maritum Imperatorem sepulta est. Æstas pluviosa frugum & vindemiarum penuriam fecit. Heinricus Rex iterum Pannonias petens, ab Ovone vix pactum, satisfactionem, obsides, munera, regnique usque ad Litha fluvium, partem accipiens, discessit; inde in Alamanniam veniens, in Synodo Constantiensi cunctis, qui contra se deliquerant, primum ipse debitum omne dimisit, deinde precibus & adhortationibus omnes præsentes Suevigenas, postea in aliis regni sui provinciis idem actum iri satagens, dimissis debitis & inimicitiis, sibi invicem reconciliavit; pacemque multis sæculis inauditam efficiens, per edictum confirmavit. Exin Agnetem Wilhelmi Pictaviensis filiam sponsam suam accipiens, & Mogontiaci Reginam inungi faciens, regales apud Ingelheim nuptias celebravit; & in vano histrionum favore nihili pendendo, utile cunctis exemplum, vacuos eos & mœrentes dimittendo, posuit. Ubi quoque Luitpaldus Adalberti Marchionis filius, magnæ virtutis & pietatis adolescens, ab ipso Rege Marchio promotus; & post paucos dies defunctus Treviri à patruo suo Poppone Archiepiscopo sepultus.

* leg. dysenteria.

1044. Maxima pestis pecudum, & hyems satis dura & nivosa magnam vinearum partem frigore perdidit, & frugum sterilitas famem non modicam effecit. Gozzilo Dux Lotharingorum moriens Gozzilino filio quamvis ignavo ducatum suum à Rege Heinrico promissum, relinquere disposuit. Filius ei Godefridus jam dudum Dux cum ducatum fratri debitum contra fas à Rege Heinrico sibi obtinere nequivisset, jusjurandum fidemque postponens, rebellare pio Regi præsumit. Ovo Rex, cùm jusjurandum pactumque fregisset, Heinricus Rex cum perparvis copiis Pannonias petiit, quem Ovo, qui maximum paraverat exercitum, in tantum despexit, ut eum quasi facile occidendum seu capiendum, provinciam ingredi sineret: Sed Heinricus parte copiarum Rabam fluvium festinè in divino confisus auxilio transvadavit, pugnam cunctis militibus passim festinantibus, iniit, & in prima congressione innumerabilem Ungariorum exercitum fugavit & prostravit; & paucissimis suorum amissis, ipsemet fortissime pugnans gloriosissimam victoriam adeptus est 3. Non: Julii. Et Ovone Rege vix fuga elapso omnes Ungarii ad deditionem servitium promittunt. Ipse vero, ut erat per omnia piissimus, Petrum jam dudum expulsum regno suo restituit. Ungarios petentes lege Bajoarica donavit, ipseque cum triumpho in regnum suum rediit. Nec multo post idem Ovo à Petro Rege deprehensus, scelerum suorum pœnas capite plexus persolvit. Eodem anno Ludowicus Comes Reginoldum Principem Reginæ (Agnetis) avunculum, sed Heinrico Regi inimicum, dum quoddam castellum ejus, quod Mons Piligardæ dicitur, magna cum manu expugnare pararet, cum parva militum suorum copia pugnam iniens vicit, multisque cæsis reliquos fugavit. Romani Benedictum Papam multis criminatum sede sua pellunt & Silvestrum quendam in locum ejus statuunt, quem tamen postea Benedictus quibusdam sibi faventibus, excommunicatum depulit, sedique suæ redditus seipsum postea privavit, & alium pro se ob avarititiam contra Canones ordinat. Heribertus Mediolani Archiepiscopus obiit.

SÆC. XI.

ANNO 1054.

Beggelinheim castellum Gottefridi à Rege destruitur. Gebehardus Ravennas Archiepiscopus obiit, & pro eo Wideger constituitur.

1045. Reginolt & Gerolt Burgundiones Regi apud Solodorum ad deditionem venerunt. Otto Palatinus Comes Paschali hebdomada Dux Alamanniæ apud Goslare à Rege constituitur. Petrus Rex Heinricum Regem in festivitate Pentecostes ad se invitatum cum magno apparatu suscepit, & maximis muneribus donavit, eique regnum Pannoniarum, Principibus Ungariorum fidelitatem illi & successoribus ejus juramento firmantibus, reddidit: quod tamen ab eo ipse dum viveret possidendum recepit. In quo videlicet itinere Rex quoddam vetus solarium ascendens, cum multis aliis ædificio cadente, corruit; ipsoque, Deo protegente, illæso, Brun Wirtzeburgensis Episcopus lethaliter cum aliis collapsus, post unam hebdomadam 7. Calend. Junii obiit, & ad sedem suam reportatus ibique sepultus, Adalberonem * susceptorem suscepit. Gotefridus Dux rebellioni suæ desperans, Regique ad deditionem veniens, in custodiam mittitur. Wido Mediolani Archiepiscopus constituitur, Sclavi, qui Luitici dicuntur, Saxoniæ terminos inquietantes, Regi illò cum copiis militum venienti se tradunt, & solitum censum promittunt. Autumnali tempore * Gutichiarius Eremita ad Christum migravit, & in Praga Boëmiæ urbe sepultus quiescit. Per idem tempus regale colloquium apud Triburiam condictum gravis Regis infirmitas præpedit, quo etiam tempore Agnes Regina filiam Regi peperit.

** al. successorem.*

** al. Guntharius.*

1046. Rex Natalem Domini in Saxonia apud Goslare celebravit. Magna mortalitas multos passim * continxit. Eggehardus Marchio ditissimus subito moriens prædiorum suorum Regem reliquit hæredem. Rex Paschale festum apud Trajectum Fresiæ urbem egit, & subsecutis diebus navali expeditione in Phlatirtingam fretum trajiciens, pagum quendam quem Theodoricus Marchio sibi usurpaverat, ab eo eripuit: unde idem postea rebellionis causam sumpsit. Sanctam autem Pentecosten Aquisgrani faciens, Gotefrido Duci custodia relaxato sibique procedenti terratenus prostrato ducatum suum misertus reddidit. Quibus etiam diebus Widgerum, qui Ravennæ præsulatum jam biennio inepte & crudeliter, nondum consecratus, tenebat, ad se vocatum Episcopatu privavit. Sequenti tempore Rex in Italiam expeditionem parat. Fridericus frater Heinrici Ducis Bajoariæ Dux Lotharingorum pro Gotefridi fratre ignavo Gozzilone constituitur. Subsecuto autumno Ungarii pristinæ perfidiæ suæ memores, Andream quendam Regem sibi statuunt. Petrum Regem multis advenarum, qui pro eo pugnaverant, occisis, * variis cum conjuge sua alendum deputant; multis etiam per idem tempus peregrinis inibi expoliatis, exulatis atque necatis. quo comperto Rex Heinricus, qui jam valido exercitu congregato in Italiam iter cœperat, nimis indoluit, sed inceptam expeditionem non deseruit. Itaque coadunato exercitu Papiæ Synodum celebravit, inde Placentiam veniens, Gratianum, quem expulsis prioribus Romani Papam statuerant, ad se venientem honorificè suscepit; sicque cunctis prosperè cedentibus, juxta Natalem Domini non longe ab urbe Roma apud * Sitiram Synodo item acta, causaque erraneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam convictum pastorali baculo privavit. dein omnium tam Romanorum quàm aliorum assensu Suidgerum Episcopum, qui post Eberhardum Primum secundus Babenbergensem sexto jam anno regebat Ecclesiam, nimium reluctantem summum Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem. sicque circa Vigilias Natalis Domini ipsam ingrediuntur urbem. Eadem nocte bonæ memoriæ Eberhardus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus inibi in porticu S. Petri sepeliendus obiit 13. Episcopatus sui anno.

** al. extinxit.*

** vulg. edit. Variis cum conjuge sua injuriis affectum, postremo oculis privant, & in quendam locum, cum eadem conjuge sua alendum deportant.*

** leg. Sutriam.*

1047. In ipsa Natalis die Domini præfatus Suidgerus natione Saxo, Apostolicæ Sedi Papa (*CLI.*) ex more consecratus & nomine auctus, Clemens II. vocatus est. qui mox ipsa die Heinricum Regem, conjugem ejus Agnetem imperiali benedictone sublimavit, peractisque Missarum solenniis, ipse Dominus Papa & Imperator cum Imperatrice ita ut erat coronatus, ad Lateranense palatium cum ingenti gloria proficiscuntur, cunctis civibus Romanis mirantibus honoremque singulis quibusque pro facultate obiter impendentibus. completisque Romæ cum summa pace aliquot diebus, Imperator magnam exercitus partem patriam redire permittens, ipse cum reliquo ad ulteriora contendit. Circa idem tempus Imperator præsules nonnullos constituit, inter quos Ravennati Ecclesiæ Hunfridum cancellarium suum in Italia; Constantiensi Theodericum per alias provincias Cancellarium suum & Archicapellanum & Aquisgrani Præpositum; Argentinæ Herrandum Præpositum pro Wilhelmo autumnali tempore defuncto; Viridunensi Theodericum, Basileæ Præpositum Capellanum Pontifices præfecit. Imperator verò Roma egressus nonnulla castella sibi rebellantia cepit; provincias, prout videbatur, disposuit; Duces Nordmannis, qui in illis partibus com-

commorantur, & aliis eo locorum urbibus constituit. sed socru Imperatoris de monte Gargano Beneventum reversa, orto tumultu, Beneventani cives quibusdam eam injuriis afficiunt. Unde sævam ab Imperatore vindictam metuentes eique se subdere non præsumentes, rebellionem ineunt. Sed Imperator, qui magnos, ut dictum est, exercitus jam remiserat, & ad alia occupato animo, jam patriam tendebat, tantam tunc temporis civitatem aggredi distulit, interimque eo infecto negotio, sed aliàs universa Italia parente pacataque redire disposuit. Interea Imperatrix Agnes, quæ Roma ab Imperatore digressa fuerat, in Ravennati territorio filiam peperit. Imperator verò cœpto redeundi itinere, Mantuæ Paschale festum in gravissima decumbens ægritudine commoratur. Postea convalescens corpus beati Widonis Pompasiæ monasterii Abbatis in magna sanctitate ante non integrum annum defuncti, plurimis glorificatum miraculis de Parmensi, ubi sepultum fuit, civitate, ad urbem Spiram transferendum, magno secum cum honore de Italia rediens devexit. In quo itinere Augustam Vindelicam in Litaniis ante Ascensionem Domini veniens, Eberhardo urbis ejusdem Episcopo in adventu ejus defuncto, Heinricum Capellanum suum successorem constituit. Actoque inibi eodem festo, Pentecostes solennia Spiræ celebravit, ibique colloquium cum regni Principibus habuit, & corpus præfati Abbatis in incepta extra urbem Basilica tumulari fecit. Quo tempore Welf Comitem Suevigenam, Welf dudum Comitis filium, Carentani Ducem promovit. Avunculum quoque ejus Adalberonem Ducem, videlicet Heinrici & Friderici fratrem, Metensis Ecclesiæ Episcopum, post Theodericum nuper defunctum constituit. Item Poppone Archiepiscopo ipsis diebus defuncto Trevirensi urbi Eberhardum Wormaciæ Præpositum Archipræsulem præfecit. Per idem tempus cùm expeditionem in Pannonias ad Petrum ulciscendum disponeret, Godefridus Dux cum Balduino de Flandris, & aliis nonnullis rebellionem innovasse, bellumque copiis collectis paravisse, Theodericus quoque de Phladritinga Marchio rebellavisse & Episcopatus sibi contiguos ad injuriam Imperatoris populatus esse nunciatur. Præterea Andreas, qui regnum se ab Ungariis coactum suscepisse confirmans, de Petri sese injuriis excusans, quique adversus eum conjuraverant, partim à se trucidatos partim ipsi Imperatori tradendos denuncians, suamque Imperatori subjectionem, annuum censum, & devotam servitutem, si regnum sibi habere permitteret, mandans. *Quibus dilata expeditione illa, cùm Gotefridus quoque rebellionem suam callidis legationibus dissimularet, autumnali tempore navali expeditione collecta, contra Theodericum in Phladirtingam arma commovit. Interea Otto Suevorum Dux, qui provinciam sibi traditam piè ac strenuè tertio jam anno regebat, immaturo obitu diem clausit extremum. Ipsis quoque diebus Bajoariæ Dux Heinricus defunctus Treveris sepelitur. Clemens etiam qui Suidegerus Papa in Romanis partibus nono mense promotionis suæ diem obiens ad Episcopatum suum Babinberg reportatus tumulatur. Imperator expeditione in Phlatirtingam trajecta, aquosis impedientibus locis, parum proficere potuit, & revertens adversariis marino cursu levibus scaphis latrocinantium more sequentibus, & extremos quosque incursando cædentibus, non modicam in excercitu cladem pertulit. Ipso quoque tempore Gotefridus inter alia, quæ contra Regem gessit, Viridunensem civitatem dolo captam incendit & evertit, cujus Ducatum Adalberto cuidam tradit.

** quibus ex causis.*

1048. Imperator Natales Domini in Saxonia moratus, confestim per Wirzeburg in Alamanniam venit, & Ulmæ colloquium habens, Ottonem de * Suuvurt Marchionem, Ducem constituit. Indeque Bajoariam veniens Quadragesimale & Paschale tempus exigit. Eadem Quadragesima sanguis, ut creditur, Domini apud urbem Mantuam divina per quendam cæcum revelatione invenitur, & plurimis miraculis declaratur. Imperator Ratispona, ubi Pascha cum Ottone & Brecizlao Ducibus & multis Principibus egit, digressus, Alamaniam repetit, & in Augiam nostram ingressus 8. Calend. Maii novam sancti Marci Evangelistæ Patroni nostri Basilicam * à Domino Bern. Abbate constructam, se præsente à Theoderico Constantiensi Episcopo dedicari fecit, & ejusdem Sancti festo in litania majore apud nos acto, Ascensionem Domini Turego, Pentecosten autem Solodoro celebravit. Habitoque ibi cum * Burdionibus colloquio per Franciam Orientalem in Saxoniam remeavit. Per idem tempus Dominus Bern. Abbas Augiæ vir doctus & moribus insignis anno promotionis suæ 40. in senectute bona morbo confectus 7. Idus Junii diem ultimum clausit, & in Basilica sancti Marci sepultus quiescit. In cujus locum Udalricus Decanus, à fratribus electus, Abbas ab Imperatore statuitur. Defuncto quoque viro docto * Wazone Leodii Pontifice Dietwinus successit. Sequente Julio, Poppo Brixiensis Episcopus ab Imperatore electus Romam mittitur, & honorificè susceptus Apostolicæ Sedi Papa CLII. ordinatus,

** al. Suinfurt.*

** leg. à Domino Bernardo.*

** leg. Burgundionibus.*

** al. Watzone.*

SÆC. XI. ANNO 1054. natus, mutato nomine Damasus II. vocatur. Sed paucis diebus exactis defunctus, & ad sanctum Laurentium extra urbem sepultus est. Autumnali tempore Heinricus Imperator, & Heinricus Galliarum Rex in Metensi territorio convenientes pacem pactumque inter se juramento confirmant. Quibus diebus terræ motus magnus factus est nocte 3. Idus Octob. Ipsis item diebus Agnes Imperatrix filiam Imperatori peperit. Eodem etiam tempore Godefridus Adalbertum Ducem se deprædantem persecutus, & dimissa multitudine cum paucis inventum, cum aliis, qui repugnare tentabant, occidit. Post quem Gerhardus Dux ab Imperatore constituitur. Ipsis Imperator diebus Argenturatum, & inde prope Natalis Domini Ulmam venit, sicque in Bajoariam proficiscitur.

1049. Imperator Natalem Frisingiæ & Purificationem sanctæ Mariæ Ratisponæ agens Bajoariæ Ducem Conradum constituit: & circa Quadragesimale tempus in Saxoniam recessit. Gotebaldus Metensis Præpositus Aquileiæ Patriarcha post Eberhardum his diebus defunctum ab Imperatore promovetur. Interea glaciali hyeme suppeditante, nonnulli de partibus maritimis milites & Principes cum Leodiensi Episcopo & Trajectensi atque Metensi congregati, Theoderico in Phlatirtingam insidias tendunt, commissaque pugna victum occidunt & provinciam illam Imperatori subjiciunt. Quam tamen non multo post Gotefridus occupans, ab eisdem pugna petitus & victus, vix aufugit. Per idem tempus Bruno Leucorum Episcopus ab Imperatore electus Romamque missus summo honore suscipitur, & in Quadragesima Papa 153. ordinatus Leonis nomen accipit. Qui in proximo Pascha Udalricum Augiensis Cœnobii provisorem, Romam venientem Abbatis benedictione consecravit, & Monasterii ejusdem privilegia antiquitus à sede Apostolica tradita, sua autoritate confirmavit, Indictione secunda. 7. Cal. Aprilis. Idem Papa in hebdomada post Albas Synodum cum Italiæ Episcopis maximè contra Simoniacam hæresin Romæ celebravit. Idem in hebdomada Pentecostes aliam Synodum Papiæ congregavit: Indeque per montem Jovis cum pluribus Romanorum in cisalpinas partes devenit. Exactoque tempore Odilo venerabilis coloniacensis Cœnobii & multorum pater Monasteriorum 4. Non. Januarii migravit ad Dominum. Secuta æstate cum Imperator expeditionem contra Gotefridum & Waldewinum à Domno Papa excommunicatos pararet, Gotefridus tam manum Imperatoris quàm Papæ excommunicationem pertimescens, ad deditionem Aquisgrani venit & opitulante Papa gratiam Imperatoris promeruit. Waldewinus vero utrumque contemnens vastata ab exercitu magna ex parte provincia sua, tandem obsides dedit, & pactum cum Imperatore fecit. Autumnali tempore Domnus Papa Synodum magnam Remis cum Galliarum Episcopis habuit, indeque Mogontiacum veniens, aliam Synodum 40. Episcoporum coram Imperatore & regni nostri Principibus celebravit, & postea Alamanniam adiens Augiæ festum sancti Clementis, & Dominicam ante Adventum 6. Calend. Decembris egit, ac per Augustam Bajoriamque transiens, Natalem Domini Veronæ coluit.

Cluniacensis.

1050. Imperator verò idem festum in Saxonia mansit. Ipsa hyeme cùm Episcopus Ratisbonæ Ratigeberhardus, qui * Capidonem Abbatiam nuper beneficii loco ab Imperatore acceperat, in Pannoniarum terminis moraretur, cedentibus Ungariis, fines eorum ingrediens, prædas inde abduxit. Sed ipso discedente, plurimus Ungariorum exercitus fines nostrorum invadens, plurimam partem captivavit, incendit, atque vastavit. Imperator Paschale tempus apud Trajectum moratur. Domnus Papa Leo post Pascha Synodum item Romæ collegit, & subsecuto tempore ultra Romam progrediens nonnullos locorum Principes & civitates tam sibi quàm Imperatori jurejurando subjecit, Beneventanosque adhuc rebellantes excommunicavit. Nonnulli etiam exterarum Principes gentium, missis ad eum, utpote Apostolicum virum, legatis, subjectionem ipsi promittunt. Imperator contra Gazmerum Ducem Bolanorum rebellionem molientem, expeditionem parat, gravique infirmitate detentus, pacem pactumque eum petentem suscipiens discessit. Gebehardus Ratisbonensis Episcopus cum Conrado Duce Bajoariæ & Adalberto Marchione, aliisque quibusdam Episcopis & Principibus Bajoariæ Heimenburg reædificant, & magnam Ungariorum copiam se invadentem prosternunt, & usque ad innumerabilis exercitus eorum præsentiam, refugientem persequuntur; cunctisque Ungariorum agminibus divinitus immisso terrore, vertentibus terga, ad castra, Deo gratias reddentes revertuntur. Ipso autumno Domnus Papa Synodum Vercellis collegit & Hunfridum Archiepiscopum pro quadam inter Ravennatem & Romanam Ecclesiam contentione ab officio suspendit; indeque Gallias & Episcopatum suum * Leucerum civitatem revisit. Quoque tempore Agnes Imperatrix tandem Imperatori filium peperit.

* leg. Campidonensem.

* al. Leucorum.

1051. Im-

1051. Imperator Natalem Domini in Saxonia apud Goslare egit, & multos ex Principibus filio suo jurejurando fidem subjectionemque promittere fecit. Nec multo post ipse * Dominus cum multis Episcopis, & Principibus apud Augustam Vindelicam convenientes, Purificationem Domini Genitricis celebraverunt. Ravennateque Archiepiscopo apud Papam inibi reconciliato, charitativè à se invicem discedentes, Papa Romam revertitur. Imperator Nemeti partem Quadragesimæ, Paschæ verò festum Coloniæ demoratur: ibique filius ejus Heinricus ab Archiepiscopo Herrimanno baptizatur. Post Pascha item Domnus Leo Papa Synodum Romæ collegit, ubi inter alia Gregorium Vercellensem Episcopum propter adulterium, & perjuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicavit: quem tamen non multo post Romam venientem & satisfactionem promittentem, officio priori restituit. Per idem tempus Imperator Lantpertum Comitem rebellare molientem, ad deditionem compulit. Eadem æstate Bardo venerabilis Mogontinæ sedis ex monacho Archiepiscopus, omni pietate & sanctitate mirabilis 3. Idus Junii ab hac vita subtractus multis post obitum claret miraculis: pro quo Imperator Luidpaldum Babinbergensem Præpositum constituit. Item pro Theodorico Constantiensi Episcopo 10. Calend. Julii quinto præsulatus sui anno post longam ægritudinnem defuncto, Rumaldum promovit. Ravennas quoque Archiepiscopus Hunifridus veneno, ut ajunt, subito periit. Sequenti autumno magno cum exercitu Imperator, pactum Andreæ Regis, ut per legatos offerebatur, accipere contemnens, Pannonias petiit, Gebehardoque Ratisponensi Episcopo & Welf Brezizlaoque Ducibus ad Septentrionalem partem Danubii depopulandam transmissis, ipse devecto è navibus quantum poterat sumptu, longo propter fluviorum illuvionem circuitu, per Carentani fines transiens, perjurumque regnum invadens hac & illac Ungarico exercitu latrocinantium more fugitante, & nusquam æquo Marte conferre manum audente, omnia circumquaque quoad sumptus militi suppetebant, vasta reddidit. Sed cum laboranti jam penuria & fame exercitui Ungarii jam reditum pararent intercludere, oppositisque per ripas fluminum præmunitas vadosasque paludes copiis suis, omnes se vel ad deditionem cogere vel inedia minitarentur extinguere, milites interriti hostes per fluvios obsistentes, incunctanter transvadentes fugant, quandamque munitionem firmissimam ad pontem * Rabantza fluminis structam, in qua maximam hostis fiduciam habebat, quidam ex Burgundionibus, Saxonibus, & Bolanis milites non sine sui periculo flumine transito, in brevi expugnatam capiunt, cæsis palatisque Ungariis * reliquo exercitui viam pandunt. Qua pertranseuntibus penè cunctis incensa, aliquot de postremis in magno periculo hostibus insequentibus, interclusi: sicque redeunte Imperatore, illisque quos ultra Danubium transmiserat, rebus prospere gestis, jamdudum reversis, Andreas rex à nostro Marchione Adelberto pacem postulatum mittit, eamque vicissim tribuit.

Ipsis diebus, defunctis uno penè in tempore Lindaugiense & Buochaugiense abbatissis, Juota nobilis, prudens & religiosa vidua, utrique loco recuperando ab Imperatore præficitur.

Sæc. XI. Anno 1054.

* al. ipse & Dominus Papa.

* al. Rabinitza.

* Deerant hic multa apud Canisium, sed ut opus perfectius evaderet, sequentia ex Urstisio adjecimus. Basn.

Imperator nativitatem Domini apud Goslare egit, & multos ex Principibus filio suo jurejurando fidem promittere fecit. 1051.

Hunfridus Ravennas archiepiscopus, Domino Papæ apud Augustam reconciliatur.

Post pascha synodum Romæ collegit Leo Papa, ubi Gregorium Vercellensem Episcopum, propter quoddam adulterium & perjuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicavit. Quem tamen postea Romam venientem & satisfactionem promittentem, priori officio restituit.

Eadem æstate Bardo, venerabilis Moguntiæ Archiepiscopus, 3. Idus Junias defunctus, multis claret miraculis, pro quo Luitpaldus. Constantiæ Theodorico Episcopo defuncto, successit Rumaldus.

In Autumno Imperator regnum Ungariæ devastavit.

Hoc tempore Tuta, nobilis & religiosa vidua, Buochaugiensi & Lindaugiensis cœnobiis Abbatissa ab Imperatore præficitur.

Imperator natalem Domini Goslare egit, ibique quosdam hæreticos, inter alia pravi erroris dogmata, Manichæa secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne hæretica scabies latiùs serpens plures inficeret, in patibulis suspendi jussit. 1052.

Eodem tempore, 5. Idus Januarii, mater mea Hiltrudis, Wolfradi Comitis uxor admodum pia, mitis, liberalis & religiosa fœmina, marito septemque liber superstitibus, devoto & felici (uti hominibus apparere poterat) exitu, diem ultimum clausit, anno ætatis circiter 61, conjunctionis verò cum marito 44, & apud villam Aleshausen, sub

Sæc. XI. sub capella sancti Udalrici, à se constructa, in sepulchro quod ipsi sibi præparaverat, condita est: cui ut pro Epithaphio hos scriberem versiculos, libuit.

Anno 1054.

Mater egenorum, spes auxiliumque suorum,
Hos Hiltrud tumulo debita reddit humo.
Quæ præpollentes generosa stirpe parentes,
Nobilitans, claris extulerat studiis.
Atque colens castam reverenter monogamiam,
Vixit, divinis prona ministeriis.
Inque bona Marthæ satagens succedere parte,
Practica quod docuit, vita sequi studuit.
Veste, cibo, lingua, pede, totis nisibus ipsa
Se miseris largam præbuit atque piam.
Relligione pios præ cunctis fovit amicos,
Cunctis morigeram se dedit & placidam.
Atque manens mitis, patiens, ac nescia litis
Complacuit mundo, ô utinamque Deo.
Carnem castigans, precibus loca sancta frequentans.
Quærere cœlestem sedula suevit opem.
Crede panegyricis non hæc me fingere vanis,
Nec matrem verbis tollere falsidicis:
Consule rumorem quaquaversum popularem,
Dictaque de veris paucula, certus eris.
Hanc quoque postremò mera cum confessio crebro
Purgasset, Domino debita corde pio:
Communita fide, spe tuta, vigens pietate,
Felix hanc vitam deseruit miseram.
Cum mensis Janus quintas devolverat Idus,
Movit permultas morte sua lachrymas.
Pro qua quæso, precor, peto, postulo, flagito, Lector.
Pulses supplicibus ut Dominum precibus.
Quatenus ipsius pietate sui miseratus,
Absolvat cunctis mitis eam maculis.
Inque beatorum felici sorte suorum,
Largus ei stabilem contribuat requiem.

Sequenti tempore quadragesimali, Imperator Ravennatem Archiepiscopum Henricum promovit. Et Nizo Frisingensis Episcopus, priùs ex superbissimo vitæ habitu ad humilitatis & religionis speciem conversus, ac denuò ad pristinæ conversationis insolentiam reversus, cum eum jussu Imperatoris Ravennam perduxisset, subita inibi morte periit.

Imperator paschale festum Nemeti egit, indeque (ut ajunt) locum illum patris matrisque suæ sepultura præditum, magis magisque parvipendens, subiratus Episcopoque loci illius infensus, discessit.

Iisdem diebus Bonifacius ditissimus Italiæ Marchio, imò tyrannus, insidiis à duobus exceptus militibus, sagittisque vulneratus & mortuus, Mantuæ sepelitur.

Cum Imperator circa letaniarum tempus Solodori colloquium haberet, quidam ex Burgundionibus offensi, inde discedunt: sed non multò post aliqui ex illis ad gratiam ejus redeunt. Inde ipse cum Turegi Pentecosten peregisset, in Pannonicam itidem expeditionem proficiscitur, Andreaque rege Hungarorum, minus minusque pro pacto pacis postulando, allegante & promittente, Brezisburg castrum obsedit, & variis belli machinis diu oppugnatum, Deo obsessis se anxiè invocantibus opitulante, frustratis semper nisibus, nullo modo capere potuit. Interim Dominus Leo Papa ab Andrea accitus, cum pro pace componenda intervenisset, Imperatorem ab obsidione avocavit, eumque sibi per omnia consentaneum inveniens, sed econtra Andream consiliis minus parentem experiens, offensus, eique excommunicationem, utpote delusa sede Apostolica, minitans, cum Imperatore discessit, & aliquantum cum eo temporis mansit.

Ipsis diebus Imperatrix iterum filium, quem Conradum postea vocaverunt, Imperatori peperit.

Discordia inter Gebehardum Ratisponensem præsulem, & Conradum Bajoariæ Ducem mota & agitata.

Reliquiæ beati Zenonis confessoris ex Valthario Veronense Episcopo in Alemanniam, ad villam Ulmam allatæ, plurimis per hæc tempora claruerunt miraculis.

Constantiæ basilica sanctæ Mariæ corruit.

1052. *Imperator Goslare nativitatem Domini agens, quosdam ibi hæreticos Manicheos, omnis esum animalis execrantes, consensu omnium, ne hæretica scabies serperet in plures, in patibulo suspendi fecit.*

His diebus Bonifacius Italiæ marchio ditissimus, Beatricis nobilissimæ Comitissæ maritus, à duobus militibus, sagittis toxicatis, vulneratus, moritur, & Mantuæ honorificè sepelitur.

Reliquiæ beati Zenonis confessoris, à Waltario Veronensi episcopo, in Alemanniam, ad villam Ulmam allatæ, plurimis miraculis claruere.

1053. Imperator cum domino Papa, multisque Episcopis & Principibus, natalem Domini Wormatiæ egit, ubi cum Papa, sicut dudum cæperat, Fuldensem abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ sancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Impera-

pera-

peratore reposcens, exegisset, demum Imperator pleraque in ultra Romanis partibus ad suum jus pertinentia, pro cisalpinis illi per concambium tradidit. Cumque idem Papa de Nordmannorum violentiis & injuriis, qui res sancti Petri se invito vi tenebant, multa conquestus esset, ad hos etiam inde propulsandos, Imperator ei auxilia delegavit. Ea siquidem gens, à temporibus prioris Henrici Imperatoris in Calabriæ, Samniæ, Campaniæque partes, paulatim ex Gallici oris Oceani adventitia, confluebat, & quia bellicosior Italicis gentibus videbatur, primò gratanter accepta, crebrò indigenis contra Græcorum & Sarracenorum incursiones audacter præliando, auxiliabatur. *Primò gratanter accipitur*, postea verò pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adaucti, indigetes bello premere, injustum dominatum invadere, hæredibus legitimis castella, prædia, villas, domus, uxores etiam quibus libuit vi auferre, res Ecclesiarum diripere, postremò divina & humana omnia (prout viribus plus poterant) jura confundere, nec jam apostolico Pontifici, nec ipsi Imperatori, nisi tantùm verbotenus cedere.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Ad horum igitur nefaria & inextricabilia scelera illis è partibus eliminanda, indigenasque ab eis liberandos, dominus Papa animum intendens, summa cum charitate ab Imperatore Romam reversurus, digreditur. Sequuti sunt autem eum plurimi Theutonicorum, partim jussu Dominorum, partim spe quæstus adducti, multi etiam scelerati & protervi, diversasque ob noxas patria pulsi. Quos ille omnes, tum consuetæ misericordiæ nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer & gratanter suscipiebat. Transiens ergo per Alemanniam, purificationem S. Mariæ Augustæ egit, Mantuæque Quinquagesima acta, & nonnullis suorum, orto inibi tumultu, occisis, infra dies Quadragesimæ Romam pervenit.

Ipsis diebus in Italia quidam lacus, quos Julius quondam Cæsar quadrato lapide perpetuo (ut putabatur) opere fertur obstruxisse, nimia aquarum inundatione effracti, Narniam flumen, Tiberimque ultra modum exundare fecere, subitaque illuvione multa ædificia, ipse pons Narniensis dirutus, multique mortales absumpti sunt.

Imperatore in Saxonia apud *Merseburg* commanente, cum rege Danorum pascha egit, ipsisque diebus Conradum Bajoariæ Ducem, cui jam priùs infensus erat, incusatum quorundam Principum judicio, Ducatu privavit. Quo tempore regni tam primores, quàm inferiores, contra Imperatorem magis magisque mussitantes, jamdudum eum ab inchoatæ justiciæ, pacis, pietatis, divini timoris, multimodæque virtutis tenore, in quo de die in diem debuerat proficere, paulatim ad quæstum & incuriam quandam deficere, multumque seipso deteriorem fore, causabantur.

Altdorfense cœnobium igne consumitur.

Dominus Papa habita post pascha synodo, contra Nortmannos (ut proposuerat) exercitum movit: cumque illi pacem petentes, subjectionem servitiumque illi promitterent, & quæ prius injustè sibi usurpantes invaserant, ejus beneficio gratiaque retinere se velle dicerent, idque Papa abnegans, vi & injuria raptas res sancti Petri reposceret, eosque perperam pervaso cedere loco juberet: illi quia numero longe præstabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potiùs bello obviam ituros, armisque acquisitam patriam armis defensuros, vel morte occubituros, denunciant. Sicque 14. Calend. Julii valida pugna confligentes, prima acie à Theutonicis penè victi sunt: sed succenturiatis copiis, ex insidiis nostros circumvenientes, Italis citiùs terga vertentibus, Theutonicis maxima ex parte, sed non inultè occumbentibus, occulto Dei judicio: sive quia tantum sacerdotem, spiritalis potiùs quam pro caducis rebus carnalis pugna, decebat: sive quòd nefarios homines quàm multos ad se, ob impunitatem scelerum vel quæstum avarum confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat: sive divina justitia alias quas ipsa novit ob caussas, nostros plectente: quamvis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam. Ipseque dominus Papa in quodam ab eis castello obsessus, cum expugnata jam jamque munitione, necessitate coactus, communionem eis priùs interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneventum cum honore reductus est, ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus.

Et hoc & superiori anno frugum penuria facta est non modica.

Werinharius frater meus Augiensis monachus, admodum doctus, & religioni veræ deditus, juvenis, cum alio monacho Liuthario, studio vitæ perfectioris flagrans, peregrinationem clàm pro Christo aggreditur, literis remissis licentiam Abbatis postulans & impetrans. Et sequenti tempore, Richardus Renaugiensis abbas, & Henricus item Augiensis monachus hoc exemplum sequuti, relictis omnibus, idem propositum aggrediuntur.

Sæc. XI. Anno 1054. Imperator Henricus magno apud Triburiam conventu habito, filium æquivocum Regem à cunctis eligi, eique post obitum suum, si rector justus futurus esset, subjectionem promitti fecit. Ad quem conventum cum Conradus dudum Bajoariæ Dux venire nolens, cum expeditis militibus Regi rebellare moliens, Hungaris se adjungere tentasset, & Carentani fines invasisset: quibusdam inibi quæ priùs habuerat possessionibus suis, ab Imperatore privatus est, eas quasi legaliter acquirente. Ibi etiam legati Andreæ regis Hungarorum, pro pace pactoque, cùm suffragante Ratisponense Episcopo immensam pecuniam, suæque provinciæ partem, & ad expeditiones omnes, præter Italicam, suos ituros promitterent: Imperator ea se accepturum fide data spondens, eos remisit.

Hadamuta de Nuinburgo Abbatissa venerabilis, quæ locum suum priùs penè dilapsum, intra & extra laudabiliter recuperatum in optimum deduxerat statum, aliam pro se designans, & sororibus piè admonitis, ultimum vale dicens, 4. Cal. Novemb. feliciter, ô utinam, decessit. Hazelinus etiam Babinbergensis Episcopus infamis, moriens, locum dedit.

Per idem tempus Conradus dudum Dux ab Andrea rege Hungarorum gratanter susceptus, ei, ne allegatum cum Imperatore fœdus perficeret, dissuasit, & auxilio ejus quandam Carentani partem, quorundam etiam Primatum qui eam possidebant machinatione, aliis expulsis primoribus invasam cœpit. Imperator verò in Bajoariam veniens, Ducatum ejusdem provinciæ filio suo æquivoco tradidit. Sicque in eadem commorans provincia, natalem Domini in villa Ottinga egit, ibique Babinbergensis Ecclesiæ præsulatum consobrino suo Adelberoni donavit.

1054. Deinde habito Ratisponæ colloquio, per Alemanniam transiens, & furibus infestus nonnulla eorum conventicula exuri jubens, Turegi Quadragesimam inchoavit, & per ripales Rheni urbes paulatim descendens, Mogontiæ paschale festum celebravit, ubi Theodbaldus Othonis ad eum de Galliis veniens, & miles ejus effectus, auxilium suum illi pollicitus est.

Dominus Papa cum apud Beneventum divino intentus servitio diu demoratus, tandem instante paschali tempore, Romam ægrotans reversus esset, invalescente in dies languore, glorioso exitu, cunctis priùs benedicens, & admonitis valedicens, sanctoque Petro peccata sua confessus, & devotè se illi commendans, 16. Calend. Majas obiit, & in basilica S. Petri juxta sepulchrum sancti Papæ Gregorii, sepultus, miraculis claruisse memoratur.

Gotefridus iterum contra Imperatorem tyrannidem invasit, Italiamque latenter adiens, Beatricem Bonifacii quondam Marchionis viduam uxorem accepit.

Finis Chronici Hermanni Contracti. Quæ sequuntur Continuatoris ejus esse videntur, Bertoldi Constantiensis.

Herimannus, Wolferadi Comitis filius, ab infantia omnibus membris contractus, sed omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus præcellens, in Aleshusan prædio suo defunctus ac sepultus est. Werinherus & Lintherus in Hierosolymitano itinere defuncti sunt.

Conventus ab Imperatore Moguntiæ factus est, in quo Gebehardus Eistetensium Episcopus ab Episcopis electus, Romamque missus, ibique honorificè susceptus, in sequenti Quadragesima, in Cœna Domini, 154. Papa ordinatus Victoris secundi nomen accepit.

1055. Imperator natalem Domini Goslare celebravit, ac deinde expeditionem in Italiam paravit, & diem sanctum Paschæ Mantuæ egit, diem autem Pentecostes Florentiæ, ibique coram eo, à domino Papa generali synodo habita, multa correcta sunt. Imperator Adalbertum capitali sententiæ adjudicatum, per interventum Episcoporum dimisit.

Eodem tempore quinquaginta aut eo amplius armati milites à Normannia latenter per mare transeuntes, Nortmannis contra Imperatorem auxilium præbere cupientes, à Picentibus civibus capti, atque ad Imperatorem delati.

Imperator Othonem Novariensem Episcopum Constantinopolim misit, ubi pro Michaële nuper defuncto, quandam fœminam, totius regni monarchiam tenentem, invenit, quæ illum sequenti anno, suis etiam legatis adjunctis, amicitiam pactumque confirmandum Imperatori remisit.

Beatrix Imperatori ad deditionem veniens caussa mariti sui, quanquam data fide, tenetur, filiusque ejus puer Bonifacius hac caussa venire veretur. Sed non multis interpo-

terpositis diebus, cum Imperator ibidem moraretur, idem puer moritur. *Imperator prædictam Beatricem inde abduxit captivam, quippe multum molestè ferens, Duci Gotefrido esse copulatam.* ANNO

Gebehardus Ratisponensis Episcopus & Welfus Dux licentiam repatriandi ab Italia impetraverant, militesque eorum, illis (ut ajunt) ignorantibus, contra Imperatorem conjuraverunt. Quo tempore Welfus dux suis & omni populo admodum flebili morte præventus, apud Altorfense cœnobium sepultus est 1054.

Obitus Welphonis Carinthiorum Ducis.

Arnoltus Episcopus Nemetensis moritur.

Imperator de Italia per Bajoariam rediens, natalem Domini apud castrum Turegum celebravit, ibique Othonis Marchionis filiam, æquivoco suo filio desponsavit.

Gebehardus Ratisponensis Episcopus, ab Imperatore de conjuratione contra se facta, victus, primùm in castro *Ulfilingino*, dein in *Stofola*, per aliquod tempus sub custodia tenetur.

Conradus ab Imperatore Nemeti pro Arnolto Episcopo substituitur.

Herimannus Agrippinæ urbis Archiepiscopus, obiit, quo Hanno Goslare prius præpositus, in archipræsulatum successit.

Imperator diem sanctum Paschæ * celebravit.

Eodem anno Sclavi, qui & Liutici dicuntur, terminos Saxonum infestantes, quàm plurimos eorum principes cum Wilhelmo Marchione peremerunt.

Henricus Imp. domino Apostolico ad se tempore autumnali invitato, cùm in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingravescente infirmatus, obiit: anno ætatis suæ 39. regni verò 18. imperii 15. indictione decima. Qui inde asportatus, Nemetumque translatus, in Ecclesia sanctæ Mariæ, quam ipse construxerat, adhuc imperfecta, juxta patrem matremque sepultus: & filius ejus Henricus quartus, septimum ætatis annum habens, pro eo regni jura suscipiens, à primoribus matri imperatrici educandus est commendatus.

¶ HENRICUS rex natalem Domini Ratisponæ celebravit, 7. Cal. Majas. 1057.

Immensitas nivis & pruinæ magnam partem vinearum perdidit.

Romæ Victor II. decessit: in cujus locum Fridericus, frater Gotefridi ducis, dudum beati Leonis Papæ Archidiaconus, tunc autem temporis monasterii S. Benedicti Abbas, 155. Papa ordinatus, STEPHANUS nonus est nominatus.

Otho dux Alemannorum obiit, cujus ducatum Rudolphus accepit.

Hoc anno lapides miræ magnitudinis, mixti grandine, de cœlo ceciderunt, & nonnulli hominum fulmine perierunt.

Romæ Stephanus Papa obiit. Romani autem accepta pecunia, quendam Joannem contra Canones elegerunt, qui sine consecratione per aliquot dies sedens, à Gotefrido duce expellitur, atque Florentinæ civitatis Episcopus, 156. papa substitutus, NICOLAUS secundus est vocatus.

Eodem tempore Henr. August. Episcopus, apud Imperatricem summum consilii locum habuit, quæ nonnullis regni principibus, ejus insolentiam non ferentibus, multum displicuit.

Hoc anno magna mortalitas hominum & pestis pecorum facta est. 1059.

Orto inter Mediolanenses & Ticinenses bello, multi ex utraque parte ceciderunt.

Rodolphus Alemannorum dux, Mathildam, Henrici regis sororem, duxit uxorem.

Fuldis Eberhardus Abbas decessit: cui Sigefridus successit.

Andreas Pannoniæ rex, cùm prius pacem pactumque per legatos cum Henr. rege confirmasset, etiam sororem ejus minorem, filio suo adhuc puero, sponsam obtinuit.

Henricus Galliarum rex obiit, & filius ejus adhuc puer, regnum cum matre gubernandum suscepit. 1060.

Luidpaldus Mogontien. Archiepiscopus decessit; cui Sigefridus Fuldis Abbas, successit.

Conradus Nemetensis Episcopus moritur: in cujus locum Einhardus promovetur.

Mathildas soror regis obiit.

Henricus Palatinus comes in amentiam versus, cum sub specie religionis, quasi seculum derelinquens, in monasterium *Ephtirnacha* se contulisset, inde abstractus conjugem suam occidit.

Et hoc anno, sicut in priori, mortalitas multos extinxit. Hyems satis dura & nivosa, & plus solito prolixa, frumenti vinique maximum attulit damnum.

Andreas rex Pannoniarum, cùm à fratre suo regnum sibi circumquaque vastans, multas injurias perpessus fuisset: tandem febre pulsatus, omnes thesauros suos in castrum Medilhecka, nec non & filium suum Henrico regi per Tiedbaldum comitem transmisit.

SÆC. XI. ANNO 1054. Magna fames multos consumpsit.

Gebehardus Ratisponensis Episcopus obiit: cui Otho successit.

Conradus qui Carentanis solo nomine ducis præfuit, moriens locum dedit: cujus ducatum Bertholdus Suevigena accepit.

1061. Romæ Nicolao Papa defuncto, Romani coronam & alia munera Henrico regi transmiserunt, eumque pro eligendo summo pontifice, interpellaverunt. Qui ad se convocatis omnibus Italiæ Episcopis, generalique conventu Basileæ habito, eadem imposita corona, Patritius Romanorum appellatus est. Deinde cum communi consilio omnium, Parmensem Episcopum, summum Romanæ Ecclesiæ elegit pontificem. Interim dum hæc aguntur, Anshelmus Episcopus de Luca, quibusdam Romanis faventibus, Apostolicam sedem sibi usurpavit.

Burkardus & Wezil de *Zolorin* occiduntur.

Ecclesia Nemetensis dedicatur, & Agnes Imperatrix, depositis regalibus vestimentis, sacro velamine circundata.

1062. Sexto idus Februarii, terræmotus, fulgura & tonitrua facta sunt: pestilentia & mortalitas subsequuta multos extinxit.

Henricus rex apud Trajectum Frisiæ urbem, diem Paschæ cum matre imperatrice egit.

His diebus Hanno Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopus, adnitentibus quibusdam regni principibus, Henricum regem cum lancea & aliis imperii insignibus, à matre imperatrice vi arripuit, secumque Coloniam adduxit.

Parmensis Episcopus dudum electus, Romam consecrandus adiit: cui cum Romani armati occurrerent, ingressumque prohiberent, multitudo illorum à militibus ejus occiduntur, & in Tyberi submerguntur, cæteri fugantur.

1063. Tempore veris, medio mense Aprili, per quatuor dies hyems sæva, ventosa & nivosa, aves & pecora frigore extinxit, arborum & vinearum maximam quoque partem perdidit.

Engilhardus Episcopus de *Magdiburg* obiit: cui frater Coloniensis Archiepiscopi successit.

Henricus Augustensis Episcopus obiit: Imbricus successit.

Eodem anno quædam mulier juxta Constantiam infantem, duo capita nec non & cætera membra adusque clunes duplicia habentem, peperit.

1064. Henricus rex natalem Domini Coloniæ celebravit, diem Paschæ autem Leodii.

Synodus Mantuæ.

1065. Henricus rex natalem Domini Goslare, diem autem Paschæ Wormatiæ celebravit.

Domus regalis Goslari concremata est: quod & factum est, 6. Cal. Aprilis, indictione tertia, & ibidem accinctus est gladio, anno regni sui nono, ætatis autem suæ decimoquarto, & dux Gotefridus scutarius ejus eligebatur.

Pataviensis Episcopus obiit: cui Altmannus imperatricis Capellanus successit.

Hoc tempore Sigifridus Mogonciacensis Archiepiscopus, Wilhelmus Trajectensis Episcopus, & Guntharius Babinbergensis Episcopus, Otho Ratisponensis Episcopus, cum magno apparatu & comitatu Hierusalem proficiscentes, in eo itinere à paganis multa sunt perpessi: nam & bellum cum eis inire sunt coacti. In eadem via Guntharius obiit: cui Ricimannus Simoniacè successit.

1066. Multi nobiles civili bello perierunt.

Henricus rex natalem Domini*, Pascha autem apud Trajectum egit.

Eberhardus Treverensis Archiepiscopus, 17. Cal. Maii, sabbato sanctæ Paschæ, completis à se ipsius diei officiis, ipsis sacerdotalibus vestimentis indutus, requievit in pace. Cui Conradus Coloniensis præpositus, electus à rege, succedere debuit: sed à clero & civibus Trevirensibus refutatus est. Unde quidam comes, de militia Treverensi, nomine Theodoricus, eundem Conradum Trevirim tendentem, comprehendit, & diu sub custodia maceratum, quatuor militibus enecandum commisit. Qui dum eum ter per quoddam præcipitium dejecissent, & nihil sibi nisi brachium collidere possent, unus ex illis pœnitentia ductus, ab eo veniam impetravit. Alius autem volens eum decollare, maxillam ejus tantùm abscidit. Et sic ipse Deo dignus martyr, ad Dominum migravit, Calend. Junii, sepultus ad abbatiam quandam Doleiam. Tres autem milites mortis illius authores, digna ultio postmodum subsequuta est: nam unus eorum acceptum cibum deglutire non valens, alii duo manus suas lacerantes, ad Claustra inferni descenderunt.

FINIS.

HUM

HUMBERTI SYLVÆ CANDIDÆ EPISCOPI, S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS,

VIRI DOCTISSIMI,

ET LEONIS IX. AD IMPERATOREM CONSTANTINOPOLITANUM LEGATI,

ADVERSUS CALUMNIAS MICHAELIS PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI, ET LEONIS ARCHIEPISCOPI ACHRIDANI IN BULGARIA,

LIBER UNUS.

EJUSDEM HUMBERTI, LIBER ALIUS, CONTRA NICETAM PECTORATUM

Presbyterum & Monachum Monasterii Studiani Constantinopoli.

ACCESSIT

Brevis Relatio rerum Constantinopoli ab Apostolicæ Sedis Legatis gestarum.

Omnia ex Bibliotheca Serenissimi utriusque Bavariæ Ducis MAXIMILIANI *a Canisio edita.*

CANISIUS

Ad Lectorem.

Trithemius de Illustribus Viris Germaniæ.

SÆC. XI. ANNO 1054.

HUMBERTUS *monachus Tullensis, ordinis S. Benedicti, vir in divinis Scrituris eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, ingenio & eloquio clarus, quem Leo Papa Nonus propter scientiam literarum Romam secum duxit, & Episcopum Cardinalem ordinavit, missus ab eo Constantinopolim ad confutandas hæreses Græcorum, adeò Nicetam Pectoratum monachum in præsentia Imperatoris Constantini & Michaelis Patriarchæ confutavit & devicit, ut librum suum, quem contra Latinorum Ecclesiam conscripserat, anathematisaret, & eum manu propria igni comburendum injiceret. Et quicquid ibidem disputando dixit aut fecit, luculenter conscripsit, sub nomine Romani & Constantinopolitani, Dialogorum more lib. 1. Scripsit etiam quædam alia. Claruit sub Henrico Imperatore secundo. Anno Domini* 1050.

HÆc Trithemius; qui tamen corrigendus, cum Constantinum vocat Monachum, quem Monomachum vocare debuerat. Eadem correctio adhibenda est cum enumerans Scripta Leonis IX. Pontif. dicit: *Scripsit ad Constantinum ex Monacho Imperatorem Græcorum de Hæresibus exstirpandis librum unum.* Idem error, si non gravior insedit Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi etiam Constantinum Monomachum, appellat *Monachum.* Quæ seu Trithemii, quod creditu difficile, seu exscriptorum, quod creditu longè proclivius, errata, tollere debebat ille, qui nuper Historica Trithemii vulgavit: si suo & Trithemii honori consultum volebat. Porrò has Humberti lucubrationes antea fuisse editas, ut nobis persuadeamus facilè adducimur, quia à non paucis citantur; & Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ Dialogum illum, cujus interlocutores *Romanus* & *Constantinopolitanus*, testatur excusum esse Coloniæ 1521. Nos tamen, etsi admodum cupita & quæsita non potuimus ullum Humberti typis descriptum exemplar indagare, aut adipisci. Quo factum, ut locus quidam græcè ex Damasceno ab Humberto citatus, sed à librario flagitiosissimè scriptus; emendari non potuerit: quem tibi erudite lector, emendandum committimus, si incidas in exemplar correctius, sive excusum; sive calamo exaratum.

Idem argumentum, quod Humbertus, eruditissimè tractavit Leo IX. in Epistola ad Michaëlem Patriarcham Constantinop. & Leonem Achridanum. Proderit etiam legisse ejusdem Leonis IX. Pontificis Epistolam ad Constantinum Monomachum Imperatorem: quæ est, Epistola septima inter Epist. Leonis IX. Tom. 3. Epist. Decret. Pontif. Rom. ubi Humbertum & Socios ejus his verbis Imperatori commendat. *Hinc jam tuæ gloriæ præsentes Filios nostros, Sanctæque Romanæ & Apostolicæ Sedis nuncios per omnia commendamus, quatenus, ut decet, liberaliter suscipiantur, reverenter habeantur, benignè & honestè tractentur, rationabiliter patienterque audiantur, atque quantocyus nobis laudabiliter remittantur, ne tantum laborem illos frustra arripuisse pigeat, & nos mandasse pudeat.* Epistolam Michaëlis Leonisque Achridani, ut & scriptum Nicetæ, excudendum curavimus, prout in Bavarico Codice reperimus: quia interest has calumnias exstare; ut veritatis lux in contrarii opposito magis emineat.

JACO-

JACOBI BASNAGII IN HUNC HUMBERTI TRACTATUM OBSERVATIO.

I. ANno 1054. editæ fuerunt illa opuscula; tunc enim missus est *Humbertus* Constantinopolim ut dissidia inter *Latinos* & *Græcos*, occasione Azymorum, Jejunii & Cœlibatus nata sedaret, communionemque restauraret. Ibi in utramque partem a *Niceta Pectorato* & *Humberto de Sylva Candida* scriptum fuit; sed cum scripta illa varios agnoscant parentes, res paulo distinctius aperienda. I. *Annus quo hæc scripta sunt.*

II. Adversus errores Latinorum, ut vocant, libertatem & Ecclesiæ suæ jura vindicaturus scripserat anno 1073. *Michaël Cerularius* Epistolam quæ hic prior habetur: Commotus ea de re *Leo*, qui tunc Romanum Pontificatum gerebat, *Michaëlem* acriter confutavit. Inde aliqua spes pacis illuxit, quam arripiens Leo IX. Humbertum aliosque legatos suos instituit, ut ea de re cum Constantinopolitano Patriarcha simul agerent. Tentatæ in cassum ineundæ concordiæ rationes. Excommunicato a Legatis Michaële Constantinopolitano, ipse legatos Anathematis vinculo constrinxit Pontificisque nomen è Dypticis erasit: quod exemplum cum sequerentur Orientales Patriarchæ, inde diuturnum conflatum est Schisma, omnibus Orientalium partium Catholicis à Latinis dissidentibus. Hæc origo scriptorum. II. *De Michæ Cerulario. causa Scriptorum.*

III. Primo Michaël Constantinopolitanus Patriarcha calamum strinxit adversus Latinos, Pontificemque Romanum, ob varios errores, & primatum in Christianos arreptum, exagitavit. Reversis legatis quos Leo IX. Constantinopolim miserat, vehementer de ipsis conquestus est Epistolâ ad Petrum Antiochenum. Ipsos jussu Imperatoris excommunicatos fuisse asserit; quamquam contrarium dicant legati. Prior Michaëlis Epistola hic legitur: posterior apud Cotelerium Monumentorum Ecclesiæ Græcæ tomo secundo; quin imo ipsius edictum Synodale adversus Latinos sive de excommunicatione a Latinis, ab ipso in Latinos, vibrata an. 1054. habetur apud Allatium de libris Græcorum. III. *De Michaële.*

IV. Michaëlis priorem Epistolam sequitur ipsius confutatio ab Humberto Cardinale Pontificis legato confecta Constantinopoli an. 1054. Humbertum ex Burgundia natum dixit olim Berengarius, cui fuerat infensissimus: an loci causa, quod tunc temporis ignorantiæ infamia laborabat Burgundionum gens; an vicinia loci deceptus, nescio. Marcionem, qui fuit Episcopi filius, *nauclerum* cum appellasset Tertullianus, cui jocis & cavillationibus hæreticum carpere mens erat; plurimi ideo nautam crediderunt: quin forsan titulum illum apud Eusebium, in quo deerat, reposuerunt. Idem evenire potuit Humberto, quem Burgundum forsan ut jocaretur appellabat *Berengarius.* Quidquid sit, illum vindicavit *Lanfrancus: Humbertum*, inquit, *non de Burgundia, sed de Lotharingia Sanctus Leo Romam traduxit--- qui si etiam Burgundus* IV. *De Humberto Cardinale.* *Lanfranc de corp. l. 2. p. 232.*

Sæc. XI. Anno 1054. *dus esset, insipienter tamen arrogantia tua nomen suæ gentis pro infamia sibi ascriberet, cum Spiritus Domini ubi vult spiret.*

Fuit igitur Lotharingus Humbertus, a Leone Archiepiscopus, dein Cardinalis electus. Hic, ut cætera notissima sileamus, Michaëlis Epistolam refellere tentavit: deinde vero dum Constantinopoli degeret muneroque sibi demandato fungeretur, *Nicetas Pectoratus* denuo Latinos aggressus eorum Sententiam exagitavit. Impatiens animi & iræ *Humbertus* in eum invectus est & violento sermonis impetu sese tulit, in Nicetam cæterosque Græcos convitia evomuit. Sedata magis tranquillaque mente manus cum Michaële conseruerat, rationum non maledictorum numero & pondere adversarium appetens; sed monachum despiciens, eum vehementer nimis carpit: *Potius dicendus es Epicurus quam monachus*, inquit, *nec credendus es degere in Monasterio, sed in amphitheatro aut lupanari, qui etiam vere prænominaris Pectoratus, quoniam cum serpente antiquo super pectus tuum graderis.* Hic adsunt gemina Humberti scripta, cum excommunicationis Sententia in Michaëlem vibrata & narratione eorum, quæ gesta sunt ab eo Constantinopoli: quæ narratio conferri debet procul dubio cum ea, quam *Michaël Cerularius* ipsi opposuit.

V. Superest *Nicetas Pectoratus* Monachus, quem ideo blasphemum & Communione suspensum asserit Humbertus ab ipso responsionis exordio, *eo quod non jejuniis & quiete monastica contentus Ecclesiasticis negotiis communicasset.* Quasi monachis in defensionem Ecclesiarum scribere nefas esset! Hunc asserunt legati pœnitentia ductum, Humberti convictum argumentis, scriptum suum bis dejerasse & flammis comburendum mandasse. Alii tamen Græcorum partes semper fovisse contendunt, nec animi levitatem aut in Latinos propensionem unquam exprobrant. Hic ejus opusculum contra Latinos jam a Canisio editum sub prælo sudare fecimus.



CA-


CALUMNIA *Episcoporum Michaëlis Constantinopolitani, & Leonis * Arridani pervicaciter exhalantium pestiferas * mefites diversarum hæreseon, adversus Sanctam Romanam Ecclesiam Apostolicamque Sedem: imo contra omnem Latinam & Occidentalem Ecclesiam. Hæc quidem calumnia Græco sermone edita, & Joanni Kannensi Episcopo in sugillationem omnium Latinorum directa: cum fuisset Trani exhibita fratri Humberto sanctæ Ecclesiæ Sylvæ Candidæ Episcopo, in Latinum est translata ejus studio, atque delata Domino Leoni Nono. Quæ etiam hic ad cautelam multorum & notitiam, non autem ad utilitatem aliquam inserta, cunctis scire volentibus, fideliter est conservata.* SÆC. XI. ANNO 1054. * Achridani. * Mephites.

MICHAEL

UNIVERSALIS PATRIARCHA NOVÆ ROMÆ,

ET LEO ARCHIEPISCOPUS

** Arridæ Metropolis Bulgarorum, Dilecto fratri* JOANNI KANNENSI (a) *Episcopo.* * Achridæ.



DEI magna dilectio & jocunda compositionis viscera flexêre nos scribere ad tuam Sanctitatem, & per te ad universos principes Sacerdotum & sacerdotes Francorum, & Monachos & populos, & ad ipsum reverendissimum Papam, & memorari de azymis & sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis, & communicatis Judæis. Etenim azyma & sabbata ipsi custodire à Moyse jussi sunt: Nostrum verò Pascha Christus est. Qui ut non juxta legem inveniretur adversarius, & circumcisus est, & legale Pascha celebravit primitus. Sic illo discedente nostrum novum operatus est. Et hoc manifestum est in Evangelio secundum Matthæum, de mystica cæna loquens Evangelista, sic quoque inquit: *Prima autem die azymorum accessere discipuli ad Jesum dicentes ei: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Qui ait: Ite ad civitatem ad quendam & dicite ei: tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Et post pusillum: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim. Et edentibus illis dixit: Amen amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est:* Et post pusillum dicente Juda: *Nunquid ego sum Rabbi?* dicit ei: *tu dixisti.* Huc usque, o Dei homines, universa legalis Paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici & nostri sunt addidit: Evangelista enim dixit: *Edentibus autem illis accepit Jesus panem, fregit & dedit discipulis suis & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: bibite ex eo omnes: hic est sanguis meus novi Testamenti.* Dicendo enim, *novi*, ostendit, quomodo ea quæ veteris fuerunt testamenti, cessavêre. Aspicite quomodo panem corpus suum sub novo Testamento vocavit. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur elevatus & sursum portatus à fermento & sale, calorem & eleva- Matth. 26.

(a) Legendum *Tranensi*, fuit enim *Tranensis* Episcopus cui Litteras suas direxit Michaël; & sive Græcis faveret in eosque propensior esset, depositus est a Nicolao secundo in Synodo Apuliæ, ut testatur *Petrus Damianus*. Fuit urbs olim celeberrima à Trajano Trajanopolis dicta, sed expulsis à Ferdinando rege Judæis, qui illuc ex Hispania confugerant, civium multitudo urbisque splendor minui cœpit & sensim evanuit; est tamen sedes Metropolitana, sed de tempore quo id honoris sit adepta, dubium est. BASN.

SÆC. XI. ANNO 1054. elevationem habens. Azymæ autem nihil distant à lapide sine anima & luto lateris deorsum conjunctæ terræ & sicco luto comparatæ. Quas Moyses cum amaritudinibus comedere miseris Judæis semel in anno legem constituit: quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt, at nostrum pascha gaudium & lætitia totum est: & extollit nos ab humo propter gaudium ad cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem, panem, qui panis omni suavitate repletus est. Azymæ vero neque sal, neque fermentum habentes, lutum est aridum: Aut non audistis Jesum dicentem discipulis suis; Quia *vos estis sal terræ?* Et quoniam *Simile est regnum cælorum fermento quod accipiens mulier abscondit in farinæ satis tribus, usque dum fermentaretur totum.* Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis vero tribus modis repletis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum: Quorum nequaquam lutulentæ azymæ sunt participes. Dicit enim & David de Christo: *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Qui ante Abraam & Moysen, cæli & terræ & cæterarum creaturarum agnoscens Deum, exurgens obtulit illi panem & vinum. Ideo dicit divinus Apostolus: *Quoniam si consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech Sacerdos Christus diceretur.* Et quia *translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat,* quæ lex lutulenta constituit azyma Judæis custodire.

Matth. 5. & 13. — *Psal. 109.* — *Heb. 7.*

I. Cor. 11. Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios prima Epistola ex his loquens ait: *Fratres ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus in nocte qua tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic est calix novum testamentum in meo sanguine: hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis in meam commemorationem, mortem Domini annunciabitis.* Azymæ verò neque commemorationem habent Dei, neque mortem illius annunciant, sicut Mosaicæ & ante mille quadringentos annos ex lege constitutæ: & per novum Testamentum, hoc est, per sanctum Evangelium & per Christum maledictæ & derelictæ.

De Sabbato. Sabbata verò quomodo in Quadragesima Judaice observatis? Aut non audistis Evangelistam loquentem: Quia transeuntes discipuli in Sabbatis cœperunt iter agere evellentes spicas & comedentes? Dicebant autem Judæi ad Christum: *vides quid isti fecerint Sabbatis?* qui dixit: *Etiam: Aut nescitis quid egit David cum esuriret ipse, & qui cum eo erant? quomodo intravit in templum, & panes propositionis comedit:* & cætera. Et quia *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum.* Qui & dicebant, *quoniam homo iste non est ex Deo, quia Sabbatum non custodit.* Et iterum loquente Christo in Sabbato, & qui manum habebat aridam, similiter & eo qui dæmonis Spiritum habebat, in Sabbato mundato, & murmurantibus Judæis & similia dicentibus, dicit Christus: *Hypocritæ, unusquisque vestrûm non solvit asinum à præsepe, aut bovem suum & ducit adaquare?* Et paralytico similiter quem sanum fecit. Et ideo hi qui Sabbata cum Azymis custodiunt, neque Judæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo, sicut dicit magnus Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

Matth. 12. — *Mar. 2.* — *Joan. 9.* — *Luc. 13.*

De Suffocato. Quomodo autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? An nescitis, ut omnis animalis sanguis anima ipsius sit, & qui comederit sanguinem, animam comedit? Et idcirco secundum hoc nec gentiles ex toto sunt. Illi enim occidunt, aut plagantes comedunt.

Alleluja. Item Alleluja in Quadragesima non psallitis, sed semel in Pascha tantummodo: quod interpretatur, *Dominus venit, Laudate, Hymnum dicite, & benedicite ei.* Ergo secundum hoc neque *Domini Dominum*, neque *Benedictus qui venit*, psallitis. Et istud vero Alleluja Hebraice dictum est.

Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos & vosmetipsos, sicut qui debent judicari ex his à Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quod hoc Petrus, & Benedictus, & Paulus & cæteri docuerunt? Decipitis vos ipsos & populum in istis. Quæ verò scripsi, ea sunt, quæ Petrus & Paulus & cæteri Apostoli & Christus docuit: & sancta Ecclesia Catholica suscepit & custodit religiose. Quæ & vos correcti custodite. Azymas verò & custodias Sabbatorum projicite miseris Judæis: Similiter & suffocata barbaris gentibus, ut fiamus puri in recta & immaculata fide, & unus grex unius pastoris Christi. Cujus in cruce divino sanguine inebriati laudamus puri pure Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Universa Mosaicæ legis & ab eo custodita derelinquentes, sine Deo Judæis, qui velut cæci perquirentes Christum lumen amiserunt, permanentes in umbra, sicut insipientes perpetuo. Hæc autem homo Dei, & multotiens ipse cum populo agnoscens docuisti esse, & correctus

rectus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus. Et ut habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum & sacerdotibns, & adjura, ut per hæc seipsos corrigant, & Dei populum, ut Dei mercedem in istis habeas. Et si hoc feceris, propono & per secundam scriptionem majora & perfectiora his tibi scribere, fidei vera ostensione & firmamento animarum pro quibus Christus posuit animam suam. SÆC. XI. ANNO 1054.

TEXTUS PRÆFATORUM Sycophantarum explicatur.

INCIPIT *responsio Fratris Humberti sanctæ Ecclesiæ Sylvæ candidæ dicti Episcopi, instar Dialogi ab ipso Latine conscripta Apocrisariatus sui tempore Constantinopoli. Et jussu Imperatoris religiosi & Orthodoxi Constantini Monomachi * Græcè edita, sub nominibus Constantinopolitani & Romani: anno Domini millesimo quinquagesimo quarto.* * Græci.

ROMANUS.

PRÆFULGENTE gratia sanctæ & individuæ Trinitatis, in cujus manu nos & sermones nostri, hinc jam aggredimur responsum in literis & cavillationibus vestris: ut palam sit nos illius summi Petri disciplina eruditos, qui dixit: *Sitis parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe, cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.* 1. Pet. 3. Quod figurate per Moysen Dominus innuit, ubi vectes quibus arca portaretur, circulis ipsius semper inesse præcepit: nec unquam extrahi ab eis, ne qua mora fieret quotiescumque arcam elevare necesse esset. Area siquidem sanctam Ecclesiam: circuli ejus divinam scripturam: Vectes ejus præpositos Ecclesiæ significant, quos semper expedit sacræ Scripturæ insistere: ne pudenter tunc velint discere, quando jam ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ debent quæstiones quorumlibet enodare. Unde calumniam vestram seriatim discussuri, ab ipsius initio non pigritamur ordiri.

Insuper ut manifestius vestra dicta à nostris secernantur, vestra obelis, nostra autem asteriscis, prænotantur. Sed tandem videamus quale sit illud vestræ calumniæ procemium, quo laborastis auditorem vestrum efficere benevolum: ita dicendo.

CONSTANTINOPOLITANUS.

DEi magna dilectio & jocunda compassionis viscera flexerunt nos scribere ad tuam sanctitatem, & per te ad universos principes Sacerdotum, & Sacerdotes Francorum & Monachos & populos, & ad ipsum Reverendissimum Papam; & memorari de Azymis & Sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis & communicatis Judæis. Etenim azyma & sabbata ipsi custodire à Moyse jussi sunt.

ROMANUS.

EX hac vestra præfatione, sicut profitemini, crederemus vos salutem totius Latinæ seu Occidentalis Ecclesiæ pro sola magna Dei dilectione quærere: si sciremus vos vestram vestrorumque non negligere. Cum verò vos ipsos & vobis commissos negligatis, ut nefandos Jacobitas, imo Theupaschitas, seu alias hæreticorum pestes, inter vos & penes vos habeatis: neque eorum consortia, neque colloquia, neque convivia seu pariter orare devitetis: Quomodo saltem suspicabimur, vos aliqua dilectione Dei aut proximi præmonitos compati nostræ perditioni, sicut putatis; Et quare ad præceptum gloriosi Pauli, sic aures præcordiorum obdurastis, ut dicentem non advertatis? *Hæreticum hominem, post unam & secundam admonitionem devita.* Tit. 3. Unde ipse Paulus sciens, quod nulla pars esset fideli cum infideli, Irenæum & Philetum devitavit, & Timotheo Alexandrum Ærarium devitare præcepit. Cur etiam non animadverti-

SÆC. XI. ANNO 1054. vertitis beatum Joannem contestantem fidelibus: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeretis. Qui enim dicit Ave, communicat operibus illius malignis?* Ast vos, quasi omnia munda immunda sint vobis: oculis contra vos & vestra clausis sanctam Romanam & omnem Occidentalem Ecclesiam pollutam hæresi & Judaismo proclamatis, & velut quandam abominationem devitatis. Ex qua tam cæca & hactenus inaudita audacia ad hoc prorupistis, ut cunctorum hæreticorum quos adhuc deprehendere valuimus, temeritatem transcendatis. Quamvis omnino singulæ hæreses suis adinventionibus aliqua Ecclesiæ membra fatigaverint: nulla tamen adhuc ad tantam vesaniam erupit, ut opinionem suam primæ & Apostolicæ sedi ingerere præsumpsisset, cum interpositione anathematis. Recensete si placet, ab initio Christianitatis usque ad nostra tempora cunctarum hæreseon volumina; & videbitis an aliqua earum præsumpserit talia. Et cum non inveneritis, saltem tunc resipiscite, ne, quod absit, permaneatis viciniores præcursores illius Antichristi, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur. In cujus arrogantiæ monte consistentes, & ex supercilio ejus omnia subter vos jacere reputantes, dicitis vos flexos visceribus compassionis scribere cunctis Sacerdotibus Francorum & reverendissimo Papæ. Sed non solum Romani & Francorum Sacerdotes, verum etiam omnis Latina Ecclesia de monte domus Domini clamat, vobis contradicens: *In domino confido: Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Tamen eum quem Papam reverendissimum dixistis, revereri & non detestari debuistis.

1. Joan.

Psal. 11.

Azyma.

Quod autem impudenter calumniamini nos communicare Judæis, observando typicè azyma & sabbatum, frenesi inveterata arbitramur adeo vos perdidisse sensum, ut nec factum vestrum respiciatis, nec dictum. Quapropter suademus vobis ut ad cor redeatis & animadvertatis quid in Exodo Moyses jubeat de azymis: *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperum comedetis azyma, usque ad vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cætu Israël, tam de advenis quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitationibus vestris comedetis Azyma.* Item unde superius: *septem diebus Azyma comedetis. In die prima non erit fermentatum in domibus vestris. Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, à prima die usque ad diem septimam. Dies prima erit sancta atque solennis & dies septima eadem festivitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent, & observabitis Azyma.* Item in sequentibus, scilicet in capitulo tertio decimo ejusdem Exodi dicitur: *Septem diebus vesceris Azymis, & in die septima solennitas Domini erit. Azyma comedes. Septem diebus non apparebit apud te aliquod fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.* Item: *solennitatem Azymorum custodies: Septem diebus comedes Azyma, sicut præcepi tibi: in tempore messis novorum.* Et in Levitico: *mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam Phase domini est: & in quinta decima die mensis hujus solennitas Azymorum domini est. Septem diebus Azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque, omne opus servile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumque opus servile fiet in eo.* Et in Numero. *Mense primo quarta decima die mensis Phase Domini est, & quinta decima die solennitas. Septem diebus comedetis Azyma. Quorum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in eo, offeretisque holocaustum Domino: vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos & immaculatos septem, & sacrificia singulorum, & similam quæ conspersa sit oleo. Tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos, & hircum pro peccato unum ut expietur vobis.* Et in Deuternomio: *observa mensem novarum frugum & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte: Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. Non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto, ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis, septem diebus, & non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vesperi die primo mane.*

Exod. 12.

Exod. 13.

Levit. 23.

Num. 28.

Deuter. 16.

Hæc omnia si ita Judæis carnalibus carnaliter observanda veteris legis lator cælitus censuit: constat hæc secundum carnalem observationem omnino aliena à nobis. Quia in illis septem diebus quotidie fermentatum in omnibus finibus & terminis nostris & domibus inveniuntur, apparet atque comeditur. Nec ipsos septem dies aliter quam reli-

reliquos totius anni in Azymis observamus: nec apud nos perit de cætu nostro anima illius; quicunque tam de advenis quam & de indigenis terræ comederit fermentatum in diebus supra dictis. Sed nec velut ipsi à decima die mensis primi sumptum agnum masculum anniculum ex pecoribus usque ad quartum decimum servamus, nec ad vesperam immolamus, ut sanguine ejus postes lignemus; nec carnes ejus assas igni accincti & calciati, tenendo baculos in manibus, nocte comedimus festinanter, cum Azymis panibus & lactucis agrestibus. Insuper non offerimus incensum holocaustum Domino in his diebus quotidie in igne vitulos duos de armento, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: & sacrificia singulorum, & similam conspersam oleo: neque hircum pro peccato, ut expietur pro nobis. In quo ergo communicamus Judæis? & in quo solennitatem Azymorum custodimus? An forsan quia solennes eosdem dies & feriatos habemus, & à quarta decima luna usque ad vicesimam primam observamus? Et cur eadem vos observatis? nisi quia aliud nobis innuunt, aliud illis? Illis enim data sunt in memoriam spiritualis egressionis nostræ ex hoc mundo, ut vacemus & videamus, quoniam ipse est Deus qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, conresurgere, & consedere nos faciens secum in cælestibus, & ut instar lunaris globi incipiamus lucem cordis nostri, id est, rationem à terrenis avertere, & ad cælestia convertere, sicque sapiendo & quærendo quæ sursum sunt, reviviscamus Deo, & moriamur mundo. Sic quoque omnia, quæ superius nos carnaliter observare negavimus, Domino annuente, spiritualiter & observamus, & omnimode cupimus observare, procul dubio credentes, quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: Beato Paulo sic protestante: *Hæc omnia in figuris contingebant illis: Scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt.*

SÆC. XI. ANNO 1054.

1. Cor. 10.

Nunc ad observantiam sabbati veniatur: De quo ita in Exodo præcipitur: *Memento ut diem Sabbati sanctifices: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septima autem die Sabbatum Domini Dei tui. Non facies omne opus, tu & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt, & requievit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diem Sabbati, & sanctificavit eum.* Item in eodem: *Sex diebus operaberis: die septimo cessabis arare & metere.* Igitur in hujusmodi observatione Sabbati, ubi & qualiter communicamus Judæis? Illi enim in Sabbato otiosi & feriati nec arant, non metunt, nullumque opus ex more faciunt, sed festum habent & convivium, & requiescunt servi & ancillæ eorum, boves & jumenta. Nos vero nihil horum observamus, sed omne opus facimus, sicut & in præcedentibus quinque diebus, & jejunamus sicut & in proxima sibi feria sexta jejunamus. Vos vero si non judaisatis, dicite cur Judæis in simili observantia Sabbati communicatis? Sabbatum certe ipsi celebrant, & vos celebratis: Epulantur ipsi, & solvunt semper in Sabbato jejunium. Illi in sua quadragesima solvunt à jejuno omne Sabbatum, præter unum, & vos in vestra quadragesima solvitis à jejunio omne Sabbatum præter unum. Illis duplex est causa Sabbatum celebrandi, scilicet ex præcepto Moysi, & quod contristatis discipulis, ipsi fuerunt de morte Domini, quem non credebant resurrecturum, in hac die gavisi. Unde quia cum Judæis Sabbatum, & nobiscum celebratis diem Dominicum, videmini in tali observatione imitari sectam Nazarenorum, qui sic recipiunt Christianismum, ut non dimittant Judaismum. Latina autem Ecclesia compatiens passo & sepulto Domino, congaudet resurgenti in die Dominica, quando Judæos nimia occupavit mæstitia, & custodes sepulchri conati sunt corrumpere pecunia. Unde nos traditionem Apostolicam usque in hodiernum diem de Sabbato retinentes, & usque in finem retinere cupientes, hic subscribere curavimus, quid super hoc senserint & confirmaverint nostri antiqui & venerabiles Patres. Ex quorum numero beatissimus Papa Sylvester, magni Constantini Augusti spiritualis pater inter alia dixit: *Si omnis Dominicus dies resurrectionis gratia est colendus in gaudio Christianorum: omnis ergo Sabbati dies sepulturæ deputandus est in execratione Judæorum. Omnes enim discipuli Domini Sabbato fletum habuerunt sepultum Dominum suspirantes, & Judæis exultantibus lætitia inerat: Apostolis autem jejunantibus, tristitia imperabat: Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura Domini, si volumus cum iisdem de Domini resurrectione gaudere. Neque enim fas est ut destructiones ciborum & cerimonias Judæorum, more Judaico observemus.* Hæc & his similia dicente sancto Sylvestro, non placuit quibusdam Orientalibus ista traditio Apostolicæ sedis, sed magis elegerunt celebrare Sabbatum cum Judæis: Cujus sententiæ concordans sanctus Papa Innocentius ait: *Sabbato jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat: Nam si diem Domini-cum*

Sabbati jejunium. Exod. 20.

Exod. 34.

Sylvestri Epistola.

Sæc. XI. Anno 1054.

cum ob venerationem resurrectionis Domini nostri Jesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Quod utique constat Apostolos biduo isto & in mærore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse, quod utique non dubium est, & in tantum eos jejunasse biduo memoratur, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma utique per singulas hebdomadas est tenenda, propter quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putatis semel atque uno Sabbato jejunandum, ergo & dies Dominica & sexta feria semel in Pascha erit utique celebranda. Si autem Dominicæ diei ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est, bidui agere consuetudine, Sabbato prætermisso, cum non disparem causam habeat à sexta videlicet feria in qua Dominus passus est, quando & apud inferos fuit, ut die tertia resurgens redderet lætitiam, post biduanam præcedentem tristitiam. Non ergo nos negamus sexta feria jejunandum, sed dicimus in Sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis in his qui Christum secuti sunt indixerunt, qui die Dominica exhilarati, non solum ipsum festivissimum esse voluêre, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt. Hinc jam reliqua vestra dicta discutiamus.

CONSTANTINOPOLITANUS.

NOstrum vero Pascha Christus est. Qui ut non juxta legem inveniretur adversarius, & circumcisus est, & legale Pascha celebravit primitus. Sic illo discedente nostrum novum operatus est.

ROMANUS.

QUod Christus vestrum Pascha sit, sciatis nos ita concedere, si eum asseritis etiam nostrum, imo totius Catholicæ Ecclesiæ Pascha esse. Quod si, quod absit, pertinaciter contradixeritis, auscultabimus ipsum Dominum nostrum Jesum Christum sic
Matth. 24. suos præmonentem de Pseudochristis & Pseudoprophetis. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut ecce illic: nolite ire, neque sectemini.* Quod verò dicitis Dominum Jesum celebrato vetere Pascha, novum discipulis suis celebrandum tradidisse: quis sapiens id negat? Sed illud quod dicitis Dominum nostrum Jesum Christum ideo circumcisum & vetus Pascha celebrasse, ne juxta legem inveniretur Deo contrarius: quis unquam ausus erit astruere, nisi manifestus hæreticus? In hoc enim videmini perverse cum Marcionitis & Manichæis sentire alium Deum veterem legem, alium novam dedisse, & ut apertius dicam, Deum malum & Deum bonum multis introducere. Et ne illi malo, hoc est, Deo tenebrarum, bonus iste Deus lucis inveniretur adversarius, & circumcisus fuit & celebravit Pascha vetus. Et quasi devitans illius Tyranni, velut fortioris se, iram incurrere, ad tempus simulavit se legem ejus observare. Sed absit tam pestiferum virus à fidelium auribus & cordibus, ut vel suspicetur aliquis aliquid aliquando simulasse omnipotentem & simplicissimam veritatem, quæ est Christus Deus noster: aut alium veteris legis esse, alium novæ auctorem, cum ipsa veritas protestetur dicens:
Matth. 5. *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere legem, sed adimplere.*
Psalm. 83. Et psalmista dicat: *Etenim benedictionem dabit legis lator.* Deinde subjunxistis:

CONSTANTINOPOLITANUS.

ET hoc manifestum est, sicut in Evangelio secundum Matthæum de mystica cæna loquens Evangelista, sic quoque inquit: *Prima autem die azymorum accesserunt disci-*
Matth. 26. *puli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Qui ait: Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Et post pusillum: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Et post pusillum dicente Juda: *Nunquid ego sum Rabbi?* Dicit ei: *Tu dixisti.* Huc usque Dei hominis, universa legalis Paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici & nostri sunt, addidit Evangelista & dixit: *Edentibus autem illis, accepit Jesus panem, fregit & dedit discipulis suis & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit & dedit eis dicens: Bibite ex eo omnes: hic est sanguis meus novi*

novi

novi testamenti, Dicendo enim, *novi,* ostendit quoniam ea quæ veteris fuerunt testamenti cessaverunt. SÆC. XI. ANNO 1054.

ROMANUS.

HÆc omnia non à vobis, sed à veracibus Evangelistis conscripta, & ab omnibus orthodoxis patribus constanter prædicata credimus, & ipsum Dominum nostrum Jesum Christum quarta decima luna ad vesperam Pascha vetus perfecisse, & mox novum inchoasse prædicamus. Quapropter sequentia videamus.

CONSTANTINOPOLITANUS.

ASpicite quomodo panem corpus suum sub novo testamento vocavit, sicut vivificum & plenum Spiritu, & sicut caloris demonstrativum. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur elevatus & sursum portatus à fermento & sale calorem & elevationem habens. Azymæ autem nihil distant à lapide sine anima & luto lateris deorsum conjuncta terræ & sicco luto comparatæ, quæ cum amaritudinibus Moyses comedere miseris semel in divina lege constituit: quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt significativa.

ROMANUS.

IN hac vestra disputatione, illud tantum approbamus, quod Dominus Jesus panem benedictum & fractum in memoriam sui sub novo Testamento corpus suum vocavit. Et quod omnis panis hujusmodi vivificet & det vitam mundo, utpote plenus spiritu & calore Dei vivi, & quod nos panem, vos ἄρτον dicitis; reliqua verò vehementer detestamur, & velut hæreticam vanitatem & audaciam olentia atque resonantia, anathematizamus. Quis enim audebit panem quemlibet absque mysterio, quod supra diximus, asserere plenum Spiritu & animatum, nisi discipulus Manichæi? Ipsi enim delirando, sicut vere pleni insania, impudenter asserunt, panem & vinum, lignum, lapidem & vestem cæteraque talia animam habere. Illud quoque quod azymum negantes panem esse, per etymologiam ejus nominis, quod est ἄρτος, conamini nos vincere: sciatis omnino vanum & puerile. Quia & à linguarum peritis diversæ etymologiæ dantur ex uno nomine, secundum humanum placitum magis quam secundum naturam rerum. Et in omnibus scripturis invenimus panem indifferenter dici, sive fuerit azymus, sive fuerit fermentatus. Quod hinc demonstrare incipimus.

Primo omnium, ecce Manna tam in lege & Prophetis & Psalmis, quam in Evangelicis & Apostolicis litteris, panis, id est, ἄρτος vocatur. Sicut in Psalmo: ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος: quod latine dicitur: *panem cæli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.* Et in Evangelio: κύριε ἀεὶ δῶς ὑμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. Et in Psal. 77. Exodo: ὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὃν ἔδωκεν ὑμῖν κύριος. Si ergo manna, quod erat album & minutum Joan. 6. sicut semen coriandri, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ, gustusque ejus Exod. 26. quasi similæ cum melle, auctoritate divina dicitur panis, sive ἄρτος, quod utique nullam similitudinem, aut verum saporem panis habebat; quomodo azymæ possit tolli nomen panis, non videmus, qui utique natura, forma, & sapore omnimodis panis est & dicitur, præsertim cum Angeli apud Abraam & Loth subcinericios panes, ἄρτους ὑποτέφρους dicantur comedisse. Angelusque Heliæ legatur in desertum attulisse. Sed quid multa? In lege & in Evangelio invenimus τοὺς ἄρτους προθέσεως, id est, *panes propositionis,* quos azymos fuisse nemo dubitat, qui legis Mosaicæ aliquam notitiam retentat. Ubi Levit. 2. dicitur: *omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet: nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Et in Deuteronomio Moyses azymum vocavit, ἄρτον ταπεινώσεως, id est, *panem afflictionis.* Sermo quoque Domini ad Ezechielem factus dixit: *Et tu Fili hominis, sume tibi frumentum, ordeum, fabam, lentem, milium & vitiam, & mitte in vas unum, & facies tibi panes?* Ecce tam hic quam in subsequentibus Ezech. 4. panes dicuntur, ubi nulla fermenti mentio habetur: in tantum ut subcinericius, hordeaceus ibidem vocetur. Veruntamen ut de vestris aliquid dicamus: Audite quid Joannes Monachus Damascenus in laude Dei genitricis dicit: (a) ἐπεὶ αὖτε τῶν βροτῶν ὗσία διὰ σοῦ ὁμιλίσατα θείῳ πυρὶ ὡς * ἔγκυμα πάναγνε παρθένε ἐξ ὃ ὥπτης θεοτόκον ἀληθινὸν διαφυλάξαντα. Quin etiam volumus, ut dicatis fermentatusne an azymus sit de quo Salomon ait: *Suavis est homini panis mendacii.* Et, *panis absconditus suavior est,* scilicet quem mulier stulta repro-

(a) Locus plane depravatus qui sanari non potuit. BASN.

* ἄζυμα.

Prov. 20.

Prover. 9.

SÆC. XI. ANNO 1054. repromittit. Et hic enim & illic non azymus, sed ἄρτος dicitur. Et quia nos ad hoc trahere nititur tota vestra disputatio, ut pro eo tantum quod Matthæus dixit: λαβὼν ὁ Ιησοῦς τὸν ἄρτον, id est, *accepit Jesus panem*, incipiamus credere fermentatum & non azymum discipulis suis in memoriam suæ passionis Dominum dedisse; sciatis istam sententiam vestram satis infirmam esse: Si aliud non habetis, quod possit vestræ parti favere. Omnis enim sententia ex opinione procedens, est dubia. Quæ autem ex scientia procedit, certa omnimode & rata. Unde si aliam sententiam firmiorem non habetis, hac sola tam ambigua nostrum consensum vobis non vendicabitis. Quia ut superius copiose monstravimus, azymus sicut fermentatus dicitur ἄρτος. Quin etiam Matthæus, qui Hebraice scripsit Evangelium, non dixit: λαβὼν ὁ Ιησοῦς τὸν ἄρτον, sicut Græcus, sed ut Hebræus Hebræis, *Lacah Jesus Lechem*. Lechem autem Hebraice etiam azymum vocari in Deuteronomio cognoscite, ubi sic habetur: *Lechem oni*, id est, panem afflictionis, atque panes propositionis *Lechem pavini* dicuntur. Unde in Psalmo, manna quoque similiter vocatur, ut *Lechem albicini achal is*, quod interpretatur, *panem angelorum manducavit homo*.

Matth. 26.

Psal. 77.

Tam copiosis ergo trium principalium linguarum exemplis enervatam etymologiam vestram, ex nomine quod est ἄρτος, sapienter considerate, & azymo nostro fermentatum vestrum præferre cavete. Quia si non obstinata mente manifestæ veritati resistitis: & si vetus & novum Testamentum aperte non impugnatis, nobiscum sentire & profiteri habetis, azymum panem fuisse, quem ipse Dominus Jesus in cœna primis Ecclesiæ suæ fundatoribus distribuit in memoriam suæ passionis. Nam sicut sufficienter supra ostensum est, in septem Paschæ diebus fermentatum nec inveniebatur, nec apparebat in cunctis domibus seu finibus Israël. Et apud quemcumque fuisset inventum, jussa animadversione, velut divinæ legis transgressor, absque recrastinatione periba de cætu Israëlitarum. Quod si credimus verbis veritatis dicentis: *Non veni solvere legem, sed adimplere:* credendum etiam & prædicandum est, Dominum Jesum nec unum Jota, aut unum apicem legis præteriisse, & ut totius transgressionis expertem insidiatoribus suis dixisse: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Alioquin nec ipse peccata multorum tulit, nec pro transgressoribus oravit ut non perirent: nec pro nobis passus, sed pro sua prævaricatione juste punitus: præsertim qui nec solus legis transgressor inventus est, fermentato apud se tunc reperto, sed insuper multos discipulos reos mortis effecit, cibans illos fermentato. Videte quorsum evadat hæc vestra disputatio: Nempe si in solennitate azymorum dicitur quolibet usus fermentato, vere mortuus asseritur in peccato suo, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius. Insuper administratis Judæis materiam magnam sibi placendi super interfectione Domini, & permanendi in errore suo, & fidem nostram evacuandi: si gloriantes nomine Christiano objecerint Christo, quod Judæorum nemo objicere præsumpsit, nec tunc nec modo, nisi forte vestro edoctus magisterio. Quamvis enim principes Sacerdotum & omne Concilium quæsissent falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, & nec in verbis ejus invenissent: tamen tale aliquid, quale vos objicitis, nullus eorum objecit. Quod si fuisset objectum, solum unum sufficeret ad perdendum illum. Nec jam Pilato dicenti: *accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum*, dicerent: *Nobis non licet interficere quemquam*, quia ipsi præcepto legis interfecissent fermentati participem. Denique tota in Jesum calumnia ex interrogatione Pilati & responsione Judæorum facillime potest animadverti juxta Evangelium Matthæi & Marci, ubi interrogante Pilato: *Quid enim mali fecit?* clamaverunt: *Crucifigatur:* Porro Luca attestante, omnis multitudo tradentes Jesum Pilato dixerunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Quibus paulo post ait Pilatus. *Nihil invenio causæ in hoc homine:* Et illi: *Commovit populum per universam Judæam, incipiens à Galilæa usque huc.* Deinde post aliqua dixit eis Pilatus: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam mortis invenio in homine isto in his in quibus eum accusatis, sed neque Herodes. Corripiam ergo illum & dimittam.* At illi postulabant ut crucifigeretur. Joannes autem refert, Pilatum sic dixisse Judæis: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Qui dixerunt ei: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Et post aliqua dicente eis Pilato, *Accipite eum vos & crucifigite.* Responderunt. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Nonne tot testibus iniquis in Dominum insurgentibus & iniquitate mentienti sibi, suffecisset hoc unum vestrum mendacium, si constaret eis saltem hoc solum? Nonne instarent Pilato & dicerent: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia fermentatum in Pascha comedit? aut

Matth. 5.

Joan. 8.

Joan. 18.

Matth. 27.
Marc. 15.

Luc. 23.

Joan. 18.

certa

certe apud eum apparuit? Et forte dicetis eum clam egisse hoc. Absit. Quia non solum de factis suis, verum & de dictis ait ipsi Pontifici percunctanti: *Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audiverunt quæ dixerim ego.* Nunquid etiam dominum domus in qua Pascha celebrabat, sanctæ legis prævaricatio posset latere? quem constat paternarum traditionum æmulatorem apprime fuisse. Quod si forte & hunc latere potuit, aut certe ipse consensit: nunquid & Judam complicem malignorum Judæorum latere potuit: qui juxta Psalmistam: *Unanimis* ejus *Dux & notus* & præsertim dispensator fuit? Quem ipse Dominus dilecto Joanni demonstrans ait: *Ipse est cui intinctum panem porrexero.* Et cùm intinxisset panem dedit Simoni Iscariothis. Ecce hic bis dixit ἄρτον, quem vos non nisi fermentatum accipitis. Quod si ita est, quæ res prohibuit infelicem Judam demonstrato ipso fermentato, prodere sanguinem magistri palam, quemadmodum volebat prodere clam? Aut quid necesse habuit desperando dicere: *Peccavi tradens sanguinem justum?* cum tradendo transgressorem legis averterit à se & à populo furorem Domini, & gratiam promeruerit? Ut enim præceptum legis divinæ super hoc breviter tangamus, perpendite quid in Deuteronomio latius dicatur. *Si Propheta quilibet, sive frater tuus, filius aut filia, uxor vel amicus quem diligis ut animam tuam, voluerit clam persuadere tibi ut avertaris à cerimoniis legis, non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei tuus oculus ut miserearis & occultes eum, sed statim proditum populo interficies, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tibi, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis.*

[Margin: SÆC. XI. ANNO 1054. Joan. 18. Psal. 34. Joan. 13. Matth. 27. Deut. 13.]

Hic ne quid minus factum videatur, etiam vestratium ridiculæ opinioni obviamus: qui non invenientes, quonam sanctarum Scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicujus stabilitatis litus, fluctuando pertrahuntur in illud divinæ omnipotentiæ pelagus. Namque sciscitantibus nobis, unde Dominus Jesus fermentatum in cæna habuerit, cum in omnibus finibus Israel non inveniretur; Respondent: Si creditur omnipotens, potuit subito undecumque fermentatum exhibere, aut certe ipsum azymum benedicendo fermentare. Quod quam sit frivolum, nemo non intelligit. Quia quocunque modo apud eum in ipsa solemnitate fermentatum apparuisset, legis transgressor fieret, plane dignus puniri, qui in sanctæ legis contumeliam fermentatum tractasset. Sed etsi quolibet modo id fuisset factum, aliquis Evangelistarum tantum narraret miraculum, non inferius illo, quo aqua conversa narratur in vinum. Et cum tam subtiliter gesta sive dicta in ipsa cæna describunt ut etiam aliqua velut minus necessaria videantur recitare: Sicut illud est de contentione prioratus inter discipulos facta, sive quod Dominus ipse præceperit vendi tunicam & emi gladium: Quomodo tam obstinato silentio reticuere tam necessarii Sacramenti initium, & ut ita dicamus, omnimodam metamorphosim, & qualem vos somniatis? Neque enim fuerat negligenter commemorandum, quod totius Ecclesiæ extat fundamentum, & usque secundum Christi adventum retinebit Christianitatis statum, per quod in Christo manemus & ipse in nobis. Unde vos assertionis vestræ difficulatem passi, laboratis nobis præjudicium facere ex omnipotentia Christi. Sed vobis fideliter & constanter respondemus. Quamvis omnia quæcunque voluit fecerit, & faciat Dominus Jesus, hoc facere non potuit, sicut quondam de lapidibus panem facere non potuit. Si quæritur, cur? Breviter respondetur, quia noluit. Sed unde scitur, quia noluit? quia non transgredi potuit, nec transgressus est legem, quam non venit solvere, sed adimplere. Itaque unum è duobus eligatis necesse est: Aut enim fermentato abjecto in solennitate azymorum legem implevit, aut suscepto fermentato legem solvit, propter quam adimplendam se venisse mentitus invenietur, quod absit. Porro de omnipotentis Dei coomnipotente Filio, ita habetur in Joannis Evangelio: *Non potest filius facere quicquam à se.* Qui etiam, secundum Marcum, in patria sua non poterat virtutes multas facere.

[Margin: *Christus non potuit habere panem fermentatum.* Joan. 5. Mar. 6.]

Hinc nil tergiversationum vestrarum prætermittentes, quia consideratis vestro fermentato secundum legem & Evangelium juste contradici: astruere conamini Dominum non celebrasse Pascha cum Judæis, quarta decima Luna mensis primi, sed priusquam fieret legalis abjectio fermentati. Et hoc probare contenditis ex Evangelio Joannis qui ait: *Et ipsi non introivêre in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Quod quanta absurditate dicatur, saltem ex hoc perpendite: quod Christum transgressorem legis non cavetis denuo pronuntiare: Quia *cum facta esset hora discubuit.* Quamvis enim bis posse celebrari Pascha lex concedat, tamen quartam decimam lunam omnimodis observandam denuntiat. Et mundis quidem quar-

[Margin: Joan. 18. Luc. 22.]

SÆC. XI. ANNO 1054. quartam decimam lunam primi mensis, immundis autem quartam decimam secundi mensis. Et quicunque aliter præsumpsisset, de medio populi sui periret. Quod si quæritur, quare Joannes decimam quintam lunam, id est, à Pascha secundam dixerit *Pascha?* cum videatur dicere debuisse: Et ipsi non introjerunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent Azyma: quorum prima erat dies ipsa? Sciatis indifferenter ab Evangelistis dici *Pascha* & *Azyma*. Nam licet Dominus discipulis dixerit: *Scitis quia post biduum Pascha fiet:* Matthæus tamen ipsius diei in cujus vespere fiebat Pascha mentionem faciens, inquit: *Prima autem Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi Pascha comedere?* Cui concordans Marcus ait: *Erat Pascha & Azyma post biduum.* Et post pauca: *& primo die Azymorum, quando Pascha immolabant.* Ubi si indifferenter non accipiuntur Pascha & azyma, ut modo Pascha pro festo azymorum, modo festum azymorum intelligatur pro Pascha: Quomodo stabit: *Erat Pascha & azyma post biduum?* Nam juxta opinionem vestram debuit sic scribi: Erat Pascha post biduum & azyma post triduum. Sed beatus Lucas omnem hujusmodi dissolvens controversiam inquit: *Appropinquabat dies azymorum, qui dicitur Pascha.* Et quia cum eo qui proprie dicebatur Pascha, subsequentes quoque septem dies azymorum abusive nuncupabantur Pascha, quem diem vellet specialiter intelligi, in sequentibus luce clarius ostendit dicens: *Venit autem dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha.* Quod plane in quarta decima luna fiebat ad vesperum, quando agnus occidebatur. Quem etiam Pascha dici sic Evangelista perhibuit, ut ipsum Pascha occidendum diceret. Idem quoque in actibus Apostolorum narrat, quod Herodes captum Petrum misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo. Qui quod Pascha dicat mox subjungens declarat. *Erant autem dies azymorum:* Nec mirum. Cum etiam Exodi tertio Dominus tria festa præcipiens, Pascha tacuit: solennitatem azymorum tantum custodiri jussit, quæ prætermisso Pascha observari nequit. Porro Joannes qualiter intelligi vellet quod ait: *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, paulo post ait: *Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta.* Parasceve Paschæ, præparatio Paschæ interpretatur: quando jam præparabatur vel instabat celebritas magni diei Sabbati, qui celebrior reliquis Paschalibus diebus apud Judæos habebatur: adeo ut ob reverentiam ejus, gentilis hominis cohabitatione, vel introitu prætorii pollui vererentur. Et insuper ne in cruce remanerent corpora in Sabbato, præcaverent. Nec repugnat vero quod Pascha solennitas azymorum dicitur: quandoquidem ipsum Pascha cum azymis edebatur, nec per totum diem illum, sicut scriptum est, apparebat fermentatum in finibus illis usque ad vesperum octavæ diei, quam habebant celeberrimam.

(Margin: Joan. 18. — Matth. 26. — Ibidem. — Marc. 14. — Luc. 22. — Ibidem. — Act. 12. — Exod. 3. — Joan. 18. — Joan. 19.)

Insuper harum trium solennitatum continuati octo dies pro uno die sunt habiti, sicut de Scenopegiæ diebus Dominus dicit: *vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum hunc:* qui tamen postea jam die festo mediante, dicitur ascendisse, & in novissimo magnæ festivitatis die stetisse & clamasse: *si quis sitit, veniat ad me & bibat.*

(Margin: Joan. 7. — Ibidem.)

Ecce vestris opinionibus reluctati forsitan plus necessario fuimus verbosi: sed hinc minime debemus reprehendi, quia causam humano generi super omnia necessariam voluimus evacuari. Si Dominus Jesus legem potuisset transgredi, inanis enim esset fides nostra, inanis & prædicatio nostra, quia posset doceri peccatum Adæ obfuisse humano generi, mortem autem Christi nihil profuisse. Nunc sequentia videamus: ubi postquam vanis declamationibus, ut supra monstratur, ἄρτον interpretati fuistis elevatum & sursum portatum à fermento & sale, calorem & elevationem habentem, horrenda cæcitate, abominati azyma dixistis:

CONSTANTINOPOLITANUS.

Azyma autem nihil distant à lapide sine anima & luto lateris deorsum conjuncta terræ, & sicco luto comparata.

ROMANUS.

Heu heu heu Domine Deus, ecce compleri videmus principis Apostolorum præsagium nostris temporibus. *Ex vobis*, inquit, *erunt magistri mendaces, qui inducent sectas perditionis, & eum qui eruit eos Dominum negant. Superducentes sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur, & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non cessat,*

(Margin: 2. Pet. 2. — Azyma an sint mortua.)

cessat, & perditio eorum non dormitat. Cujus sententiæ concordans Doctor gentium ait Timotheo: *scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi,* & cætera. Et post pauca. *Quemadmodum Jamnes & Mambres restiterunt Moysi, ita & isti resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit:* Unde & vos impudenter detrahentes azymis, etiam illi vivifico mysterio redemptionis nostræ inauditas injurias irrogare non timetis. Nec mirum si in secretis cælestibus acies mentis vestræ caligat: quandoquidem in terrenis tam perverse errat, ut azymum quod visu & tactu atque gustu simul & usu quotidiano panem comprobat, lapidem seu siccum lutum lateris credat. Et ô quam dignam erroris sui mercedem vestra vesania reciperet, si vobis retrusis, & omni consolatione humani victûs fraudatis, lapidem seu siccum lutum lateris apponeret aliquis pro azymis? Ibi proculdubio in summo discrimine vestro disceretis plurimum distare lapidem sive laterem ab azymis, & quod lapidibus seu lateribus paries, azymis autem confirmetur cor hominis. Quæ quamvis humanam vitam temporaliter sustentent, tamen sine anima esse, sicut & fermentatum, nullus negare audet, nisi Manichæus demens. Nam in corporis Christi mysterio indubitanter vitalis esca fit perpetuo. Sed dum nitimini Apostolicæ sedi derogare super azymis, putredine inveteratæ hæresis vos scatere monstratis, asserendo panibus inesse animam fermentatis, etiam absque mysterio aliquo dominicæ passionis.

SÆC. XI. ANNO 1054. 2. Tim. 3.

Quod autem calumniamini azyma deorsum terræ conjuncta, non negamus, vulgo hæc eadem sic parari lapidibus aut argilla superposita: non sicut dicitis, terræ conjuncta. Verum hæc ad communes usus hominum & cæterorum animalium transeunt. Nam ad magnam Christi mensam non accedunt; sed illud solum quod Diaconi cum Subdiaconis seu ipsi Sacerdotes sacris amicti vestibus cum melodia Psalmorum conspersum, & in ferro paratum ex Secretario proferunt. Nempe, sicut Apostolici actus indicant: Diaconi specialiter constituti sunt super hoc opus, Petro dicente: *Non est æquum relinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis.* Vos autem sicut facere nos reprehenditis, nec in lapide aut argilla seu aliquo metallo vestrum fermentatum paratis. Ergo aut in aqua paratis, aut de cælo manna venit vobis, quod ad humanos & divinos usus habetis. Act. 6.

Sed ad reliqua frivola vestra veniamus. Non invenitur Moyses dixisse, azyma malæ passionis & tribulationis symbola fuisse, sed *lechem ovi,* id est, *panem afflictionis:* non quod naturaliter aliquid afflictionis in se habeat, sed quod Hebræis ad memoriam revocet, quia ab Ægyptiis exire compulsi consparsam farinam, antequam fermentaretur, asportarint in humeris: Quæ ut superius sufficienter disseruimus, nihil nos tangunt juxta carnalis observantiæ ritus. Ideo discutiamus quod sequitur. Deut. 16.

CONSTANTINOPOLITANUS.

NOstrum vero Pascha gaudium & lætitia totum est, & extollit nos ab humo propter gaudium & cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem panem: Qui panis omni suavitate repletus est. Azymum vero, neque sal, neque fermentum habens, lutum est aridum. Aut non audistis Jesum dicentem discipulis suis? *Vos estis sal terræ; Et simile est regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier, abscondit in farinæ satis tribus; donec fermentaretur totum?* Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis verò tribus, hoc est, tribus modiis repletis, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, quorum nequaquam lutulentum azymum est particeps.

ROMANUS.

OPtamus vobiscum celebrare Pascha, quod totum sit lætitia, & plenum gaudii, in terra scilicet viventium, quia hoc nemini concessum est in terra morientium, ubi & de præteritis scandalis subest gemitus, & de futuris metus. Unde si cupitis de continuo Pascha postmodum gaudere, in isto animo non sitis interim sine timore. Sed sicut Psalmista monet: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et instanter cum Apostolis petite ut gaudium vestrum sit plenum. Illud etiam quod asseritis, id est, Pascha vos ab humo sustollere ad cælum præ gaudio, ita agere debet omnino. Quia si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextra Dei Psal. 2.

 sedens:

SÆC. XI. ANNO 1054. sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: Sin aliàs, jam non levatur anima vestra ad Deum, sed contra Deum.

Sane quoniam vestrum gaudium comparatis fermento, quod suo calore panem extollit, ambigimus jam quale illud gaudium sit, quia fermentum in bono accipi vix invenimus, nec fermentatus panis absque consecratione est suavitate aliqua plenior azymis panibus, quos plerique sibi salubriores & sapidiores arbitrantur: sed qualis fuerit propositio, aperit hæc vestra conclusio.

CONSTANTINOPOLITANUS.

AZymum verò neque sal, neque fermentum habens, lutum est aridum.

ROMANUS.

ITeratis contumeliis in tantum azyma lacessitis, ut pene omnibus visibilibus & invisibilibus naturis injuriam irrogetis. Si enim, ut definistis, lutum aridum est, quidquid neque sal, neque fermentum habet; Ergo beati Spiritus & animæ justorum, sive ipsa quatuor elementa, ex quibus omnia visibilia existunt, lutum sunt: quoniam neque sal neque fermentum habent. Nec suffecit vobis tantum nefas evomuisse, nisi insuper Dominum testem vestræ opinionis produceretis, quasi pro sola commendatione & confectione vestri fermentati dixerit discipulis suis: *Vos estis sal terræ, & simile est regnum cælorum fermento:* Ergo quia verba quæ sunt Spiritus & vita, ad literam placet vobis intelligere: placet etiam vestro fermentato aliquid palmitum & sinapi adjungere. Nam idem Dominus dicit discipulis: *Vos estis palmites:* Et: *Simile est regnum cælorum grano sinapis:* quod scilicet calorem administrat, quem tantopere tota vestra calumnia in fermento collaudat. Noveritis tamen ipsam de fermento absconso expositionem vestram Catholico dogmati contrariam. Si enim mulier illa Ecclesiam signat, & tria sata sanctam Trinitatem: Ubi & quando & ad quid Ecclesia in ipsa beata Trinitate fermentum abscondit? An forte quisquam summo & incommutabili bono Deo quidquam augmenti aliquando conferre potuit aut poterit? Quapropter convenientius parabolam hanc exposuissetis, si regnum cælorum sanctam Ecclesiam significare dixissetis. Fermentum autem doctrinam Apostolicam, tria sata tres filios Noe, quibus post diluvium mensuratur farina, id est, totius humani generis massa. In qua utique mulier, id est, coëterna Deo Patri sapientia facta ex muliere, Doctrinam Apostolicam quasi fermentatum recondidit, & regnum cælorum, id est, præsentem Ecclesiam ex diversis nationibus coadunavit.

Matth. 5. & 13. — *Joan. 15.* — *Matth. 13.*

Jam quia post multiplices azymorum obtrectationes ad hoc prorupit vestra insolentia, ut in ipsa terribilia & vivifica Sacramenta redemptionis nostræ apertis contumeliis irreverenter insurgat, & azymum exclamet lutulentum, & nequaquam sanctæ Trinitatis particeps esse: Respondere cogimur deinceps vobis stultis juxta stultitiam vestram, ne vobis sapientes esse videamini. Certissime sciatis quod gloriatio vestra stercus est & vermis, hodie enim extollimini, & cras non inveniemini, & secundum Psalmistam ut pulvis ante faciem venti comminuemini & ut lutum laterum delebimini, juxta proverbium Sapientis, de stercore boum lapidandi, & velut stercus in via conculcandi sicut & antecessores vestri hæretici ac præcursores Antichristi. Ut enim in libro beati Job dicitur: *Ex quo posuit Deus hominem super terram, cognoscitur laus impiorum brevis esse, & gaudium hypocritæ ad instar puncti:* Unde quia in eo putatis vos sapientes, si aliorum institutionibus detrahitis: hinc par pari referemus, quod vestram impudentiam mordebit: ut retrahat à reverendorum Sacramentorum injuriis.

Psal. 17. — *Ecclesi. 22.* — *Job. 20.*

Salva ergo ut dignum est reverentia corporis Domini nostri Jesu Christi, & in fermentato & in azymo, perquiramus an fermentatum ad humanas mensas præparatum syncerius ac mundius sit plebejo azymo. Et primo omnium fermentatum repetamus, ut perspecta diligenter ejus scaturigine verax judicium de puritate fermentati habeamus. Necesse est enim ut rivus fontis qualitatem & naturam sequatur. Ita enim originem fermenti invenire cupimus, sicut hominis cujuslibet originem ipsam matrem omnium terram invenimus. Nam si hominis originem alium hominem dixerimus: jam propago non origo erit, quomodo nec fermentum fermenti origo esse poterit. Sicut enim sententia vulgi extat, fermenti origo fit, cum aut spuma musti seu fex cujusdam rusticæ potionis quæ apud Gallos *cervisia* dicitur, vel certe jus elixati ordei, aut ciceris, sive lac ficulneæ, vel pecorum corruptum, injicitur conspersæ farinæ. Cum

Cum ergo spuma, fex, elixatum leguminum & lac ficus vel pecorum corruptum apud homines computentur inter sordida: constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem cuicunque fermentum injicitur, necesse est corrumpatur: sicut ait sapientissimus Paulus: *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Ubicunque autem corruptio tam in divinis quam & in humanis litteris dicitur, ibi etiam deterioratio seu vitiositas aliqua substantiæ accidisse comprobatur. Unde si non potest aliquando corruptio in bonam partem intelligi, nulli dubium est, quin fermentato azymum mundius sit, quod nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farina tantum & pura aqua conficitur. Fermentum quoque si aliquandiu in massa negligitur, tanto acrore eam corrumpit, ut ultra humanis usibus non prosit. Deinde panis fermentatus parvo situ efficitur mucidus, quod rarissime incurrit azymus, utpote planus & solidus, non tumidus & cavernosus, uti fermentatus. Qui licet magna ex parte impar sit nostris laudibus, tamen per omnia par est vestris moribus. Ipse enim fermento veteri corruptus deprehenditur acidus, cavernosus & tumidus: Et vos haud secus humana opinione corrupti, loquacitate apparetis acidi, calliditate cavernosi. Et ut divinæ scientiæ vacui, humana scientia inceditis inflati: Juxta illud dictum Apostoli: *Scientia inflat.* Cui etiam supradicta vitia inesse ibidem Apostolus attestatur Timotheo dicens: *Si quis aliter docens, & non acquiescens sanis sermonibus Domini nostri* JESU CHRISTI, *& ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt.* Quod vero fermentum sicut præfati sumus, in divinis & humanis litteris, in malum ponatur: Dominus in Evangelio testatur: *Cavete*, inquiens, *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Et Paulus, *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum.* Et paulo post. *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ.* In secularibus quoque litteris Satyricus effeminationem & corruptos mores Romanorum redarguens ait:

SÆC. XI. ANNO 1054.

1. Cor. 5. & Gal. 5.

1. Cor. 8. 1. Timot. 6.

Matth. 16. 1. Cor. 5. ibidem.

Quid didicisse nisi hoc fermentum, & quo semel intus
Innata est rupto jecore, exierit caprificus? *Persius.*

Et si omnes scripturas perscrutati fueritis, nunquam & nusquam fermentum in bonam significationem poni invenietis, nisi in uno loco Evangelii, ubi regnum cælorum fermento simile Dominus dicit: Doctrinam videlicet Apostolicam significans. Si vero omnes revolvatis Scripturas, nunquam & nusquam invenietis azyma poni in significationem contrariam, sed aut sinceritatem aut veritatem significare, sicut Apostolus ait: *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* Unde vestra duplicitas suo fermentato contenta Romanæ & Latinæ simplicitati azymum extorquere desinat. Ne si fuerit pertinax, anathema maranatha cum suo fermentato fiat, & prophetam sibi exprobrantem audiat: *Ite ad Bethel & impie agite, & sacrificate de fermentato laudem.*

Matth. 13. 1. Cor. 5. Amos 4.

Nunc videatur quænam Ecclesiarum majori diligentia & subtiliori significatione dominici corporis proprietatem imitetur. Romana quippe & Occidentalis Ecclesia à ministris sacri altaris in secretario confectum offert azymum, quod ex grano fermenti & limpida lympha per ignem fuerit præparatum, significans se in una mediatoris Dei & hominum, hominis Dei Jesu Christi, persona, tres perfectas credere, & venerari substantias: humanam scilicet carnem, animam rationalem, & verbum Dei Deum. Et granum quidem assimilari carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex grano matris terræ, sola virtute cælesti, non autem aliqua commixtione virili factam omnipotens divinitas animavit. Puriorem substantiam, id est, animam, quasi aquam præclaram & nobilem ei infundens. Quas geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio verbum Dei rite suscepit, & mediante suæ divinitatis calore, tanquam igne sibi construxit & consolidavit. Taliter præparatus azymus fideli invocatione totius Trinitatis, fit verum & singulare corpus Christi. Non sicut Theupaschitæ volunt corpus Patris & Filii & Spiritus sancti. Quod & vos videmini sentire, dicentes, Patris & Filii & Spiritus sancti particeps non esse azymum, sed subaudiatur, sicut fermentum est particeps eorum. Ex qua prava sententia si non vultis cum Theupaschitis damnari, nolite in ipsa commemoratione Dominicæ passionis aliquod participium seu communionem præter solam consecrationem vel cooperationem concedere, sanctæ & impassibili Trinitati, quia mors solius humanitatis Filii Dei in illo Sacramento visibili, ut Apostolus ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Ipse quoque Dominus Jesus in speciali commemorationis suæ privilegio discipulis distribuens panem, ait: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Meum, inquam, quod Spiritus sancti, septemplici

Ritus Ecclesf. Romanæ & Græcæ comparantur.

1. Cor. 11. Matth. 26.

 gratia

SÆC. XI. ANNO 1054. gratia subnixum, ipsa sapientia Dei Patris æterni ædificavi mihi templum quadraginta & sex diebus in utero & ex utero intactæ Virginis: quodque mox pro vobis & pro multis per passionem crucis in mortem resolvendum, omnipotens Trinitas post triduum suscitabit, non permittens sanctum suum videre corruptionem. *Meum*, inquam, hoc est, Filii Dei & Filii hominis, qui vadit sicut scriptum est de illo. Quapropter sicut prædiximus tota beata Trinitas in consecratione Eucharistiæ cooperatur, sed sola mors Christi in fractione ejus & in usu annuntiatur.

Eucharistia contemnitur à Græcis. Hinc jam quæ apud vos habeatur disciplina & cautela, supra tanto mysterio, advertamus. Vos aliquando pretio fermentatum à quocunque viro, seu fæmina præparatum habetis, in tantum ut nonnunquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emptum panem ad Dominicam mensam transferatis. Quem tractatum illotis & sordidis quorumlibet manibus negare non potestis. Qui sane, juxta nostram narrationem, quinque substantiarum particeps est, id est, fermenti, farinæ, salis, aquæ & ignis. Quarum omnium significationes congruas in illa simplici & sincera carne salvatoris, si habetis, date nobis. Par est enim ut de fermento nobis rationem reddatis, quemadmodum nos de azymis vobis: ne forte, quod absit, perversitas Manichæorum, ad fulciendum errorem suum asserat, has quinque substantias in sacrificium Christianorum assumi, propter quinque antra tenebrarum, quæ fingunt mentiendo sibi. Date quoque evidentem causam illius circumcisionis, qua coronulam panis ad sanctum sacrificium ferro levatis, cum immaculata hostia, immaculatum corpus Domini aptius videatur significare, & integritas panis, integritatem Ecclesiæ, quæ corpus Christi fit participatione ejus integerrimi corporis. Quod qualiter fieri debeat, Paulus, Corinthiis ita prædicat: *Panis quem frangimus, nonne participatio Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane & uno calice participamus.* Unde & Dominus panem accepisse benedixisse & fregisse, non autem legitur ante vel postea incidisse. Deinde quod sanctum panem vitæ æternæ in calice intritum cum cocleari sumere consuestis, quid opponitis? Neque enim ipse Dominus panem in calice vini intrivit, & sic Apostolis dedit dicens: accipite & cum cocleari comedite: Hoc est enim corpus meum. Sed sicut sancta Romana Ecclesia usque nunc observat: Panem integrum benedixit & fractum singulis particulatim distribuit dicens: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Quibus postquam cænatum est, calicem porrexit dicens: *Bibite ex eo omnes.*

Ritus Ecclesiæ Græcæ. *1. Cor. 10.* *1. Cor. 11. Matth. 26.*

Ritus Ecclesiæ Hierosolymitanæ circa Eucharistiam. Quam reverendam angelis & hominibus institutionem etiam sancta Sion, prima scilicet Ecclesia, usque ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit: adeo ut quidam Hierosolymitanorum pontificum datis Epistolis significaverunt, quantum illorum institutio discrepet à Græcis. Sic enim scriptum reliquerunt: *Ex ipsa sancta civitate Hierusalem, quæ & sancta Hierosolyma, exiit fides Christiana: in ipsa quoque sancta Sion & sancta resurrectio primæ Ecclesiæ dicuntur & veraciter habentur. In ipso sancto & venerabili loco adimpletur divina & immaculata oblatio Domini nostri Jesu Christi, sicut decet per ordinem.* Et puto quia benefaciunt ibi, quod non nisi integras & sanctas ponunt ipsas oblationes in sanctas patinas, nec quomodo Græci habent lanceam ferream qua scindunt in modum Crucis ipsam oblationem, id est, proscomide. Porro in præfatis sanctis Ecclesiis, cum ipsa sancta patina sanctam anaforam, id est, oblationem exaltant. Etenim veræ & aptæ sunt ipsæ oblationes, tenuesque ex simila. Lanceam vero ferream nesciunt, nisi quæ latus Domini nostri Jesu Christi aperuit. Coclear vero cum quo communicent, sicut in Ecclesia Græcorum, minime habent, quia non ita commiscent ipsam sanctam communionem in calice, sed sola communione communicant populum. Itaque & in magnis & in parvis Ecclesiis hunc morem traditum sibi à sanctis Apostolis habent omnes Christiani ipsius provinciæ. Græci autem cohabitantes eis, alii sic, alii qualiter à suis acceperunt. Ad hæc si quid ex sancta & venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pixidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illuc ex diversis provinciis Christiani, qui propter fidem & maximum amorem filii Dei communicare ibi desiderant, quia & locus ipse venerabilior & sanctior est omnibus locis, in omni terra. Et ibi est sepulchrum sanctum & honorabile Domini nostri Jesu Christi, & sanctus Calvariæ locus. Subterrare autem vel infodere sanctam Eucharistiam in terra, sicut quidam dicuntur agere, aut in lagenam mittere, aut effundere illam, negligentia magna est & nullus timor Dei. Etenim fides Christanorum, ipsa impolluta & divina mysteria sunt: Secundum quod Christus dixit: *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, vita vivet in æternum.* Sed de his

Joan. 6.

his hactenus: præcipue cum vos ipsi possitis hæc colligere subtilius ex tenore Epistolæ illius, quam istis ex Græca latinam perfecimus. Ubi luce clarius intelligi datur, eundem ritum divini sacrificii sanctam Hierosolymitanam Ecclesiam observasse antiquitus, quem sacrosancta Romana Ecclesia observare non cessat hactenus. Siquidem tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur. Et tunc demum calice meri & liquidi cruoris potamur: quandoquidem nemini discipulorum nisi Judæ proditori intinctum panem à Domino porrectum invenimus: significante, quod eum esset traditurus: pari modo etiam residuum Dominicæ oblationis reponimus. SÆC. XI. ANNO 1054.

Jam quia sufficiente authoritate novi & veteris testamenti constat Dominum nostrum Jesum Christum commemorationem suæ passionis recolendam in azymis discipulis sub ipsa cæna commendasse, sicut hodieque sancta Romana & Latina Ecclesia noscitur recolere: Dicere debetis cujus institutionem in fermentato tam obstinate defenditis. Nempe quicumque, seu qualiscumque ille fuerit, juxta beatum Job, compositus Deo, qui est ipsa justitia & sapientia, nec sapiens erit. Nec potest fieri, ut quilibet convenientius aut verius commendare prævaluisset sacrosanctum mysterium fidei, quam ipse qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis: agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi. Cui comparata, imperfecta, cujus inscientia summa est ignorantia. Quapropter eventilemus reliqua dicta vestra. Job. 9.

CONSTANTINOPOLITANUS.

Dixit autem David de ipso: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Qui ante Abraam & Moysen cæli, terræ & ceterarum creaturarum agnoscens Deum, exurgens obtulit illi panem & vinum. Ideo dicit divinus Apostolus. *Quoniam si consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech Sacerdos Christus diceretur. Et quia translato Sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.* Quæ lex lutulenta constituit azyma Judæis custodire. Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios prima Epistola ex his loquens sic ait: *Fratres ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibitis in meam commemorationem, quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Psal. 109. Heb. 7. 1. Cor. 11.

ROMANUS.

Quamdiu vestigia doctiloqui Pauli fideliter tenuistis, omnino irreprehensibiliter cucurristis. Sed mox ut præcurrere tentastis, miserabiliter corruistis. Quibus non suffecit aberrasse, nisi insuper Doctorem gentium in fide & veritate maluissetis post vos reluctantem trahere, quam illius vestigia repetendo errorem vestrum evadere. Insuper inauditum præjudicium eidem facitis, quando suis dictis eum impugnando azyma lutulenta pronuntiatis, quæ tam ipse quam omnis catholicus esse sinceritatis & veritatis asserit. Illam deinde Etymologiam vestram super pane contra nos defensando, complicem vestrum tantum apostolum laboratis efficere, quasi in eo quod veraces Evangelistas secutus ait: *accepit panem*, non nisi fermentatum voluisset insinuare. Quod si fieri potuit, inanis prædicatio & labor tanti Apostoli erit. Evacuabitur mors Christi, quia jam non tradidit semetipsum pro nobis, sed juste interiit, sicut transgressor legis. Verum quam sit hæc vestra Etymologia frivola, satis abundeque ostenditur supra. 1. Cor. 11.

Jam videamus quorsum pertrahere conamini tantum Apostolum suæ assertionis funibus.

CONSTANTINOPOLITANUS.

Azyma vero neque commemorationem habent, neque mortem annunciant, sicut Mosaica & ante mille quadringentos annos ex lege constituta, & per novum testamentum, hoc est, per sanctum Evangelium & per Christum maledicta & derelicta.

ROMA-

Sæc. XI. Anno 1054.

ROMANUS.

Lex an contemnenda. O Sacrilega temeritas, ô virosa & maniosa Manichæorum dicacitas, ô ab omnium viribus & cordibus procul abigenda impietas! Eone pertraxistis Apostolum, ut in tantæ perfidiæ barrathrum præcipitaretis vobiscum? Ecce illud pestiferum ovum, quod tamdiu parturistis, repente peperistis: Ex quo qui comederit morietur: ut Esaias *Isaia. 59.* Propheta dicit: *& quod fuerit confotum, erumpet in regulum!* Ecce ut claret, dolorem concepistis, injustitiam parturistis, iniquitatem peperistis, & contra ipsam veritatem & omnes divinas paginas mentiti impudenter latratis ipsum filium Dei legem & azyma, quæ constituerat, maledixisse. Sed ô sancta, ô bona, o venerabilis lex cum universis mandatis, & observationibus tuis, quicunque te & tua usque ad unum jota maledixit, maledicit aut maledicet: sit ille maledictus! Potuitne aut debuit Dominus noster sic ingratus esse ut tam fidelem & devotum præconem & constantissimum testem suum, aliqua maledictione confunderet? qui non cessavit tota sua intentione, signis, mandatis, sacrificiis, ceremoniis, atque verbis gloriam ejus conclamare. Et ubi didicistis quod Dominus legi & azymis maledixerit? Forsitan dicturi estis, ubi novum Pascha tradidit discipulis suis, aut ubi surrexit à mortuis. Sed ut superius liquido cognoscitur, & ipsis benedictis & fractis novum Pascha instituit: & ipsa suæ resurrectionis die à duobus invitatus in Emaus Castello, accepit panem, benedixit, & *Luc. 24.* mox ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου: id est, *cognoverunt eum in fractione panis:* quem omnimodis azymum fuisse constat, quia usque ad octavas Paschæ nullo modo fermentatum in omnibus finibus Israel apparebat. Sane quod ipse factus sub lege legis testimo- *Joan. 5.* nium habuerit, dicit Judæis: *Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam* *Ibidem.* *habere, & illa sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et iterum. *Si crederetis Moysi,* *Matth. 5.* *crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* Unde in alio loco protestatur se non venisse, solvere legem, sed adimplere. Cujus quodlibet minimum mandatum quisquis solverit, etiam in regno cælorum, hoc est presenti Ecclesia, minimus foret: ne dum illam futuram aliquo modo introiret. In qua factor & doctor legis magnus vocaretur. Ipsa quoque suæ resurrectionis die, duobus supra dictis discipulis, incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur Scripturas, quæ de ipso erant. Deinde undecim *Luc. 24.* congregatis dixit: *Oportebat implere omnia quæ scripta sunt in lege Moysis & in Prophetis & in Psalmis de me. Et quia oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes.* Ecce breviter Salvator innotuit incarnationis ac passionis suæ humilitatem, atque resurrectionis gloriam omniumque gentium vocationem, & per baptismum salvationem, in veteri testamento præmonstratam, & in novo fuisse exhibitam, ut merito Evangelium nihil aliud sit dicendum, quam legis expositio. Quæ lex velut bajula & nutrix Christi & Ecclesiæ, id est, sponsi & sponsæ, capitis & corporis in plenitudine temporum prævia Evangelicæ gratiæ & veritatis lucerna publicis visibus revelavit, quod diu in secretis cubiculi occultavit: tunc repente illius speciosi forma præ filiis hominum omni creaturæ resplenduit, ubi per sanctos Apostolos, quibus aperuit sensum ut intelligerent scripturas, mysterium cunctis retro seculis absconditum, in omnem terram, & usque in fines orbis transmisit. Maledicendus ergo est uterus ille, qui Spiritu Dei gravidatus ab initio parturivit omnia Sacramenta Christi & Ecclesiæ, tandemque in fine seculorum peperit ipsum Evangelium prædicandum ubique? Siquidem vetus Testamentum efficit, ut per novum libera fronte prædicetur partus Virginis, & credatur resurrectio ex mortuis, atque per lignum & aquam & Spiritum reparatio humani generis: alioquin deleto veteri Testamento novum evanesceret, fabulaque putabitur, nec retineri poterit absque charactere suo, quoniam nec paries stabit sine fundamento. Quod ipse Dominus suis factis & dictis suppofuit, & Apostolis seu prædicatoribus suis inspiravit narrationis suæ cursum firmare anchora Testamenti veteris. Cujus auctoritatem primus magister Ecclesiæ profitetur certiorem esse illa voce, quam super Dominum transfiguratum factam audivit. Unde firmissime credendum est, & liberrime profitendum, quod quicunque veteri Testamento contradicit, etiam novi adversarius existet, quod velut rota in medio rotæ inesse veteri Sanctus Ezechiel vidit.

Deinde quasi subjectum vel fundamentum est vetus Testamentum, cujus ædificium vel superior pars constat Novum, quod necesse est deficiet vel corruet, deficiente vel corruente subjecto, cui insidebat: Et subjecto quidem seu fundamento permanente, permutantur superfidentia sæpe: intereunte autem vel ruente, nequeunt pariter non inte-

interire vel ruere. Hoc utique Dominus utriusque Testamenti lator intelligi volens cum posset omnipotenti voluntate vacuas sex hydrias in nuptiis vino de nihilo repente creato implere: maluit tamen certi mysterii gratia prius aqua easdem hydrias à festi ministris, usque ad summum impleri, & post solo nutu suo, mirabile vinum fieri. In quo provido redemptoris nostri facto, dicimus, aquam non substantiam suam, sed qualitates, id est, saporem & colorem, & si quæ sunt hujusmodi permutasse, ut animadvertamus ipsum Dominum vetus Testamentum quo sex mundi ætates, per ministerium priorum patrum repleverat, non evacuasse, sed innovasse, nec inde quidquam reprobando minuisse, sed quod ei inerat & latebat, approbando exhibuisse. In quibusdam enim, sola permutatione temporum seu varietate excepta, Lex & Evangelium idem concorditer clamant, verbi gratia, Lex prædicit: *Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris:* Et, *Ecce virgo concipiet & pariet Filium.* Evangelium prædicat: *Propheta magnus surrexit in nobis:* Et *Virgo concepit & peperit Filium.* In quibusdam etiam tempore & themate salvo commemorant voces pietatis & impietatis. Ut est: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et: *Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Porro si alicui insipida videtur talis lympha, noverit nullo vitio lymphæ istud sibi contingere, sed nimio palati sui stupore. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia siquidem est illi lex Dei, nec novit ex ea mentis ventrem salubriter replere, sed pernitiose distendere. Spiritualis autem qui judicat & discernit omnia, cum nostro architriclino Paulo fideliter decantat: *Scimus quia bona est lex, si quis ea legitime utatur:* Et illud: *Scimus quoniam lex spiritualis est.* Quod si lex spiritualis est, ministratio Spiritus fit spiritualiter examinata, & ministratio mortis carnaliter discussa. Quamvis enim lex suapte natura sit vita, vitio tamen hominum mors fit, sicut idem Apostolus dicit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? absit. Sed peccatum non agnovi, nisi per legem.* Et post pauca: *itaque lex quidem sancta & mandatum sanctum & justum & bonum: Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Et rursus: *Invenio igitur legem volentem mihi bonum facere, quoniam mihi malum adjacet.* Tandem si sapienter audistis quæ præmisimus, resipiscite ab injuriis legis, quam sanctam, & mandatum sanctum & justum & bonum affirmat Apostolus: ne medicum demonstrantem morbos & curare volentem, videamini obruere lapidibus, tanquam freneticus.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Deut. 18. Isaia. 7. Luc. 7. Luc. 2. Psal. 21. Ibidem. I. Tim. 1. Rom. 1. Ibidem.

Porro numerosa patrum conjugia, & ex tribu sua, atque carnalia sacrificia & circumcisionis seu variarum purificationum cerimonias, ciborumque differentias, noveritis temporaliter carnalibus aut permissa aut jussa: ut eos talium jugo vel licentia mandatorum retineret, ne ad idololatriam seu ad cætera flagitia corruerent: Spirituales autem significatione bonorum futurorum quæ in his promittebantur, jugiter sublevaret, ut advenientia à longe conspicerent & devote salutarent. Quod licet hujusmodi observationibus pro loco & tempore viderentur nimium dediti, ut sua condescensione paulatim brutas plebes per signa traherent ad res: tamen quid in his senserint, ex his beati David dictis liquet: *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Unde rursum ait: *In me sunt Deus vota tua.* Cujus personam suscipiens, carnali populo contestatur dicens: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Nonne huic & reliquis patribus aqua legis, colorem & saporem mutaverat? quæ pallida & insipida carnalibus apparebat. Quippe his frigebat, quæ illis sic calebat, ut jam tunc cum discipulis Jesu dicere possent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via & aperiret Scripturas?* Littera enim legis per Moysen data, carnales occidebat, cujus Spiritus gratia & veritate per Jesum Christum facta Spirituales vivificabat, ut illi timore temporalis mortis ac si frigore contracti, inde pallerent: unde isti amore æternæ vitæ, quasi calore vegetati rubebant, & cum Paulo libere proclamant: *Plenitudo Legis est dilectio.* In cujus duobus præceptis charitatis totam pendere veritas perhibuit. Quod si Deus charitas est, Deo procul dubio adversatur, quisquis aliquid legi Moysi subtrahere conatur, quam ipse totam in charitate pendere testatur. Quæ charitas gemina carnalibus & terrenis ceremoniis contecta, velut quidam bisulcus hamus vermiculis seu volaticis plumis insertus & in pelagus humanæ captivationis cælitus demissus vagos & vacuos cælestium homines, inescatos visibilibus, invisibili mucrone trajecit, & trajectos ad sinum Angelicæ libertatis retraxit: dicentes Deo in canticorum canticis: *Trahe me post te.* Et: *vulnerata charitate ego sum.* Sic dum homo adhæret Deo & homini proximus, decen-

Psalm. 50. Psal. 55. Psal. 49. Luc. 24. Rom. 13. Cant. 1.

SÆC. XI. ANNO 1054. tissima linea, & tanquam aurea mandatorum divinorum catena, pariter ad paradisum retrahuntur.

Deinde quanta instantia Eufration Rhodiorum Episcopus legem veterem contra Severianos hæreticos defenderit: ex subjectis verbis ipsius liquet: ubi inter nonnulla alia dixit: *Fundamenta domus præclaræ circa squalida loca sunt posita, ut ea quæ sunt superius nullas contumelias stercorum patiantur: superiora ergo domus laquearibus auratis, parietibusque pictis, & vario marmorum metallo sunt edita. Inferiora vero humori terreno vicina: degesta etiam superiorum universa suscipiunt. Quid ergo nunc faciemus? Si auferimus inferiora, superiora corruunt: tamen si destruenda erunt inferiora: non hoc alius poterat, nisi Dei Filius facere. Videamus ergo utrum ipse destruxerit, hoc quod nos dicimus permanere. Putatis, inquit, quia veni legem solvere aut Prophetas? Non veni legem solvere sed adimplere.* Et vos ergo saltem his & aliis proprii Doctoris vestri vocibus revocati ab injuriis sacratissimæ legis cessate: ne ab eodem & ab omnibus Catholicis anathema cum Severianis sitis.

Sed ne forte adhuc vobis nimium placeatis ex opinationibus vestris, cum nihil teneatis, diligentius recapitulemus dictum Apostoli, quem supra violenter ad vestrum suffragium attrahere tentastis. Quia ait: *Si consummatio per Sacerdotium Leviticum erat: populus enim sub ipso legem accepit, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum Aaron dici? Translato enim Sacerdotio, necesse est ut legis quoque translatio fiat.* (Heb. 7.) In quibus verbis, sicut superius ostenditur, nil aliud intelligitis consummationem, nisi consumptionem, id est, abolitionem & finem, non qui perficit, sed qui interimit. Quod longe aliter esse idem Apostolus edocet dicens: *Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti.* (Rom. 10.) Unde quoniam aliter dicitur: finivi panem, aliter, finivi telam: accipiamus necesse est Christum finem legis, consummantem non consumentem: perficientem non annihilantem: complentem non evacuantem. Quod finis ab initio seculi promissus, & in fine exhibitus, dum penderet in Cruce pro nobis sacrificium vespertinum & ultimum factus: sciens quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura dicit: *Sitio.* (Joan. 19.) Qui cum accepisset acetum dixit: *Consummatum est:* (Ibidem.) Et inclinato capite tradidit spiritum. Ubi certe nec Evangelista dicit: ut consumeretur, sed ut consummaretur scriptura: Nec ipse Dominus: consumptum est, sed consummatum est. Ad quam morientis vocem, velum templi scissum est usque deorsum, ut juxta Apostolum accedentibus ad Christum velamen usque tunc positum in lectione veteris Testamenti significaretur ablatum. (2. Cor. 3.) Quæ consummatio non per Leviticum Sacerdotium fuit, quia attestante Apostolo: *nihil ad perfectum duxit.* (Heb. 7.) Ex quibus Apostoli verbis, ne forte resumatis ansam calumniandi: attendite quia non dixit, nil boni fecit lex, sed, nil perfecit. Habuit enim, ut idem Apostolus ait, justificationes culturæ & sanctum seculare, & tabernaculum manufactum & Pontifices præsentium bonorum, qui per alienum sanguinem semel in anno introeuntes sancta sanctorum, sanctificabant inquinatos ad emundationem carnis. (Heb. 9.) A quibus munera & hostiæ offerebantur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis & potibus & variis baptismatibus & justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa, quando per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, & mundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Equidem secundum legem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium, qui solus proprio sanguine semel æternam redemptionem perfecit, quam illi alieno sanguine incessanter imitantes imperfectam repræsentabant. Quæ ut accessit, omnis ille Sacrificiorum seu Cerimonialium carnalium cursus jure conquievit. Neque enim deinceps pluribus Sacrificiis indigemus, quia in uno æternam redemptionem invenimus, quæ per Leviticum Sacerdotium incepta, per Pontificatum Domini Jesu constat perfecta, qui non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, ideo Sacerdos dicitur, quia panem & vinum offerendum atque sumendum in veritate carnis & sanguinis sui constituit fidelibus suis. Cujus generatio inenarrabilis de patre, sine matre, de matre, sine patre: nec initium dierum nec finem habens, solus verus Rex justitiæ & pacis. Cui quia convenientius assimilatur Melchisedech, non solum ex uno Sacrificio & genealogia, sed etiam ex prænomine, quàm Aaron, dicitur Sacerdos Christus secundum ordinem Melchisedech, non secundum Aaron. Denique Melchisedech ille, nec corpus

pus & sanguinem suum in pane & vino divinitati obtulit, nec sine parentibus aut initio & fine fuit: neque substantialiter Rex justitiæ & pacis, sed quod hæc omnia scripturæ de illo homine aut tacuerunt aut dixerunt, in manifestiori significatione nostri Melchisedech: cujus ille sicut & Aaron umbra, non veritas fuit. Ad quem translato Sacerdotio, necesse est ut legis quoque fiat translatio, à littera scilicet occidente, ad Spiritum vivificantem, à vetustate ad novitatem, ab imperfectione ad perfectionem, à servitute ad libertatem, & Filiorum Dei adoptionem, à Judæis ad gentes, quibus Apostolus ait: *Non accepistis Spiritum servitutis, iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Quia utique lex translatione est alterata, non facta alia: immutata, non est mutata: accessu gratiæ cumulata, non est recessu suo exinanita. Sicut Dominus suis inquit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Nunquid dixit: nisi reprobaveritis aut omnino reliqueritis justitiam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum? Sed quoniam justitia illorum erat tantum à malo opere abstinere: voluit Dominus in hoc suorum justitias superabundare: ut non solum malum ab opere, sed insuper à cogitatione satagerent resecare. Nam illis ex lege bonum erat non occidere nec mæchari, istis autem super hoc ex gratia optimum & perfectum, non irasci nec concupiscere. Ideo lex ramos malitiæ succidit: gratia vero etiam radices ejus evellit. Et sicut in resurrectione hoc ipsum corpus humilitatis nostræ & non aliud reformabitur, sic & lex ipsa per Evangelium reformata in toto mundo prædicatur. In qua utique reformatione quamvis plurimum decus augeatur naturæ, tamen integritas in nullo aufertur, quando, ad similitudinem grani, seminatum corpus animale, surget corpus spirituale, & seminatum in infirmitate surget in virtute. Hac quoque reformatione cœlum & terra transibunt, non interibunt, transferentur, non auferentur. Nec moveamur à nostro sensu, nec terreamur, si nonnulla legis Sacramenta exhorret animalis sensus: quandoquidem ipsius sancti Evangelii nonnulla mysteria exhorruit hactenus, in tantum, ut Domino dicente: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis panem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* etiam maxima pars discipulorum ejus ab eo discessissent, dicendo: *Durus est hic sermo. Quis potest eum audire?* præterea novum Testamentum ideo dicitur, quia procul dubio æterna sunt quæ pollicentur, sicut malis supplicium æternum: bonis vitam æternam. Nam quantum ad recitationem seu conscriptionem, ipsum Evangelium in novissimo die omnino præteribit: Ubi deinceps nec scriptura aliqua necessaria erit.

Sæc. XI. Anno 1054.

Rom. 8. Matth. 5. Joh. 6.

Cæterum si ad rem pertineret, monstraremus non mille quadringentos annos tantum, sicut scripsistis, sed mille quingentos & amplius annos ab institutione azymorum per Moysen usque ad passionem Christi decurrisse. Sed cum nostræ intentionis sit, Romani ritum Sacrificii approbare, Chronographis relinquimus opinionem vestram præfato annorum numero reprobare. Itaque si azyma, quemadmodum astruere conamini, per Christum & ejus Evangelium fuerunt maledicta, reprobata & derelicta, & ideo deinceps non debere offerri in Sacrificio Domini, quia per Moysen constituta sunt Judæis: Sciatis fermentatum quoque constitutum per Moysen Judæis. Sicut in Levitico dicit: *Hæc est lex hostiæ pacificorum: Offeret panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis.* Idem Moyses in eodem. *In Pentecoste offeretis ei panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domino: offeretisque cum panibus septem agnos.* Sal quoque, quem tantopere prædicatis in fermento per Moysen ita constituta Judæis in Levitico: *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal.* Quapropter si à nobis non debent offerri azyma quia Mosaica sunt, nec à vobis debent offerri fermentatum & sal, quia æque Mosaica sunt. Et quia ab Apostolo audientes: *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova,* insipienter putatis omnia veteris Testamenti reprobata & penitus destructa & ad nihilum redacta Sacramenta: hinc jam perpendatis necesse est, ad quantas difficultates properet hæc vestra opinio. Denique si vetera non proficiendo, sed deficiendo transierunt, unde vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, cortinæ, sanctum Chrisma, & thymiama, aspersionis aqua, thuribulum, & cætera sancti ministerii vasa seu ornamenta aut vestimenta Sacerdotalia? Unde vobis Encænia, Pentecostes & Pascha seu Quadragesima? unde vobis Pontifices, Sacerdotes & Levitæ ac reliqui Ecclesiastici gradus ex ordine? Unde primitiæ & decimæ? Postremo, unde vobis dilectio Dei & proximi? ac reliqua mandata Decalogi? Quia ergo secundum vos ita nova facta sunt, ut vetera relicta sint omnino, & per Christum maledicta: abjiciantur procul dubio ab ejus Ecclesia,

Levit. 7. Levit. 23. Levit. 2. 2. Cor. 5.

 quæ

SÆC. XI. ANNO 1054.

quæ supra diximus omnia, & plura quæ reticuimus alia, & veteribus contraria fiant jam nova. Odio habeatur Deus & proximus, pater & mater inhonoretur, homo occidatur, omnes mæchentur, furentur, mentiantur, concupiscant, adulterent, conjugia nulla sint, omnis homo ad proximam sanguinis sui, & quæ ei affinitate jungitur, accedat. Ad summum quoque, nec comedatur, bibatur nec dormiatur, sed relinquatur quidquid vetus testamentum exhibuit & exercuit, tam in cultu Divino, quam in usu humano, & videbitis quia nec bestiæ eritis, nedum homines, imo ab eo quod est aliquid transibitis ad nihil. Nos potius Catholica aure intendentes tanto Apostolo dicenti: *Si qua ergo nova Creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova.* Corde credimus & ore confitemur, vetera à vetere homine transeundo ad novum hominem Jesum Christum, nova facta esse, quemadmodum idem Apostolus mox secutus curavit declarare: *Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum.* Cujus singulari novitate innovantur omnia cælestia atque terrestria: quando quidquid ad cultum Dei seu ad commodum sui vetus ille populus cælitus acceperat, ad novum transtulit. Qui ideo novus dicitur, quia ab umbra ad veritatem, à signis ad res, à timore ad amorem, à servitute ad libertatem, à filiis iræ ad filios gratiæ, à carne ad spiritum est translatus. Unde dicit Apostolus: *Vos non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Et quomodo in carne non erant, quos Epistolis instruebat, nisi secundum quod ipse ait: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Hinc rursus inquit: *Nemo vestrum sibi vivit, & nemo sibi moritur:* Et: *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Sic itaque nobis & omnibus in novitate Spiritus ambulare satagentibus, nova facta sunt omnia, templa scilicet & altaria, sacerdotes, sacrificia, candelabra, thuribula, cibus & potus, & quæque carnalis Israël tam in supellectile quam in mandatis retinebat, vetera ut eadem & non eadem sint omnia, instar utique Aquilæ, quæ dum naturaliter renovatur, juventus eidem accedit & senectus, non substantia ab ea recedit. Pari tenore prædicamus azymum Christianorum longe distare ab azymo carnalium Judæorum, quos ad umbram veritatis observandam & captandam, sola promissio & desiderium terrenæ fælicitatis invitabat: ut est longævitas, abundantia frugum, successio filiorum, perditio inimicorum & cætera. Nos vero corpus veritatis ex azymo & in azymo rite venerantes atque retinentes, ore & corde prægustamus jam quam suavis est Dominus: unum petentes ab ipso, & hoc requirentes, ut maneamus in eo, & ipse in nobis, in æternum. Sane si mutare vultis fermento azymum, mutate quolibet aliquo liquore vinum: quo, sicut ex azymo, Christus & vetus Pascha finivit, & novum inchoavit. Si enim recipitis vinum, azymum cur abjicitis?

(Margin: 2. Cor. 5. — Ibidem. — Rom. 8. — 2. Cor. 10. — Rom. 14. — Gal. 2.)

Quod vero passio & mors Christi convenientius annuntietur azymo quam fermentato, ex hoc comprobatur, quod Dominus ipse azymo discipulis memoriam sui agendam tradidit: & quod in lege panis afflictionis dicitur: ut per hoc præmoneamur affligere animas nostras, & pariter offerre sacrificium Deo Spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum: illud Apostoli recolentes: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operemini*, &, *si compatimur & conregnabimus.* Porro quæ per legem fuerunt usque ad tempus correctionis imposita carnalibus Judæis, Paulus beviter colligens, ait: *Munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis & potibus & variis baptismatibus & justitiis carnis.* Carnales ergo victimæ atque purificationes variæ in lege, in quibus maxima erat circumcisio, & cæteræ justitiæ carnis, ut est, differentia ciborum, festivitas tabernaculorum: non arare in bove simul & asino, nec serere agrum diverso semine, & his similia: quæ nihil sanctitatis conferebant conscientiis, excepta devotione obedientiæ & admonitione spiritualis munditiæ, data sunt usque ad præfinitum tempus à Patre, quando per Filium suum factum sub lege, redemit eos qui erant sub lege. Cujus carnales justitias evadens idem Apostolus ait: *Quæ mihi aliquando fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, & non solum detrimenta, sed etiam stercora, ut inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed quæ ex fide* JESU CHRISTI. Quod Colossensibus quoque denuntiat dicens: *Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Hactenus defendisse legem Moysi & azymum Eucharistiæ CHRISTI sufficiat. Jam discutiamus vestra quæ restant.

(Margin: Mors Christi melius annuntiatur azymo. — Philip. 2. — Rom. 8. — Heb. 9. — Philip. 3. — Coloss. 2.)

CON-

Sæc. XI. Anno 1054.

CONSTANTINOPOLITANUS.

SAbbata vero quomodo in Quadragesima Judaice observatis? Aut non audistis in Evangelio dicentem, quia transeuntes discipuli in Sabbatis cœperunt iter agere, evellentes spicas & comedentes. Dicebant autem Judæi ad Christum: *Vides quid isti faciunt in Sabbatis?* Qui dixit: *Etiam. An nescitis quid egerit David, cum esuriret ipse & qui cum eo erant, quomodo intravit in templum, & panes propositionis comedit?* & cætera. *Et quia Sabbatum propter homines factum est, non homo propter Sabbatum.* Qui & dicebant: *Quomodo homo iste est ex Deo, qui Sabbata non custodit?* Et iterum loquente Christo in Sabbato ei qui manum aridam habebat: Similiter & ei qui dæmonis Spiritum habebat in Sabbato mundato, & murmurantibus Judæis & similia dicentibus, dicit Christus: *Hypocritæ unusquisque vestrum non solvit asinum à præsepi, & bovem suum in Sabbato ducit adaquare?* Et Paralytico similiter, quem sanum fecit. Et ideo qui Sabbata cum azymis custodiunt, neque Judæi neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo, sicut magnus dicit Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

De Jeverto Sabbati. Ibidem. Joan. 9. Luc. 13.

ROMANUS.

QUod nos Sabbata nec intra nec extra Quadragesimam Judaicè observamus, sufficienter monstratur superius. Vos autem si non Judaizatis, cur saltem Quadragesimæ non parcitis? ne cum Judæis feriati & epulantes jejunium Christi in Sabbato dissolvatis. Unde testimonia Evangelica quæ posuistis, omnino refragantur vobis, suffragantur vero nobis. Denique nos, ut discipuli Jesu, non solum iter agimus in Sabbato & spicas evellimus, sed insuper piscamur, & quidquid oportet operamur, & hora competenti comedimus. Vos quod legitis discipulos spicas transeundo comedisse, à luce prima in vesperum studetis variis delitiis & multo mero crapulam continuare. Nec mirum. Cum istic quoque obliti Etymologiæ vestræ ex nomine, quod est ἄρτος, dixistis David comedisse panes propositionis: id est, τὰς ἄρτυς τῆς πρωθέσεως, quos negare non potestis fuisse azymos, si qua scientia veteris legis remansit apud vos. Deinde quoniam Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum. Nullo convivio aut otio honoratur apud nos tanquam Dominus, sed oneratur jejunio & labore, veluti devotus servus Dominica sepultura occupatus. Mox succedente die quam specialiter fecit Dominus, solenniter exultamus & lætamur, quia in ea Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, mors ultra illi non dominabitur. Qui etiam pro custodia Sabbati, non timemus à Christo notari hypocrisi, quoniam in eo non tantum manum aridam, sed & totum corpus curandum offerimus Deo, & Medicis. Nec tantum bovem, & asinum solvimus à præsepio, & ducimus adaquare, sed etiam arare.

Ast vos volentes esse legis Doctores, nec intelligentes quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, assertionem vestræ opinionis sic conclusistis:

CONSTANTINOPOLITANUS.

ET ideo qui Sabbata cum azymis custodiunt, neque Judæi sunt, neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo, sicut magnus dicit Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

ROMANUS.

O mirabilis Græcorum Philosophia, ô ars Pelasga, ô Atheniensis & Academica perspicacia. Unde tibi tantus stupor & vertigo repentina? Vere triplici fune lingua tua divinitus est ligata. Nam Græci Sapientiam quærunt, quam simplex prædicatio Christianæ fidei stultam effecit, sicut Dominus repromisit: *Perdam Sapientiam Sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi Sapiens? ubi Scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus sæculi?* qua stultitia vos repleti, nec secundum divinas paginas definivistis aliquid, & magnum Basilium secundum humanas monstratis definivisse nihil. Falsissimum enim est, ut qui sabbata & azyma custodiunt, nec Judæi nec Christiani sint. Quia verissime Judæi sunt qui sabbullo

1. Cor. 1.

SÆC. XI. ANNO 1054. bata & azyma custodiunt carnaliter. Sed & illud in infinitam dubietatem recidit, nec ullo modo consequens erit, ut Leopardus sit tantum, cujus capilli nec nigri nec albi sunt: quia præter hunc innumerabilia animalia sunt, quorum pili nec albi nec nigri sunt. O egregii Scrutatores divini eloquii, ô dociles discipuli magni Basilii, ex cujus præclaro fonte nihil nisi lutum haurire prævaluistis: cum hinc inde vobis resonaret rivus ille cælestis lactis æterni mellis, Romanam & omnem Occidentalem Ecclesiam vocans Dominam & obsecrans succurrere perditioni Orientis. Nunc gratis subvertere Latinam Ecclesiam molientes, armamini contra nos, quasi Basilii sententia, quæ multo vecordior invenitur illa ridicula Tiresiæ Prophetia: *Quidquid dicam aut erit, aut non.* Nempe accidit vobis illud Satyrici proverbium:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Prov. 17. Atque utinam tacuissetis, ut putaremini sapientes: ceu Sapientia dicit: *Stultus si tacuerit, sapiens putabitur.* Modo autem stultitia vestra omnibus nota est. Hinc reliqua perspiciamus.

CONSTANTINOPOLITANUS.

De Suffocato & Sanguine. QUomodo autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? aut nescitis ut omnis animalis sanguis, anima ipsius sit? Et qui comederit sanguinem, animam comedet? Et idcirco secundum hæc nec gentiles ex toto sunt, illi occidunt aut plagantes comedunt.

ROMANUS.

CUr ex lege istud secundum vos per Christum maledicta & derelicta, mandatum nobis opponitis? Nunquid vobis solis licet quidquid libet, ut modo ad legis patrocinium humiliter recurratis & modo ab ea superbe tanquam anathematisata resiliatis? Nonne vetus lex & non Evangelium interdicit, ut omne suffocatum & captum à bestia non comedatur? *Quia anima omnis animalis in sanguine est.* (Levit. 17.) Constat utique hoc mandatum ex illis esse, quæ carnali populo ad qualemcunque munditiam seu justitiam carnis, non ad aliquam sanctitatem mentis data sunt ad tempus. Est enim de cibo: unde Apostolus dicit: *Nemo vos judicet in cibo:* (Coloss. 2.) Ac si aperte diceret: Nemo vos velut Judæos discernat ab his inter quos habitatis, in differentia scilicet ciborum, & in reliquis, quæ idem Apostolus adjecit. Quod autem hic, *judicare*, dixerit discernere, in Epistola ad Romanos liquet, ubi de diverso jejunio quorundam loquens ait? *Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem.* (Rom. 14.) Quapropter sicut idem ait: *Alius credit se manducare omnia.* Is qui non manducat quædam, observans morem suæ patriæ & provinciæ, & præcepta majorum suorum, manducantem non judicet. Tu enim quis es, qui judicas alienum servum, qui salva fide & pura conscientia comedit, quidquid à majoribus suis comedendum accepit? ut enim Dominus ait: *Non quod in os intrat coinquinat hominem.* (Matth. 15.) Et secundum Apostolum, *omnia munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum mens & conscientia.* (Tit. 1.) Quod Romanis denuntians ait: *Scio & confido in Domino Jesu, quod nihil commune per ipsum, nisi, qui existimat quid commune esse, illi commune est.* (Rom. 14.) Et post pauca: *Qui discernit, si manducaverit, condemnatus est: quia non ex fide: omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* (Ibidem.) Sed quamvis omnia munda sunt, tamen, secundum eundem Apostolum: *Malum est homini, qui per offendiculum manducat aliquid,* (Ibidem.) quod frater modicæ fidei & adhuc infirmus in fide credit immundum, & propter hoc non comedendum. Cui condescendere debemus in abstinentia escarum hujusmodi, ut possimus eum Domino lucrari: ne religionem Christianam, pro aliqua esca incipiat abominari: & cibo nostro perdatur frater, pro quo Christus mortuus est.

Nos ergo quamvis à Domino & ab Apostolis licentiam habeamus manducare omnia; quæ nec nostræ, nec fraternæ saluti officiunt: consuetudine tamen Provinciarum & præceptis majorum nostrorum hactenus detenti, devitamus comedere nonnulla, non quia mala aut immunda sunt, sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo usu in naturam jam verso horrent. Nonne Draco populis Æthiopum in esca datus dicitur? Et nonnullæ nationes quibusdam vescuntur, quæ aliæ penitus abominantur. Cur hoc? Nisi quia unaquæque gens in suo sensu abundans, quædam sibi assumpsit, quædam rejecit. Unde nos quoque absque culpis in antidotis plurima percipimus, quæ ex serpentibus & ex aliis quæ execramur animantibus assumpta esse non dubitamus. Quod ergo infirmo qualiscunque medicina, hoc fame pereunti qualiscunque esca. Et sicut abominandus infirmus non est, artificialiter refectus sanguine & cadavere

vere aliquorum reptilium, sic nec fame tabescens, si sanguine & suffocato naturaliter SÆC.
sustentat miserabiles artus, potens etiam ad litteram cum beato Job dicere: *Quæ prius* XI.
tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Omnis enim creatura Dei ANNO
bona, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur 1054.
enim per verbum Dei & orationem. Et vos peregrinos, egenos & pauperes CHRISTI, nec inter gentiles computatis, quibus nil est mundum, quia aliquando qualicunque cibo retinent à Deo sibi datum præsentis vitæ munus? Quare non potius signatæ arcas pecuniæ & promptuaria eructantia ex hoc in illud aperitis, & dispergitis pauperibus, ut justitia vestra maneat in æternum, & jam non sit eis necessitas præsumere cibum insolitum? Nunc autem usuris & oppressionibus miserorum ditati & elati, calumniamini, si egens omnium sustentetur aliquo quod vos impinguati & crapulati abominamini: non attendentes Dominum misericordiam malle quam sacrificium. Qui primo mensis hominum post Cataclismum amovit aliqua, quasi immunda, cum utique omnia fecerit valde bona, & rationalis creaturæ vitium abominabile sit apud Deum; non quælibet irrationalium creaturarum: voluntas quoque hominum aliquando sibi quædam vendicat, aliquando alienat. Ceu Romani paucis annis ante Constantinum Magnum porcinæ carnis esum per Aurelianum Imperatorem sibi vendicarunt. Et Græci usque nunc ursinam alienant. Et certe si humanum super his interrogetis judicium, immundior erit porcus reptilibus, sordibus atque reliquo suo pabulo. Sed sive nos, sive vos, quod à majoribus nostris accepimus, aut usu tenemus comedendum, sic observemus, ut is qui non manducat, manducantem non spernat: & qui manducat, non manducantem non judicet.

Considerate tamen ad quantam stultitiam devoluta sit vestra scriptura & sapientia, quæ cum ab hominibus exquirere deberet finem præceptorum DEI, id est, charitatem de corde puro & conscientia bona & fide non ficta: hoc solum exquirendum putat, an aliquando comederint carnem ursinam. Cujus usum quamvis non admittatis, admittentibus tamen pro crimine reputare non debetis: quibus Evangelica & Apostolica auctoritas omnia edenda constituit.

Nec hoc dicentes suffocatum & sanguinem nobis contra vos defendentibus: Antiquam enim consuetudinem seu traditionem majorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur: adeo ut sanguine vel quocunque morticinio aut aquis seu quacunque negligentia humana præfocato, apud nos aliquando vescentibus absque extremo periculo vitæ hujus, pænitentia gravis imponatur: pro eo maxime, quia antiquas consuetudines & traditiones majorum, quæ non sunt contra fidem, leges Apostolicas arbitramur: nam de cæteris, quæ aucupio aut canibus seu laqueo venantium moriuntur, Apostoli præceptum sequimur: *Omne quod in macellum venit, manducate,* 1. Cor. 10.
nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra & plenitudo ejus. Quod etiam in convivium gentilium vocatis concessit dicens: *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam* Ibidem.
& vultis ire: Omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Dominus quoque pro mercede prædicatoribus suis providens alimoniam dixit eis: *In domo recipientium vos manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Ecce Do- Luc. 10.
minus non dixit quædam apud illos comedite, sed indifferenter, *quæ apud illos sunt.* Quapropter omnis homo scientiam habens, si simpliciter edit & bibit, quidquid in macellum venit, aut quod sibi apponitur, nullatenus est culpandus, nisi inde aliquam immunditiam conscientiæ suæ contrahat. Quia non quod intrat in os, sed quod procedit de ore coinquinat hominem. Nec esca aliqua est in vitio, sed immoderatus appetitus. Verum ne scandalizetur frater infirmus in fide, qui putat aliquid commune vel immundum esse; si quis dixerit hoc suffocatum est, vel morticinium, non est comedendum, ut Apostolus de idolothyto ait: *Si quis dixerit, hoc immolatum est ido-* 1. Cor. 10.
lis, nolite manducare, propter eum qui indicavit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius. Multa siquidem usu aut traditione majorum ita observamus, ut aliter facientes omnino abhorreamus, sicut est, non lotis manibus manducare. Quod quamvis juxta sententiam veritatis, non coinquinat hominem, tamen velut immundum exhorrere solet homo hominem, non lotis manibus manducantem.

Sed forsan dicturi estis: non solum in veteri, sed & in novo Testamento ab Apostolis traditum gentibus, ut abstineant à sanguine & suffocato. Nec nos nescimus, tamen pro loco & tempore nonnulla carnalia veteris legis mandata Apostolos observasse scimus, quando adhuc quasi in matutino crepusculo tenebræ & lux confulgebant, & intuentium oculos, nunc huc, nunc illuc reducebant. Sic Apostoli in Judæa commorati aliquando claritate Evangelii expergefacti, ab umbra legis recedebant, aliquando necessi-

SÆC. XI. ANNO 1054. necessitate vel consuetudine torpentes in eam recidebant. Denique forte associarunt sibi Matthiam, & templum in quo adhuc sanguis animalium offerebatur, orationis gratia frequentabant. Ipse quoque vertex Apostolorum Petrus, modo cum gentibus comedebat, modo ab eis timens se subtrahebat. Cujus Coapostolus Paulus, quamvis dixerit Galatis: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, tamen dilectum discipulum propter subintroductos falsos fratres circumcidit, & cum aliis purificatus in templo sacrificium legis exhibuit. Sed ubi ab angustiis Judææ exclusi amplitudine gentium fuêre potiti, mox quasi cathenis servitutis palam erepti, quotquot ad spiritualem gratiam attrahebant, à carnalibus ceremoniis legis avertere non cessabant. Quod procul dubio ex præcedentibus & subsequentibus verbis Pauli intelligitur, ubi sic protestatur: *Spiritus manifeste dicit: quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & his qui cognoverunt veritatem: Quoniam omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Ecce tantus Apostolus, raptus usque ad tertium cælum & in ipsum Paradisum, proclamat omnia munda mundis, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, quia per verbum Dei & orationem sanctificatur. Et vos qui estis, qui attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquimini mendacium, scripta Latinis populis destinantes, ut relinquant mandata Dei, & quæ graviora sunt legis, Judicium scilicet & misericordiam & fidem, & sequantur traditiones & opiniones vestras, quasi nullos usque nunc habuerint prædicatores ac patres, ac necesse habeant à vobis doceri, quæ sint Elementa sermonum Dei.

1. Tim. 4.

Nempe inter alia ignaros omnium conamini instruere, quid & qualiter præparatum comedant, & eos asseritis nec gentiles esse, nec Judæos, nisi obediant. Quia ut dicitis, gentiles occidunt, aut plagantes comedunt: quasi Latini soliti sint animalia viva aut integra comedere. Nunquid Archimagiri omnibus nationibus delegati estis? Et si forte alicui fame deficienti animæ obsonium vel victus desit, avis autem & ovis adsit, sed ferrum absit, satius erit eum inedia deficere, quam quovis ingenio ea mactare & comedere? Itaque doctrinis variis & peregrinis nolentes abduci, *Scimus & confidimus in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*: sicut Paulus dicit. Deinde optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Sed jam insistamus reliquis.

Rom. 14.

CONSTANTINOPOLITANUS.

ETenim Alleluja in Quadragesima non psallitis, sed semel in Pascha tantummodo, quod interpretatur *Dominus venit, laudate, hymnum dicite, & benedicite eum*. Ergo secundum hoc neque *Laudate*, neque *Benedictus qui venit*, psallitis. Et istud vero Alleluja Hebraicè dictum est.

ROMANUS.

De Alleluja.

SCimus Alleluja Hebraicè dictum, & Latine interpretari *Laudate Deum*, sed quod etiam, *Dominus venit*, aut, *Benedictus qui venit*, interpretetur, nescimus, nec nisi à vobis hactenus audivimus. Porro ipsum Alleluja, sicut calumniamini, non solummodo in Pascha cantamus, sed omnibus totius anni temporibus, exceptis novem hebdomadibus, quibus id intermittere à patribus nostris accepimus: scilicet quibus negligentias aliorum temporum diluere attentius debemus. Sicut enim quondam populus in eremo peccatum idololatriæ in seipso puniturus, & Ninivitæ pœnitentiam in prædicatione Jonæ acturi, omnem ornatum suum & delitias deposuerunt, & saccum & cinerem sibi imposuerunt, nec tam peregrinis verbis ac exquisitis seu dulcisonis melodiis, sed propriis sermonibus & incompositis, sive amaris ejulatibus ad Dominum clamaverunt: Sic & venerabiles patres nostri agere consueverunt. Unde ornamenta & delitias divitis linguæ, tempore quadragesimæ deponentes, pauperrimum habitum nostræ linguæ nobis imponimus, & stulti facti propter Christum, nihil nos scire judicamus, nisi ipsum Crucifixum. Cujus districtum præ oculis habentes judicium vinculati & gravati peccatis: tanquam idiotæ, vix audemus vel in nostro idiomate interpella-

pellare Deum. Nam ex libro Sapientis didicimus: quia *non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et tamen tunc jugiter hymnum dicimus Domino, atque *Benedictus qui venit,* psallimus, & omnem Creaturam ad laudem ejus die noctuque invitamus dicentes: *Laudate Dominum*, sed, ut prædiximus, patria voce tantum. Tunc quoque alium angelicum hymnum intermittimus, id est, *Gloria in excelsis Deo.* Denique hi duo solummodo hymni ab Angelis in novo Testamento inveniuntur decantati. *Alleluja*, scilicet, & *Gloria in excelsis Deo.* Quos pariter in Septuagesima intermittimus: quia peccato veteris hominis à conventu angelicæ jubilationis expulsi in hujus miseræ vitæ Babylonem; super flumina ejus sedemus & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet Hymnus: dicentes adversariis nostris: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Si quidem vetus homo, vetus & non novum Canticum cantare potest, donec post hanc laboriosam vitam, quæ significatur per Quadragesimam, renovetur in agnitione secundum imaginem ejus qui creavit eum, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. Nec tamen *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, in Quadragesima intermittimus, quamvis sit hymnus angelicus & in novo Testamento decantatus, qui & in veteri prius fuit dictus, fidem videlicet perfectam patrum humiliter Deo offerens, nullum autem meritum bonæ operationis eorum attollens. Sic & nos interim in hac nostræ peregrinationis Quadragesima, scientes nos per fidem & non per speciem ambulare, de sola fide apud Deum præsumimus supplici confessione dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth:* Cui de operibus diffidentes, cum Psalmista proclamamus: *Non intres in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

SÆC. XI. ANNO 1054. Eccli. 15. Psal. 136. Isaiæ. 6. Psal. 141.

Quod autem novem hebdomadibus *Alleluja* intermittimus, non incongrue per novem hebdomadas novem ordines Angelorum accipimus. Quorum decimus ordo per superbiam corruens, Angelicum numerum imminuit, & fælicitatem perturbavit. Qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam timentes sibi, à perfecta laude creatoris fuere præpediti. Quorum recuperationi & consolationi consulens omnipotens Creator primum hominem de limo terræ formavit. Qui sui generis multiplicatione damna cælestis patriæ resarciret, atque Angelorum gaudia suppleret. Qua spe Angelicus chorus ad modicum exhilaratus, nec mora, ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus. Unde ille novem ordinum concentus in laude Creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille Protoplastus. Ibi augmento sui collegii & meliori spe angelicus exercitus gavisus, in novum *Alleluja* consurrexit totus, & in eo perstat devotus. Quem & nos pro modulo nostro imitantes, à Septuagesima, quando lapsus Protoplasti in Ecclesia recitatur, *Alleluja* novem hebdomadibus intermittimus, scilicet in Pascha, ubi Christus resurgens à mortuis, tristitiam nostram in gaudium vertit, & *Alleluja* reddit. Quod utique si non aliquando Latina Ecclesia decantaret, reprehendi à vobis non deberet: cum tamen in sua lingua laudem Domini personaret. Nunc quæ sit ista vestra superbia, miramur, quæ latrat, Latinos non pertinere ad Deum, si Hebraicè aut Græcè non persolvant & hymnum & debitum officium, cum etiam Latina lingua principaliter confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris. Ipsa quidem cum Hebræa & Græca titulum Crucifixi Domini complevit, & quæ erat novissima, facta est prima: ferro & fide usque ad adventum maligni Antichristi & benigni Jesu Christi defendens sibi terrenam & cælestem potestatem.

Hinc jam diu calumniis vestris reluctati, breviter attingamus intentionem vestri Epilogi.

CONSTANTINOPOLITANUS.

CUr tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos? sicut qui debentur judicari à Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quoniam hoc Petrus & Benedictus & Paulus & cæteri docuerunt? Decipitis vos ipsos & populum in istis. Quæ vero scripsi, ea sunt quæ Petrus & Paulus & ceteri Apostoli & Christus docuit, & sancta atque Catholica Ecclesia suscepit & custodit religiose, quæ & vos correcti custodite.

ROMANUS.

SIcut sufficienter monstratur superius, converso ordine & versa vice procederent hæc rectius: scilicet si vos seductos, seductores & mature judicandos à Domino dicere-

SÆC. XI. ANNO 1054. ceremus. Quia volentes esse Doctores, nec intelligentes quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, sanctorum Apostolorum & Catholicorum puram Doctrinam, humana præsumptione fermentatis, omnino decipientes vos & alios in istis. Quæ autem nunc vobis scripsimus, Christus docuit, & Apostoli ipsius, quæ ab eis & à sanctis patribus sancta & Catholica suscipiens Ecclesia, religiose observat hactenus, quæ & vos correcti observate, si non vultis à Christo anathema esse. Porro Benedictus Monachorum pater egregius in nullo à vobis est detrahendus, quia fide, doctrina & vita præcipuus, nec ad dextram nec ad sinistram aliquando declinavit à recta via, nec terminos quos patres posuerunt, est transgressus, nec Leopardum curavit definire, sed regulam discretione plenam cœnobitis tradere. In qua & si constituit esum carnium infirmis, & fæmoralia in itinere positis, absit tamen ut arbitraretur, hæc duo pejora esse fornicatione, quam quidam vestratium adeo sibi defendunt, ut publice profiteri, nec erubescant nec metuant, tale esse fornicari, quale est quolibet pomo vesci & refici. Unde & fornicantes Sarabaitas venerantur: fæmoralibus vero & carnibus in necessitate utentes cænobitas omnino detestantur. Sed quid dicit Propheta? *Isaia. 5.* *Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum.* Nunquid vas electionis beatus Apostolus Paulus alicubi definit: Neque carnibus aut fæmoralibus utentes regnum Dei possidebunt? *1. Cor. 6.* Qui tamen plerisque locis vehementer inculcat dicens: *Nolite errare, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* *Heb. 13.* Item: *fornicatores & adulteros judicabit Deus:* *1. Cor. 6.* Et, *omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est: Qui autem fornicatur in corpus suum peccat.*

CONSTANTINOPOLITANUS.

AZymas vero & custodias Sabbatorum projicite miseris Judæis: Similiter & suffocata barbaris gentibus, ut fiamus puri omnes in immaculata & in recta fide, & unus grex unius pastoris Christi. Cujus in Cruce divino sanguine inebriati, laudamus puri pure Patrem & Filium & Spiritum sanctum: universa Mosaicæ legis & ab eo custodita derelinquentes sine Deo Judæis. Qui velut cæci perquirentes Christum, lumen amiserunt, permanentes in umbra sicut insipientes perpetuo.

ROMANUS.

SUperius monstravimus copiose, nec Sabbata vel azyma nos Judaice observare: nec suffocata gentiliter manducare, sed Apostolicam Catholicamque fidem, principaliter retinere, nec procaciter refugere, sed humiliter fugere ad unum unius summi boni pastoris ovile, qui posuit animam suam pro ovibus suis: quas, vocem suam, non alienorum recognoscentes & sequentes carne sua instanter cibat & sanguine potat, ut corde, ore, & opere collaudent sanctam & individuam Trinitatem. Unde super omnia dolemus veteres anias vestro de pulmone hactenus non potuisse revelli. De quibus in actibus Apostolorum dicitur: *Act. 17.* *Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi ad discere aut audire aliquid novi.* Sed jam profanas vocum novitates devitando, veterem pelliculam quantocius abjicite, ne, quod absit, dicatur vobis sponsi voce: *Cant. 1.* *Si ignoras te, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos:* illos scilicet, quos ipse pastor in fine à sorte humilium ovium separat: quia lascivi & petulci, hic se vi superbiæ exaltare non cessant.

Deinde si universa Mosaicæ legis relinquimus Judæis, nulla honestas aut sanctitas remanebit nobis: ceu ex superioribus recolligere potestis. Relinquantur ergo eis sola carnalia mandata, & sanctum seculare, in quibus cæci quærunt quid invenire, dum umbram sectantes, exulant à luce. In qua umbra numeratur & Sabbatum vestrum Apostolo dicente: *Coloss. 2.* *Nemo vos judicet in cibo aut potu aut in parte diei festi, aut Neomeniæ aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Porro sicut sine Deo sunt Judæi, sic & omnes hæretici. Verum ne quid sit minus, quod sequitur attendamus.

CONSTANTINOPOLITANUS.

HÆc autem hujusmodi multotiens & ipse cum populo agnoscens docuisti eos, & correctus scripsisti multis talem consuetudinem habentibus. Et ut habeas salutem animæ tuæ, mitte Principibus Sacerdotum & Sacerdotibus, & adjura ut per hæc seipsos corrigant & populum, ut mercedem & in istis habeant. Et si hoc feceris, pro-

propono & per secundam scriptionem majora & perfectiora his scribere tibi fidei vera ostensione & firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam. Sæc. XI. Anno 1054.

ROMANUS.

O Viri cordati perpendite hic & cavete hæreticorum callidam subreptionem; qui per benedictiones & dulces sermones seducunt corda innocentum. Ecce his specialiter Tranensem Episcopum Joannem, cui talia scripsistis, alloquentes, oleo peccatoris caput ejus impinguare satagitis dicentes: *Hæc autem hujusmodi multotiens cum populo agnoscens docuisti eos & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus.* Sed nos è contrario per Salomonem dicimus vobis: *Os quod mentitur occidit animam.* Sap. 1. Neque enim præfatus Episcopus correctus à vobis aliquando talia populum docuit, aut cuiquam super his scripsit. Quod si fecisset, correctus à nobis fuisset; cur corruptus non autem correctus à vobis talia præsumpsisset? Sed ille qualiscumque sit in opere, sanus tamen hactenus extitit in orthodoxa fide juxta capacitatem suæ intelligentiæ. Unde nullis vestris susurrationibus acquiescens, adhuc persuaderi non potuit, ut alicui Sacerdotum has vestras nænias pro correctione illorum & populi cum adjurationibus mitteret. Et ipse non solum nullam mercedem in his haberet, sed insuper gradus sui periculum incurreret. Cui etiam, si vobis in vestris nugis obediat, aliud mercedis repromittitis: Scilicet vos secundo ei scriptum ire majora & perfectiora his, vera fidei ostensione, ac firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam. In quibus plane promissis antiquum ritum hæreticorum retinetis, quorum sermo sicut cancer serpit, & pollicetur curiosis fastigium perfectæ scientiæ, ut pertrahat ad baratrum extremæ stultitiæ. Quorum vanitatem Sapientia Dei per Salomonem proprie demonstrans ait: *Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ, in excelso urbis loco, ut vocet transeuntes per viam, & pergentes itinere suo. Quis est parvulus? declinet ad me. Et vecordi locuta est: aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior. Et ignoravit quod Gigantes ibi sunt & in profundis inferni convivæ ejus.* Proverb. 9. Hic plane hic vestri efficax depictor est, qui majora & perfectiora ad ostensionem fidei & firmamentum animarum pollicemini invitando parvulos & vecordes ad aquæ furtivæ dulcedinem & panis absconditi suavitatem. Vere omnino aqua furtiva est, in qua rebaptisatis Latinos Catholice baptisatos, quod nullus Catholicus adhuc præsumpsit, scilicet ut rebaptisaret aliquos, in nomine sanctæ Trinitatis, ab ipsis etiam hæreticis baptisatos. Vere omnino ad nescio quem panem absconditum invitatis, quando vivifica & terribilia Sacramenta corporis & sanguinis Jesu Christi profanis pedibus conculcatis.

Hæccine sunt illa majora & perfectiora, ut tanta oblatio imponatur altari, quanta nequeat à ministris, vel à populo sumi, & idcirco debeat subterrari, aut in puteum ad hoc præparatum projici? Hæccine quoque sunt illa majora & perfectiora, ut novus maritus & recenti carnis voluptate resolutus & totus marcidus Christi ministret altaribus, & ab ejus immaculato corpore sanctificatas manus, confestim ad muliebres transferat amplexus? Hæccine sunt illa perfectiora, ut mulieribus Christianis in partu vel in menstruo periclitantibus Communio denegetur? aut paganis baptismus interdicatur? & parvulis morituris ante paganis baptismus interdicatur? & parvulis morituris ante octo dies regeneratio per aquam & Spiritum sanctum subtrahatur? In quo utique crudeliores Herode, non tantum in corpore sed & in anima quotidie trucidatis parvulorum innumerabilem populum & destinatis ad ignem æternum. Nunquid etiam inde est quod hominis morituri imaginem affigitis Crucifixæ imagini Christi, ita ut quidam Antichristus in Cruce Christi sedeat ostendens se adorandum tanquam sit Deus? Nunquid & illud inde est, quod pejus sit Monachos fæmoralibus indui & carnibus vesci quam fornicari? Ideone clauditis Ecclesias Latinorum & dirigitis scripta per totum orbem, ut ad hæc majora & perfectiora pertrahatis omnem Christianum populum? Non sunt hæc talia ostensio veræ fidei, sed adinventio Diaboli. Nec sunt firmamentum, sed destructio animarum. Pro quibus omnibus & aliis, quos longum est scripto prosequi erroribus, nisi resipueritis & digne satisfeceritis, irrevocabile anathema hic & in futuro eritis à Deo, & ab omnibus Catholicis, pro quibus Christus animam suam posuit.

Explicit Responsio.

SÆC. XI. ANNO 1054.

INCIPIT
CUJUSDAM NICETÆ
*PRESBYTERI ET MONACHI
MONASTERII STUDII LIBELLUS,
CONTRA LATINOS EDITUS,
Et ab Apocrisariis Apostolicæ sedis Constantinopoli repertus.

* Pectoratus dicebatur. BASN.



NICETA Presbyter & monachus monasterii Studiorum, qui prænominor Pectoratus: Romanis de azymis & Sabbatorum jejuniis, & nuptiis Sacerdotum.

Bona est dilectio ad proximum: ô omnium gentium sapientissimi & nobilissimi Romani. Ex habitudine enim dilectionis ad proximum, & humilitas abundat ad eum qui habet illam. Ipsa autem abundans efficit participem sui, omnia diligere, omnia sustinere, ut ait divinus Apostolus, & non inflari adversus proximum suum aliquando, neque ea quæ ipsius solius sunt quærere, aut zelum habere adversus eum & altercationem & æmulationem, Omnia enim hæc dilectionem persequuntur & humilitatem, & faciunt hominem non secundum Deum ambulare, sed secundum hominum libitum. Quod & Paulus arguit dicens: *Cum sit inter vos zelus & contentio & discordia, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Propter quod rogo vestram charitatem, humiliari vos propter Dei præceptum, & audire à nobis indignis & minimis.

1. Cor. 13.

1. Cor. 3.

Panis fermentatus azymo est perfectior.

Requirentes enim ab illis qui ex diversis Provinciis Romanorum peregrinantur hic de azymis, quid dicemus de his in dilectione Christi ad vos? Qui azymorum adhuc participant sub umbra legis sunt, & Hebræorum mensam comedunt, non autem rationalem & vivam Dei mensam, & nobis qui credidimus supersubstantialem, quemadmodum superius exigere supersubstantialem docti sumus panem. Quid enim est supersubstantialis, nisi quia nobis est consubstantialis? Alter autem nullus est nobis consubstantialis panis, sed corpus Christi, quod consimile nobis est secundum carnem humanitatis ipsius. Si autem animata est nostræ massæ substantia, qua verbum induit se: Ergo non consubstantialem nobis panem comeditis, quia azymorum participamini. Azyma enim inanimata sunt, sicut ipsa rerum natura declarat atque liquidius edocet. Intermixtum enim modicum fermentum in farina & commixta sibi, ipsa unam efficit seipsam propter fermentum, vivifica quadam virtute, & calefacit eam, & mobilem quasi vivam operatur. Quod in azymo fermento Pharisæorum, quod effugere nos sermo admonet, neque effectum est aliquando, neque fiet omnino. Divinæ enim effecti sumus participes naturæ, cujus & participamur quotidie, qui communitatem habemus cum Christo, sicut dicit & Petrus vertex: *Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei, & Jesu Domini nostri:* Et post pauca: *Ut per eam efficiamini divinæ participes naturæ*, non autem fermento azymi interfectorum Dei. Divinam autem naturam, quisquis rationis est dominus, dicet aliquando azymum, & mortuum fermentatum Judæorum, quod in sacrificio vos Deo offertis, quod in figura veræ & vivæ carnis Domini comeditis? Quomodo unitatem habebitis cum Christo, vivente Deo, mortuum ut dictum est, & infermentatum fermentum comedentes, legis umbræ, non

Matth. 16.

2. Pet. 1. Ibidem.

non novi Testamenti? Si enim & hoc dixeritis, sed non sic se habet. Inquit enim dilectus Christi discipulus: *Si dixerimus quia communitatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem: Si autem in lumine ambulamus sicut ipse est in lumine, communitatem habemus adinvicem, & sanguis Jesu Christi purificat nos ab omni peccato.* Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat. Et quomodo habebit societatem cum Christo, qui est in lumine Novi sui Testamenti & gratiæ? Nam qui in lumine ambulant gratiæ, panem comedunt qui est corpus Christi: & bibunt sanguinem immaculatum ejus, & ita habent ad invicem, & cum Christo societatem, purificati sicut dictum est, ab omni inquinamento. Azymum autem non est panis: Neque enim compositus, neque per se ipsum perfectus est, sed indigens, semiqueperfectus indigens plenitudine fermenti. Panis autem compositus, per seipsum perfectus est, & plenissimus, sicut ille qui totum habet in seipso plenitudinis.

SÆC. XI. ANNO 1054. 1. Joan. 1.

Animadvertite & attendite, quia in azymis nulla est vivens virtus, mortua enim sunt; in pane autem, hoc est, corpore Christi, tria sunt viventia, & vitam præbentia eis, qui ea digne comedunt: Spiritus, aqua & sanguis, ceu & ipse, qui super pectus Christi in cœna recubuit Joannes, contestificatur in eo verbo: *Tres sunt qui Testimonium dant, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres in uno sunt,* videlicet in corpore Christi. Quod & secundum tempus Dominicæ Crucifixionis declaratum est, cum aqua & sanguis ex immaculata costa ipsius effluxit: lancea percussa carne ipsius, sanctus Spiritus vivificusque in Deificata carne ejus permansit. Quam comedentes in pane, qui immutatus est per Spiritum & effectus est corpus Christi, vivimus in ipso, tanquam vivam & Deificatam carnem edentes. Sic autem & sanguinem vivum & calidissimum ejus bibentes cum effluente aqua ex immaculata costa ejus, mundamur ab omni delicto, ferventi replemur Spiritu. Calidum enim, ut videtis, velut ex latere Domini calicem bibimus, quia ex viva carne & calida spiritu Christi calidissimus nobis sanguis & aqua emanavit. Quod in eis qui azyma comedunt, nequit fieri.

1. Joan. 5.

Si autem mortuum fermentum comeditis, ô sapientissimi, ut sermo declaravit, cujus rei gratia gloriamini dicentes: *Quia non sicut vos sale & fermento atque aqua farinam temperamus, & sic facimus oblationem azymorum nostrorum, sed aqua sola & farina & igni azymum conficimus, & in tribus his puram facimus nostram oblationem.* Percontamur igitur vos, hæc tria, aquam & farinam & ignem ad quid accipitis, & cui effigiem esse hæc æstimatis? Carnis Domini? Sed non inquit dilectus Christo Joannes, *Tres sunt qui Testimonium perhibent,* aqua & farina & ignis. Sed quid? *Spiritus & aqua & sanguis, & hi tres in uno sunt,* videlicet in corpore Christi, ut dictum est, quod nos comedentes unimur incarnato propter nos & immolato Christo incorporati, & velut caro ejus sumus ex carne ipsius, & os ex ossibus ejus, sicut scriptum est. Si autem ad increatam & incorpoream naturam sanctæ Trinitatis assumitis: erratis cadentes in hæresim eorum, qui asserunt Deum passum, qui dicunt compassum verbum carni, & eandem ipsam deitatem sustinuisse passionem. Non enim pariter Trinitas incarnata est, Pater & Filius & Spiritus sanctus, ut conspiciantur in ea hæc tria, aqua ut dicitur, farina & ignis, & ut in figura ipsius faciatis azymum & sacrificium offeratis, sed unus ex Trinitate Filius, & Verbum Dei incarnatum est, ex castissimis sanctæ Virginis carnibus homo effectus, & omnia ordinationis suæ perficiens, crucifixus est carne, non passa divinitate ipsius. Carne igitur crucifixus tradidit nobis edere per panem, carnem suam, quam in Spiritu sancto ita vivam dicimus: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis fractum est, in remissionem peccatorum.*

1. Joan. 5.

Ephes. 5.

Quid ergo vobis in Christo fratribus nostris & legi quæ maledicta est in Christo? quoniam adhuc azymum fermentum ejus comeditis? nova creatura sumus in Christo. Vetera transierunt: Paulum audite dicentem: *Ecce facta sunt omnia nova.* Si autem hæc comedere decernitis justum: cur non & circumcidimini? Christus circumcisus est, cur non & purificamini? Paulus etiam & hoc fecit: & alia etiam omnia similiter servate veterum, sicut & hi, ea quæ legis sunt faciunt, per quos nomen DEI in gentibus blasphematur, sicut est scriptum: *Non bona est gloriatio vestra,* ut & ego quæ Pauli sunt loquar ad vos: *Nescitis,* inquit: *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Et panis tandem, non azymum efficitur. Sed quid hic dictus Apostolus scribit ad Corinthios? Nunquid ut vos æstimatis, de celebratione, quam vos in azymis celebratis? Nequaquam. Sed quoniam illi hoc despiciebant, quod aliquis novercam acceperat, & in antiquis consuetudinibus falsæ scientiæ suæ gloriabantur, volens autem eos converti Paulus & ex vetere removere malitia: venit per similitudinem hanc, fermenti dico & massæ, ostendit eos, quoniam unum malum tanquam modicum contemptum,

2. Cor. 5. Rom. 2. 1. Cor. 5.

SÆC. XI. ANNO 1054. temptum, magnam in toto corpore Ecclesiæ faciet læsionem. Propterea inquit adjiciens: *Et non luctum habuistis, ut auferatur de medio vestri, qui hoc opus operatus est?* Potest enim, inquit, iniquitas ista ad omnes vestras urbes transire, & tanquam modicum fermentum totam massam fermentat: sic omnes apprehendi & fermentari, & unam massam majoris iniquitatis operari. *Expurgate*, inquit: *vetus fermentum*, peccati: Tollite hunc à medio vestri: ut efficiamini Christo nova conspersio, sicut estis baptisati, id est, vel azymi vel puri: mortificati mundo & desideriis carnis. Etenim Pascha nostrum hoc est, quoniam ut eriperet nos ex iniquitate ac morte, immolatus est Christus. Qua de re sic ait: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis:* hoc est, puræ vitæ & fidei, qua in Deum credimus & veraces oratores ejus efficimur. Sic magnus Gregorius Theologus hoc verbum accepit, ô sapientissimi, ea quæ mentis Apostolicæ sunt intelligite, & non quemadmodum hoc vos accepistis, de azymorum festivitate & participatione. Si enim de azymis & de celebratione eorum Corinthiis Paulus præcepisset, & eos in azymis epulari jussisset, non promulgasset cum undecim, & omnem reducens Ecclesiam fidelium in ordinem, in septuagesimo Canone, cum excommunicatione præcepisset omnibus, hujusmodi causam à Judæis nullatenus accipi: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino ex numero Clericorum jejunaverit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festivitatum eorum munera, ut sunt azyma, aut aliquid hujusmodi, deponatur: Si autem laicus, sequestretur.*

Ibidem. *Ibidem.* *Ibidem.*

Si autem dicitis: Quia ab Hebræis non accipimus, sed domi facere consuevimus, cur hoc? sive ab illis accipiatis, sive domi faciatis, azyma sunt. Et juxta hoc graviorem pœnam habebitis, quoniam relinquitis agere, quæ jussa sunt vobis à Christo & Apostolis ipsius: facientes velut illi, qui sub servitute legis sunt, qualia Judæi faciunt in umbra & tenebris legis sedentes, nullatenus dicenti Paulo credentes: *Fratres unusquisque in eo ordine quo vocatus est, in ipso permaneat.* Non enim invenietis omnino in divina Scriptura, quoniam azymum dictum sit à Christo aut Apostolis ejus, cum administraretur ab illo novi Testamenti mysterium. Paulus enim Corinthiis scribens dicit: *discernere vos oportet calicem benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus. Etenim omnes ex uno pane participamur. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,* & non azymum, *& benedicens fregit & dixit: accipite & comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Et non semel dixit panem, sed etiam sæpe. Non hic solus dixit, sed & cæteri Apostolorum, & Matthæus quidem ait: *Cœnantibus autem illis atque comedentibus accipiens Jesus panem:* Aspicis panem, & hic inquit, *& benedicens fregit, & dedit discipulis suis & dixit: sumite & comedite, hoc est corpus meum.* Similiter autem & hoc Marcus inquit, & reliqui: & nequaquam azymum ab eis commemoratur.

1. Cor. 7. *1. Cor. 10.* *1. Cor. 11.* *Matth. 26.* *Marc. 14.*

Quoniam quidem oportebat pati Christum secundum diem legalis Paschæ, in qua & agnus ab Hebræis immolabatur. Oportuit enim fieri Pascha ab interfectoribus Dei in sexta feria, in qua tandem & quarta decima Luna erat juxta primum mensem, in quo contingit evenire VMDXXXIV. annos: Cyclus enim solis erat XVIII. & V. ut non adhuc traditus prævenisset proprium Pascha discipulis tradere: recumbens in cæna secundum vesperum quinti diei; Postquam cænavit, accepit panem, fregit, tradidit Apostolis mysterium novi Testamenti in nocte quinta, in qua traditus est à Juda: Sicut scriptum est. Sed quid dicit Lucas Apostolus? *Accepit panem & benedicens fregit.* Ecce & Lucas accipere panem Christum dixit, & non azymum. Non enim adhuc erat sextæ feriæ dies. Tertia decima erat Luna in illa quinta feria, & non erat azymum, neque adhuc ablatio fermentati.

Luc. 22.

Azyma enim in quinta decima Luna promulgata erant in lege, ut in quarta decima die ad Vesperam agnus immolaretur, & in quarta decima die Lunæ primi mensis Pascha appellaret lex, quintam decimam diem primum azymorum & Sabbatum nominaret. Prô dolor insipientiam illiteratorum. Et non erat azyma in quinta feria, cum esset Luna tertia decima, & non quarta decima. Secundum quintam decimam Lunam fuerat institutum azyma fieri, sicut & agnus ad vesperam quartæ decimæ diei jussum est immolari, secundum quam immolatus est Christus, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Si autem Christus immolatus est, & crucifixus in decima quarta die Lunæ, feriæ sextæ, in Sabbato autem erat festum azymorum, quando azyma comedit?

dit? etiam Apostolis sic facere in novo Testamento tradidit: Quomodo dicitis ab Apostolis accepisse vos facere azyma jam post resurrectionem à mortuis? Non videtis quia manifeste ex rebus arguimini, quoniam non tunc azyma, cum mysteria novi Testamenti traderet Apostolis Christus? SÆC. XI. ANNO 1054.

Ostendam vobis hoc ex legislatione Moysi: Loquitur enim: *Hæ sunt festivitates Domini & ipsæ sanctæ quas vocabitis in temporibus suis, in primo mense in quinta decima die mensis hujus festum azymorum Domino: & in quarta decima die mensis intra medium ad vesperum erit Pascha Domino: & in quinta decima die hujus mensis festum azymorum Domino. Septem enim diebus azyma comedite.* Ecce enim ex legislatione Moysi didicistis, quoniam non tunc azyma, quando post cænam secundum diem quintæ feriæ Christus tradidit per fractionem panis novi Testamenti mysterium. Ante festum autem azymorum hoc fecit, cum esset tertia decima dies mensis. Quinta decima enim die mensis, ut legislatio habet Moysi, erat festum azymorum. Et Christus in feria sexta crucifixus, secundum quartamdecimam diem mensis, quando debebant Judæi immolare agnum: Sabbato autem secundum quintamdecimam diem mensis, cum esset festum azymorum, in sepulchro jacuit sepultus. Azyma ergo dum non essent ante festum azymorum in toto anno ipso: Septem enim diebus comedebant azyma Judæi, ceu instituit Moyses: in quintadecima die primi mensis incipientes festum horum; ubi reperta sunt azyma, quando cum discipulis suis cænam comederet Christus? Si enim sicut dicitis, à Domino Apostoli acceperunt azyma, & illi iterum tradiderunt vobis hæc in figura corporis Christi in mysterium novi Testamenti: dum nec ablatio panis fieret secundum constitutionem Moysi, neque erant tunc azyma, ubi reperta sunt? Quomodo obliviscimur legislationum Moysis? Septem namque solis diebus facere tradidit vobis. Sed vos in toto anno conculcatis instituta Moysis. Et Christus non venerat solvere legem, sed adimplere.

Levit. 23.

Valde enim veritati obsistitis, fratres. Si enim traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma: quomodo Agathon sanctissimus Papa vester, præsessor cum esset sextæ Synodi sub Constantino Imperatore, & divinus Gregorius Agragantinorum Episcopus non abstinuere: cum sicut hujus Synodi divini Patres adversum azyma legem constituissent, à nemine fidelium hoc fieri? Et ut ostendam vobis horum legislationem contra azyma, adjicio rationi, & canonem ipsorum sic habentem in undecimo capitulo: *Nemo in Sacerdotali constitutus ordine, aut laicus, ea quæ apud Judæos sunt azyma comedat, aut cum eis cohabitet, aut in infirmitatibus invitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eo lavetur. Si quis hoc agere initiaverit: siquidem Clericus fuerit, deponatur, si autem laicus, sequestretur.* Qui azymum conficit & comedit, & si non acceperit hoc à Judæis, sed imitator fuerit in hoc, ut Judæus intelligit, & extra legem est, quemadmodum & si circumciderit quis seipsum, aut à Judæis circumciditur, simul & in scientia est illis, Canonesque & instituta Apostolorum, sanctorum Patrum transgrediens, & irrita omnia facit, ut ratio nostra demonstravit. Sed de azymo sufficienter vobis quod prohibitum sit ab omni Scriptura divina demonstravimus.

Age nunc quia cetera demonstravimus vobis, & subito memoriæ suggestum est vobis de Jejunio Sabbatorum, quoniam insultatis nobis: Unde jejunare Sabbata, ex qua sancta Scriptura accepistis? Ab Apostolis? Nequaquam. Apostolorum vertices in quinto quidem libro ordinationum, qui de Martyribus inscribitur, juxta Clementem, *Quartam feriam & sextam, præcepit nobis jejunare Dominus. Unam quidem propter traditionem, alteram propter passionem. Ipsum autem jejunare Sabbatum, non tradidit nobis jejunare, quoniam non oportet, propter illud solum, in quo Creator omnium sub terra fuit.* Unde juxta calcem ejusdem libri, iterum sic loquitur: *Omne quidem Sabbatum & omnem Dominicum celebrandum esse dicimus. Gaudere enim oportet in his & non lugere.* Septimo quidem libro earum constitutionum juxta vicesimum quartum caput hoc inquiunt: *Sabbatum namque & Dominicum celebramus, quia illud quidem divinæ operationis est memoria: hic vero resurrectionis. Unum vero tantum Sabbatum custodiendum est in toto anno Sepulturæ Domini: quo jejunare oportet. Quando enim Christus in sepulchro jacuit, discipuli potentiorem circa eum fletum habebant, quam gaudium ex memoria divinæ operationis.* Veruntamen hæc mystice per Clementem Papam constituentem, non steterunt hic, sed scientes magnam damnationem esse jejunare Sabbata, excommunicatione valida, ligant ex hoc Ecclesiam. Dicit enim in sexagesimo quarto Canone. *Si quis inventus fuerit Dominicum diem jejunans, aut Sabbatum, præter unum solum, deponatur. Si autem Laicus, sequestretur.*

Hoc autem exsequentes & qui in sexta Synodo Patres, convenienter huic sic promul-

Sæc. XI. Anno 1054.

mulgant sancte, præsidente Synodo Agathone Papa Romæ, & Gregorio cum eis Agrigantinorum Episcopo præsente. *Quoniam quidem discimus eos qui in Romanorum urbe sunt, in sanctæ Quadragesimæ Jejuniis eadem Sabbata jejunare extra traditam sibi Ecclesiasticam consequentiam: placuit sanctæ Synodo observare Romanorum Ecclesiam immobilem Canonem dicentem: Si quis Clericus fuerit inventus*, & cætera quæ deinde scribit. Hæc igitur, sicut cernitis, Apostolicis constitutionibus & Canonibus fidelium Ecclesiam ligat cum Papa Romæ Agathone. Vos unde aliter & ex quo jejunare Sabbata accepistis? Quin etiam oblationem perfectæ Missæ per omnem diem facere in sacris diebus jejuniorum, sive Sabbato sive Dominico die: unde assuevistis? & à quo Doctore accepistis? Ex Apostolis? nullatenus. Apostoli enim ex hoc posuere Canonem sic loquentem: *Si quis Episcopus aut Presbyter vel Diaconus aut Lector aut Cantor, sanctam non jejunaverit Quadragesimam, quartamque & sextam feriam, deponatur, nisi infirmitate corporis impediatur.* Ministrantes ergo atque complentes ministrationem sanctæ Missæ secus tertiam horam diei, in qua & promulgatum est offerri sacrificium: quomodo jejunium usque ad horam diei nonam observatis? solventes hæc in tempore ministrationis Missæ? Nequaquam. Si autem hoc impossibile est, maledictione plectemini.

Qui in Gangreno fuere Patres Concilio cap. 19. talia effantur: *Si quis continentiâ sine corporali necessitate elatus fuerit & constituta jejunia in commune & observata ab Ecclesia dissolverit, præsumendo sibi perfectam rationem, anathema sit.* Similiter Patres qui in Laodicensi fuêre Concilio, secundum quinquagesimum Canonem sic effati sunt, *quia non oportet in Quadragesima Martyrum natalitia celebrare, sed sanctorum commemorationem facere in Sabbatis & dominicis diebus.* Et juxta Quadragesimum octavum Canonem item ajunt ipsi: *quod non decet in Quadragesima panem offerre, nisi in Sabbato & Dominico solo.*

Et qui in sexto universali Concilio convenerunt Patres similiter juxta quinquagesimum secundum Canonem sanciunt cum sanctissimo Agathone Papa dicente sic: *In omnibus sanctis Quadragesimæ jejuniorum diebus, sine Sabbato & Dominico die, & sine sancto annuntiationis die, fiat Missa ex antesanctificatis oblationibus.* Sic ergo accipientes nos Sabbato & Dominica die, secus tertiam diei horam, in qua & Spiritus sanctus descendit super discipulos, immolantes: in ipsis sanctificamus munera, ex quibus sufficientia in tota hebdomada conservamus. In aliis autem diebus hebdomadis juxta tempus horæ nonæ diei concludentes omnem ministrationem in consummationem Completorii, agimus nos Sacerdotes cum Diaconibus ingressum, thuribulum solum ferentes. Et post lectionem Prophetarum constitutas orationes à magno Basilio facientes, & munera transferentes appositionis altario & orantes cum ipsis. Insuper autem & traditam nobis à Domino orationem dicentes, exaltamus præsanctificatum panem, & damus præsanctificata sancta Sanctis, & uniti communione pane & calice mysteriorum Christi. Et ita agentes gratias Deo, linquimus eos atque dimittimus ex congregatione, sumentes nos communem mensam per folia & legumina, & calidam aquam qui voluerint. Sunt autem & alii qui sola communione & benedictione per totam perseverant hebdomadam. Vos autem referentes per unumquemque diem perfectam in Quadragesima ministrationem, quæ congrua est juxta tertiam horam diei offerri, positos transgredimini Canones Ecclesiæ. Et in hoc maledictioni Patrum subjacetis, sicut dictum est.

Cælibatus sacerdotum impugnatus.

Quis ille est qui tradidit vobis prohibere, & abscindere nuptias Sacerdotum? Quis ex doctoribus Ecclesiæ hanc vobis tradidit pravitatem? Siquidem nisi nupserit, manus impositionis accipiet. Et ita ad nuptias ruit, qui ordinatus est innuptus, legitime. Hoc & secundum Canones facitis, hujusmodi nuptias prohibentes? Si autem ante habuerit uxorem ille qui ordinandus est Sacerdos, perseveraveritque in castitate magnaque vita, nuptias ejus solvitis, transgredimini, ut ex præcepto Apostolicorum Canonum ostendam vobis. In sexto enim libro Clementis ordinationum quæ ab eo conscriptæ sunt, juxta septimum decimum caput Apostoli hæc dicunt: *Episcopum & Presbyterum & Diaconum dicimus, qui unam habent uxorem, ordinari, quamvis vivant eorum conjuges, quamvis defunctæ, non licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint, alteras amplecti, sed sufficere quas habent cum ad ordinationem venerunt.* In quinto sanctorum Canonum ita fatur in 2. cap: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem suam non abjiciat obtentu religionis: Si autem abjecerit, sequestretur. Perseverans autem deponatur.* In quadragesimo vero Canone, inquiunt palam: *Propriæ Episcopi res:* Et post pauca: *Ne occasione Ecclesiasticarum rerum cadere Episcopum ab eis, quæ sunt Episcopi, in mulierem & pueros & propinquos, ne per occasio-*

tasionem eorum, ea quæ Ecclesiæ sunt subtrahat. Et deinde. *Siquidem sunt qui prohibeant Sacerdotes legitimis conjugibus.* Non ita vertices Apostolorum exposuerunt Ecclesiasticos Canones. Si autem dicis mulierem Ecclesiam dixisse Apostolos: tunc infidelis apparebit sermo tuus & vacuus, cum sacris Canonibus ipsorum, qui à nobis prædicti sunt, non abjicere Episcopos & Presbyteros occasione religionis, uxores sanxerunt, & ut caderent res Episcoporum ex potestatibus eorum propter filios & mulieres ipsorum.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Si autem aliquis dixerit de sancta & universali Synodo, quod Papam Romæ sanctissimum Agathonem, ut sæpissime diximus, præsessorem habuit, ipsa centum septuaginta Patrum, sub Constantino Imperatore, Nepote Eraclii & Patre Justiniani: Quomodo non obstitit divinus Agathon sanctæ Synodo sancienti adversus hos impios quos usque nunc habetis? Si vero ab Apostolis haberetis has traditiones, obsisteret forsitan, & non suscepisset hæc, quæ apud nos ab ea promulgata sunt. Papa cum esset vester, quoniam adulteras cognoscebat traditiones ipsas & extraneas ab Apostolorum doctrina: propterea pariter cum Patribus sacræ sextæ Synodi, sicut de azymis & jejuniis Sabbatorum & sacræ Missæ mysteriis, sic & de nuptiis Sacerdotum promulgavit dicens in decimo tertio capite: *Quia in Romanorum Ecclesia in ordine Canonis tradi cognovimus, præsentes Diaconi aut Presbyteri dignas fore manuum impositiones confiteri, ut non amplius à suis disjungantur conjugibus: Nos antiquum exequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ & ordinationis: sanctorum virorum copulationes secundum legem & à modo valere volumus, nullatenus à conjugum copulatione dissolventes aut privantes eos ab invicem, secundum tempus congruum locationis. Quia vero si quis dignus inventus fuerit, manus impositione Diaconus vel Subdiaconus aut presbyter, hic nullatenus prohibeatur ad hujusmodi gradum ascendere, conjugi cohabitaturus legitime: neque in tempore ordinationis exigatur confiteri ad legem propriæ locationis propter propriam uxorem.* Et post pauca: *Si quis ergo præsumpserit extra Apostolicos ordines motus quendam sacrorum Presbyterorum & Diaconorum privare à copulatione legitimarum mulierum, à communione sequestretur. Similiter si quis Presbyter aut Diaconus collactaneam suam occasione religionis projecerit, separetur: perseverans autem deponatur.*

Unde igitur vobis, & ex quibus hæ horribiles infirmitates supervenerunt ô viri Romanorum sapientissimi, & omnium aliarum gentium nobilissimi? Æstimo quod quidam ex Judæis in tempore Apostolorum credentes, vana lucra cupientes, & pecuniarum amatores reperti, volentes multos fidelium abstrahere ex Evangelio: hoc est: ex fidei prædicatione, corruptis dum prædixissent eis, in hoc & Christianitas & Judaismus corrupta sunt. De quibus Joannes fatus est: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*, de his qui circa Simonem & Deman, Nicolaumque & Cleobium subtexendo. Reliqui autem verticum in septimo libro institutionum juxta sextum decimum caput liquidius dixerunt: *Scimus enim*, inquit, *quia hi qui circa Simonem & Cleobium & Judam, conscripserunt libros in nomine Christi & discipulorum ejus, circumferunt ad seductionem vestram, & eorum qui diligunt Christum, & nos servos ipsius.* Et in veteribus quidam conscripserunt libros apochrifos Moysi & Enoch & Adam, Esaiæ & David, & Heliæ, & trium Patriarcharum, corruptiones facientes atque veritatis inimicos libros. Sed & Paulum Domini Apostolum hæc præscientem, ut æstimo, sic ad vos ascendisse hujusmodi seductores, dolum texentes vobis, Philippensibus scribit: *Videte canes, videte malos operarios, videte abscissionem:* Et Timotheo iterum: *In ultimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus & doctrinis dæmonum, in hypocrisi loquentium mendacia, & incedentium propria conscientia, impedientium nubere, & abstinere à cibis quos Deus creavit.* Et ea quæ exinde. Propter quod & Tito præcepit: *Argue eos*, inquit: *duriter, ut sani sint in fide, non attendentes Judaicis fabulis & præceptis hominum subvertentium veritatem.*

1. Joan. 2. Philip. 3. 1. Tim. 4. Tit. 1.

Quamobrem diligentissimè inquisivimus de cætero circa hæc ô fratres, ne aliquando ex his quæ dicta sunt & redarguta vobis mendacia, dico nunc azyma, Sabbatorum jejunia, nuptias Sacerdotum, & in jejuniis oblationes accipiatis: sed scientes nunc, quod primum est eorum, ex omni à Deo inspirata scriptura: fugite quæ hujusmodi sunt actitare, cum sitis Ecclesia Dei & totius orbis semper splendidus oculus, aut uniti nobis vestris confratribus: quos per jam dicta scidistis, cum sitis corpus Christi: revelata facie gloriam Domini in concentu & unitate cum orthodoxa fide conspeculemur, & imaginem ejus transformemus in nobis, viva demonstratione, & ipsius ad gloriam sempiternam, sicut à Domini spiritu, quoniam ipse est caput nostræ Ecclesiæ corporis: & in eo sicut in uno corpore, omnes nos conjungimur.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Hæc vobis Romanis. Si ergo possimus vos cum sitis homines, ad credulitatem nobiscum reducere per ea quæ diximus, & docendo vos ex divina scriptura arguimus; gratia Dei, & vobis scientibus bene Spiritui sancto credere & prosequi rationem jam dictam ex scripturis. Si vero aliter tenetis, date nobis testimonia ex divina scriptura consistentia: in quibus volo benevolos vos esse, ut super sedes intelligentiæ requiescatis, & nos scientes obedire in ennarrabili rationi spiritus, docere omnia quæ ad vos scripsimus. Salutamus vos in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria & potentia, cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Finis libelli Nicetæ Presbyteri & Monachi monasterii Studii, contra Latinos.

INCIPIT RESPONSIO SIVE CONTRADICTIO IN EUNDEM LIBELLUM A FRATRE HUMBERTO EPISCOPO SYLVÆ CANDIDÆ.



SI diligenter sanctæ Calcedonensis Synodi quartum considerasses caput, quiete monastica & jejuniis atque orationibus in monasterio tuo contentus, nequaquam Ecclesiasticis rebus communicasses, nec importunitatem intulisses. Quapropter sexcentorum triginta patrum, concordi decreto à communione es suspensus, ne per te nomen Domini blasphemetur. Decet enim unamquamque professionem se sub mensura sui habitus & gradus cohibere: ne conturbet Ecclesiastici dogmatis ordinem totum, dum non suo contentus officio, præripere quærit alienum. Sed væ tibi Sarabaita, qui nulla cænobitali examinatus disciplina, voluntate atque voluptate ductus propria, contra sanctam & Romanam & Apostolicam Ecclesiam & omnium sanctorum patrum Concilia horribiliter latrasti, stultior asino, frontem Leonis, & murum adamantinum frangere tentasti. In quo utique conatu, non es victor erroris, sed victus errore: nec presbyter, sed inveteratus dierum malorum, & puer centum annorum maledictus. Potius dicendus Epicurus, quam Monachus. Nec credendus es degere in monasterio Studii, sed in Amphitheatro aut Lupanari. Qui etiam vere prænominaris Pectoratus, quoniam cum serpente antiquo super pectus tuum graderis. Quod sicut quidam Patrum dixit: *Quicumque vult intrat & solvit asinum:* Ex abundantia enim cordis os loquitur. Deinde detestabilior omni veneficio, labia mortiferi poculi melle charitatis & bono odore humilitatis imbuens, ex prædictis virtutibus delectabile exhibuisti procemium: ut prægustata dulcedo faceret incunctanter absorberi fel draconum & reliquum veneficium. Sed væ ei qui potat amicum suum potione turbulenta. Quam ideo necessariam duximus subtiliori linteo colatum ire, ut modus concinnationis ejus, & potentia aliquatenus possit deprehendi, & deinceps caveri, quia ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.

Ecce

Ecce in ipso livoratus tui vestibulo tria proposuisti; de azymo scilicet, de Sabbato, & de Sacerdotum nuptiis. Ex quibus tot & tanta evomuisti, ut in pervertendo divinas sententias non inferior videaris perversis & rabiosis canibus Juliano & Porphyrio. Denique divini eloquii scalam ad cœlos subrectam, quantum in te fuit, retorsisti ad inferos, ne cum Angelis scanderes ad Catholicos, sed cum Apostatis descenderes ad hæreticos. Inde est quod sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis sacrificio detrahens falsissime definivisti nos mensam Judæorum comedere. Quod satis ostenditur in superiori nostra narratione, ubi commentis complicum tuorum, Michaëlis scilicet Constantinopolitani & Leonis Acridani voluimus obviare. Nec est necesse eadem nos totiens repetere. Quia stuppæ collectæ & paleæ conjectæ zizaniisque collectis una potest flamma sufficere. Unde ea tantum decrevimus leviter succendere, quæ solus videris plus illis congessisse.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Itaque quod dixisti consubstantialem & supersubstantialem idem esse, omnino est futile. Quia Dominus Jesus, quamvis nobis humanitate sit consubstantialis, divinitate tamen, qua est Patri consubstantialis, est nobis supersubstantialis: Sic & humanæ mensæ panes, licet sint consubstantiales sibi mensæ, tamen divinæ panis supersubstantialis est eis. Et ô mentite Deo & aperte impugnator sancti Evangelii, ubi & quando dixit veritas, veracis Patris Filius; *Cavete ab azymo fermento Pharisæorum?* Numquid *azymum* quolibet modo potest dici, *fermentum*, quando azymum dicatur, eo quod absque fermento sit? & ubicunque fermentum fuerit, necesse est ut aut fermentum efficiat, aut fermentum permaneat? Cum ergo fermentatum non sit sine fermento, nec fermentum aliquando possit esse sine ipso, quomodo saltem somniare ausus es, azymum fermentatum? Sed quamvis talia dicendo telas araneæ texueris, muscas & culices seu vermiculos aberrantes his irretire poteris: non autem columbas simplices & oves recognoscentes vocem sui auctoris.

Nicetæ terricres vani.

Deinde ô subverse subversor subvertere conatus sententiam Apostoli Joannis dicentis: *Si dixerimus quia societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & non facimus veritatem*, & ceteris nequius usus es hoc ejus testimonio, quam adulter oculo & latro ferro, quæ utique bona sunt. Illi enim lædere tentant aliquos: tu perdere cunctos. Unde & sic concludis. *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat.* Sed idem Joannes intentionem tuam enarrans, luce clarius demonstrat, quid dixerit, subjungens: *Qui odit suum fratrem, in tenebris est, & in tenebris ambulat.* Hic plane liquet, quod non ab Apostolo sancto, sed ab Apostata Angelo accepisti, ut diceres: *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat*, quia tota Epistola illa, nec fermentatum nec azymum commemorat, sed solum charitatem.

1. Joan. 1.
1. Joan. 2.

Post hæc non minori sacrilegio abusus alio testimonio ejusdem Apostoli dicentis: *Tres sunt qui Testimonium perhibent in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt*, perverse conaris ad panem mensæ Christi transferre, quod ille de baptismo ejus voluit intimare. In baptismo siquidem hæc tria sunt, & unum baptisma efficiunt. Et Spiritus quidem sanctificat, aqua abluit, sanguis redimit. Si quodlibet horum defuerit, baptismus non erit, sicut venerabilis Pater Augustinus ait: *Tolle aquam, non est baptismus, tolle verbum, non est baptismus. Sed accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Tu autem nequam Pectorate, nequiter interpretando & depravando sententiam recumbentis super pectus Jesu dixisti: *Et hi tres in uno sunt*, scilicet in corpore Christi, quod dilectus ejus, nec sensit, nec scripsit, sed, *hi tres unum sunt*, secundum superiorem de baptismo sensum.

1. Joan. 5.

Parva sunt hæc & pene nulla ad comparationem sequentis blasphemiæ, qua asserere laboras, quod tempore Dominicæ passionis & Crucifixionis, quando sanguis & aqua de latere ejus exivit, sanctus & vivificus Spiritus in deificata ejus carne remansit. Quod si constiterit, mortuus non fuit. Si mortuus non fuit, neque resurrexit. Si non resurrexit: inanis est fides & prædicatio nostra, quia nec nos resurgemus. Et sicut Apostolus ait: *Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Ut quid enim quotidie tanta patimur? Comedamus & bibamus: imo bestialiter vivamus, cras enim ut bestiæ moriemur. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores omnibus sumus hominibus: Sed absit hoc ab omni genere humano. Nam idem præclarus Evangelista, qui hoc ipsum præsens vidit, attestatur, carnem Christi vere exanimatam in cruce fuisse, dicens: *Et inclinato capite emisit Spiritum.* Porro Marcus & Lucas dicunt eum *expirasse.* Unde & in Symbolo confitemur *mortuum & sepultum:* Alioqui sepeliri non debuit, qui mortuus non fuit. Obmutesce canis, linguam canis improbe morde, Christus enim vere mortuus est propter delicta nostra, & propter justificationem nostram resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.

1. Cor. 15.
Joan. 19.

SÆC. XI. ANNO 1054.

Ecce pestifera doctrina, ecce Diabolica suggestio, cujus tu signifer effectus conaris opiniones & adinventiones tuorum contra traditionem Apostolicam & contra manifestam veritatem defendere dicendo: aquam calidam & sanguinem de vivo & calido Christi corpore exisse, & ideo Græcos aquam ferventem sanguine ejus jure miscere. Quod totum longe aliter est. Nam veraces Evangelistæ concorditer narrant Dominum nostrum hora nona in cruce mortuum, & sero à Joseph postulatum depositum de ligno & sepultum. Ipso enim emittente Spiritum velum templi & petræ scissæ sunt, terra mota, monumenta aperta, & multa corpora sanctorum resurrexerunt. In tanta itaque perturbatione & quasi naufragio totius Creaturæ, non solum latus Domini non fuit apertum lancea, sed etiam hi qui prius ei insultaverunt, & ad spectaculum illud convenerant; viso terræ motu & his quæ fiebant, pectus suum percutientes, revertebantur. Adeo ut ipse Centurio, cui traditus fuerat ad puniendum, diceret: *Vere Dei filius erat iste.* (Matth. 27.) At ubi tumultus mundi conquieverat, & securitas aliqua rediit, cum jam sero esset, Pharisæi rogaverunt Pilatum, ut propter solennem diem Sabbati, frangerentur Crucifixorum crura & deponerentur. Tunc quoque Joseph rogavit Pilatum, ut tolleret corpus Jesu. Pilatus vero mirabatur si jam obiisset. Et accersito Centurione, ubi cognovit Jesum jam mortuum, donavit corpus Joseph. Porro milites ad præceptum Pilati fregerunt crura prioris & alterius latronis. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua, quibus formaretur Ecclesia: quemadmodum ex costa Adæ dormientis formata est Eva. Ecce si hora nona obiit, & sero jam de cruce deponendus, lancea percussus fuit: Sanguis fuit ille, naturaliter calidus non fuit, toto corpore jam præmortuo & frigido. Quod si aliquo modo caluit: Evangelium quare tantum miraculum & Sacramentum tacuit? Unde vos novi Symmystæ volumus dicatis, an sanguis tantum, aut aqua tantum, an simul utrumque caluerit? Si sanguis tantum, quare aquam calefacitis; si aqua tantum, quare ex ea calefacitis sanguinem Christi? Si utrumque simul, quare utrumque simul non calefit? Sed cujus visu vel tactu potuit discerni, quodlibet horum duorum ex uno vulnere simul erumpentium, calidum aut frigidum fuisse? Præterea si aqua illa caluit, quare & aqua baptismatis non calefit, cum præcipue ipsa baptismum præfiguraverit, sicut sanguis redemptionem? Volumus autem scire, qua intentione costam Christi immaculatam dixerit? Si pro sanctitate & innocentia? optime. Si autem pro eo quod impenetrabilis ferro fuit? pessime: quia de vero vulnere verum, non phantasticum sanguinem pro nobis fudit. Et non de costa, sicut tu scribis, sed de latere, quia os sanguinem non solet emittere, nec os comminutum fuit ex Dominico corpore.

De azymo. Cæterum quod panis sit, & dicatur etiam azymus, & quod non cum Theupaschitis in sacra oblatione erremus, & quod non azymum veteris legis, sed sinceritatis & veritatis comedamus, quodque vetera transierunt, & facta sunt nova, satis ostenditur in alia nostra Epistola.

Tu vero maledicte & maledictus sermo oris tui, sanctam legem, sicut Severianus, maledictam dixisti. Nec mirum, cum etiam panem tuum laudare supra modum cupiens, nimium vituperasti illum dicens: *modicum fermentum totam massam corrumpit, & panis tandem, non azymum efficitur.* Deo gratias, quia azymum non efficitur de massa fermento corrupta, sicut tuus panis. Nam corruptio nunquam & nusquam in bonum accipitur: quia ubicumque corruptio, ibi etiam substantiæ deterioratio. Quin etiam cum exponeres sententiam beati Pauli, quam post tot orthodoxos patres, nobis nolumus ab hæreticis exponi, quamvis nolens azymum laudasti dicens: *Sicut estis baptisati, id est, azymi & puri.* Si ergo secundum tuam confessionem baptisati sunt azymi, quid sunt non baptisati, nisi fermentati, id est, corrupti?

Dic tamen ubi & quomodo Paulus cum undecim Apostolis Canones illos cum excommunicatione exposuit, quorum tu nobis Septuagesimum caput objicis? omnino nesciens quid loquaris? *Si quis*, inquiens: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, aut omnino ex numero Clericorum jejunaverit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festivitatum eorum munera, ut sunt azyma, aut aliud hujusmodi, deponatur: laicus autem sequestretur.* Etiam si hoc capitulum ex libris authenticis prolatum esset, nullo modo nos tangeret, quia nec cum Hebræis jejunamus, nec cum eis epulamur aut festivitatum eorum munera aliqua accipimus. Quod autem tu vesane subjungis: *Sive ab illis accipiatis, sive domi faciatis, azyma sunt.* Id jaculum tibi retorquemus dicentes: *Sive cum Hebræis Sabbato epulemini, sive domi, epulatio est.* Sane hoc dignius contra vos dirigeretur, quia vos nihil aliud in Sabbato quam solennitatem Judæorum,

dæorum, nos autem in azymo longe aliud Sacramentum retinemus & amplectimur. SÆC. XI. ANNO 1054.
Si enim interrogemus Judæos, quid celebrent in Sabbato? Respondebunt: *Requiem Domini*. Si Græcos? idem & non aliud dicent. Ergo sub servitute legis sunt. In cujus umbra & tenebris consederunt.

Deinde post inanes latratus super vocabulo panis, reduxisti nobis annos ab initio mundi, usque ad passionem Christi: quando secundum te Cyclus solaris erat XVIII. & Lunæ V: ut hoc saltem figmento, possis evadere cum fermento tuo, quasi juxta hanc supputationem tuam, occurrat in cæna Domini luna XIII. in qua nondum fermentum abjecerat plebs Hebræa. Sed nos choronographis & calculatoribus talia relinquentes, maxime cum apud Græcos & Latinos atque Hebræos diversæ de temporibus habeantur rationes: Hoc tantum dicimus, quia Christus nec unum jota aut apicem veteris legis resolvit. Unde & XIV. Luna ad vesperum quinta Sabbati Pascha celebravit, & mox eadem nocte comprehensus, crucifixus est quinta decima Luna, id est, sexta Sabbati, quæ specialiter dicebatur prima dies azymorum. Quamvis & in tota præcedente die, id est, quarta decima Luna fermentatum non appareret in omnibus finibus Israël. Nam & agnus cum azymis comedebatur. Quod si juxta tuam assertionem Christus Pascha fecit tertia decima Luna cum fermentato, dupliciter reus fuit: juste puniendus secundum Legem, quia Pascha fecit in tempore non suo, & quia cum fermentato. Quapropter mors ejus nihil nobis conferret, qui non pro nostris sed pro suis peccatis interiit, scilicet quia fuit transgressor sanctæ legis. Sed de his alias copiose disseruimus.

Deinde si exceptis septem diebus Judæi toto anno fermentatum, ut asseris, comedunt, quis convenientius debet argui, Ille qui minimo tempore eos imitatur in azymis; an ille qui toto anno in fermentatis? Absit tamen ut eorum carnalem ritum in aliquo imitemur.

Verum quoniam Labyrintheo errore duceris, ut nunc qua exibas intres, nunc qua intrabas exeas, iterum eandem viam teris dicens: *Si traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma, quomodo Agatho Papa vester, præsessor sanctæ sextæ Synodi, cum Gregorio Agragentinorum Episcopo & aliis patribus, contra azyma ne fierent legem statuit?* Audi. Stulte, vane, non tantum ab Apostolis, quantum ab ipso Domino nostro Jesu Christo traditum est nobis azyma, non de Phase Judaico comedere, sed de Pascha Christiano percipere.

Nec rei tenemur illo quod objecisti XI. cap. sextæ Synodi dicens: *Nemo in Sacerdotali constitutus ordine, aut Laicus ea quæ apud Judæos sunt azyma comedat, aut cum eis habitet, aut in infirmitatibus eos invitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lavetur. Si quis hæc egerit, siquidem Clericus fuerit, deponatur, si autem laicus, sequestretur.* Quis nostrum rogo azyma, quæ apud Judæos sunt, comedit? Quamvis enim reliqua capituli hujus observemus, illud tamen super omnia de azymis observamus.

Sed quid dices? Nonne magnus Basilius à Joseph Judæo medicinam multotiens accepit? tu autem sicut Diabolus Psalmum, ita exponendo capitulum subjunxisti: *Qui ergo azymum conficit & comedit, quamvis hoc non acceperit à Judæis, imitator tamen Judæorum est, sicut & is qui circumciditur.* Perdes Domine omnes qui loquuntur mendacium. Nunquid omnibus omnino Christianis interdicitur, ne aliquando alicubi azyma comedant, sicut interdicitur, ne se aliquando circumcidant? Quare hoc? quia in his imitantur Judæos? Concedimus tamen circumcisionem solum fuisse Judæorum: veruntamen azyma omnium gentium, quæ tu malitiose non solum à divina, sed à humana mensa omnino repellis. Sed quid facies ô fermentate? Judæi, ceu superius asseruisti, exceptis septem diebus toto anno fermentatum comedebant, & aliquando offerebant. Nunquid & hoc tolles hominibus?

Hinc videamus si non estis Sabbatiani, quos commemorant Patres sanctæ quintæ Synodi. Reprehendens enim nos cur jejunemus Sabbatis? dicis: *quarta & sexta feria jugiter jejunandum; una propter traditionem, altera propter passionem Domini, Sabbato autem nunquam nisi uno.* Et hoc asserere conaris ex apocryphis libris & Canonibus pari sententia sanctorum Patrum repudiatis. Nam Clementis liber, id est, itinerarium Petri Apostoli, & Canones Apostolorum numerantur inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis orthodoxis adjungenda. Unde nos quoque omne apocryphon abjicientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt ut lex Domini. Quapropter his omissis, in altera Epistola, vide quid senserint de Sabbato beati & antiqui Pontifices Romani, Sylvester & Innocentius, quorum sententiæ sententia Agathonis, quamvis sanctissimi nullatenus præfertur.

SÆC. XI. ANNO 1054.

tur. Sed absit ut aliquando contraria eis Agatho sensisset. Et tamen in hoc, sicut & in aliis falleris, quod eum præsessorem illius Synodi fuisse dicis: cum tantum legati ejus eidem Synodo præsederint. Cujus gesta hic summatim placuit inseri.

Tempore Constantini, filii Constantini Imperatoris, anno imperii ejus septimo decimo, Agatho Papa ex rogatu Constantini, Heraclii & Tiberii Principum piissimorum, misit in regiam urbem legatos suos. In quibus erat Joannes Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus, longe post Episcopus, pro adunatione facienda, sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissime suscepti, à reverendissimo fidei Catholicæ defensore Constantino, jussi sunt remissis disputationibus Philosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis de Bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum, quos petebant libellis. Affuerunt autem & Episcopi CL. præsidente Gregorio regiæ urbis præsule & Antiochiæ Machario. Et convicti sunt qui unam voluntatem & operationem astruebant in Christo, falsasse Patrum Catholicorum dicta per plurima. Finito autem conflictu, ea hora tantæ aranearum telæ in medium populi ceciderunt, ut omnes mirarentur. Ac per hoc significatum est, quod sordes hæreticæ pravitatis depulsæ essent. Et Gregorius quidem correctus est, Macharius autem cum suis sequacibus simul & prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro anathematizati: & in loco ejus Theophanius Abbas de Cicilia Episcopus factus. Tantaque gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, ut Joannes Portuensis Episcopus, qui erat unus ex ipsis, Dominica octavis Paschæ Missas publicas in Ecclesia sanctæ Sophiæ coram Principe & Episcopo ipsius urbis latine celebraret. Eo tempore Damianus Ticinensis Ecclesiæ Episcopus sub nomine Mansueti Episcopi Ecclesiæ S. Michaëlis, satis utilem rectæque fidei Epistolam composuit, quæ in præfata synodo, non mediocre suffragium tulit.

Recta autem & vera fides hæc est: ut in Domino nostro Jesu Christo sicut duæ sunt naturæ, hoc est, Dei & hominis, sic etiam duæ credantur esse voluntates sive operationes. Vis audire quod Deitatis est? *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus.* Vis audire quod humanitatis? *Pater major me est.* Cerne secundum humanitatem eum in navi dormientem. Cerne ejus divinitatem cum Evangelista dicit: *Tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

Joan. 10. *Joan. 14.* *Matth. 8.*

Hæc est sexta Synodus universalis Constantinopoli celebrata & Græco sermone conscripta, temporibus Papæ Agathonis: exequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis Apostolicæ sedis & Episcopis CL. residentibus: Qui omnes quidem hæresim damnaverunt. Tunc piissimus princeps Constantinus interrogavit eos, qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi ordinem teneret. Illi responderunt: *In calice Domini non debet solum offerri vinum, sed aqua mixtum. Nam si solum vinum offertur, sanguis Christi incipit esse sine nobis: Et si aqua pura offertur, sola plebs incipit esse sine Christo. Quando utrumque admiscetur, id est, vinum & aqua, tunc Sacramentum Spirituale perficitur. Oblatio vero quæ in sacrificium Altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere, sicut beata Virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit & peperit. Hinc in Ecclesia mos obtinuit, ut sacrificium Altaris non in serico aut in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini fuit in syndone munda sepultum. Sic & oblatio munda debet esse à fermento, juxta quæ in gestis Pontificalibus à beato Sylvestro legimus esse statutum.* Tunc placuit piissimo principi Constantino hæc traditio Apostolicæ sedis. Ecce istius & sex cæterarum Synodorum omnibus sanctis Patribus & Orthodoxis Imperatoribus, per omnia placuit fides & traditio Apostolicæ sedis. Et tu quis es, cui displicent? Sed volumus dicas: Videturne tibi congruum, ut omni quarta & sexta feria jejunes propter traditionem & passionem Christi, & propter sepulturam nullo Sabbato, nisi uno? Cum ergo omni Dominica celebres resurrectionem, omnique quarta & sexta feria jejunes propter traditionem & crucem; cur non & omni Sabbato propter sepulturam, cum de celebrando Sabbato nullam rationem teneas, nisi quam Judæi, scilicet quia in eo requievit Deus? Qui utique fatigatus non est verbo creans quidquid voluit: Sed in hoc nostram requiem præfiguravit. Quod si uno Sabbato in toto anno jejunandum est, propter sepulturam Christi, ergo & una quarta feria propter traditionem, & una sexta feria propter passionem, in toto anno est jejunandum. Una quoque Dominica propter resurrectionem celebranda.

Non autem mirum si Agathoni Papæ & sanctis Patribus sextæ Synodi vestra imputatis deliramenta, & quæ aut corrupistis aut finxistis capitula, cum etiam ipsi Domino Jesu & Apostolis ejus imputetis figmenta. Unde nos scientes sextam Synodum ad destruen-

destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas institutiones congregatam: Capitula quæ nobis sub ejus authoritate opponitis, omnino refutamus, quia prima & Apostolica sedes, nec aliquando ea accepit, nec observat hactenus: & quia aut sunt nulla, aut ut vobis libuit, depravata sunt. Depravastis Joannis Chrysostomi atque Gregorii Theologi aliorumque orthodoxorum Patrum dicta: & exhibuistis in eadem Synodo sexta. Nempe à prima Synodo Nicena usque ad hanc sextam trecenti & amplius anni dicuntur evoluti. Et quomodo in Nicena & reliquis quatuor Synodis universalibus nulla mentio fit de tam necessariis rebus? Nunquid usque ad sextam Synodum Græci & Latini rationem Missæ ac jejuniorum ignoraverunt? & per sexcentos & amplius annos à passione Christi in talibus erraruut? An forsan Græci hæc noverunt, & Romani ignoraverunt? Sed ex Missalibus Romanorum libris, ab omni Ecclesia Occidentali, antiquitus receptis, evidenter cognoscitur: Quam rationem jejunii & Missæ habuerint sub reverendissimis Pontificibus, Sylvestro scilicet auctore Nicenæ Synodi, Gelasio damnatore vestri Acacii, maximeque Gregorii Dialogo, compatre Imperatoris Mauritii. In cujus libris Missalibus omnis dies quadragesimæ habet specialis Missæ plenarium officium, & excepta Dominica, nullus dies ejus solvit susceptum jejunium, quam traditionem si temptasset Papa Agatho aliquatenus removore Romanis, non audiretur ab eis. Quia licet ipse magnus extiterit, præfatis tamen decessoribus suis sicut tempore, ita scientia & auctoritate minor fuit. Quamobrem caput quo asseritis eum promulgasse, ut si quis Clericus jejunaret Sabbatum præter unum, deponeretur, magis dicendum est Nazarenorum esse quam Apostolorum: Cherinti & Hebionis, quam sextæ Synodi & Papa Agathonis. Cui sane capitulo Epistola Pauli aperte contradicit, ubi ait: *Nemo vos judicet in cibo aut potu aut in parte diei festi, & Neomeniæ & Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Unde Romani proprio auctori & magistro gentium in fide & veritate obedientes, nulli Sabbato festum vel otium dependunt: sicut nec Neomenia, quia profecto Judaica sunt, & utique umbra futurorum.

Papa non infallibilis.

Coloss. 2.

Porro unde acceperimus omni die jejuniorum perfectam Missam facere, supra curavimus ostendere: nec timemus caput quod dicitis Apostolorum de his qui non jejunaverint Quadragesimam, quarta quoque & sexta feria, qua, excepta gravissima infirmitate, sollicite cuncti jejunamus diebus Quadragesimæ, adeo ut interdum decennes pueros nobiscum faciamus jejunare: nec solvimus per Sabbata Quadragesimalem abstinentiam, quam Dominus noster non solvit in quadraginta jejunii sui diebus. Nec solveremus etiam in die Dominica, quemadmodum nec ipse, nisi præ gaudio resurrectionis ejus hoc interdixisset ab initio omnium Catholicorum Patrum sententia, etiam cum anathemate. Quos secuti sancti Patres Gangrensis Concilii dixerunt: *Si quis non dijudicans diem Dominicam, jejunaverit tanquam in ejus contemptu, anathema sit.* Ubi certe sicut eis attestantur omnes autentici libri, non contradicunt jejunio Sabbati, sed Dominicæ diei.

Sed ô perfide Stercorianista, qui putas fideli participatione corporis & sanguinis Domini Quadragesimalia atque Ecclesiastica dissolvi jejunia, omnino credens cælestem escam velut terrenam per aqualiculi fætidam & sordidam egestionem in secessum dimitti, plane sentis cum Arrio. Qui cum pro aliis blasphemiis in filium Dei, tum etiam pro ista foveam delapsus in atram, visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit. Et ubi est Salvator qui dans discipulis panem à se benedictum & fractum dixit: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* In quo quid traderet, alibi dicit: *Panis quem ego dedero, caro mea est, pro mundi vita.* Et, *caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Quomodo verus? Quia qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Et quæ est vita æterna? Nempe Christus Jesus, sicut ipse dicit: *Ego sum via, veritas & vita.* Qui ergo panem Dei manducat, carnem Dei Christi manducat. Qui autem carnem ejus manducat, Christum manducat; qui Christum manducat, procul dubio vitam æternam manducat, ergo ô pestifer Leno antiqui serpentis, qui conaris astutia tua corrumpere sensus Christi sponsæ, quæ est Ecclesia, ut excidatur à charitate tanti & talis sponsi, credis nos vitam incorruptibilem comedentes, corrumpere integritatem jejuniorum, velut aliquo cibo corruptibili?

Nicetas stercoranista.

1. Cor. 11. *Joan. 6.* *Ibidem.* *Joan. 14.*

Horremus quidem dicere, sed compellimur à tua impudenti improbitate. Conaris Christum, imo ipsam vitam per digestionem sicut cænum olidum demittere in latrinam. Et ubi est, quod dixit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo?* Sine qua refectione, quia non habetur vita, ipsa vita quæ est Christus quasi quodam jurejurando protestatur dicens: *Amen amen dico vobis, nisi*

Joan. 6. *Ibidem.*

man-

Sæc. XI. Anno 1054. *manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nunquid hic dixit; Si manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, dissolvetis jejunium? Et utinam hoc solo Sacramento, non ad judicium nostrum, omni hora reficeremur. Sed quia corpore corruptibili, & nimia miseria conscientiæ nostræ gravati, etiam bonum nostrum nequimus sufferre, à sanctis Patribus certe ad percipiendum tantum Sacramentum, præfixæ sunt horæ. Quod ne vilescat carnalibus, & in percipiendo escam Spiritus submurmuret aliquis carnis appetitus, cum summa parcitate prægustamus; videre tantummodo cupientes quam suavis est Dominus, cujus panis non vult, sicuti nec manna fastidium. Nec dubitandum in quantulacunque portione ejus fideles manducare sibi totam vitam, id est, Christum, infideles autem mortem, id est, judicium suum, utpote qui rei fiunt corporis & sanguinis Domini. Deinde quotidie sive tertia sive nona, sive quacunque hora fiat à nobis Missa, non fit nisi perfecta. Nec reservatur ex oblatione ejus pars aliqua, ut per dies quinque agatur inde Missa imperfecta. Quia nec S. Apostoli leguntur quidquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa cæna distributo reservasse: nec actus eorum indicant eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse. Quinimo, sicut Lucas narrat: *Erant fideles perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis.* Quæ communicatio qualiter & quibus diebus fieret, post pauca demonstrat dicens: *Quotidie perseverantes unanimiter in templo & frangentes circa domos panem sumebant.* Ecce verax Evangelista testatur sub Apostolis fideles quotidie orasse & panem fregisse. Et vos qui estis, qui dicitis duobus tantum diebus hebdomadis Missam perfectam fieri debere? reliquis verò quinque imperfectam? Nempe hic in panis fractione & communicatione, non nisi perfectam actionem Missæ, debemus accipere, quemadmodum & ipsum Dominum legimus, non imperfectam sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, in pane à se benedicto & mox fracto atque distributo. Non enim benedixit tantum & servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum & reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde B. Alexander Martyr & Papa Quintus ab Apostolo Petro, passionem Domini inserens Canoni Missæ, non ait: hoc quotiescunque feceritis; Sed: *Hæc quotiescunque feceritis*, id est, benedixeritis, fregeritis & distribueritis, *in mei memoriam facietis*, quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, scilicet benedictio sine distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam Christi memoriam non repræsentant, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. Quod autem quotidie & quotacunque hora diei, non autem sola tertia perfectam Missam agimus, auctoritatem tenemus ex verbis ipsius Domini juxta B. Paulum dicentis: *Hoc facite quotiescunque sumitis, in meam commemorationem.* Unde mox idem Apostolus secutus adjecit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Et quamdiu? *Donec veniat:* scilicet judicare vivos & mortuos. Putasne alicubi dixerit: hoc facite hora tertia in meam commerationem? Non utique, sed nullam horam aut tempora excipiens dixit: *Quotiescunque;* Nec ipse Paulus jejunia aliqua aut certam quamlibet evolutionem annorum attendens ait: Quotiescunque per tot annos hora nona manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis; sed indifferenter: *Quotiescunque*, Et, *donec veniat.*

Ritus Græcorum circa Eucharistiam.

Act. 2.

Ibidem.

1. Cor. 11.

Ibidem.

Ibidem.

Nec nescimus sanctos Patres diei Dominicæ & præcipuarum solennitatum Missas hora tertia celebrasse solitos, propter Spiritus sancti effusionem hora tertia in discipulos, & hoc mandasse ad posteros, quatenus illa unius actio Missæ gemino privilegio insigniretur, Resurrectione videlicet Christi & adventu Paracliti, utque propter gaudium festi temporius relaxarentur cunctis frena jejunii. Veruntamen alia causa est Dominicæ diei, ac solennitatum, alia jejuniorum: Si ergo hora nona aut vespertina diebus jejuniorum, perfecta agitur Missa, nulla procul dubio inde contrahitur noxa, quia & Dominus in cæna ad vesperum primam & perfectam administrationem tanti Sacramenti discipulis instituit, & hora nona Spiritum tradens sacrificium vespertinum expansis manibus in cruce, & præmissa oratione ad Patrem consummavit. Propterea quamvis hora tertia & nona propter supradictas rationes sint aptiores Missarum actioni: quotiescunque tamen horis aliis fiunt occupatione itineris aut gratia cujuslibet necessariæ rei, in memoriam fiunt Christi: Nec violatur inde integritas jejunii. Quod utique B. Thelesphorus Papa à Petro septimus sentiens, etiam nocte Nativitatis Domini Missas celebrari instituit, nec ullam resolutionem jejunii ante horam tertiam & diurnam Missam inde fieri, sicut vos perverse putatis, timuit. Dicite autem si potestis, cur Sabbatum & ceteræ extra Dominicam feriæ hora tertia Missam debeant habere, cum in eis Spiritus sanctus non legatur descendisse? Itaque nos, sicut supra ostenditur, divina

divina auctoritate subnixi, nec jejunia resolvimus in celebratione Missæ, quotacunque hora diei sit: nec in aliquo natalitio Martyrum, sed nec in Annuntiatione Mariæ Virginis. Et ideo nullius universalis Synodi percellimur anathemate. Cæteri autem quamvis sanctorum Patrum conventus, & si potuerunt de utilitate & conversatione Ecclesiarum suarum tractare, nullas tamen traditiones universali Ecclesiæ præfigere. De Papa quoque Agathone omnino scimus, quia nec sextæ Synodo per seipsum præsedit, nec aliquibus capitulis ejus subscripsit, nisi quæ promulgata fuerunt adversus Monothelitarum hæresim. Vos videte unde hæc quæ proponitis habeatis, quia Ecclesia Romana talia hactenus ignoravit. Nec credi potest post tot annos Romanorum Pontificem Græcis promulgasse aliquas de Missa observationes. Deinde ritum vestræ Missæ discere non curamus, quia minimam cautelam & maximam negligentiam ei inesse cognoscimus, dum sanctum panem frangentes & sumentes, hinc inde decidentes micas non curatis. Quod etiam solet contingere, dum patinas sanctas foliis palmarum & porcorum setis fricatis inhoneste. Multi quoque vestrum tam irreverenter corpus Christi reponunt, ut pixides inde cumulent, & ne decidat aut supereffluat, manu inculcant. Reliquias quoque oblationis, velut communes panes, nonnunquam usque ad fastidium sumunt. Et si sumere non sufficiunt subterrant, aut in puteum projiciunt. Si autem, ut dicis, panem jam pridem oblatum & sanctificatum exaltatis altera die, unam oblationem videmini bis offerre. Et cur non attendistis in Epistola Papæ Clementis, cujus traditiones, ut putatis, contra nos defenditis, quod ibi promulgasse putatur? *Certè*, inquit, *tanta in altario holocausta offerant, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore & tremore Clericorum cautela & diligentia consumantur.* Ad hæc quod asseris, vos ab ipsa sancta communione statim ad communes cibos transire, non sic sensisse idem Clemens invenitur in præfata Epistola, ubi de his qui residua sacrificii consumpserint subjecit: *Qui autem*, inquit, *residua corporis Domini quæ in Sacrario relicta sunt consumunt, non statim ad communes accipiendum cibos conveniant, ne putent sanctæ portioni esse commiscendos cibos, qui per aqualiculi egestus in secessum funduntur. Si igitur mane Dominica portio in Sacrario edatur, usque in sextam jejunent ministri qui hæc consumpserint. Et si tertia aut quarta, jejunent usque in vesperum.* In quibus sane verbis liquet, quod non solum hora tertia, sed etiam mane hora quarta Missas fieri licet, quodque ex sacrificio jejunium non solvitur, dum illic dicitur, ut qui consumpserint usque ad sextam vel vesperum: alioqui quomodo jejunabunt, si ex sacrificio jejunium solverunt? Deinde abstinentiam paucissimorum nobis prædicantes, tacetis ingluviem multorum, qui aut parum aut nihil Quadragesimalis jejunii Deo offerunt, dum à primo mane, usque vesperum crapulari non metuunt, nec erubescunt. Aliqui etiam ad Ecclesiam legumina & alia obsonia deferentes inibi comedunt, nec Paulum attendunt dicentem: *Qui esurit domi manducet:* Et: *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* At nos Quadragesimam unius septimanæ, quam dicitis sancti Theodori; nescientes, solam Quadragesimam Domini nostri Jesu Christi quadraginta diebus diligenter observare contendimus, quam ut aliquis, excepta gravi infirmitate, in aliquo infringat, sufferre nequimus. Nec licet cuiquam apud nos, sicut apud vos, post unam refectionem quicquam pomorum aut herbarum diebus jejuniorum percipere.

Sæc. XI. Anno 1054.

Auctoritas Patrum.

Græci Eucharistiam projiciunt in puteum.

I. Cor. 11.

Hinc perpendentes à te tam perverse defendi adulteria, potius quam nuptias Sacerdotum: arbitramur ab inferis emersisse principem hujus hæresis nefandum Diaconum Nicolaum. De quo Epiphanius vester sic scripsit: *Quarta Nicolaitarum à Nicolao hæresis est adinventa, uno ex septem diaconibus ab Apostolis ordinato. Iste cum zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, docere cepit indifferenter uti conjugibus, non solum laicos, sed etiam qui Sacerdotii fungerentur officio. Hos damnavit sanctus Evangelista & Apostolus Joannes, & jussit, ut quicumque cum eis, vel sermonem colloquii miscuissent, ex hoc ipso communione privandos. Docens rationabiliter à mundi origine Deo castitatem plurimum placuisse. Tunc etiam in seipso Christum Dei filium castitatis gloriam dedicasse, cum virginem possidens matrem, virgo mansurus, nullum discipulorum suorum commixtione etiam legitima conjugii uti permisit dicens: Si quis vult post me venire abneget semetipsum sibi & tollat crucem suam & sequatur me. Unde idem Dominus Jesus in Apocalypsi præcipiens Apostolo Joanni scribere Angelo Ephesi inter alia inquit: Hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Hinc etiam Angelo Pergami dicit: Habeo adversum te pauca, quia habes illuc tenentes doctrinam Baalam, qui docebat*

Sæc. XI. Anno 1054. *Cœlibatus Sacerdotum defenditur.*

Baalac mittere scandalum coram Filiis Israel, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes Doctrinam Nicolaitarum.

Suffecerant quidem hæc ô Nicolaita Niceta ad convincendum errorem, sed quia Canonibus sub nomine Apostolorum editis, nos urgere videris: exponere tibi tua capitula decrevimus, quamvis ea inter apocrypha usque nunc magna ex parte computaverimus, ut aperte cognoscatur nec Apocryphis nec autenticis vos vestras ineptias posse defendere. Ante omnia autem comprobamus te esse mentitum ipsi veritati, in eo quod dixisti, nostros prius ordinari, deinde uxores sortiri. Quia apud nos nec ad Subdiaconatus gradum quisquam admittitur, nisi perpetuam continentiam etiam à propria conjuge profiteatur. Nec post gradum cuiquam uxorem ducere unquam conceditur. Sed tu Ecclesiam Dei volens efficere Synagogam Sathanæ & prostibulum Balaam & Jesabel, cum Nicolao dicis: *Episcopum & Presbyterum & Diaconum dicimus, qui unam habet uxorem, ordinari: quamvis vivant eorum conjuges, quamvis defunctæ. Nec licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint alteras amplecti, sed sufficere eis quas habent, cum ad ordinationem venerunt.* O abominabilis Cynice, quomodo non erubuisti tantum nefas evomere? Ergo non licet aliquem post manus impsitionem sine uxore esse? Si ita est, ipse Joannes Apostolus & Paulus & Barnabas & omnis continens in gradu Ecclesiastico in culpa est procul dubio. Unde necesse est, ut futurus Episcopus, Presbyter, Diaconus & Subdiaconus, prius uxorem sortiatur, quæ sibi sufficere debeat ad carnales amplexus? Nunquid laicis non sufficit una? nisi forte discipulis maligni Muhamed, cujus farinæ totus es. Tu quoque quia Presbyter es, sine uxore esse non debes, secundum assertiones tuas.

Sed jam videamus capitula quibus putas posse defendi adulteria Sacerdotum, non conjugia. *Episcopus*, inquam, *Presbyter aut Diaconus uxorem suam non abjiciat obtentu religionis. Si autem abjecerit, sequestretur, perseverans autem deponatur.* Omnino confitemur non licere Episcopum, Presbyterum, Diaconem vel Subdiaconem uxorem propriam causa religionis abjicere à cura sua, scilicet ut ei victum & vestitum provideat, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat. Sic & sanctos Apostolos legimus egisse, beato Paulo dicente: *Nunquid non habemus potestatem, sororem mulierem circumducendi, sicut fratres Domini & Cephas?* Vide insipiens, quia non dixit: Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet ut de mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale conjugium. Præterea cur aliquis laicus uxoratus dubitabit ad Ecclesiasticos gradus ascendere, cum ei una, sine qua esse non debet, possit ad carnales amplexus sufficere? Et quare tu qui tantopere Clementis capitula proponis, Epistolam ejus de qua superius diximus, non attendis? Ibi enim ita dicitur: *tribus gradibus divinorum commissa secretorum sunt Sacramenta, id est, Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus.* Et post nonnulla. *Ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem conjuges noverunt, scilicet si semper continere voluerint. Quod si post ordinationem contigerit ministrum propriæ invadere cubile uxoris, secretarii non terat limina, nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausta vel oblationes suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat. Aquam Sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat: Minora tantum gerat officia, urceum sane ad altare non suggerat.*

1. Cor. 9.

Porro Synodus Nicæna omnino venerabilis & autentica, sic de suis actis, id est, subintroductis habet: *Omnimodis interdicit sancta Synodus, & neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli omnino Clericorum permittit habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit sororve aut amita. In his namque personis & horum similibus omnis suspicio declinatur. Qui autem præteragit, periclitabitur de ordine suo.*

Beatus quoque Papa Innocentius latius hinc scribens: Exuperio Episcopo Tholosano dicit: *Proposuisti quid de his observari debeat, quos Diaconii ministerio, aut in officio positos incontinentes esse aut fuisse generati filii prodidêre. De his & divinarum legum est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricii Episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore Ecclesiastico privarentur, nec admitterentur accedere ad ministerium quod sola continentia oportet impleri.* Idem ad Victricium Episcopum: *Præterea quod dignum & pudicum & honestum est tenere Ecclesia omnimodo debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coëant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur: Scriptum est enim sancti estote, quoniam ego*

ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester. Nam priscis temporibus de templo Dei SÆC.
anno vicis suæ non discedebant sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tan- XI.
gebant, quibus utique propter sobolis successionem, uxorius usus fuerat relaxatus: quia ANNO
ex alia tribu & præter semen Aaron ad Sacerdotium nullus fuerat permissus accede- 1054.
re. Quanto magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare Levit. 11.
debent, quibus Sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel
à sacrificiis divinis aut baptismatis officio vacent. Nam si Paulus ad Corinthios scribit
dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi; & hoc utique laicis præcepit: mul- 1. Cor. 7.
to magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debe-
bunt ab hujusmodi consortio abstinere: qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia
exaudiri posse se credit? cum dictum sit: Omnia, munda mundis: coinquinatis autem & Tit. 1.
infidelibus nihil mundum. Sed fortasse hoc licere credit, quia scriptum est: unius uxo- 1. Tim. 3.
ris virum, non propter permanentiam in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter
continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: vellem autem
omnes esse sicut & ego. Et apertius declarat dicens: Qui autem in carne sunt, Deo placere 1. Cor. 7.
non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in Spiritu. Et habentem filium, non Rom. 8.
generantem dixit. 1. Tim. 3.

Et venerabilis Papa Siricius: *Fœminas non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicena permisit.*

Sanctus deinde Leo Papa mirabilis doctor & sanctæ Calcedonensis Synodi auctor, omnem ambiguitatem hujus rei abscindens ait: *Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ Episcopis atque Presbyteris. Qui cum essent Laici, sive Lectores, licite & uxores ducere & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenêre gradus, ceperunt eis non licere quæ licuerunt: Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant sic habere: quo & salva sit charitas connubiorum, & cessent opera nuptiarum.*

Ecce isti cum Petro & per Petrum effecti clavigeri regni cœlorum, ita confringunt omnes claviculas infernalium portarum: ut nulla jam supersit hæresis Nicolaitarum.

Sed ne quid minus factum dicas, seriatim & aperte prosequemur, quid Romana Ecclesia in gradibus Clericorum agat. Clericos tantum Ostiarios, Lectores, Exorcistas, & Acolythos, si extra votum & habitum Monachi inveniuntur & continentiam profiteri nolunt, uxorem virginem ducere cum benedictione Sacerdotali permittit: non autem viduam & repudiatam; quia propter hoc solum deinceps nec ad subdiaconatum provehi poterunt, nec laicus non virginem sortitus uxorem, aut bigamus, ad Clericatum. Quod si quis præfatorum ordinum desiderat ad Subdiaconatum ascendere, nequibit hoc sine consensu uxoris suæ, ut de carnali deinceps fiat conjugium spirituale, nemine eos ad hoc cogente. Nec permittitur postea uxor jungi eidem suo marito carnaliter, nec cuiquam nubere in vita aut post mortem illius, alioqui anathematisanda est, sicut & Diaconus & Subdiaconus & Presbyter aut Episcopus deponendus suam repetens, aut extraneam ducens: juxta quod in Neocæsariensi Concilio orthodoxi sanxêre Patres.

Talibus ergo traditionibus usque nunc sancta Romana Ecclesia & Apostolica sedes omni mundo refulsit, nec aliquando Judaicis fabulis & Apocryfis scripturis acquievit, sed per primos Apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo Jesu fundata, nullis hæresibus cessit, nec prohibuit à conjugio laicos: sed sacri altaris ministros & Apostolicam perfectionem professos Monachos.

Illa tamen Ecclesia, quam Arrius corrupit, Macedonius prostituit, quæ genimina viperarum, id est, Nestorium, Eutychen, Monothelitas & Theupaschitas & reliquas hæreticorum pestes peperit, adhuc à Nicolai hæresiarchæ complexibus abstrahi non potuit, adeo ut ad sacri altaris ministerium ordinandos interroget, an habeant uxores. Qui respondentes se non habere: compelluntur primum ducere, & sic impositionis manum accipere, ut novi mariti, & recenti carnis voluptate toti resoluti & marcidi, & inter sancta sacrificia cogitantes, quomodo placeant uxoribus, immaculatum Christi corpus tractent atque populo distribuant, indeque sanctificatas manus ad tractandum membra muliebria mox referant, & fit sicut populus sic & Sacerdos, & tandem populi sicut Sacerdotes mali.

Quapropter parcite jam vobis, & nolite attendere spiritibus erroris & Dæmonio-

Sæc. XI. Anno 1054.

rum doctrinis, ut nobiscum de vera pace, quæ Christus est, hic & in futuro gaudeatis.

Tu vero miserrime Niceta, donec resipiscas, sis anathema, ab omni Christi Ecclesia, cum omnibus qui tibi acquiescunt, in tam perversa doctrina. Nam volens esse legis divinæ doctor, non intelligis quæ loqueris, neque de quibus affirmas, & stultus ipse, sapientior tibi videris septem viris loquentibus parabolas. Sed saltem aliquando disce tacere, qui nunquam loqui didicisti.

Explicit responsio Fratris Humberti Episcopi contra Nicetæ blasphemias.



INCI-

INCIPIT BREVIS ET SUCCINCTA COMMEMORATIO EORUM QUÆ GESSERUNT APOCRISARII SANCTÆ ROMANÆ ET APOSTOLICÆ SEDIS IN REGIA URBE,

Et qualiter anathematizati sunt Michaël cum sequacibus suis.



ANNO undecimo imperii Constantini Monomachi, indictione VII. ipso die nativitatis beati Joannis Baptistæ, advenientibus à Domino Papa Leone Nono Apocrisariis sanctæ Romanæ sedis, Humberto scilicet Cardinali Episcopo Sylvæ Candidæ, & Petro Amalphitanorum Archiepiscopo; Friderico quoque Diacono & Cancellario, ad Monasterium Studii intra urbem Constantinopolitanam. Niceta Monachus, qui & Pectoratus, ante præsentiam præfati Imperatoris & procerum ejus, insistentibus ipsis Nuntiis Romanis, anathematizavit quoddam scriptum sub suo nomine contra sedem Apostolicam & omnem Latinam Ecclesiam editum, & prætitulatum De azymo, de Sabbatho, de nuptiis Sacerdotum. Insuper anathematizavit cunctos, qui ipsam sanctam Ecclesiam Romanam negarent primam omnium Ecclesiarum esse, & qui illius fidem semper Orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium, ad suggestionem eorundem Nuntiorum Romanorum, jussit idem Orthodoxus Imperator præfatum incendi scriptum, sicque fuit discessum. *Commemoratio Gestorum Constantinopoli per Humbertum.*

Sequenti autem die prædictus Niceta urbe est egressus, ultro adiit legatos ipsos intra palatium Pigi. A quibus accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizavit omnia dicta & facta vel tentata adversus primam Apostolicam sedem. Hic ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porro dicta vel scripta eorundem Nuntiorum adversus diversas calumnias Græcorum & maxime contra scripta Michaëlis Constantinopolitani Episcopi & Leonis Acridani Metropolitani Episcopi, & sæpedicti Nicetæ Monachi, jussu Imperatoris in Græcum fuêre translata, & in eadem urbe hactenus conservata.

Tandem Michaële præsentiam eorundem & colloquium devitante, atque in stultitia sua perseverante, præfati nuntii XVII. Cal. Augusti adierunt Ecclesiam sanctæ Sophiæ, & super obstinatione illius conquesti, Clero ex more ad Missas præparato jam hora tertia diei Sabbathi, chartam excommunicationis super principale Altare posuerunt sub oculis præsentis Cleri & populi. Inde mox egressi, etiam pulverem pedum suorum excussere in testimonium illis, dictum Evangelii proclamantes: VIDEAT DEUS ET JUDICET. Hinc ordinatis Ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim,

Sæc. XI. Anno 1054.

lim, & anathemate dato cunctis qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum sacrificium vituperantis, in osculo pacis accepta Orthodoxi Imperatoris licentia donisque Imperialibus S. Petro & sibi, alacres cepêre reverti XV. Cal. Augusti; sed nimia instantia precum Michaëlis, spondentis tunc demum se conflicturum cum eis, Imperator compulsus à Solembria litteris suis eos revocavit XIII. Cal. Augusti. Quo etiam die festinantes regressi devenerunt ad palatium Pigi. Quos præfatus Michael Hæresiarcha comperiens rediisse, quasi ad Concilium conabatur adducere in Ecclesiam sanctæ Sophiæ, sequenti die, ut ostensa charta, quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem à populo. Quod prudens Imperator præcavens, noluit haberi aliquod Concilium, (a) nisi & ipse adesset præsens. Cumque hoc ei omnimodis Michael contradiceret, jussit Augustus ipsos nuntios confestim arripere iter. Quod & factum est. Porro vesanus Michaël dolens suas non procedere insidias, concitavit Imperatori vulgi seditionem maximam, velut Nuntiis cooperata fuerit ejus voluntas. Unde Imperator coactus, interpretes Latinorum Paulum ac filium ejus Smaragdum cæsos & detonsos Michaëli tradidit; sicque tumultus ille conquievit. Verum Imperator post nuntios Romanos directis suis, exemplar excommunicationis verissimum à civitate Russorum remissum sibi accepit, civibusque exhibuit, ac tandem Michaëlem falsasse chartam legatorum comperit atque convicit. Itaque commotus, amicos & affines ipsius honoribus privatos à palatio eliminavit, contraque ipsum usque nunc graves iras retinuit. Denique exemplar chartæ excommunicatoriæ est tale:

(a) Narrat contraria *Michaël*; asserit enim legatos semper renuisse Concilium & Imperatoris jussu fuisse excommunicatos, vide Michaelis Epistolam apud Coteler. Monum. Ecclesiæ Gr. tom. 2. Basn.

Excommunicatio Michaëlis.

HUMBERTUS

DEI GRATIA CARDINALIS

EPISCOPUS

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ,

PETRUS AMILFITANORUM

ARCHIEPISCOPUS;

FRIDERICUS

DIACONUS ET CANCELLARIUS,

Omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis.

Sancta & Romana prima & Apostolica sedes, ad quam tanquam ad caput solicitudo omnium Ecclesiarum specialius pertinet, Ecclesiasticæ pacis & utilitatis gratia ad hanc Regiam urbem, nos Apocrisarios suos facere

cere dignata est, ut juxta quod scriptum est, descenderemus & videremus utrum opere completus sit clamor, qui sine intermissione ex tanta urbe conscendit ad ejus aures, aut si non est ita, ut sciret. Quamobrem cognoscant ante omnia gloriosi Imperatores, Clerus, Senatus & populus hujus Constantinopolitanæ urbis, & omnis Ecclesia Catholica, nos hic persensisse magnum, unde vehementer in Domino gaudemus bonum: & maximum, unde miserabiliter contristamur, malum. Nam quantum ad columnas Imperii & honoratos ejus atque cives sapientes, Christianissima & Orthodoxa est civitas. Quantum autem ad Michaëlem abusivè dictum Patriarcham, & ejus stultitiæ fautores, nimia zizania hæreseôn quotidie seminantur in medio ejus. Quia sicut Simoniaci donum Dei vendunt: sicut Valesii hospites suos castrant, & non solum ad Clericatum, sed insuper ad Episcopatum promovent: Sicut Arriani rebaptizant in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos, & maxime Latinos: Sicut Donatistæ affirmant, excepta Græcorum Ecclesia, Ecclesiam Christi & verum sacrificium atque baptismum ex toto mundo periisse: Sicut Nicolaitæ carnales nuptias concedunt, & defendunt sacri Altaris ministris: Sicut Severiani maledictam dicunt legem Mosis: Sicut Pneumatomachi vel Theumachi absciderunt à Symbolo Spiritus sancti processionem à Filio: Sicut Manichæi inter alia, quodlibet fermentatum fatentur animatum esse: Sicut Nazareni carnalem Judæorum munditiam adeo servant, ut parvulos morientes ante octavum à nativitate diem baptizari contradicant, & mulieres in menstruo vel in partu periclitantes communicari, vel si paganæ fuerint baptizari prohibeant, & capillos capitis ac barbæ nutrientes, eos qui comam tondent, & secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in communione non recipiant. Pro quibus erroribus & aliis pluribus factis suis, ipse Michaël litteris Domini nostri Papæ Leonis admonitus resipiscere contempsit. Insuper nobis nuntiis illius, causas tantorum malorum rationabiliter reprimere volentibus, præsentiam suam & colloquium denegavit, & Ecclesias ad Missas agendum interdixit, sicut & prius Latinorum Ecclesias clauserat, & eos Azymitas vocans, verbis & factis ubique persecutus fuerat: in tantum ut in filiis suis anathematizasset sedem Apostolicam, contra quam se adhuc scribit Oecumenicum Patriarcham. Unde nos quidem sanctæ primæ & Apostolicæ sedis inauditam contumeliam & injuriam non ferentes, Catholicamque fidem subrui multis modis attendentes, auctoritate sanctæ & individuæ Trinitatis, atque Apostolicæ sedis, cujus legatione fungimur, & cunctorum Orthodoxorum Patrum ex Conciliis septem, atque totius Ecclesiæ Catholicæ Anathemati, quod noster reverendissimus Papa itidem Michaëli & suis sequacibus, nisi resipiscerent, denuntiavit, ita subscribimus. SÆC. XI. ANNO 1054. Genes. 18.

Michaël abusivus Patriarcha Neophytus, & solo humano timore habitum Monachorum adeptus, nunc etiam criminibus pessimis diffamatus, atque cum eo Leo Acridanus Episcopus dictus, & sacellarius ipsius Michaëlis, Constantinus, qui Latinorum sacrificium profanis conculcavit pedibus, & omnes sequaces eorum in præfatis erroribus & præsumptionibus, sint Anathema Maranatha, cum Simoniacis, (a) Vallesiis, Arrianis, Donatistis, Nicolaitis, Severianis, Pneumatomachis & Manichæis & Nazarenis, (b) & cum omnibus

(a) De *Valesianis Hæreticis* plura habet *Epiphanius*, quos inter Gnosticos recenseri asserit: iidem forsan hic appellantur *Valesii*. Nos e Gnosticorum grege numquam fuisse probabimus. BASN.

(b) Is est error frequentissimus apud Criticos, plerique sibi fingunt veteres qui de hæreticis egerunt singulos secundum temporum serum recensere, aliter se rem habere probat Humbertus, qui *Nazarenos* postremo ordine, *Nicolaitas Arianis* & *Donatistis* adjungit, quibus sunt multo priores: sic neglecta Chronographia sæpius de Hæreticis meminere Patres, prout priores sese memoriæ dum scriberent objiciebant; & qui inde de antiquitate Hæreticorum disputant, pessime agunt. BASN.

SÆC. XI. ANNO 1054. *bus hæreticis, imo cum Diabolo & Angelis ejus, nisi forte resipuerint, Amen, amen, amen.*

Item alia excommunicatio ibidem facta in præsentia Imperatoris & optimatum ejus, viva voce: *Quicunque fidei sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis ejusque sacrificio pertinaciter contradixerit, sit Anathema, Maranatha, nec habeatur Christianus Catholicus, sed* (c) *prozymita hæreticus. Fiat, Fiat, Fiat.*

(c) Sic inter Hæreticos recensentur qui azymis uti respuunt & Prozymitarum peculiari ipsis nomine indicabantur. BASN.

FINIS.



VITA

VITA
NOBILIS VIRI
HENRICI
A
ZWIFALTACH
SUEVI,
IN MONASTERIO OCHSENHAUSANO
PRIORIS
RELIGIOSISSIMI.
SCRIPTA
A
MONACHO OCHSENSHAUSANO.

A Canisio primum in lucem edita ex M. S. Codice Monasterii Ochsenhausani.

Jacobi Basnagii
de
Authore
Vitæ hujus
Observatio.


Uthorem hunc jure recensuit vir siquis unquam his in rebus versatissimus *Vossius*, inter anonymos incertæ ætatis. Vixit quidem ille tempore Henrici à Zwifaltach, cujus pietatem canit. Sic enim: *Vere nostris temporibus justus inventus est & probatus*. Fuit etiam monachus in eodem claustro *Ocsenhausen*, cujus Prior erat Henricus: sed quis sit ille Henricus, quove tempore Suevis illuxerit, vix possis divinare. Hoc argumento eum sæculo undecimo assignavimus, quod anno 1084. constructum sit Monasterium Zwifalten, ut fert Chronicum Germanicum Libro XV. at Castrum erat adhuc dum viveret Henricus, illudque occupabat soror ejus, ut narrat anonymus; debuit igitur aliquot annis esse anterior, & forsan jam sorore mortua *cui totus aruerat mundus*, ipsoque Henrico paulo ante defuncto ibi constructum fuit Monasterium.



VITA

VITA
VIRI RELIGIOSISSIMI,
QUONDAM IN OCHSENHAUSANO
MONASTERIO PRIORIS,
HENRICI.

Sæc. XI. Anno 1065.



Otius bonitatis autor Deus, qui omnes sæculi labentis ætates, singulari semper aliquorum vita & sanctitate consuevit illustrare, nostra quoque tempora in sanctæ memoriæ *Henrico* quodam nostræ obedientiæ Presbytero & Monacho dignatus est visitare. Hic itaque vir beatus in *Suevia*, apud villam, quæ vocatur *Zwifaltach*, nobili genere natus, discendi gratia in eodem loco litteris est deputatus. Quibus, pro ætatis modulo, satis diligenter consecutis, annos ingressus est juventutis, & totis se continuò vanitatibus seculi immersit, relicto itinere salutis; sed quia dives est in omnes gratia Salvatoris, tam mirabiliter, quàm etiam velociter hunc in viam pacis, de semita reducit erroris. Quadam denique die, cum se in præfata villa quibusdam choros ducentibus solita miscuisset lascivia mentis, repentè inter ipsa ludentium ludicra, compunctus est miseratione Dei omnipotentis. Et quoniam in converso pectore nescit tarda molimina *Spiritus Sancti* gratia, abdicatis mox lascivorum votis, valedicere cœpit amicis & notis: professus renunciare se velle negotiis seculi totis. Illis autem non credentibus, & quasi ludo hæc diceret, irridentibus; ipse nihil moratus, ad hanc nostram cellam, quæ antiquitùs *Ochsenhausen* nominatur, convolavit, seque Monachum fieri summa cum devotione postulavit. Mirantur fratres tam subitam ejus conversionem, diuque non credentes, in regularem recipiunt probandum, ut moris est, probationem. In qua per omnem patientiam probatus sub voto Monachi, tandem est congregationi sociatus. Ab hinc & deinceps quanta cordis contritione pœnitentiam egerit de sua priori conversatione, nulla verborum, arbitror, explicari posse ratione. Corporalis tamen disciplinæ tanta in se usus est severitate in sua confessione, ut septenos plerunque Psalmos sub ipsa flagelli legisse referatur castigatione. Totus præterea semper in oratione, totus erat in lectione, totus in vigiliis, non minus in jejuniis, &, ut breviter liceat omnia fari, quidquid est virtutis, in ipso quasi in aliquo relucebat exemplari. Tantus itaque cum esset, ac talis, obedientia cogente, licet multum renitens, *Prior* hic factus est claustralis: Jamque pro vita singulari ab omnibus per circuitum populis cœpit frequentari, à quibus etiam in tanta habitus est veneratione, quod ex eorum oblatione multimoda, & donatione, quam ex *Prioris* sui, quamvis invitus, suscipiebat jussione, ipsum Monasterium, sicuti hodie hîc est cernere, mirifica tam in libris, quàm in picturis decoravit compositione. Sed jam quibus virtutum signis sanctitatem ejus mirificando *Dominus* voluerit declarare, ad gloriam Dei, & legentium profectum veraci narratione tentabimus enarrare.

Casu accidit, ut eo præsente tectum majoris Ecclesiæ flamma corripiens inflammaret, & jam violentia sua totius Ecclesiæ incendium minitaretur; quam pro difficili accessu ipsius ædificii nullus posset extinguere vel sedare. Ipse vir Dei eandem ingressus Ecclesiam, & ante altare sancti Georgii in modum Crucis postratus, Dominum pro imminenti periculo fide integra est deprecatus. quod ipso facere inchoante, mox mirum in modum quasi magno aquarum turbine inundante, infra breve, hoc est, unius horæ spatium, totum conquievit incendium.

Quidam præterea puer claudus in hospitali hujus cœnobii manebat, qui nervis pedum naturaliter contractis, duobus lignis sustentatus, reptare per manus solebat; cui

 die

SÆC. XI. ANNO 1065.

die quadam vir DEO dignus ligna, quibus se gerebat, de manibus auferens longius projecit, & quod non necessitate, sed voluntate taliter incedere soleret, tanquam increpans, eidem objecit. Deinde velut docens eum ambulare, cœpit cum illo huc illucque gyrare, ea videlicet intentione, ut quasi non virtutem, sed artem exercuisse videretur in illius sanatione. Quid plura? puer sanatur, de sua sospitate gaudebat, diuque negato pedum reddito sibi officio rectè deinceps incedebat.

Quandam etiam fæminam, quæ per multos annos derisiam passa fuit oculorum, in eodem loco curavit, benedicens eam cum reliquiis Sanctorum, quod factum mulier longè lateque divulgavit. Sed ipse non suo merito rem gestam esse proclamans, dura verborum increpatione, prout potuit, hanc castigavit.

al. Zwifaltachensi.

Erat quoque huic Sancto viro soror quædam in castro SUIVALDENDI, unde ipse, ut dictum est, fuit oriundus. Cui licet sub vinculo conjugali constitutæ totus omnino aruerat mundus. Hanc cum eadem, qua & mortua fuit, infirmitate comperisset laborare, pietate ductus statuit visitare. Quæ cum per multas horas in extasi posita, cunctos qui aderant, dubios de sua vita reddidisset populos, ipso tamen astante diu clausos aperuit oculos. Post hoc rogans eos, attentius instare litaniis & orationibus, ipsum, in quo jacebat, cubiculum horrendis, dixit plenum esse dæmonibus. Eademque hora confessa est coram omnibus, vidisse se multos de sua cognatione à pœnis liberatos sanctis HENRICI fratris sui orationibus. Quos hæc cum designasset per nomina singulorum, confestim mortua est, morte, sicut optaverat, justorum.

His aliisque quam plurimis signis, vir Dei mundo manifestatus, verè nostris temporibus justus inventus est & probatus. Post multos denique pro Domino toleratos labores, mortales demum incidit in languores, pridieque Nonas Novemb. morte felici defunctus CHRISTO in cœlestibus est conjunctus. Sepultus est autem in hoc MONASTERIO, ubi & in vita servierat CHRISTO, famaque nominis & sanctitatis celebris per omnem SUEVIAM manens usque in præsentem diem omnibus his, quæ de ipso erant, & quæ nos retulimus, plenam reddit fidem.

Finis cum DEO *meo.*



OTHLO.

OTHLONI
FULDENSIS
PRESBYTERI
ET
MONACHI
LIBRI DUO
DE VITA
S. BONIFACII
MARTYRIS,
GERMANORUM APOSTOLI,
ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI.

Invento auctoris nomine, sine compendio & styli mutatione, sed prout ab ipso conscripti sunt, editi ex membranis manuscriptis Monasterii Rebdorffensis, prope Eichstadium,

AB

H. CANISIO.

CANISIUS

Ad Lectorem.



Urius, qui plurimum de Antiquitate Ecclesiastica meritus est, habuit codicem, in quo hi duo libri de S. Bonifacio continebantur; sed sine auctoris nomine. Qui cur hactenus semper anonymus permanserit, facilè causam ex ipso auctoris Prologo colligimus: ipse scilicet nomen suum premi anxiè voluit, ut illorum hominum & temporum mos erat, qui in nominis & honoris contemptu partem sanctitatis posuere. Hæc enim ipse:

Quis sim, qui vobis fero munus tale laboris,
Vos quoniam scitis, nolite precor dare multis,
Ne persona mei vilis faciat mea sperni.

Sed beneficio divino accidit, ut superfuerit codex M. S. quem Monasterium Rebdorfense suppeditavit, in quo est titulus & nomen auctoris, adeoque nova auctoritas huic præclaro monumento conciliatur. Sur. tom. 3. die 5. Jun. edidit stylo mutato & contracto, exceptis Epistolis. Sed quia de Antiquitate benè mereri cupimus, summa fide, ne verbulum quidem mutando, damus. Porrò, quia in II. libro, præter Epistolas, parum est, in Epistolis autem Surius non mutavit stylum, ideo eas, quas Surius edidit, hic non cudimus, sed notamus varias lectiones. Alias tamen, quibus noster M. S. codex auctior est, adjicimus. Primum verò librum integrum, prout in codice M. S. est, nullo verbo, quod velim, immutato ponimus. Tu candide lector, boni consule, & poteris conferre cum his ea, quæ Baronius tom. 9. ex codice M. S. citat de Epistolis sancti Bonifacii.

JACO-

JACOBI BASNAGII DE OTHLONO OBSERVATIO.

I. BRowerus qui vitam *Bonifacii* edidit eam *Othlono* abjudicat: ei argumento fuit, ut sibi videbatur, firmissimo, styli discrimen. Conjiciebat ille vitam *Pirminii* esse genuinum Othloni fœtum: at posterius illud scriptum toto cœlo distat a vita *Bonifacii*, quam hic post *Canisium* edimus. De styli diversitate cum Browero non contendam; ea enim nemini qui legerit potest esse dubia: sed qua ratione Pirminii vitam Othlono tribuat, non satis aperit. Codicem Othloni nomen præferentem nullum laudavit: si mera nitebatur conjectura, quæ fides illi fuit habenda? Bini Scriptores Pirminii vitam chartis commiserunt. *Henricus* Comes à Kalve Augiensis Abbas id opus confecit sæculo decimo tertio. Anterior multo *Warmannus* ex Monacho Augiensi Constantiensis Episcopus illud tentaverat anno 1005. aut circiter. *Luidolpho* Treverensi Archiepiscopo lucubrationem suam consecravit author; cum autem e vivis excesserit anno 1008. Trevirensis Antistes, non dubium quin tempore cognato scripta sit illa vita. At tunc temporis infans esse debuit, imo forsan non natus erat *Othlonus*, qui duodecimum sæculum attigit; ejus igitur esse non potuit *Pirminii* vita. In ea quidem laudatur *Bonifacius*, describitur ejus profectio ad Pirminium, cujus Episcopatus sedesque plane ignoratur, & de quo ne verbum quidem habent cæteri Bonifaciani scriptores. *Bonifacium* fingit ille scriptor ad *Frisiones* venientem *tenacissimo fidei trilice armatum ac insuperabilis fidei galea munitum, limatissimo Evangelicæ veritatis cuspide hostes acerrimos terebrandos aggredientem.* Phalerata scilicet verba, quæ ideo descripsimus, ut quam aliena sint ab *Othloni* simplicitate facilius pateat. Denique asserit ille Pirminianus scriptor *Bonifacium* ab iis cæsum *qui Babilonicæ conspirationis castra deserere noluerant potiusque sub Nembroth militare &c.* cum e contra *Othlonus* dicat neophitos qui confirmari debebant, in eum impetum fecisse. Diversos igitur habent parentes illæ vitæ *Bonifacii* & *Pirminii*; cumque vita *Pirminii* scripta sit initio sæculi undecimi, dum Treviris sederet *Luidolphus*, Othlono non potest vindicari, ut probatum imus.

I. An Othlonus sit author hujus vitæ.

II. Ætatem *Othloni* duo demonstrant, primo quod narrat statim ab operis initio laboratum fuisse apud *Leonem* IX. scilicet, ut monumenta quædam *Bonifacii* vitæ illustrandæ necessaria colligerentur *Egbertoque* subjicerentur; sed *Egberto* defuncto opus imperfectum remansisse: quod Monachos Fuldenses impulit ut *Othlonum* nihil tale cogitantem ad scribendam Bonifacii vitam excitarent. Obierat igitur Egbertus Abbas, qui nonnisi anno 1078. migravit e sæculo. Effluxit procul dubio aliquot annorum spatium antequam monachi de

II. Ætas Othloni.

SÆC. XI. ANNO 1074.

de tali onere suscipiendo cogitarent. Non igitur scripsit Othlonus ante annum 1050. Deinde vero *Othlonus* non semel invehitur in Monachorum osores, qui illos decimis spoliabant; dum enim *Carolomanni* leges, quem Neophitum appellat, quasi Religione Christiana recens fuisset imbutus, ab ipso referuntur, illos reprehendit, qui non solum apud Reges & Principes pro locorum sanctorum utilitate intercedere negligunt, sed etiam ipsi loca sibi commissa omnino destruunt, *o mores pravi?* Eamdem rem vehementius multo prosequitur in prologo, ita ut de sui temporis rectoribus dictum putet a Propheta: *corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Querelarum tantarum causa fuerunt decimæ, quas in Fuldenses Monachos sibi vindicabat *Sigefridus* Moguntinus Episcopus, Imperatoris autoritate munitus. Agitari cœperunt illæ lites inter Episcopos Germaniæ & Abbates, Fuldensem scilicet & Herveldensem 1067. si credatur *Cossartio* Conciliorum editori. Duplex enim Concilium in ea re habitum putat, prius *Moguntiæ* an. 1067. post Pascha, in quo, ut videtur, constitutum fuit de cæde intentata a Duce Treverorum in *Conradum* ejusdem urbis Episcopum an. 1067. alterum vero *Erphordiæ* an. 1073. Sed cum unius tantum Concilii Erphordiensis meminerint scriptores; ob leve discrimen quod intercedit inter *Lambertum*, Synodum *ante Pascha* assignantem, & *Sigefridum* a Pontifice postulantem ut convocetur post *Pascha*, non debet nova Synodus nobis obtrudi.

Contendebatur igitur vehementissime de decimis anno 1073. antequam Gregorius VII. ad Pontificatum fuisset promotus, cum Sigefridi litteræ ad Alexandrum sint directæ, ipseque ad Hildebrandum ut sibi faveret apud Pontificem scripserit. Ab Erphordiensi Concilio adjudicata fuit Episcopis decimarum pars maxima: ea de re querebatur Othlonus. Cum igitur post annum 1073. eoque tempore quo adhuc fervebat illa contentio scripserit, scripsisse vitam Bonifaci mihi indubium est.

III. *Quis fuerit.*

III. Probant illa, fuisse Monachum, ut pote qui Abbatum partes adversus Episcopos tuebatur. Non fuit Fuldensis Cœnobita, cum monasterium illud appellet *vestrum*; in vicinia tamen, qui Fuldensibus notissimus & in eadem causa conjunctibus fuerit. Ego Heroveldensem crediderim; distat enim parum Herofeldia à Fulda, & Heroveldiensis Abbas de decimis adversus Sigefridum cum Fuldensi certabat. Neminem Episcoporum decimas usurpantium nomine proprio indicavit, eo quod a Moguntino vicino sibi timeret. Pauca habet de gestis Bonifacii. sed multas Pontificum tum Bonifacii collegerat Epistolas, ex quibus vitam Bonifacii concinnavit.

IV. *Silet de Unctione Pipini.*

IV. Operæ pretium est observare, neminem Panegyristarum, qui gesta Bonifacii memoriæ prodiderunt, quantumvis illum laudibus evexerint, asseruisse *Pipinum* ab eo in Regem Francorum fuisse unctum vel coronatum: quod non siluissent procul dubio, si verum fuisset.

INC I-

Sæc. XI. Anno 1074.

INCIPIT PROLOGUS

VENERABILIS PRESBYTERI OTHLONI ET *MONACHI

* M.

S. Cœnobii Bonifacii, in vitam ipsius.



Etitionibus vestris, fratres Fuldenses, prout scientiæ meæ permisit parvitas, parere studui: petistis enim ut S. Patris nostri Bonifacii vitam præcipuo quidem elegantique, utpote S. Willibaldi stylo antiquitus editam, sed in locis quibusdam ita infirmo intellectui obscuram, ut difficile pateat, quo ratio tendat; hanc ego sententia apertiori reserarem. Quam nimirum petitionem inprimis miratus, cur tot patribus peritis, tam inter vos, quàm circumquaque commorantibus, hucusque relictis, mihi imperito, & liberalis scientiæ admodum ignaro, tam arduum opus injungere, vel excogitaveritis, pro nihilo duxi. Deinde cum quidam ex vobis mihi referret, jam antea pro eodem opere laboratum fuisse apud sanctum Leonem (*a*) Papam; ita ut nonnullos libros unde plenius ad hoc instrueretur Abbas Egbertus, scriptoremque ei simul Romam transmisisset, ipsosque libros eo defuncto, & opere petito minimè expleto ibi remansisse, tunc misertus talium apposui aliquid, animum volens scilicet implere petita, si ulla astipularetur scientia. Cumque diu velle mihi adjaceret, perficere autem in me non invenirem, dicebam vobis, quod vellem, quodque nequirem. sed vos, ut scitis, eadem crebrò repetistis, dicentes, si mihi tantummodo solida inesset voluntas, à Domino cætera præstari. Exhortatione ejusmodi sæpè incitatus, tandem tentavi vestros implere precatus, confidens in eo quàm maximè, qui dixit, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud: quique sicut in paucis sæpè victoriam præstans, sic etiam in imperitis peritiam tribuens, gratiæ suæ potentiam ostendit. Hæc autem ideo præmisi, ne quis me forsitan tantum opus ultrò arripuisse per arrogantiam arbitratus diceret, magnæ præsumptionis esse causam, illa quæ à quolibet sancto viro, utcunque fuerunt prolata, ab ullo deinceps quasi emendatore in aliud transferri: quasi non ipsa sanctorum prophetarum, sanctissimaque Evangelii dicta multis obscuritatibus involuta à nonnullis scriptoribus in aliam linguam, vel in apertiorem sententiam fuerint translata. *Prologus.*

His itaque prælibatis contra detractores universos, quibus nihil est dulcius, quàm alios lacerare, aliis laqueos ponere in via, qua ipsi nolunt incedere, jam deinde lectori pandere cupio, quia id mihi maximè fuit studii in opere isto, ut sententiam eandem verbis apertioribus proferrem, exceptis his, quæ ob sui difficultatem & obscuritatem investigare penitus nequivi. In tantum autem faciliora sequebar, ut sicuti probari potest, alicubi eadem verba ponerem. Quid enim nobis infimis, qui spectaculum *Authoris integritas.*

(*a*) *Leonem* IX. intelligit, a quo *Egbertus* Abbas Fuldensis ab anno 1048. ad an. 1058. vetera monumenta quibus patroni sui acta illustraret, postulavit. Hinc *Othloni* ætatem colligere licet. Mab.

SÆC. XI. ANNO 1074.

culum facti sumus mundo, nodosa & perplexa oratio? Et habeant amatores sapientiæ sæcularis Tullium, nos imperiti & ignobiles, despecti & contemptibiles, sequamur Christum, qui non Philosophos, sed piscatores elegit discipulos.

Acta Bonifacii ipsius Epistolis illustrat. S. Willibaldum intelligit.

Inter hæc illud notum facio dilectioni vestræ, quia cum in ipso libro, quem me explanare petistis, inspicerem plurima, tam miraculorum, quàm Epistolarum insignia non haberi, quæ in aliis libris inveni, molitus sum ex ipsis colligere, & in locis, quæ oportuna videbantur, inserere; fortassis enim ille venerandus vir, qui vitam S. Bonifacii inprimis scripsit, virtutes ejus multas, epistolasque nesciens, prætermisit. Sed mihi consideranti literas omnes, quas de eo habetis, in nullis major tanti præsulis authoritas, quam in Epistolis ab ipso vel ad ipsum directis videtur esse. Ibi namque apertissimè inspicitur, quanta veneratione primitus fuerit susceptus à Pontifice Romano, qualiterque eum ordinatum miserit ad prædicandum cunctis Germaniæ populis quanto etiam labore eandem Germaniam ad Christi fidem convertit, & quod non solum à paganis & hæreticis, sed etiam à pseudochristianis & pravis Sacerdotibus eam velut à luporum morsibus eripuerit; quantam gratiam à Francorum Principibus, Karlomanno scilicet & Pipino, obtinuerit, qui postquam eum Ecclesiæ Mogonciacensi præsulem decreverat, eandem, quæ prius Ecclesiæ alteri subdita erat, pro illius amore simul & honore, metropolim totius Germaniæ, Apostolico Pontifice consentiente, effecerit, quot sedes Episcopales statuerit, quæ privilegia quibusdam Ecclesiis obtinuerit. Postremò & illud ibi speculatur, quod etiam vobis modo peropus est, quomodo corporis sui locum, Cœnobium videlicet vestrum, (*b*) possessionibus & decimis specialibus sublimaverit.

Decima.

Tanta igitur authoritas licet à modernis quibusdam Sacerdotibus adnulletur, (*c*) continget tamen eis in testimonium damnationis, quod scientes terminos antiquos, & sanctorum Patrum decreta non debere transgredi, summoperè transgrediuntur, obliti verborum illorum, quæ Dominus ad electos pastores vel Doctores in Evangelio dicit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Neque enim hæc verba de præcedentium temporum rectoribus solummodo dicta sunt, sed etiam de illis, qui usque ad consummationem sæculi Ecclesiam suam sunt recturi, non destructuri. Nam de destructoribus & perversis pastoribus Dominus alibi dicit, Væ vobis legis peritis, qui tulistis clavem scientiæ, & ipsi non intrastis, nec alios intrare permisistis. Et rursum: Væ vobis Hypocritæ, qui decimatis mentam & anetum, & cyminum, & graviora legis præcepta reliquistis, hoc est, judicium, misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Multa quoque in Ezechiele Propheta hujusmodi pastoribus dicuntur. Sed si placet, interrogemus eosdem pastores, quomodo velint sua roborare, si præcedentium Patrum statuta judicaverint esse destruenda; vel quomodo ædificium superpositum stare possit, si fundamenta eis sunt ejicienda. fundamenta namque Ecclesiæ suæ primi Patres fuêre, sicut scriptum est: fundamenta ejus in montibus sanctis. Quicunque igitur lapidum superpositorum fundamenta talia sequi dedignatur, de ædificio cœlesti eliminatur. Ad hæc etiam dicamus quoddam argumentum, quod omnibus constat notum. Si quis itaque ditionis suæ sylvam extirpandam pro agricultura aggreditur, quantæcunque longitudinis & latitudinis voluerit agros exinde sibimet metitur, aliis verò non ea, sed qua vult mensura partitur, habens potestatem unicuique prout vult dividere. Cum ergò hoc ita esse sciatur ab omnibus, cur rogo ignoratur, quod primi principes Ecclesiarum, Apostoli scilicet, omnesque, qui eorum vestigia sequentes, unicuique genti sacram fidem primitus tradiderunt, extirpatis errorum variorum sylvis, in quibusdam populis ac provinciis potestatem habuerunt possessiones vel decimas, quæ sibi contingebant, illi & illi Ecclesiæ donare; quandoquidem juxta sanctorum Canonum decreta decimas in quatuor portiones dividentes, unam sibi, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam restaurandis Ecclesiis tradiderunt? Nunquid avaritiæ suæ tantum modo consulentes in distributione decimarum obliti sunt pauperum, restaurationisque Ecclesiarum, sicut modo, proh dolor, cernimus agi? Canones enim sancti, ex quorum authoritate exiguntur decimæ, non solum decimas dari, sed

Luc. 10.

Luc. 11.

Matth. 23.

Psal. 86.

(*b*) Inde concluditur non fuisse Monachum Fuldensem, ut voluit Canisius. Mab.

(*c*) Nicolaus Serarius hæc refert ad tempora Wideradi Abbatis, quando Hecelonis Hildenesheimensis Episcopi factione monasterium Fuldense rebus fere omnibus spoliatum est, teste Lamberto Scafnaburgensi ad an. 1063. at querela de solis decimis rectius quadrat Pseudo-Synodo Erphordensi an. 1073. habitæ ob exigendas decimas Turingorum; quæ res Turingos cum Saxonibus contra regem exacuit, ut legitur in M. S. Chronico Magdeburgensi. Mab. Habes illud Concilium in Labbæana editione ex Lamberto, qui cum Henricum Sigefridumque Maguntinum Episcopum vehementer ea de causa exagitet, non animadvertit 1. Concilio illi adfuisse plurimos Episcopos qui eandem ac Moguntinus præsul sententiam propugnarunt. 2. decimas illas non sibi vindicasse Imperatorem, sed Episcopum Moguntinum, qui eas ad se pertinere tuebatur 3. denique Abbates, quamquam eorum res ageretur, decreto Concilii annuisse. Quidquid sit, firmissima procul dubio est Mabillonii conjectura, quod probat evidenter vehemens illa Othloni circa decimas querela, Inde autem facile ipsius ætatem elicias, quippe fervebat adhuc, ni fallor, illa controversia, cum hunc prologum emisit. BASN.

sed etiam inter varios jubent distribui; ut in urbibus quibuslibet, & vicis, xenodochia habeantur, ut pauperes & peregrini alantur. Sed tam sanctum, tam necessarium praeceptum in plurimis locis non solum minimè curatur, sed etiam pænè ignoratur. Nam solummodo illud legitur, quòd Episcopis decimæ sint tribuendæ: quid verò exinde agendum sit, vel si quidquam aliud curandum sit circa Monasteria, tam à Clericis, miserabile dictu, quam à Laicis destructa; * circaque judicia Christianæ religionis subversa, oblivioni seu ignorantiæ commendatur. Unde vereor ne de præsentis temporis rectoribus avaritia inexplebili corruptis Psalmista prophetizans dixerit: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis*, cum enim nihil dicendum sit corruptum, nisi quod prius fuit integrum, rectores vel pastores quique in hoc quidem dici possunt fuisse integri, quia à Deo sapientia omnimoda ad judicium verum faciendum erant instructi; ideo autem corrupti, quia non secundum datam sibi sapientiam, sed juxta lucri obtinendi quantitatem judicant. Atque utinam ipsi pastores tantummodo dedignarentur pauperibus decimas dividere, & non alios quosdam, Monachos dico, apud quos aliqua adhuc hujusmodi cura exercetur, prohiberent; moliti antiquæ traditionis decimas ab eorum jure auferre. Cur igitur S. Bonifacius, cui Deus tantam in omni Germania potestatem contulit, ut quovis vellet Ecclesias, cœnobiaque fundaret, sedes Episcopales statueret, parochiasque earum divideret, non cuilibet loco, quem sibi specialiter elegit, possessiones & decimas aliquas donare potuit? Nonne per eandem auctoritatem, qua moderni Pontifices militibus, aliisque sæcularibus hominibus decimas dare solent, Sanctus Bonifacius Monachis vel pauperibus erogare easdem potuit? Si reliqua ejus statuta videntur sancta, si omnia quæ Canonicis distruibuit, sunt laudanda, cur quæso hoc solum quod Monachis & pauperibus dedit, decernitur injustum? Heu, heu, quod is, cui plurima divitibus dare licuit, licentiam dicitur non habere pauperibus vel pauca erogare. Super hoc obstupescite cæli, orbis quoque terrarum, & universi qui habitant in eo doleant, quia mundus jam in maligno positus est adeò, ut eis vivere invideat, illos extinguere studeat, qui ad hoc specialiter electi, & segregati sunt de mundo, ut majori studio intercederent pro ipso.

Sæc. XI. Anno 1074.

* Citraque.

Psal. 13.

Sed hujus querimoniæ interjectio jam finiatur, ut ad id, unde recessimus, stylus revertatur. Dixi namque prius, quod iterum dico, quia inter omnes literas, quas de S. Bonifacio habetis, Epistolæ illius mihi præcipuæ viderentur. Unde quascunque huic operi necessarias invenire potui, in unum colligere studui, sperans aliquem æmulum, & tantæ auctoritatis ignarum lectorem exinde posse ædificari. Proinde & vos fratres Fuldenses unicè peto atque admoneo, ut easdem Epistolas intentione summa legatis, Deo supplicantes, ut per ejus preces, à quo vel per quem scriptæ sunt, quique ut in eis legitur, sanctam Ecclesiam in Germania positam, maximo labore à pravis Sacerdotibus quondam eripuit, nunc etiam à similium potestate vos locumque vestrum defendere dignetur. Duos autem libellos, adjuvante Domino, tam de vita sancti viri, quàm de Epistolis supradictis scribere gestio; in priori quidem referens quis fuerit, quidque ante acceptam Mogonciacensis Ecclesiæ sedem in sancta Ecclesia laboraverit: in altero verò, quæ postea usque ad finem vitæ suæ gloriosum egerit.

Quis sim qui vobis fero munus tale laboris,
Vos quoniam scitis, nolite precor dare multis,
Ne persona mei vilis faciat mea sperni.
Sit magis hoc studium vobis deposcere Christum
Ut sibimet placita maneant præsentia scripta.

Sæc. XI. Anno 1074.

INCIPIT LIBER
DE VITA ET VIRTUTIBUS
S. BONIFACII
ARCHIEPISCOPI
ET
MARTYRIS.



I. *Bonifacius puer ad vitam Monasticam anhelat.*

CUM gens Anglorum sacræ fidei jugo per S. Gregorii Papæ Apostolatum subdita, ejus suffragantibus meritis, in sanctorum virorum procreatione præ multis nationibus splendere cœpisset, multaque lumina sanctæ Ecclesiæ, quibus variæ cordium obcæcationes illustrarentur, protulisset, inter hujus mundi lumina sanctum quoque Bonifacium velut luciferum quendam, cæteris sideribus clariorem, huic mundo edere meruit. Qui nimirum magna parentum sollicitudine nutritus, magnarum etiam virtutum, per incrementa temporum, amator est factus. Nam cum adhuc parvulus esset, si quem fortè Clericum vel laicum verbi divini notitiam deferentem audire contigisset, mox quantum ætatis suæ teneritudo prævaluit, quid sibi suæque qualitati exinde profectuosum foret, tractare cœpit. Cumque ita meditatione diuturna sese ad superna erigeret, patri etiam ea, quæ animo gerebat, revelavit, & ut suæ consuleret voluntati, rogavit. Audiens hæc autem pater ejus, primum obstupuit, deinde eum increpans, nunc minis, nunc verò blandimentis ad sæcularis vitæ curam impellere studuit. Ad hæc etiam, ut ejus animum adhuc tenerum à concepti perfectione propositi facilius declinaret, promisit se post vitæ suæ tempora, eum & prædiorum, & omnium rerum suarum hæredem facturum. Præterea protestatus est lubricæ ætati, humanæque fragilitati tolerabiliorem esse activam vitam, quàm contemplativam, meliusque esse inter mediocres vel extremos regni cœlestis cives quemlibet studiis facilioribus contubernium quærere, quàm per maxima, & pænè impossibilia perfectionis certamina incipere, deinde verò, dum ea nequit percurrere, in via deficere.

II. *Patre annuente eam profitetur.*

Sed puer sanctus virtute divina jam plenus, quanto magis eum pater revocare ad sæcularia studebat, tanto constantius in inceptis perdurare, & ad sacrarum literarum notitiam pertingere anhelabat. Unde miro dispensationis judicio factum est, ut pater, qui solus erat impedimento, repentina infirmitate correptus, pristinam mentis pertinaciam deponeret, puerumque per legatos idoneos ad Monasterium, quod prisco nuncupatur vocabulo *Adescancastre dirigeret, commendans eum Wolfhardo, venerabili ejusdem Monasterii Abbati, à quo protinus, sicut monasticus ordo poscebat, benignè susceptus, fratribus commendatus, universa religionis munia, quæ hujusmodi ætas permisit, benè cœpit, meliusque de die in diem complevit.

* *Sur. Adescancaster.*

III. *Studiis incumbit.*

Postquam verò pueritiæ annos transcendit, in tantum se venerabilium institutis Patrum, & sacræ lectionis subdidit exercitio, ut quibuslibet momentis augerentur in eo multarum insignia virtutum, impleretur que in illo quod Psalmista de quorundam profectu testatur dicens: Ibunt de virtute in virtutem. Denique cum incessabili sacrarum scripturarum meditationi deditus, omnem regularis vitæ disciplinam sub præfati Abbatis gubernatione, per annos plures custodiret, ibique tam pro desiderii sui quantitate, quàm Doctorum penuria, in lectione divina satiari nequiret, cum consensu Abbatis, fratrumque suorum, ad Monasterium, quod usque hodie dicitur Nuiscel-

Psal. 83.

Nuiscelle, pervenit, & beatæ memoriæ Winberti Abbatis, qui venerabiliter eidem Monasterio tunc præfuit, Magisterium elegit. Ubi tandem tam Grammaticæ artis, metricæque subtilitatis, quàm spiritualis intelligentiæ desiderata eruditione potitus, adeo in hac pollere cœpit, ut ejus scientiæ fama undique divulgata, ad ipsum etiam alii causa discendi confluerent. Veruntamen ex tantæ scientiæ dono sese nullatenus extollebat, nullum minoris ingenii spernebat, sed quanto majori vel literatoriæ intelligentiæ, vel aliarum virtutum excellentia à Deo præ cæteris promovebatur, tanto humilior, tanto devotior ad ejus compassionis & subjectionis studium sentiebatur, recolens jugiter illud Sapientis: Quanto magnus es, humilia te in omnibus.

Sæc. XI. Anno 1074. *Sur. Nutscelle.* *Eccl. 3.*

IV. Cum ergo eo, quo diximus, nisu, & ipse alios humilitate ac subjectione præveniret, & illum alii sapientiæ ejus rumore incitati, vel ipsius saluberrima doctrina instructi, mutuo honore prævenirent, ut patrem, universis in ejus laudem conclamantibus, atque ad singulos Ecclesiastici ordinis gradus eum promoventibus, tandem ad sacerdotalis officii dignitatem XXX. aut eo amplius annos habens eligitur. Suscepta verò Sacerdotii dignitate, qualem se exhibuerit, in utriusque hominis contritione, ut sacramenti cœlestis dignus fieret participatione, melius colligitur ex operum suorum Testimonio, quàm ullo verborum judicio.

Sacerdos ordinatur an. 30.

V. Eodem verò tempore regnante in Weft, Saxonum Rege, nova quædam seditio in partibus illis exorta est, pro qua compescenda statim prædicti Regis præcepto, primatumque suorum consilio synodale servorum Dei statuitur Concilium. Quo dum omnes convenirent, & dissensionis exortæ causam diffinirent, sapientibus quibusdam placuit, ut universa ibi diffinita ad Archiepiscopi venerabilis Cantuariæ civitatis, qui dictus est Berthwaldus, notitiam deferrent. Cui Rex unà cum omnium Clericorum atque Laicorum multitudine consentiens, sciscitatus est, quis potissimum hujus legationis delator esse potuisset. Tunc præcipuus inter eos Archimandrita Winberth, cujus superius mentionem fecimus, & Wintra, qui Monasterio * Wessesburch dicto præsidebat, & Beorwart, qui cœnobium, quod Glestingaburch nuncupatur, regebat, nec non & alii multi venerabiles viri sanctum Bonifacium accitum adduxerunt ad Regem, dicentes eum legationi tantæ idoneum. Moxque commissa à Rege legationis ejusdem causa, adhibitisque secum sociis, profectus est ad Cent, & Archiepiscopo prænominato sapienter, quemadmodum edoctus erat, omnia per ordinem intimavit, & post non multos dies reversus, præfato Regi, ac prædictis servis Dei ex legationis commissæ responso strenuè peracto, magnum universis contulit gaudium. Qua de re nomen ejus tam apud sæculares, quam apud Ecclesiastici ordinis viros celebre habebatur, adeò ut postmodum in eorum synodali sæpissimè peteretur interesse conventu.

Synodi statuta fert ad Episcopum. *Sur. Berctwaldum, vel Brichtwaldum.* ** Sur. Tiesserburg.*

Sed quia mens ejus Deo jam dedita, & ab omni humano favore fuerat sequestrata, cœpit omni modo tractare, qualiter parentum affiniumque suorum consortia relinquere, & ad aliqua procul posita loca pro Christi nomine posset transmigrare. Cumque hæc secum diutissimè tractaret solertissimeque deliberaret, tandem ad prædicti Abbatis notitiam detulit, & eum ad voluntatis suæ consensum magna precum instanstantia declinare studuit. Qui licet talia admirans diu poscenti obstiterit, licentiamque hujusmodi negaverit, postremo tamen, providentia divina prædestinante, convaluit sermo petentis, & tantam Abbatis, fratrumque suorum devotionem simul & curam adoptato itineri habere meruit, ut ei necessaria quæque pro viatico impenderent, variasque supplicationes cum lacrimis prolatas pro eo agerent, postulantes, ut Angelus Domini bonus comes ejus ubique esset, eumque ad prospera cuncta dirigeret. Ad hæc etiam duos fratres, quorum corporali, spiritualique juvamine sustentaretur, secum abire permiserunt. Sicque utriusque hominis supplemento suffultus, prospero cursu profectus est, pervenitque ad locum, qui antiquo Anglorum & Saxonum vocabulo appellatur Lundenwic, (a) ac non multo transacto postliminio, transiit ad Dorstet, ibique aliquandiu commoratus, debitas Deo persolvit die noctuque laudes. Sed quoniam per idem tempus hostilis dissensio exorta inter Karolum Principem gloriosumque Ducem Francorum & (b) Ratbodum Regem Fresonum, populos ex utraque parte perturbabat, maximaque pars Ecclesiarum Christi, quæ Francorum prius in Fresia subjectæ erant imperio, Ratbodi persecutione incumbente, idolorum culturæ lugubriter reddebatur: Ideoque vir Dei, perspecta tantæ perversitatis mole, ex illis partibus discessit, & pervenit ad Treht, (c) ibique etiam commoratis aliquan-

In Frisiam trajicit.

(a) Alia Lectio Ludenwik; est accuratior Londen, forte etiam Leiden in Hollandia, imo Ludiic. Scriverius not. MS. vide notam Mabillonii quam reposuimus ad an. 760. ibi Londinum asserit esse Basn.

(b) Radbodus fuit Frisonum Rex. Scriver not. MS.

(c) Trecht. ibid.

SÆC. XI. ANNO 1074.

quantis diebus, advenientem Regem Ratbodum allocutus est, obsecrans, ut à tanta pravitate quiesceret.

VI. *Abbatiam recusat.* Post hæc verò peragratis illius terræ partibus sollicicitè exploravit, si alicubi in ea provincia prædicationis pateret locus; cumque diuturna inquisitione intelligeret, se frustra ibidem prædicando laboraturum, arida spirituali fertilitate arva reliquit, & ad natale solum transmigravit. Interea accidit, ut Monasterii sui pater, deposito carnis ergastulo, vitam præsentem finiret. Cujus obitu fratres nimium contristati, sed à beato viro spiritualibus colloquiis lætificati, & ut regularis vitæ normam conservantes, patrem quemlibet spiritualem eligerent, omnimodo instructi, omnes ipsum sanctum, qui eo tempore Winfrid (*d*) dicebatur, unicè precabantur, ut pastoralem super eos suscipere curam dignaretur. At ille altiora quæque in animo gerens, non eorum preces ullo superbiæ fastu despexit, sed quæ intentio sua esset humiliter pandens, quod scilicet despectis cunctis patriæ facultatibus atque honoribus, pro Christi amore, proque aliorum salute peregrinari vellet, cum omnium charitate & licentia fratrum vota sua obtinuit. Et ut eisdem votis major authoritas eveniret, adiit etiam ipsius loci Episcopum venerandum, nomine Danielem, petens, quatenus ejus benedictione, & literis commendatitiis ad Romam profecturus uti mereretur. Quam petitionem Episcopus idem, nutu divino instinctus, benignè suscepit, efficaciter complevit. Nam pastoris providi intentionem gerens, & bonæ indolis virum, nomine Stephanum orbatæ congregrationi præesse fecit: & hunc Dei famulum per longas peregrinationis vias ire cupientem ad loca desiderata cum literis dimisit.

VIII. *Germaniam petit.* Tali igitur benedictione suscepta protinus valedicens fratribus, proficiscitur per longa terrarum spatia, perque ignotas maris vias, donec collecta undique non modica multitudo servorum Dei, eodem Spiritu ferventium, ad eum conveniret. Hi ergò omnes unanimiter per singulos dies multas Sanctorum Ecclesias adierunt, obsecrantes, ut opitulante Deo tutius alpium juga transcenderent, Longobardorumque ferocitatem erga se leniorem sentire mererentur. Cumque universa ferocissimæ gentis discrimina illæsi pertransirent, atque limina beati Petri Apostoli prosperè adirent, statim debitas Christo grates persolvunt, ibique abolitionem peccaminum, atque itineris sui fœlicem exitum deprecantes, sperata suffragia invenerunt. Nam postquam sanctus vir venerabilem sedis Apostolicæ præsulem, nomine Gregorium, (*e*) qui ejusdem nominis secundus tunc habebatur, allocutus, ei adventus sui causam manifestavit, & quali desiderio diutius desudasset, aperuit. Mox idem præsul hilari vultu intuitus in eum, inquisivit, an literas ab Episcopo suo commendatitias detulisset. At ille concitus chartam ex more involutam proferens, dedit Apostolico. Apostolicus verò acceptis lectisque literis, & comperto sancti viri desiderio, sedulum deinceps cum eo colloquium habuit, reverenterque eum ibi commorantem retinens, pro qualibusque Sanctorum reliquiis postulabat, illi tradidit. Ad hæc etiam illi committens in cunctis Germaniæ (*f*) populis curam prædicandi tradidit Epistolam, cujus exemplar tale invenitur:

Gregorius servus servorum DEI *Bonifacio religioso Presbytero.*

IX. *Gregorii Epistola.* EXigit manifestata nobis religiosi propositi tui piè in Christo flagrantis intentio, & approbata sincerissima fidei tua prolata relatio: ut ad dispensationem verbi divini, cujus per gratiam Dei curam gerimus, te comministro utamur. Experientes proinde, te ab infantia sacras literas didicisse, profectusque indolem ad augmentum crediti cœlitus talenti prospectu divini timoris extendere, videlicet gratiam cognitionis cœlestis oraculi in laborem salutiferæ prædicationis, ad innotescendum gentibus incredulis mysterium fidei instanti conatu expendere, collætamur fidei tuæ, & adjutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmissi conatus pium affectum usque ad Apostolicæ sedis modesta provisione perduxisti consultum, ut membrum ex membro proprii corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisque arbitrio humiliter te submittens, & ejus directioni justo tramite properans * solidati compaginis plenitudo existas. Ideo in nomine indivisibilis Trinitatis, per inconcussam auctoritatem beati Petri Apostolorum Principis, cujus doctrinæ Magisterio fungimur, & locum sacræ sedis administramus, modestiam tuæ Religionis instituimus, atque præcipimus, ut

* *Sur. soliditati.*

(*d*) Quod nomen postea fuit immutatum a Gregorio Papa, qui Bonifacium appellavit. Scriver. not. MS.

(*e*) Gregorium II. scil. Scriver. not. MS.

(*f*) A quo totius Germaniæ Ecclesiis præficitur. Scriver. not. MS.

ut in verbo Dei (quo igne salutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitere videris) ad quascunque gentes infidelitatis errore detentas properare, Deo annuente, potueris, mysterium regni Dei per insinuationem nominis Christi Domini Dei nostri veritatis suasione designes, & per spiritum virtutis & dilectionis ac sobrietatis prædicationem utriusque Testamenti mentibus indoctis consona ratione transfundas. Disciplinam denique sacramenti, quam ad initiandos Deo prævio credituros tenere studeas ex formula officiorum sanctæ nostræ sedis Apostolicæ, institutionis tuæ gratia prælibata, volumus ut intendas. Quod actioni susceptæ tibi deesse perspexeris, nobis ut volueris intimare curabis. Bene vale. Data Id. Maii imperante Domino piissimo Augusto * Leone à Deo coronato. Anno III. (*a*) Imperii ejus, indictione II.

** Sur. Leone II. Alii vocant tertium.*

X. *In Frisia prædicat.*

His literis acceptis à venerabili Papa profectus est inde ad Longobardorum Regem Luitprandum, à quo honorificè susceptus aliquandiu cum eo est hospitatus. Profectus verò exinde, ardua & prærupta alpium juga transcendit, incognitosque * Bagoariorum & Germaniæ terminos perlustrans, in Turingiam devenit, considerans & explorans in omnibus instar prudentissimæ apis, ubi postmodum nectaream sanctæ fidei dulcedinem colligere posset. Cumque per aliquot dies in Turingia commoraretur, interim omnes illius provinciæ principes verbis spiritualibus alloquens, ad sacræ fidei agnitionem, totiusque religionis tramitem revocavit. Sed & Sacerdotes, quos sceleribus variis deditos comperit, sermonibus Evangelicis admonens, ad institutionis Canonicæ normam correxit. Interea verò audita Ratbodi Fresonum Regis morte, qui persecutionem magnam per idem tempus in Christianos exercuit, magno repletus gaudio in Fresiam navigando devenit, ibique verbi divini semina spargens, plurimos ab errore idololatriæ retraxit.

** Sur. Bajoariorum.*

XI. *Episcopatum recusat.*

Sub eodem quoque tempore per venerabilem Willibrordum Trajectensis Ecclesiæ præsulem buccina cœlestis doctrinæ in Fresiam insonuit. Cujus studio sanctus Dei famulus Bonifacius omnimodo congaudens & adhærens, per tres continuos annos laboravit cum illo, tam in destruendis fanis, quàm in construendis Ecclesiis, omnibusque negotiis divinis. Unde factum est, ut quia prædictus Pontifex ætate jam decrepita gravatus, suggerentibus discipulis, solatium suæ senectuti providere cupiebat, hunc Dei famulum ad Episcopalis regiminis suscipiendum gradum, regendumque sibi commissum populum unicè obsecraret. Sed ille talia humiliter respuens, minimè se dignum esse Episcopali gradu referebat; & ne sibi in annis adolescentiæ adhuc constituto tantæ dignitatis fastigium imponeret, precibus omnibus instabat; attestans etiam, quia, juxta canonicæ institutionis præcepta, nec dum (*b*) quinquagesimi anni ætatem, qui hujus gradus culmini conveniret, pleniter reciperet. Prædicto verò Pontifice blandis illum verbis increpante, & ad suscipiendum Episcopatus ordinem instigante, diversisque pro hac spirituali contentione verbis invicem prolatis, hic sanctus vir in tanto agone positus, placidum tandem excusationis sermonem protulit, dicens: Onus regiminis, quod mihi indigno imponere cupis, sancte Præsul, suscipere non audeo, quia à beato Gregorio Papa in Germaniam, ob evangelizandi caussam directus sum, ipsiusque legationis gratia in has barbaras nationes adveniens, sponte me tuæ gubernationis imperio subjeci. Tantum ergò mandatum præterire, & aliud quodlibet negotium subire nullatenus præsumo. Unde Pater venerande, obsecro, ut in illas Regiones, ad quas à præsule Apostolico missus sum, cum tua gratia simul & licentia transire merear. Hæc audiens sanctus Willibrordus, data benedictione, permisit eum abire.

XII. *Frisones convertit.*

Ille verò exinde proficiscens, pervenit ad locum, cui nomen est Amanaburg, Deum ubique habens conviatorem; cujus etiam virtute atque protectione suffultus, quocunque perrexit, ubique sacræ doctrinæ notitiam dilatavit. Cumque ingentem populum Domino in Fresia prædicando acquireret, multique ab ejus spirituali doctrina educati, ad agnitionem veritatis pervenirent, adeò, ut supra dictum locum, cui gemini præerant germani, (*c*) Dietih videlicet & Dierorolf, Domino Deo auxiliante obtinens, collecta non pauca fratrum congregatione, monasterium construeret. Tunc etiam alias Germaniæ partes prædicandi causa adiit, Hessones videlicet in Saxonum con-

Sur. Dietichus & Dierolphus.

(*a*) Anno 719.

(*b*) Ante quinquaginta annos ad Episcopatus dignitatem quenquam evehi vetat Canonicæ institutionis præceptum. Scriverius not. MS. Sed unde illam legem hauserit Othlonus, quam veram putat fuisse Scriverius, non video. Fuerunt quidem variæ leges circa ætatem promovendorum ad Episcopatum, alii enim juniores admittebant; quippe quibus anni quindecim vel sexdecim sufficerent; quin imo puer decem annos natus aliquando potuit fieri præsul, ut patet ex concilio Toletano, & variis probatur exemplis. Fuit Lex Majoriani quæ 25. annos præscriberet, alii triginta, & apud Hispanos aliquando quadraginta postulabantur anni. De numero quinquagenario nihil vidi. Basn.

(*c*) Diedrich & Gerolf.

SÆC. XI. ANNO 1074.

confinio positos. Quos cum similiter à paganicæ superstitionis cultu magna ex parte converteret, multaque millia hominum baptismatis sacramento abluisset, misit quendam ex suis fidelem nomine Binnam ad Romam cum literis, denuntians venerando præsuli Apostolico universa, quæ circa illum divina pietas egerit, quantaque multitudo hominum sancti Spiritus gratia illustrata, regenerationis lavacrum ab eo susceperit. Sed & de rebus variis, quæ ad quotidianam regulæ Ecclesiasticæ necessitatem, populique noviter conversi curam pertinebant, prudenti interrogatione conscripsit. Prædictus verò legatus cuncta sibi commissa fideliter complens, Apostolico præsuli missas detulit literas, aliasque ab illo super universis quæstionibus propositis, continentes responsa Magistro suo deferens quantocius rediit.

XIII. *Romam vocatur à Gregorio.*

Cum autem sanctus vir delatas legisset literas, seque inter cætera invitatum ad Romam intellexisset, mox summum obedientiæ gradum contendens, clientum, fratrumque circum septus agmine Italiæ fines adiit. At Romanæ urbis mœnibus inspectis, omnipotenti Deo condignas gratiarum laudes retulit, seseque beatorum Apostolorum patrocinio commendavit. Deinde comperto sancti viri adventu, statim venerabilis Papa Gregorius illum ad se invitavit, & verbis familiaribus salutatum honorifico xenodochio deputavit. Adveniente verò oportuno collocutionis eorum die, ad Ecclesiam beati Petri Apostoli hic Dei famulus invitabatur. Ubi cum se mutuis ac pacificis satiassent colloquiis, præsul Apostolicus illum de symbolo, fideique Catholicæ traditione inquisivit. Ad hæc vir Dei respondit, dicens: Quia Domne Apostolicæ inquisitioni tantæ in communi sermone idoneus non sum respondere, quæso ut fidei, quam à me exigis, conscribendæ tempus mihi concedas, sicque mutis tantum literis denudatam agnoscere valeas. Quam petitionem cum Papa benignè susciperet atque concederet, parvo dehinc tempore transacto, vir Domini sanctæ atque Catholicæ fidei sententiam omni convenientia & eloquentia prolatam literis præfato Principi obtulit. At ille lectis eisdem literis, eum juxta se sedere fecit, & ut hujusmodi fidem constanter retineret, diligenter edoceret, admonuit. Multa quoque de religione spiritalis vitæ cum illo conferens, ita ut interdum integrum pænè diem colloquendo ducerent. Ad extremum, quod populi per devia idololatriæ, vel facinorum prius oberrantes, fidei documenta prædicatione perciperent, sciscitatus est.

XIV. *Ordinatur Episcopus.*

Cumque Apostolico de his omnibus satisfecisset respondendo, tunc ille intimavit sancto viro, quia Episcopatus gradum sibi imponere voluisset, ut eo constantius errantes quoslibet corrigere, & ad viam veritatis convertere posset, quò majori authoritate Apostolicæ dignitatis fulciretur, essetque cunctis tanto acceptior in prædicandi officio, quanto plus claresceret, quia ad hoc à præsule ordinatus esset Apostolico. *Psal. 108.* Quæ omnia vir Dei sagaciter perpendens, simulque cavens quod scriptum est: Qui noluit benedictionem, elongabitur ab ea, benedictionis tantæ gratiam non recusavit.

Adveniente ergò ordinationis ejus die, quæ erat pridie Kalendarum Decembrium, hoc est, in natali sancti Andreæ Apostoli, imposuit ei venerabilis Papa & Episcopatus ordinem, & alterius nominis, quod est Bonifacius, dignitatem, nam antea Winfrid dicebatur. Deinde ut eum ad obedientiam sibi, successoribusque suis exhibendam, nec non ad omnem sacræ fidei traditionem observandam arctius constringeret, exegit & accepit ab eo juramentum, quod scilicet in antiquis exemplaribus invenitur ita scriptum.

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, imperante Domino Leone Magno Imperatore, anno VII. (*d*) post consulatum ejus, sed & Constantini Magni Imperatoris ejus filii anno IV. Indictione VI. promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, tibi beate Petre Apostolorum princeps, Vicarioque tuo beato Gregorio Papæ, & successoribus ejus, per Patrem, & filium, & Spiritum sanctum, trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in unitate ejusdem fidei, Deo operante, persistere, in quo omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur, nullo modo me contra unitatem communis & universalis Ecclesiæ, suadente quopiam, consenti- *Matth. 16.* re, sed, ut dixi, fidem & puritatem meam atque concursum, tibi & utilitatibus tuæ Ecclesiæ, cui à Domino Deo potestas ligandi solvendique data est, & prædicto Vicario tuo atque successoribus ejus per omnia exhibere. Sed & si cognovero Antistites con-

(*d*) Sirmundus reponit an. VI. Sirmundo favet Marianus Scotus, verum retinendus videtur annus Leonis VII. & indictio VI. non a die 25. Septembris sed a Kalendis Januariis hoc loco numeranda; nam Bonifacius non potuit consecrationem accipere nisi an. 723. Sic Mabillon.

contra instituta antiqua sanctorum Patrum conversari, cum eis nullam habere communionem aut conjunctionem; sed magis, si valuero prohibere, prohibeam; si minus * nec fideliter statim domno meo Apostolico renuntiabo. Quod si, quod absit, contra hujus professionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo, seu ingenio, vel occasione, tentavero, reus incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præsumserit. * Hoc autem indiculum Sacramenti ego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria scripsi, atque ponens supra sacratissimum corpus sancti Petri, ita ut præscriptum, Deo teste & judice, feci sacramentum, quod & conservare promitto.

SÆC. XI. ANNO 1054.

* Hæc vox; nec, abest ap. Sur. Act. 5.

* Sur. Hunc autem indiculum.

XV. Litteris Papæ commendatur.

Postquam ergò hujusmodi promissionem jurando coram Gregorio Papa peregit, tunc & ipse eum in omnibus adjuvare, præferre, & venerari studuit. Nam libellum, in quo sacratissima Ecclesiasticæ Institutionis jura, pontificalibus digesta conventibus, habebantur, ei donavit; præcipiens, ut tam Clerus, quàm cæteri populi, suo regimini subjiciendi, institutis talibus erudirentur. Sed & familiaritatem sedis Apostolicæ sibi omnibusque sibi subjectis perenniter reservandam privilegio confirmavit, sicque eum literis transmissis non solum Karolo Duci glorioso, qui per idem tempus Francorum regnum gubernabat, sed etiam universis Ecclesiasticis viris, Principibusque in Germania constitutis, muniendum commendavit. literarum autem tunc missarum exemplaria, quia locus præsens exigit, ut inserantur, hic jam inserere cupimus, primum quidem, quæ ad Karolum Ducem, deinde verò, quæ ad cæteros Principes directæ sunt, ponentes.

* *Domno glorioso Filio Karolo Duci Gregorius Papa.*

* Sur. Domino.

XVI. Carolo duci Francor.

COmperientes te, in Christo dilectissime, religiosæ mentis affectum gerere, in multis opportunitatibus, debito salutis præmisso, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præsentem fratrem Bonifacium, fide & moribus approbatum, à nobis Episcopum consecratum atque institutionibus sanctæ sedis Apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus Ecclesiæ generali sollicitudine informatum, ad prædicandum plebibus Germaniæ gentis, ac diversis in Orientali Rheni fluminis parte consistentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obscuritatibus præpeditis, necessariò destinare. Pro quibus eum gloriosæ benevolentiæ tuæ omnimodo commendamus, ut in omnibus necessitatibus adjuvetis, & contra quoslibet adversarios, quibus in Domino prævaletis, instantissimè defendatis; certissimè retinentes, vos exhibere Deo, quæcunque huic promptissimo impenderitis favore: qui sanctis Apostolis suis, ad lucem gentium destinatis, suscipientibus eos se suscipiendum prædixit; quorum institutionibus per nos informatus præmissus Antistes in sorte prædicationis procedit. Joan. 13.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei universis reverentissimis & sanctissimis Fratribus, Coëpiscopis, religiosis, Presbyteris seu Diaconibus, gloriosis Ducibus, magnificis (a) castellis, Comitibus etiam, vel cunctis Christianis DEUM *timentibus.*

XVII. Episcopis.

SOllicitudinem nimiam gerentes pro speculatione credita, quia in umbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus, vel plaga orientali Reni fluminis, antiquo hoste suadente, errare quasi sub religione Christiana idolorum culturæ eos servire cognovimus; aliquos verò, qui nec dum cognitionem Dei habentes, nec baptismatis sacra unda sunt loti, sed comparatione brutorum animalium pagani, factorem non recognoscunt, necessario pro utrorumque illuminatione ad prædicandum rectæ fidei verbum, harum literarum portitorem Bonifacium, reverendissimum Fratrem nostrum Episcopum, ad easdem partes dirigere studuimus, ut & illis prædicando verbum salutis vitam provideat sempiternam, & si quos fortè, vel ubicunque à rectæ tramite fidei deviasse cognoverit, aut astutia diabolica suasos erroneos reppererit, corrigat, atque sui educatione ad portum restituat salutis, eosque ex Apostolicæ sedis hujus doctrina informet, & in eadem Catholica fide permanere instituat. Cui, hortamur ob amorem Domini nostri Jesu Christi, & Apostolorum ejus reverentiam, ut in omnibus

(a) Leg. Castaldis vel gastaldis; sic appellabantur prædiorum curatores, variabat tamen illud munus secundum loca & villarumque præfecti, rerum Dominicarum rectores & pro- Principes. BASN.

SÆC. XI. ANNO 1074. bus solatium exhibeatis, eumque in nomine Jesu Christi recipiatis, ut scriptum est de suis discipulis: Qui vos recipit, me recipit. (*Joan. 13.*) Providentes insuper necessaria itineris ejus, comitesque tribuentes, cibum etiam ac potum, vel si quid eguerit, largientes, ut uno labore & socia voluntate, opus sibi creditum pietatis, & negotium salutis, annuente Deo, perficiatur, atque præmium laboris percipere mereamini, * deque conversatione errantium merces vobis ascribatur in cœlis. Si quis itaque huic Dei famulo, ad illuminationem gentium ab hac Apostolica atque Catholica Dei Ecclesia destinato, assensum vel concursum præbuerit, exorantibus Apostolorum Principibus, consortium mereatur sanctorum Martyrum Christi Jesu. Si quis verò, quod non optamus, adversari ejus labori conatus fuerit, aut contrarius extiterit ministerio sibi credito, successorumque ejus in eundem laborem intrantium, ex sententia divina anathematis vinculo ligatus, perpetuæ damnationi subjaceat. Data Kal. Decemb. Imperante domno piissimo Augusto Leone, Imperii ejus anno VII. Sed & Constantini Imperatoris ejus filii anno IV. Indictione VI.

(* *Sur. conversione.*)

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Clero & Plebi, dilectissimis filiis in Domino salutem.

XVIII. *Clero & Plebi.* PRobabilibus desideriis nihil tarditatis præstantes, fratrem jam & Coepiscopum nostrum Bonifacium vobis ordinavimus Sacerdotem, cui dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque * in literarum, (*a*) vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut * expenitentiæ vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium notatumque ad sacros ordines permittat accedere. Sed & si quos hujusmodi repperit, non audeat promovere, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpius sunt probati. Ministeria atque * ordinatum Ecclesiæ, vel quidquid illud est, in patrimonio ejusdem non minuere studeat, sed augere. De reditu verò Ecclesiæ vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones, quarum unam sibi retineat, alteram Clericis pro officiorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam Ecclesiasticis fabricis noverit reservandam, de quibus divino erit redditurus judicio rationem. Ordinationes verò Presbyterorum seu Diaconorum non nisi quarti, septimi & decimi mensis jejuniis, sed & ingressu quadragesimali, atque medio vespere Sabbato sacro noverit celebrandas. Sancti autem Baptismi Sacramentum non nisi in paschali festivitate & Pentecoste noverit esse præbendum: Exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subvenire. Huic ergò sedis nostræ præcepta servanti devotis animis obsequi vos oportet, ut irreprehensibile, placidumque fiat corpus Ecclesiæ per Christum Dominum nostrum. Deus vos incolumes custodiat dilectissimi filii.

(* *Sur. illiteratum.* * *Sur. ex pœnitente.* * *Sur. ornatum.*)

Has quidem duas supra scriptas Epistolas communiter omnibus principibus in Germania constitutis, duas verò sequentes specialiter Turingis Principibus misit prædictus Papa.

*Viris magnificis * Asolfo, Godolao, Wilario, Cunthario, Albordo, & omnibus Deo dilectis Turingis fidelibus Christianis Gregorius Papa.*

(* *Sur. Asolpho, Godolao, Gunthorio, Alboldo.*)

XIX. *Principibus Turingiæ.* INsinuatam vobis magnificæ fidei constantiam agnoscentes, quòd paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena responderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem semel in Christo acceptam aliquatenus violare, repleti nimia exultatione grates debitas persolvimus DEO nostro, & redemptori, bonorum omnium largitori, cujus gratia comitante, vos ad meliora & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei veræ propositum sanctæ sedis Apostolicæ religiosis mentibus adhærere, & prout opus poposcerit, sacræ Religionis à memorata sancte sede Apostolica, spirituali omnium fidelium matre, solatium quærere, sicut filios cohæredes regni. Ministerio quoque præsentis fratris charissimi Bonifacii, quem ad vos Episcopum consecratum in sorte prædicationis destinavimus Apostolicis institutionibus informatum ad instruendam fidem vestram in omnibus volumus & hortamur obedientes ei consentire ad complementum in Domino vestræ salvationis.

Grego-

(*a*) Forte, in fronte litteratum. Scriver. not. MS.

Gregorius servus servorum Dei universo populo Turingorum.

DOminus Jesus Christus filius Dei, verus Deus, qui de cœlo descendit, homo factus est, pro nobis pati, & crucifigi dignatus est, & sepultus tertia die resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum, discipulis etiam suis sanctis ait: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & Spiritus Sancti, ipse in se credentibus vitam æternam promisit. Cupientes ergò vos in perpetuum nobiscum gaudere, ubi finis nullus est, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, sed gloria sempiterna, ideo fratrem nostrum sanctissimum Bonifacium Episcopum ad vos direximus, ut vos debeat baptizare, & fidem Christi docere, & ab errore ad viam salutis deducere, ut salutem habeatis, & vitam sempiternam. Sed vos ei in omnibus obedite, & ad ejus doctrinam corda vestra inclinate, quia illum non pro lucro aliquo temporali acquirendo direximus, sed pro lucro animarum vestrarum ad vos eum misimus. Diligite ergo Deum, & in nomine ejus baptismum suscipite, quia Dominus Deus noster, quod oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis ascendit, præparavit Deus diligentibus se. Jam recedite à malis operibus, & agite bene: non adoretis idola, nec immoletis carnes; quia Deus non recipit ista; sed in omnibus, secundum quod frater noster Bonifacius docuerit, observate, & agite, & salvi eritis vos & filii vestri in sempiternum. Facite ergò & domum, ubi debeat ipse pater vester habitare, & Ecclesias, ubi debeatis orare, ut Deus vobis indulgeat peccata vestra, & donet vobis vitam perpetuam.

XX. Populo Turingia. Mat. 28. Esai. 64. 1. Cor. 2.

Gregorius Papa universo populo provinciæ Altsaxonum.

SApientibus & insipientibus debitor sum, fratres charissimi, ideoque volens vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis & pro his, qui verbum exhortationis fidei Jesu Christi Domini nostri susceperunt, & qui adhuc suscepturi sunt, ut consolentur corda vestra instructa in charitate, & in omni plenitudine sapientiæ, annuntio vobis, quoniam propè est regnum Dei, ut nemo vos amplius decipiat, in sublimitate verborum, aut in quocumque metallo salutem vestram quæratis, adorantes idola manu facta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacunque materia facta, quæ falsidica nomina à paganis antiquitus quasi Dii facti sunt, in quibus dæmones habitare noscuntur. quoniam omnes Dii gentium, ut ait scriptura, dæmonia sunt, Deus autem noster cælos fecit. Quicunque autem in vobis susceperit Christum Jesum Dominum nostrum, in ipso ambulent radicati, & superædificati, & confirmati in fide, abundantes in gratiarum actione. Videte ne quis vos amplius decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam. Astutiores enim sunt filii tenebrarum, quàm filii lucis. Discedite ab idolorum cultura, & accedite, & adorate Dominum Deum nostrum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt: & vultus vestri non erubescent. Unus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum, & piscium, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Expoliate vos veterem hominem, & induite Christum novum, deponentes iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem quoque sermonem nolite de ore vestro proferre. Jam enim advesperascit dies sæculi, & appropinquat tempus tenebrarum. Ideoque nolite esse otiosi, sed potius operamini opus bonum, ut Christus habitet in vobis, & quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine D. N. J. Christi, gratias agentes Deo Patri per ipsum: respuentes gentilitatis sectam, scientes vos Dominum habere in cœlis. Orationi instantes, ad ipsum Dominum cor erigite: quoniam magnus est Dominus Deus noster, & laudabilis nimis, & terribilis super omnes Deos: qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Hoc etiam commoneo fratres, ut quicunque ex vobis voluerit, ad Christum converti, nullo modo eum prohibeatis, nec vim ei faciatis, sculptilia adorare. Ministrum quoque & Conservum in Domino, quem misi ad vos, Bonifacium fratrem ac Coepiscopum meum ad hoc ipsum ut cognoscat, quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra cum exhortationis verbo, in Jesu Christo Domino nostro suscipite, ut à diabolica fraude liberati mereamini adoptionis filiis aggregari.

XXI. Populo Altsaxonum. Psal. 95. Coloss. 2. Luc. 16. Col. 3. Psal. 95. 1. Tim. 2.

Tantarum itaque literarum authoritate suffultus sanctus Præsul Bonifacius proficiscitur in Germaniam, veniensque ad præfatum Principem Karolum, (*a*) literas ei Romani

XXII. Hessos aggreditur.

(*a*) Cognomento Martellum. Scriverius not. MS.

SÆC. XI. ANNO 1074.

mani Pontificis detulit, seseque illius dominio atque patrocinio subjiciens, cum consensu ejus in (b) Hessorum metas, quibus & antea prædicare cœperat, perrexit. Illuc ergò adveniens repperit plures ex eis, relicta Christianæ religionis cultura, variis erroribus implicatos. Alii namque lignis & fontibus clam vel apertè sacrificabant, alii verò aruspicia, & divinationes, præstigia & incantationes exercebant. Quidam autem alia nefanda quædam sacrilegia intendebant, pauci verò in via veritatis, quam semel acceperant, perstiterunt. Quorum etiam consilio arborem quandam miræ magnitudinis, quæ prisco paganorum vocabulo appellabatur (c) arbor Jovis, in loco, qui dicitur Gesmere, servis Dei secum astantibus succidere tentavit. Ad ejusmodi autem arboris incisionem magna paganorum multitudo concurrit, cupientes in sanctum virum, velut inimicum Deorum suorum, inter ipsa incisionis opera irruere & interficere. Sed dum arbor eadem paululum incideretur, mox quasi nutu divino agitata, in quatuor partes disrupta est. Quo viso pagani, qui illuc mente perversa convenerant, abjicientes omnem malitiam, benedicentesque Deo crediderunt. Tunc sanctus Præsul consilio inito cum Fratribus, ex illa ingentis arboris mole Oratorium construxit, hocque in honorem sancti Petri Apostoli dedicavit.

XXIII. *In Turingia falsos Christianos revincit.*

His itaque peractis, ad Turingiam quoque profectus est, illusque populi Principes magna ex parte à Christiana Religione deficientes, corrigere studuit. Postquam enim religiosorum Ducum dominatio in eis cessavit, cessare etiam Christianæ Religionis intentio cœpit, falsique quidam Christiani, quorum nomina sunt * Drothwin & Betheri, Canbereth & Hunred, inter eos hospitantes, maximam hæreticæ pravitatis introduxerunt sectam. Qui scilicet fornicatores & adulteri cum validissimum adversus hominem Dei excitarent conflictum, veris verborum oppositionibus confutati, dignam recompensationis sortiti sunt sententiam. Nam excommunicati & expulsi sunt de Ecclesia.

** Sur. Dorthwinus, Bertherus, Eanbertus & Humedus.*

Cum autem prædicationis ejus fama undique emanaret, credentiumque multitudo excrevisset, Ecclesiæ instaurantur, Monasteria ædificantur. Tunc etiam congregata servorum Dei multitudine, constructum est Monasterium in loco, qui dicitur Ordorf, sub honore sancti Michaelis Archangeli. Qui scilicet omnes Apostolico more viventes, labore proprio victum vestitumque acquisierunt. Cur autem in honore sancti Michaelis constructum fuerit idem Monasterium, breviter dicendum. Nam cum S. Bonifacius prædicando & baptizando in Turingia transiret, & prope flumen, cui nomen est Oraha, tentoriis fixis pernoctaret, tunc per totam noctem lux magna de cœlo sese protendens locum, ubi manebat Episcopus, circumfulsit. In qua etiam luce S. Michael Archangelus adveniens, Episcopo apparuit, eumque alloquens, in Domino confortavit. Mane itaque facto, laudans & benedicens Deum, ibidem Missarum solemnia celebravit. Deinde in eodem loco prandium sibi parari præcipiens, sed à Ministro suo audiens, cibum, quo vesci posset, se non habere, respondit, Nonne qui multitudinem populi in deserto XL. annis manna de cœlo misso, potuit pascere, mihi indigno servo suo non prævalet ad unius diei refectionem escam impendere? Hæc cum dixisset, ut mensa sibi apponeretur, præcepit. Interea quædam avis advolans, piscem talem, qui ad unius diei refectionem sufficeret, attulit, & ante mensam projecit. Quo viso, sanctus Præsul Deo gratias retulit, piscemque allatum citò præparari jussit. Illo verò præparato & comeso, reliquias in flumen projici præcepit.

XXIV. *Turingiam peragrat.*

Exinde ceptum carpens iter, & Turingiam peragrans diligenter investigavit, cujus ille locus esset, ubi visio tanta sibi apparuit. Compertoque quod Hugo, qui dicebatur senior, illius loci possessor esset, petiit ab eo, ut sibi dare dignaretur. At ille petita annuens, primus omnium Turingorum, hæreditatem suam tradidit venerando Præsuli. Deinde verò Albolt, aliique plures contigua prædicto loco prædia tradiderunt. His igitur adeptis, S. Bonifacius rediens, in eodem loco frutecta extirpare, terramque incolere jussit, & jacto fundamento, Ecclesiam construi fecit. Hæc autem in libro quodam antiquo scripta reperiens, ideo inserere decrevi, ut agnita causa, unde Monasterium prædictum extructum fuerit, & ipse locus, & fundator ejus angelica visitatione digni, sub veneratione majori habeantur.

XXV. *Cooperatores ex Brittannia adscribit.*

Prædicans ergò & baptizans S. Præsul Bonifacius in Turingorum & Hessorum (d) regionibus, perspexit messem quidem esse multam ibi, sed operarios paucos, ad copiosam

(b) Apud Surium die V. Junii *ad Cattorum, quos Hesos vocant, quibus jam prædicare antea cœperat, regionem abiit.* Ita quos Othlo Hessos, ille Cattos exponit, quod non conveniebat, nisi prius docuisset Cattos veteres in Hassia fuisse: sed sic solet ille veterum monumenta interpolare. Scriverius not. *M*S. Iniquus tamen videtur hic Scriverius in Surium; quis enim nescit Cattos eosdem esse cum Hassiæ colonis; quanquam id siluisset Surius? sed tamen ne dubium aliquod obreperet, monitum fecit lectorem, ideoque nihil criminis in eo animadvertitur. BASN.

(c) Arbor Jovis, Robur Jovis, Scriverius. ibid.

(d) Iterum hic Cattos reposuit Surius. Scriver. not. MS.

piosam multitudinem credentium instruendam. Unde in provinciam, patriamque suam mittens, exinde tàm fæminas, quàm viros religiosos, scientiaque varia imbutos, plures venire fecit, suique laboris onus inter eos divisit. Inter quos erant præcipui quidem viri, Burchardus & Lullus, Willibalt, & Wunnibalt frater ejus, Witta & Gregorius; fæminæ verò religiosæ, matertera scilicet sancti Lulli, nomine * Chunihilt, & filia ejus † Berathgit, Chunidrut, & Tecla, Lioba & Waltpurgis, soror Willibaldi & Wunibaldi, sed Chunihilt, & filia ejus Besathgit valde eruditæ in liberali scientia, in Turingorum regione constituebantur Magistræ, Chunitrud in * Bagoariam destinata est, ut verbi divini semina ibidem spargeret, Tecla verò juxta fluvium † Moin, in locis * Kihhingen & Ochsnofrutt nuncupatis, collocavit. Liobam quoque ad † Biscofesehein, ut illic multitudini Virginum congregatæ præesset, constituit.

SÆC. XI. ANNO 1074.

* Sur. vocat Cunigildem.

† Sur. Bertgitem.

* Sur. Bajoariam.

* Sur. Meganum.

† Sur. Kisfinga & Ochnosfurti.

† Sur. Bischofschemium.

Cumque millia hominum tam per se, quàm per suos provinciales ad fidem sacram * perducta, baptismatis unda diluisset, jam defuncto beatæ memoriæ Gregorio secundo, sedis Apostolicæ præsule, & tertio Gregorio eandem sedem obtinente, iterum beatus Bonifacius Romam legatos misit, qui apud Præsulem prædictum prioris amicitiæ fœdera renovantes, omnem familiaritatis gratiam, quam ab antecessore suo habuisset, expeterent, omnemque subjectionem, Apostolicæ sedi debitam, à se promitterent, conversionem quoque plurimorum in Germania habitantium intimarent. Postquam verò legati supradicti Romam venientes, venerabili Papæ talia denuntiabant, statim Deo gratias retulit. Deinde non solum omnia familiaritatis & amicitiæ jura à S. Bonifacio postulata promisit, sed etiam ea, quæ minimè petiit. Idem Archiepiscopatus pallium direxit. Epistolam quoque continentem diversa, pro quibus interrogatus fuerat, Præsuli sancto remisit. Cujus exemplar subsequenter inseretur.

XXVI. Gregorio nuncios mittit.

* Producta.

Reverentissimo & sanctissimo Fratri Bonifacio Coepiscopo ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaque in umbra mortis morantibus gentibus, in errore constitutis, ab hac Apostolica sede directo, Gregorius servus servorum Dei.

Magna nos habuit gratulatio, lectis sanctissimæ fraternitatis tuæ literis, cum eis relecta serie fuisset repertum, Domini nostri Jesu Christi gratia plurimos te à gentilitate & errore ad veræ fidei agnitionem convertisse. Quod quia institutione divina docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque lucratum fuisse, in talis commercii lucro cum tota plaudimus Ecclesia. Hinc jure tibi sacri palatii direximus munus, quod B. Petri Apostoli authoritate suscipiens, induaris, atque inter Archiepiscopos unus, Deo authore, præcipimus, ut censearis. Qualiter autem eo utaris, ex mandato Apostolico informatus cognosce. Itaque dum Missarum solennia geris, vel Episcopum te contigerit consecrare, illo tantummodo tempore eo utaris. Quia verò turbas Domini gratia in eisdem partibus ad rectam fidem asseruisti conversas, ideoque nequire te occurrere omnibus, quæ salutis sunt, impendere aut intimare, cum jam longè lateque gratiâ Christi, ejus fides * in illis partibus propagaretur, præcipimus, ut juxta sacrorum Canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis debeas ordinare Episcopos; pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas Episcopatus. Presbyterum namque, quem præterito asseruisti anno ad nos venisse, in nostroque judicio fuisse à suis nefariis absolutum actionibus, credas, neque nobis confessionem aliam fecit, nec à nobis, ut suos expleat libitus, absolutus est. Sed si eum errori deditum repereris, hunc Apostolicæ sedis vigore, ut juxta sanctorum Canonum censuram corrigas, & emendes, præcipimus; vel si quos forsan tales inveneris. Ille enim veniens, Presbyter sum, ait, & commendatitias ad filium nostrum Karolum literas expetiit. Nullam illi aliam concessimus licentiam. quem vitari, si prave conversatur, cum reliquis, volumus, eosdemque, quos à paganis baptizatos esse asseruisti; si ita habetur, ut denuò baptizes in nomine sanctæ Trinitatis, mandamus. Inter cætera agrestem caballum aliquantos comedere adjunxisti, plerosque & domesticum. Hoc nequaquam fieri deinceps, sanctissime frater, sinas, sed quibus potueris, Christo juvante, modis, per omnia compesce, & dignam eis impone pœnitentiam. Immundum enim est, atque execrabile. Pro obeuntibus quoque consuluisti, si liceat oblationes offerri. Sancta sic tenet Ecclesia, ut quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque Presbyter eorum faciat me-

Epist. Gregorii III.

Matth. 25.

* Sur. in illis propagetur.

 moriam:

SÆC. XI. ANNO 1074.

moriam: & quamvis omnes peccatis subjaceamus, congruit tamen, ut Sacerdos non nisi pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat. Non enim pro impiis, quamvis Christiani fuerint, tale quid agere licebit. Eos etiam, qui se dubitant fuisse baptizatos, vel qui à Presbytero Jovi mactante, & immolatitias carnes vescente, baptizati sunt, ut baptizentur præcipimus. Progeniem suam unum quemque usque ad septimam generationem observare decernimus: & si valueris, devitandum doce, ne, cui uxor obierit, * & amplius quàm duabus debeat copulari. De his verò dicimus, qui patrem, vel matrem, vel fratrem, aut sororem occiderint, ut toto vitæ suæ tempore corpus dominicum non suscipiant, nisi suo exitu pro viatico: abstineant etiam à carnis commessatione, & potu vini, donec advixerint. Jejunent secunda, quarta, & sexta feria, ut sic deflentes possint diluere commissum scelus. Hoc quoque inter alia crimina agi in partibus illis dixisti, quod quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venundent mancipia, quod ut magnopere corrigere debeas, frater, commonemus, nec sinas fieri ultra. Scelus enim est, & impietas. Eis ergò, qui hoc perpetraverunt, similem homicidæ indices pœnitentiam. At quoties Episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum Episcopi, ut Deo sit gratum, quod geritur, & eis convenientibus, ipsisque præsentibus consecres. Hæc te, charissime frater, diligenter observare volumus, & studio pietatis cœptum negotium salutis exequi, ut de lucro apportato valeas à Domino Deo nostro mercedem percipere in æterna beatitudine. Privilegium verò, juxta quod petisti facientes, his junctum direximus; optantes te Domini Dei nostri præsidio de conversione errantum plenissimum apportare lucrum. Deus te incolumem custodiat, reverentissime Frater.

Sur. non habet particulam &.

XXVII. *Monasteria exstruit.* Redeuntes ergò nuntii, & gratiosa Præsulis Apostolici dona, scriptaque reportantes, lætissimum efficiunt sanctum Bonifacium. Unde & debitas Deo laudes, gratiasque agens, duas mox Ecclesias Domino construxit, unam quidem in * Frideslar, quam in honore Principis Apostolorum, S. Petri consecravit, alteram verò in † Hamanaburch, quam in honore S. Michaelis Archangeli dedicavit. Duo quoque Monasteriola duabus subjunxit Ecclesiis, hisque non minimam Deo servientium concionem subrogavit, ubi hucusque laudis & servitutis divinæ officia peraguntur.

** al. Fritislar.*
† Sur. Amanaburg.

XXVIII. *Romam tertio proficiscitur.* Quæ postquam gesta sunt, S Bonifacius * Bagoariorum terras, quibus per idem tempus Hugbertus Dux præerat, adiit, prædicationisque studium apud eos diligentissimè exercens, tanto divinæ æmulationis zelo armatus est, ut quendam schismaticum, hæretica pravitate plenum, nomine Ermwolfum, juxta Canonum decreta, damnasset, atque ab Ecclesia expulisset. His peractis, rursum ad eos, qui sub suæ gubernationis diœcesi commorabantur, remeavit, circuiens ubique, & instaurans, quæ cura poposcit Ecclesiarum. Eo etiam (*a*) tempere Romam ire decrevit, tam pro hoc, ut Apostolici patris, cujus faciem nec dum agnoverat, salubri frueretur agnitione simul & colloquio, quàm ut se sanctorum Apostolorum, aliorum sanctorum, in urbe Romana quiescentium, orationibus commendaret. Profectus ergò illuc, multa comitante turba Francorum & Bagoariorum, nec non ex Britannia convenientium, præsentatusque Apostolico, benignè susceptus est ab eo, tantaque à cunctis Romanis veneratione habebatur, ut multi ad salutarem ejus doctrinam confluerent, illumque diu secum retinerent. Post hæc verò, cum remeare decerneret, muneribus, & reliquiis Sanctorum, pro quibuscunque petiit, datis, honorificè ditatus est à Præsule Apostolico. Adhæc etiam ei Epistolas quasdam Episcopis Abbatibus, atque Principibus cunctis in Germania constitutis transmittendas dedit. Quarum exemplaria sub sequenter hic inserentur.

** Sur. Bajoariorum.*

Gregorius Episcopus servus servorum DEI *dilectissimis nobis omnibus Episcopis, venerabilibus Presbyteris, religiosis Abbatibus omnium provinciarum.*

DOmino cooperante, & sermonem * confirmante, sanctissimus vir Bonifacius, frater ac Coëpiscopus noster à decessore nostro sanctæ recordationis, præsule Gregorio, in Germaniæ partes missus prædicare verbum Dei, post multum temporis, orationis causa, liminibus sacris beatorum Apostolorum Petri ac Pauli præsentandus advenit. Qui perfecta oratione, ad acceptum laborem, Angelo Domini præveniente, à nobis est absolutus: cui nostra omnium dilectio, seu reverentia, & religiositas,

** Sur. confirmante, præsens sanctissimus.*

(*a*) Hæc profectio contigit an. 738. circa autumnum Mab.

giositas, propter Christi amorem, juvamina impendere dignetur: dum & agnoscitis, quæ Dominus noster Jesus Christus promisit, dicens: Qui suscipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et si forsan quis ex vestris ministris sese ipsi sanctissimo viro in ministerio exhortationis sanctæ Catholicæque fidei adjungere voluerit, nullo modo prohibeatis, charissimi, sed magis concursum præbete, & ex vestro ovili adjutores ei tribuite, quæ possint per Dei gratiam sufficienter gentibus ministrare verbum prædicationis, ut omnipotenti Deo nostro animas lucrifaciant: & ut vestra communitas boni operis portionem sortiatur, atque illi mereantur dominicam vocem audire: Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Sæc. XI. Anno 1074. Matth. 10. Matth. 19.

*Gregorius Papa universis optimatibus, & populo provinciarum Germaniæ, Turingis & Hessis, Borthariis, Nistresis, Wedrevis, & Lognais, * Suduosis & Grabfeldis, vel omnibus in orientali plaga constitutis.*

* Sur. Sudunodis & Graveldis.

XXIX. Greg. Epist. ad Episcopos Germaniæ.

Quoniam decessor noster sanctæ recordationis Gregorius Præsul, nutu divino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam, præsentium portitorem literarum Bonifacium, reverentissimum fratrem nostrum, ac Coepiscopum, ordinans, ad vos usque destinavit, eumque regulam & normam Apostolicæ & Catholicæ * fidei Romanæ, cui, auctore Deo, deservimus, Ecclesiæ, edocens, direxit: & post temporum spatia orationis causa ad limina B. Apostolorum sese præsentavit, & quæ ad salutem animarum pertinent, à nobis exposcit imbui: nos, Deo favente, ut docet sacra scriptura, eum educantes ad vos, charissimi, remeandum absolvimus; hortantes vos in Domino, ut dignè suscipiatis ab eo verbum exhortationis, & Episcopos vel Presbyteros, quos ipse ordinavit per Apostolicam sibi datam authoritatem, in Ecclesiæ ministerio recipiatis. Et si quos forsan deviantes invenerit à rectæ fidei tramite, seu canonica doctrina, eosque prohibuerit, à vobis nullo modo impediatur: & quod eis impositum fuerit, obediendo propter Deum suscipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, sibimetipsi damnationem acquirit. Vos autem charissimi, qui in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis, abstinete ab omni cultu paganorum, non tantum vosmetipsos corrigentes, sed & subditos vestros. Divinos, vel sortilegos, vel sacrificia mortuorum, seu lucorum, vel fontium auguria, vel phylacteria, & incantatores, & maleficos, & observationes varias, quæ in vestris finibus fieri solebant, omnino respuentes, atque abjicientes, tota mentis intentione ad Deum convertimini, ipsum timete, adorate, & honorificate, sanctorum memoriis communicantes, ut ait Apostolus. Si enim fides vestra, juxta Domini nostri dicta, fuerit sicut granum sinapis, * diceretis monti huic, Tollere, & mittere in mare: & transferetur. Ipse enim Dominus & Salvator noster in suo sacro eloquio docet, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto virtute tua. Et iterum: Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo, qui in cœlis est. Item alibi promittit, dicens: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis. Et iterum: Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Et vos charissimi facite fructus dignos, ut in die adventus Domini nostri Jesu Christi sidereas adipisci mereamini mansiones. * Bene valete.

* Sur. fidei edocens direxit. Sic legendum. Basn.

Gal. 3. Gal. 6. Luc. 17. * Sur. diceretis monti huic, Transfer, & transferetur. Matth. 22. Luc. 12. Joan. 4. Matth. 7. Hæc duo verba. Bene valete, absunt in S.

*Dilectissimis nobis Episcopis in provincia * Bagoariæ & Alemanniæ constitutis, Wigoni, Luidoni, Rudolto, & Vivilo seu † Adde, Gregorius Papa.*

* Sur. Bajoariæ. † Sur. Addæ.

XXX. Ad Episcopos Bajoariæ.

Catholica & sanctorum Patrum authoritas jubet, ut bis in anno pro salute populi Christiani, seu exhortatione adoptionis filiorum, synodalia debeant celebrari, ut causarum canonicarum examinatio provenire possit, atque ut necessitas unius cujusque poposcerit, pia educatio agatur. Unde secundum Apostoli doctrinam admoneo & adhortor vos, charissimi, per misericordiam Dei, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, ut ministerium vestrum perfectum sit coram Domino. Oportunum namque est vos nosse fratrem, ac Coepiscopum nostrum, præsentem Bonifacium, nostram agentem vicem, cum digno & debito honore pro Christi nomine suscipere, & ministerium Ecclesiasticum cum fide Catholica, secundum morem & normam sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, cui, misericordia Dei præveniente, præesse

Ephes. 4.

SÆC. XI. ANNO 1074.

præsse videmur, sicut Apostolica auctoritate à nobis destinatus est, ab eo suscipientes, dignanter teneatis, & gentilitatis ritum, & doctrinam, vel venientium Brittonum, vel fassorum Sacerdotum, & hæreticorum, aut undecunque sint, renuentes, ac prohibentes, abjiciatis; & ut populum vobis à Deo commissum piis admonitionibus edoceatis, & à sacrificiis mortuorum omninò abstineatis, & juxta quod fueritis à prædicto nostro Consacerdote edocti, ita Catholicam & Apostolicam doctrinam tenentes, Domino Deo * Salutari nostro placeatis, & in quo vobis loco ad celebranda consilia convenire mandaverit, sive juxta Danubium, sive in civitate Augusta, vel ubicunque indicaverit, pro nomine Christi parati esse inveniamini: quatenus cognoscamus per ejus mandatum de vestro conventu, ut in die adventus Christi Jesu cum fructu boni operis ante ejus tribunal assistere mereamini, dicentes: Ecce nos & pueri, quos dedisti nobis, Domine, non perdidimus ex eis quenquam, ut & vos dominicam vocem audire mereamini, dicentem: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.

Sur. salvatori. *Joan.* 18. *Matth.* 25.

XXXI. *Tres Episcopos constituit in Bajoaria.*

Acceptis ergò talibus Epistolis S. Bonifacius à Roma discessit, Italiamque perveniens, Ticine urbis ingressus est mœnia, & apud Luitprandum Longobardorum Regem aliquandiu commorabatur. Inde verò digrediens terras * Bagoarium ab Otilone Duce invitatus visitavit, mansitque apud eos diebus multis verbum Dei prædicans, veræque fidei sacramenta illic renovans. Inter quæ etiam destructores quosdam Ecclesiarum, populique seductores abigebat, quorum alii falso se Episcopatus gradu prætulerunt, alii verò Presbyteratus officio se deputarunt, alii etiam innumera perversitatis figmenta sequentes, magna ex parte populum seduxerunt. Sed sanctus Præsul cum tantam sacerdotum fallaciam, atque malitiam aliter non posse prohiberi, conspiceret, provinciam Bagoariæ, Otilone Duce consentiente, in quatuor divisit parochias, tresque magnarum virtutum viros eis præfecit, quos ordinatione facta in Episcopalem gradum sublimavit. Quorum primus nomine Johannes, in oppido, quod dicitur Saltzpurg, cathedram Episcopalem suscepit. Secundus (*a*) Erinbertus, in Frisingensi Ecclesia regimen pontificale subiit. Tertius (*b*) Gowibolt, in Ratisponensi civitate, quæ metropolis * Bagoariæ est, Pontifex constituitur. † Vivalus quoque à Præsule Apostolico jam ordinatus, Patavienfi Ecclesiæ prælatus est; sed ejus parochia, quæ quarta erat, à S. Bonifacio, sicut cæteræ, dividebatur. His ergò Pontificibus constitutis, & quæcunque tunc corrigenda erant in Bagoaria correctis ad proprias rediit Ecclesias. Post non multum verò temporis omnia, quæ tunc in Bagoaria corrigendo gessit, literis transmissis, Præsuli Apostolicò denunciavit. At ille gesta ejus laudans, remisit hujusmodi scripta.

** Sur. Bajoariorum ab Utilone.* ** Sur. ubique vocat Bajoariam.* *† Sur. Vivilus.*

Reverentissimo & sanctissimo Fratri Bonifacio Coepiscopo, Gregorius servus servorum Dei.

XXXII. *A Gregorio approbationem; etit.* *Rom.* 8.

DOctoris gentium egregii & beati Pauli Apostoli vox est, dicentis: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Agnoscentes itaque in syllabis fraternitatis tuæ, quia de Germaniæ gentibus, quas sua pietate Deus noster de potestate paganorum liberavit, & ad centum millia animas in sinum sanctæ matris Ecclesiæ tuo conamine & Karoli Principis Francorum aggregare dignatus est. Sed & in Bagoariorum provincia, quæ à te acta sunt, agnoscentes, datori omnium bonorum Domino Deo nostro extensis ad cœlum manibus gratias retulimus: quia januam misericordiæ & pietatis in illis partibus Hesperiis ad cognoscendam viam salutis aperuit, & misit Angelum suum, qui præparavit viam tuam ante te. Igitur quia indicasti, te perrexisse ad gentem * Bagoariorum, & invenisse eos extra ordinem Ecclesiasticum viventes, dum Episcopos non habebant in provincia nisi unum, nomine Vivilum, quem nos paulo ante ordinavimus, & quia cum assensu Otilonis Ducis eorundem * Bagoariorum, seu optimatum provinciæ illius, tres alios ordinasses Episcopos, & in quatuor partes illam divisisti, id est, in quatuor parochias, ut unusquisque suam habeat parochiam: benè & satis prudenter peregisti, frater, quoniam Apostolicam præceptionem ex nostra vice implesti, & sicut tibi præcepimus, ita egisti: Itaque non desinas, frater reverentissime, docere eos sanctam Catholicam & Apostolicam Romanæ sedis traditionem, ut illuminentur rudes, & viam salutis teneant, per quam possint ad æterna præmia pervenire. Presbyteros verò, quos ibidem reperies, si incogniti fuerint viri illi,

** Bajoariorum.* ** Baioariorum.*

(*a*) Sur. Erimbertus, nepos & successor Corbiniani.
(*b*) Gaubaldus vocatus ab Arnolfo comite: de vita Emerammi 1. lib. 1. cap. 1. Mab.

illi, à quibus ſint ordinati. & dubium eſt, eos fuiſſe Epiſcopos, qui eos ordinaverunt, ſi bonæ actionis & Catholici viri ſunt ipſi Presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omnique lege ſancta educati, ab Epiſcopo ſuo benedictionem Presbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungantur. Illi verò, qui baptizati ſunt per diverſitatem, & declinationem linguarum gentilitatis, ſi tamen in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manus impoſitionem, & ſacri chriſmatis confirmari. Nam Vivilus Epiſcopus à nobis eſt ordinatus. Hic ſi aliquid excedit contra canonicam regulam, doce & corrige eum juxta Romanæ Eccleſiæ traditionem, quam à nobis accepiſti. De Concilio verò, ut juxta ripam Danubii debeas celebrare, noſtra vice præcipimus fraternitati tuæ Apoſtolica authoritate, te ibidem præſentari, & in quantum Dominus tibi vires dederit, prædicare verbum ſalutis non ceſſes, ut religio Chriſtiana in nomine Domini creſcat & multiplicetur. Nec enim habebis licentiam, frater, pro incepti laboris utilitate in uno morari loco, ſed confirmatis cordibus fratrum, & omnium fidelium, qui rareſcunt in illis Heſperiis partibus, ubi tibi Dominus aperuerit viam ſalutis, prædicare non deſinas, & ubi locum inveneris, ſecundum canonicam regulam Epiſcopos ordina ex noſtra vice, & Apoſtolicam atque canonicam traditionem eos tenere, edoce. Ex hoc enim magnum mercedis præmium tibi præparabis, quoniam omnipotenti Deo noſtro facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectiſſime frater, itinera carpere aſpera & diverſa, ut chriſtiana fides longè lateque tuo conamine extendatur. Scriptum namque eſt: arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam. Operare itaque, frater, opus bonum, quod cœpiſti, ut in die Chriſti Jeſu merearis dicere: Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Et iterum: Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum, ut ſubſequenter audire merearis vocem Domini, dicentis: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: Intra in gaudium Domini tui. Deus te incolumem cuſtodiat, Reverentiſſime Frater. Data IV. Kal. Novembris, Imperante piiſſimo Auguſto Leone, Imperii ejus anno XXIII. ſed & Conſtantini Imperatoris ejus filii Anno XX. Indictione VIII.

Sæc. XI. Anno 1074. — *Matth. 7.* — *Joan. 18.* — *Matth. 25.*

Per idem tempus Karolo Duce glorioſo temporalis vitæ curſum conſummante, filii ejus Karolomannus & Pipinus in patris ſucceſſerunt imperium. Sed quia ad nutum Karlomanni, qui majoris ætatis erat, omnia parti regni jura diſponebantur, hunc S. Bonifacius adiens, præſuliſque Apoſtolici ſcripta deferens, omnino popoſcit, ut Chriſtianæ religionis culturam, quam pater ejus * in promptiſſimo animo cœpit & excoluit, ipſe quoque pro Dei amore, ſuique regni ſtabilitate, nec non pro communi omnium ſibi ſubjectorum ſalute eodem animo excoleret. His ille precibus, quaſi divino affatu compunctus, omnes ſub imperio ſuo degentes, laicos ſimul & Clericos, à religione Chriſtiana deviantes, tam regali, quàm canonica authoritate ad viam juſtitiæ revocare ſtuduit. Præcipiebat enim, ut, conventu ſynodali habito, ibi omnia juxta canonum decreta corrigerentur, cujus nimirum conventus ſynodalis ſtatuta, quia non ſolum ſæcularibus, ſed Eccleſiaſticis etiam rectoribus ædificationem magnam conferre poſſe videntur, prout in antiquis exemplaribus ſcripta invenimus, hic ponere volumus. ſic enim ſcripta inveniuntur.

XXXIII. *Synodum Liptinenſem celebrat.* — * *Ita corrigo. m. ſ. impromptiſſimo.*

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, XI. Kal. Maii, cum conſilio ſervorum Dei & optimatum meorum, Epiſcopos, qui in regno meo ſunt, cum Presbyteris, ad concilium & ſynodum pro timore Chriſti congregavi, id eſt, Bonifacium Archiepiſcopum, Burchardum & Reginfridum, Witanum, & *Willibaldum, Dadanum, & Addanum, cum Presbyteris eorum, ut mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei & Chriſtiana religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum diſſipata corruit, & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ pervenire poſſit, qui per falſos ſacerdotes hucuſque deceptus eſt. Itaque per conſilium Sacerdotum religioſorum & optimatum meorum, ordinavimus per civitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt miſſus S. Petri. Statuimus quoque per annos ſingulos ſynodum congregari, ut nobis præſentibus canonum decreta, & Eccleſiæ jura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur, fraudatas pecunias Eccleſiarum Eccleſiis reſtituimus, falſos Presbyteros, & adulteros, vel fornicatores, diaconos, & Clericos de pecuniis Eccleſiarum abſtulimus & degradavimus, & ad pœnitentiam coegimus.

XXXIV. *Synodus Liptinenſis Confirmatur.* — * *Sur. Willibaldum D. & Adanum.* — Can. m. I.

Servos Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum vel hoſtem pergere prohibuimus omnino; niſi illos tantum, qui propter divinum myſterium, miſſarum ſcilicet ſolennia adimplenda, & ſanctorum patrocinia, ad hoc

Can. II.

Sæc. XI. Anno 1074. electi sunt, id est, unum vel duos Episcopos cum Capellanis, (*a*) Presbyteris princeps secum habeat, & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicare pœnitentiam possit. nec non & illas venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus, omnibus servis Dei interdiximus, & ut accipitres & falcones non habeant.

Can. III. Decrevimus quoque ut juxta sacrorum canones unusquisque Presbyter, in parochia habitans, subjectus sit illi Episcopo, in cujus parochia habitat, & semper in quadragesima rationem & ordinem missarum ipso Episcopo reddat & ostendat; & quandocunque jure canonico Episcopus circueat ad confirmandos populos, semper Presbyter paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione & adjutorio populi, qui confirmari debet: & in cœna Domini novum chrisma accipiat ab Episcopo; & ut Episcopus testis sit castitatis, & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius.

Can IV. Statuimus ut secundum canonicam cautelam omnes undecunque venientes Episcopos ignotos, vel Presbyteros, ante probationem synodalem in Ecclesiasticum ministerium non admittant.

Can. V. Decrevimus ut secundum canones unusquisque Episcopus in sua parochia sollicitudinem gerat, adjuvante (*b*) Gravione, qui defensor Ecclesiæ ejus est, ut populus Dei paganias non faciat, sed omnes spurcitias gentilitatis abjiciat, sive sacrificia mortuorum, seu sortilegos, vel divinos, sive phylacteria, & auguria, sive incantationes, vel hostias immolatitias, quas stulti homines juxta Ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine sanctorum Martyrum, vel confessorum, Deum & Sanctos suos ad iracundiam provocantes (*c*).

Can. VI. Statuimus similiter ut post hanc synodum, quæ fuit XI. Kal. Maii, quisquis servorum Dei vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et si ordinatus Presbyter fecerit, duos annos in carcere permaneat, antea flagellatus. Si (*d*) autem Clericus vel Monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, unum annum (*e*) ibi pœnitentiam agat. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia teneantur, & radantur omnes capilli capitis ejus.

Can. VII. Decrevimus quoque ut Presbyteri vel diaconi non sagis, laicorum more, sed casulis utantur, ritu servorum Dei, & nullus in domo sua mulieres habitare permittat; & ut Monachi & ancillæ Dei monasteriales, juxta regulam S. Benedicti vivere studeant (*f*).

Statuimus (*g*) quoque cum consilio servorum Dei, & populi Christiani propter imminentia bella & persecutiones multarum gentium, qui in circuitu nostro sunt, ut sub precario censu aliquam partem Ecclesialis pecuniæ in adjutorium exercitus nostri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione, ut annis singulis de unaquaque casata solidus, id est XII. denarii ad Ecclesiam vel Monasterium reddantur, eo modo, ut si moriatur ille, cui pecunia commendata fuit, Ecclesia cum propria pecunia revestita sit. Et iterum si necessitas cogat, ut princeps jubeat, precarium renovetur, & rescribatur novum, & omninò reservetur, ut Ecclesiæ vel Monasteria penuriam paupertatemque non patiantur, quorum pecunia * impræcario præstita est, sed si paupertas cogat Ecclesiæ, domui Dei integra reddatur possessio. Similiter præcipimus, ut juxta decreta Canonum, adulteria & incesta matrimonia prohibeantur, & emendentur Episcoporum judicio, & ut mancipia Christiana paganis non tradantur.

* *S. in precario. Sic leg.* Basn.

XXXV. *Autor in Monachorum osores invehitur.* Tantæ ergò religionis statuta à principibus neophytis tunc facta, si comparentur legibus his, quæ modo à quibusdam rectoribus nostris à pueritia usque in senectam in omni disciplina Christiana instructis proferantur, facile potest agnosci, quantum perfectiores fuerint illi neophyti istis patribus doctissimis, qui non solùm apud Reges & Principes pro locorum sanctorum utilitate intercedere negligunt, sed etiam ipsi loca sancta sibi commissa omnino destruunt. O mores pravi cunctis omninò dolendi! ô miseranda nimis morum mutatio talis! cum pueri senibus, cæci videntibus, imperiti peritis, laici clericis religiosiores inveniantur. Quondam namque in provinciis multis, ubi sanctæ Ecclesiæ vinea noviter plantata, nec dum vel notitia fructuum spiritualium ad omnes pervenit, à plurimis sæcularibus viris dicebatur: Qui pro fragilitate nostra

(*a*) Alii; &.

(*b*) Sur. vitiosè: graviore. *Graviones* enim sunt comites alias *Grafiones* dicti. Judex fiscalis dicitur in lege Salica ad distinctionem Judicum Municipalium. Basn.

(*c*) Addendum: *sive illos sacrilegos ignes, quos Ned fratres vocant, sive omnes quæcunque sunt Paganorum observationes diligenter prohibeant.* Sirmund.

(*d*) Addendum: *& scorticatus videatur & post Episcopus adaugeat.* Idem.

(*e*) Vertente anno. Idem.

(*f*) Adde: *Et vitam propriam degere secundum prædicti Patris ordinationem non negligant.* Idem.

(*g*) Hic est Secundus Canon Concilii Liptinensis, nescio qua ratione primum & quartum omiserit Basn.

nostra à consuetis mundi deliciis penitus nos continere nequimus, saltem vel alios continentes ad servitium Dei congregantes, illos nostris corporalibus subsidiis pascamus, ut & orationibus suis, aliisque spiritualibus subsidiis nos pascant, ne pereamus. Nunc autem cum omnium virtutum scientia, & experientia aliqua, & in libris prolata pænè ad omnium notitiam pervenit, nullusque Christianorum dicere potest, Quia nemo nos conduxit; tam Clerici, quàm Laici plurimi dicere solent: Quid prosunt tot cœnobia, vel tanta Monachorum agmina? Multò enim melius esset, ut prædia, quibus iidem Monachi inutiliter saginantur, servitio nostro præstarentur. Hæc quidem multi verbis, sed multo plures operum suorum attestatione ita esse fatentur, quasi malitia & irreligiositas eorum minus à Domino puniatur, si nullus Monachus, vel Religiosus in hoc sæculo inveniatur.

SÆC. XI. ANNO 1074.

Matth. 20.

XXXVI. *Carolomanni & Caroli M. Laudes.*

At Karlomanno præfato longè alia mens erat, qui licet ante S. Bonifacii prædicationem de religione Christiana parum quid noverit, eo tamen admonente & exhortante, citius in timore & amore Dei ita perfectus esse cœpit, ut humana simul & divina prudenter disponeret, nihilque sæcularia jura sine divini administratione servitii, ad quod cœnobialis monasticaque deputatur congregatio, proficere sciret. Similiter & Karolus Magnus, filius scilicet fratris sui Pipini supradicti, qui à Roma usque in Fresiam, ab Ungaria usque in Britanniam, omnia regna suo subegit imperio, cum contra eadem decertaret, non aliter victoriam se adipisci credidit, nisi interim omnia cœnobia, in eisdem regnis jam constructa, supplemento aliquo adjuvaret. Si quis in his dubitet, legat inprimis sua gesta; deinde circumeat monasteria, quæ sub tempore suo fundata habuit Italia, vel Gallia, sive Germania, & inveniet ea aliqua Karoli largitate sublimata, quædam quidem privilegio libertatis, quædam verò prædiorum donis, nisi fortè ex subsequentibus Regibus seu Episcopis sint oblata. Multi namque Reges ejusdem Karoli successores, licet in præclaris moribus ac studiis pluribus effulserint, in hoc tamen nimis deliquerunt, quod monasteria nonnulla, vel ipsi tam immensa obsequii sui exactione, quàm prædiorum ablatione, destruxerunt, vel Episcopis seu etiam laicis quibusdam, nihil minus, quàm monasticam religionem curantibus, destruenda tradiderunt. At Karolus noster non solum hæc minimè fecisse fertur, sed etiam hæc contra quædam ad Episcopatum pertinentia prædiis duplicibus redditis, cum consilio communi, ab Episcopali ditione absolvit, libertateque regali sublimavit. prænoscens, ut reor, prophetiæ spiritu, quod & nos cernimus, & anteriores nostri jam diu impletum viderunt, loca sancta, quæ necessariis omnibus sufficienter erant redimita à suis institutoribus, tradita verò Episcopis, & in penuriam maximam & in destructionem totius disciplinæ regularis ventura fore. Sed hoc nequaquam idcirco dico, quod omnia cœnobia, Episcopis subjecta, destructa sciam, sed partem maximam. Quod tamen eo magis dolendum, & miserandum videtur, quo minus ab ignorantibus legis divinæ præcepta, sed à doctissimis agitur, qui commissa sibi destruentes cœnobia, non solum ipsi peccant, sed etiam laicos peccare faciunt in eadem destructione. Qui enim laicorum non putat sibi jam licere, quidquid Clericos cernit facere? Unde in his omnibus Karolum proponere possumus ad exemplum. Sicut enim inter Reges successores videlicet suos non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi, ita nullus eorum post eum tanta gloria, tantaque potentia potitus est in hoc sæculo; meritoque de illo dicitur: Non recedet memoria illius, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Quia ergò occasio talis se præbuit, ut commemorantes quanta religio sub antiquis Principibus, quantave fuerit destructio religionis ejusdem sub modernis, per hujusmodi apposita, quibus quid sit melius, declaratur, aliquos etiam incitaremus ad meliora. Nemo precor hæc indigna lectu & auditu decernat, sed potius attendens, si in tanta destructione reus existat, pœnitere & emendare studeat, dum veniæ tempus Domino præstante tenemus, ne fortè occupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus. Sed de his satis dictum. Revertamur jam ad incepti sermonis exordium.

Eccle. 39.

XXXVII. *Fit Episcopus Moguntinus an. 745.*

Cum ergò Karlomanni præcepto, sanctique Bonifacii consilio synodalis conventus haberetur, multi ibi non solum Clerici quilibet hæretica pravitate decepti, ab Ecclesiæ communione expellebantur, sed etiam Episcopi, qui pro aliqua capitalis criminis macula diffamati erant, deponebantur. Erroris autem totius, qui tunc in Germania excreverat, maximi fuerant athores, duo hæretici, quorum unus Clemens, alter verò * Eldebertus dicebatur. De quibus postmodum cum Epistolas ad Zachariam Papam missas proferre cœperimus, dicetur congruentius. In his enim omnis mortifera eorum hæresis replicatur. Quidam enim Episcopus, nomine * Gewilieb, Mogontiæ civitati Prælatus, tunc deponebatur. Cur autem depositus fuerit, hic subsequenter enar-

* *Sur. Aldebertus.*
* *Sur. Gervilius. al. Gewilieb.*

enarrabo. In illis namque temporibus Saxones devastabant Turingiam regionem. Quamobrem populi ejusdem regionis confugientes ad supradictum Principem Karlomannum, quærebant ab eo auxilium. Qui mox pro eorum ereptione exercitum misit, in quo simul Geroldus Mogontiacensis tunc Episcopus, pater scilicet præfati Gewiliebis jussus transivit. Cumque congressio facta fuisset bellantium, & invicem semet ferientium, Geroldus Episcopus interfectus ibi inter alios occubuit. Deinde filius ejus Gewilieb, adhuc laicus in palatio constitutus, pro sedando patris dolore, clericatus officio promovebatur, & ad regendam Ecclesiam Mogontiacensem post obitum patris subrogabatur. Post non multum verò temporis iterum Karlomannus exercitu congregato contra Saxones perrexit, secumque eundem Gewilieben duxit. Considentibus autem utriusque populi exercitibus * eis citraque ripam fluminis Wisaraha, præcepit Gewilieb puerum suum inter hostes pergere, illicque nomen ejus, qui patrem suum occiderat, diligenter inquirere. Cumque puero jussa complenti responderetur à quodam, proximè illum adesse, quem quæreret, Venire rogate, inquit, eum huc quantocyus, quia secum sermocinari * senior appetit meus. Quo veniente, & utrinque alterius adventu denunciato, mox præparatis equis ab utroque itur, & in medio amne occurrentibus atque colloquentibus, ait Gewilieb Episcopus, Accipe jam ferrum, quo patrem vindico carum. Hæc igitur dicens, gladio mox perfodit illum, qui statim corruens ex equo, in flumine exhalavit spiritum. Cumque sui talia agnoscerent, ab omnibus clamabatur, superatisque Saxonibus, Karlomannus cum suis ad propria remeavit, nemine id quod factum est à Gewiliebe, in homicidii crimen imputante. Unde & reversus solitos Episcopales sibi vendicavit usus. At sanctus Præsul Bonifacius inter cætera correctionis colloquia, hæc pariter in conventu synodali protulit, attestans nullum homicidii reatu pollutum debere Episcopali sacerdotio fungi. Ad hæc etiam ei obiecit, propriis oculis se perspexisse, illum cum avibus, canibusque jocantem, quod Episcopo nullatenus liceret. Audiens autem hæc Gewilieb, sentiensque se nullo modo contrà stimulum vel sæcularis potentiæ, seu auctoritatis canonicæ, quæ mediante S. Bonifacio in omnes coràm positos deferebatur, calcitrare posse, judicio consentit communi, depositusque est ab ordine Episcopali. Quo deposito statim S. Bonifacius à supradictis Principibus, Karlomanno videlicet & Pipino, fratre ejus, Ecclesiæ Mogonciacensi præficitur. & ut ejus dignitas eminentior foret, decreverunt iidem Principes, Ecclesiam Mogonciacensem, quæ prius alteri subjecta erat, metropolim omnium in Germania positarum Ecclesiarum efficere. moxque legatione facta, illud à Præsule Apostolico impetravere.

*cis. cit. Sic legend. l. Basn.

* Gallicè Seigneur.

XXXVIII. Tali ergò authoritate suffultus S. Bonifacius cœpit undique quasi novus Archimandrita, quæ divina sunt plantare, diabolica verò extirpare, cœnobia Ecclesiasque ædificare, pastores cautissimos Ecclesiis eisdem præponere. Nam præter multos, quos antea constituit, Episcopos, in quibus erant venerabiles viri Willibaldus & Burchardus, quorum priorem in loco Eichstat nuncupato Episcopum, alium verò in urbe, quæ Wirzburg dicitur, Episcopum constituit, tunc verò Gregorium * Attrieth Episcopali ordine consecratum direxit. Lullum etiam in Magontia ipse adhuc vivens sibi subrogavit Episcopum. Multa quidem & alia tunc ab eo gesta sunt in Germania, quæ in Epistolis tantummodo inveniuntur scripta. Unde libet inserere Epistolas easdem, vel ab eo ad Zacharirm Papam, qui per idem tempus sedem Apostolicam gubernabat, vel ab eodem Zacharia ad illum, seu pro illo ad quoslibet Germaniæ Principes transmissas, quas undecunque colligere possumus. Nam illas, quas ad gentis suæ populos, i. e. Anglos transmisit, prætermittere volumus, ne legentibus aliquod tædium conferre videamur, maximè cum nobis nostra sufficiant. Nostra autem dico, quæ pro patribus nostris, Germanis scil. salvandis scripsit, vel ab ullo scripta recepit. In quibus nimirum Epistolis maximè potest agnosci, quantam curam & disciplinam, quantam paternitatem & pietatem habuerit circa omnes Ecclesiæ suæ filios, quos ipse per Evangelium genuit, quodque juxta Apostolum, omnibus omnia factus sit, ut omnes lucrifaceret. Unde confidenter dico, quia quicunque filiorum ejus, Germanorum videlicet, agnito tanti Patris labore, vel ex scriptis, vel vulgaribus dictis, non cum, quantacunque prævalet, veneratione amplectitur, in honore, quem parentibus exhibere jubemur, negligens invenitur. Quod si negligentia peccatum est, & peccatum omne punitur, negligentia ergò simul punienda creditur. Ad hæc etiam si, juxta Apostolum, patres carnis nostræ habuimus eruditores, & reverebamur, nonne multo magis obtemperabimus patri spirituum? Pater namque spiritalis non solum Deus omnipotens dicitur, sed etiam omnes, quorum doctrina & exemplis ad agnitionem veritatis instruimur, ab stabilitatem religionis incitamur,

Tres Episcopos instituit.

* Leg. ad Triech. Mab.

1. Cor. 9.

Heb. 12.

mur, sicut & Abraham ob fidei obedientiæque suæ meritum, cunctis imitandum, SÆC. XI.
pater omnium dictus est Christo credentium. Haud aliter S. Præsul Bonifacius omnium Germaniæ incolarum dici potest, pro eo, quod illos verbo sanctæ prædicationis primitus Christo genuit, exemplis confirmavit, postremo animam quoque suam pro ipsis posuit, qua charitate nemo majorem valet exhibere. Quæ cum sit bonorum omnium origo & finis, nos quoque in hoc terminum ponamus libelli præsentis, quatenus ad tempus cessante labore legendi lector & auditor vires possit reparare.

ANNO 1074. Gen. 17. Rom. 4. Joan. 15.

Finis libri primi.

INCIPIT LIBER SECUNDUS DE VIRTUTIBUS S. BONIFACII ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS.



IN priori quidem libello, prout ingenioli nostri parvitas permisit; utque scriptorum antiquorum testificatio edocuit, de conversatione, & peregrinatione; nec non prædicatione sancti Patris nostri Bonifacii diximus; jam libet, ut, donante Deo, possim in hoc libello sequenti pandere, quantum post acceptum Mogonciacensis Ecclesiæ præsulatum, pro sancta Ecclesia laboraverit, contra hæreticos, vel falsos Christianos certando, qualique exitu felicem passionis suæ palmam compleverit. Sed illud superius cum Epistolis tantummodo explanandum est; quia in his sufficienter, & evidenter scriptum invenitur. nec decet, ut prætermittentes ea, quæ satis prudenti aperta ratione prolata sunt, alia quasi meliora componamus; cum hujus vitium nec in ipsis sæcularibus literis, ne dum in sacris agi conveniat. His ergò prælibatis, nunc ad ipsas, quas promisimus Epistolas scribendas transeamus, ponentes inprimis illam, quam & primo ad Zachariam Papam direxit Epistolam. Quæ licet ante Synodum subscriptam * directa fuerit, tamen quia ad sequentium Epistolarum relationem ex parte respicit, & sub unius Præsulis tempore hæc, omnesque, quæ subsequentur, scriptæ sunt, nos quoque simul scribere decrevimus.

* l. supra scriptam.

CANISIUS

Ad Lectorem.

NB.

PRimum librum Othloni integrum ex m. ſ. dedimus: Secundus verò, quia parum præter Epiſtolas continet, Epiſtolas autem Surius integras habet, ubi non mutavit, nec contraxit ſtylum; uti alibi fecit; ideo Epiſtolas illas, quas habet Surius, hic non ponimus, ſed tantum varias lectiones ex m. ſ. notamus. Sed quia noſter m. ſ. codex Othloni, copioſior eſt, pluresque continet Epiſtolas, quàm is, quo uſus eſt Surius, eas nos fideliter hic dabimus, unà cum contextu Othloni ex m. ſ. quem Surius mutavit, Quod quàm optant omnes antiquitatis amantes, Surius neque hic, neque alibi feciſſet.

JACOBI BASNAGII

OBSERVATIO.

HAbentur illæ Epiſtolæ non modo apud *Surium*, ſed & apud *Mabillonium*, qui illas emendatiſſimas inſeruit ſæculo Benedictino tertio. Eas cum ſciens lubensque omiſerit Caniſius, adjicere noluimus ejus editionem repræſentantes, præter ea, quæ lucem majorem offerre poſſunt editis.



V A

VARIÆ LECTIONES IN EPISTOLAM I. Bonifacii ad Zachariam.

Sur. tom. 3. *fol.* 486. *versu* 30. *majorem lætitiam*] m. s. majorem lætitiam & majus gaudium nobis non a.
Ib. v. 41. *aliquantulum perculsis*] m. s. aliquantulumque percussis.
Ib. 46. *Buriburg*] m. s. Buraburg. tertiam in loco, qui Erpesfurt. qui fuit olim urbs paganorum rusticorum.
f. 487. *v.* 1. *dissipata fuit*] m. s. & Baron. ann. 741, 24. dissipata fuit.
Ib. v. 9. *cum canonicis*] etiam m. s. hic iisdem verbis. Baron. putat legendum: cum canonibus.
V. 20. *præceptum conscriptum*] m. s. præceptum & conscriptum.
V. 27. *præterea quærere*] m. s. Præterea de una re & consilium quærere, & licentiam petere necesse habeo, pro eo quod v. m.
V. 43. *matrim. acciperet*] m. s. acceperit v. a. s. q. & i. s. v. c. s. & i. i. v. d. ab eo. & ista viro qui nunc e. a. d. a. s. l. d. in t. g. propinqua illius e. d. Baronius: & iste vir, qui nunc eam accipere desiderat, affirmat sibi licentiam datam, & in tertia g. propinqua esse dignoscitur.
V. pen. aliquid fieri] m. s. aliquid facere viderint ex h. p. q. n. p. licitum & concessum à Sacerdotibus esse putant.
f. 488. *v.* 1. *annis præteritis*] m. annis singulis.
Ib. v. 3. *& cantiones*] m. s. & incantationes.
V. 9. *Apostolus*] m. s. Apostolus increpans.
f. 488. *v.* 30. *prole fœcunda*] m. s. fecunda.

In Epist. II. Zachariæ ad Bonifacium.

Sur. f. 488. *v. antepen. Wirtzburg*] m. s. Wirtziburg & a. in o. q. n. Buraburg. tertiam in loco q. d. Erpesfurt.
f. 489. *v.* 19. *obvolutos*] m. s. adobvolutos.
Ib. v. 21. *purum clericum*] m. s. puerum. Baron. purum.
f. 490. *v.* 49. *Constantino, anno*] m. s. convenit cum Sur. Vide var. lect. apud Baron. an. 742. 14.

Var. lect. in Rom. Synodum.

f. 491. *v.* 12. *Romana synodus sub Zacharia Pontifice*] Hæc verba absunt in m. s.
Ib. v. 14. *anno* 26.] m. s. anno sexto.
Ib. v. antepen. Aldebertus] m. s. Eldebertus.
Fol. 492. *v.* 50. *Zacharias Papa*] m. s. Zacharias sanctus Papa.
F. 493. *v.* 3. *sanctus*] m. s. Zacharias sanctus Papa.
Ib. v. 5. *exponit Aldebertus*] vox, Aldebertus abest in m. s.
F. 494. *v.* 9. *in nomine meo dabit vobis*] m. s. dedi vobis.
Ib. v. 25. *in scrinio nostro*] m. s. in sancto nostro scrinio.
F. 495. *v.* 10. *Jordannes*] m. s. Johannes.

In Epist. IV. Zach.

Ib. v. 22. *Ramberto*] Lamberto.
Ib. v. 23. *Heliseo*] Heliso Nomanensi.
Ib. v. 24. *Folerico*] Folcrico.

In Epist. V. Zach.

Fol. 496. *v.* 20. *schismaticos*] m. s. & falsos, & schismaticos.

Sæc. XI. Anno 1074.

In Epist. VI. Zach. ad Bonif.

F. 498. *v.* 15. *Gewillobo*] m. f. Gewilibo.

In Epist. VII. Zach. ad Bonif.

F. 498. *v.* 41. *Ardobanum*] m. f. Ardobanium.

In Epist. VIII. Zach. ad Bonif.

F. 499. *v.* 21. *Græco Latinus*] m. f. ex Græco Latinus, arte p.
Ib. v. 41. *quàm Catholicos*] m. f. quam Catholicos erroneos simulatores, qui n. ab e. c. f. o. i. p. & m. e. confundentes, sacrilegos, adulteros, qui sine Ep.
F. 501. Surius habet hîc Epistolam Bonifacii ad Zachariam, quæ ita incipit: Paternæ pietatis vestræ sanctitatem subnixis præcibus obsecro, &c. Sed ante hanc Epistolam codex m. f. habet duas alias, quas hîc damus.



REVE-

REVERENDISSIMO FRATRI BONIFACIO ZACHARIAS.



LEgimus in libro actuum Apostolorum, Spiritum sanctum Apostolis *Act. 15.* præcepisse, Separate mihi Barnabam & Paulum in opus, ad quod assumpsi eos. Hoc & beati Principis Apostolorum Petri illuminatam doctrinis ex inspiratione divina tuam sanctitatem in partes Germaniæ credimus destinatam, ut ad instar eorum idem Spiritus sanctus in eodem opere te assumpserit ad illuminationem Gentium. unde nimis exultamus in Domino, & ejus petitioni immensas referimus laudes. Dum vero & series litterarum tuarum nobis panderetur, per singula, multo amplius lætati sumus in Domino, qui tibi suam gratiam ita largiri dignatus est, ut dura gentis corda lenires, & obedientiam sacræ fidei inclinares. Indicasti etiam nobis, quomodo tetigisset Deus corda excellentissimorum filiorum nostrorum Pipini & Karlomanni, ut tibi in prædicatione auditores esse niterentur, quorum merces copiosa manet in cœlis. De Episcopis vero Metropolitanis constituisti, id est, Grimone, quem nos jam compertum habemus. Abel quoque & Harteberto, (a) quos per unam quamque Metropolim constituisti, hos per tuum testimonium confirmamus, & pallia ad eorum firmissimam stabilitatem, ut in meliori proficiant statu, transmittimus. Qualiter autem mos pallii sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant hi, qui pallio uti conceduntur, litteris directis docuimus, informantes eos, ut sciant quis sit pallii usus, & qualiter debeant subjectis prædicare viam salutis, & Ecclesiastica disciplina in eorum Ecclesiis inconcussa maneat, & sacerdotium, quod in eis est, non pollutum, ut antea fuit, sed mundum & acceptum Deo esse possit. Retulisti etiam nobis, charissime frater, quod duos Pseudoprophetas, in Francorum provincia reppensses, quos non pseudo-prophetas, sed magis pseudo-christianos appellare debemus, ex quibus unum novum quidem Simonem, juxta tenorem literarum tuarum, repperimus, qui sibi & sacerdotium vendicabat, & à luxuria se minimè continebat, seduxitque populum per varias falsitates, ita ut cruces statuens in campis & oratoriola, illuc faciat populum concurrere, publicasque Ecclesias relinquere; quique sanctitatis nomine se vocari censuit, & in suo nomine Ecclesias consecravit, affirmans se Angelorum nomina scire, quæ in tuis literis nobis conscripta direxisti; quæ nomina nos non Angelorum, sed dæmoniorum affirmamus. Alium verò ita luxuriæ deditum intimasti, ut concubinam haberet, & duos ex ea filios procrearet, & tamen sacerdotium sibimet vendicaret, affirmans hoc justum esse, juxta traditionem veteris testamenti, ut defuncti fratris superstes frater ducat uxorem, & quia Christus resurgens ab inferis nullum ibi reliquisset, sed omnes inde abstraxisset.

Quæ omnia detestabilia & scelesta judicamus. Benè autem tua sancta fraternitas juxta Ecclesiasticam regulam eos damnavit, & in custodiam misit, optimeque vocavit Antichristi ministros & præcursores. De cætero decerta, charissime, & viriliter age, & pervigil permane in ministerio Christi, ut amplius sanctæ Ecclesiæ grex augeatur, & præmium æternæ retributionis crescat copiosum (b).

Reverentissimo fratri Bonifacio Zacharias servus servorum Dei.

SUscipientes sanctæ fraternitatis tuæ literas per præsentem gerulum, & relegentes quæ in eis continebantur, in extasin quandam incidimus, & admirationem magnam, eo quod nimis dissonare videntur ab eis literis, quæ à tua directæ sunt fraternitate

(a) al. Arberto.

(a) Addunt alii: & cum Sanctis (ut credimus) inveniaris particeps & Apostolorum Consors, Deus te incolumem custodiat reverentissime Frater. data X. Cal. Julii imperante Artabasdo à Deo coronato magno Imperatore anno tertio & Nicephoro Magno Imp. anno tertio indict. XI. BASN.

SÆC. XI. ANNO 1074. tate per elapsum Augustum mensem, ubi nobis indicasti, quod Concilium, adjuvante Deo, & Karlomanno consensum præbente, factum est, & qualiter falsos Sacerdotes, qui divinum non erant digni attrectare ministerium, à sacro munere suspendisti, & quia tres Archiepiscopos per singulas Metropolium ordinasses, reserasti idem Grimonem in civitate, quæ dicitur Rodoma: Secundum in civitate, quæ dicitur Remoram: Tertium Hartbertum, in civitate, quæ dicitur Sennis, qui & apud nos fuit, & tua nobis pariter, & Karlomanni atque Pipini detulit scripta, per quæ suggessistis, ut tria pallia tribus prænominatis Metropolitanis dirigeremus; quod & fecimus pro adunatione & reformatione Ecclesiarum Christi. Nunc autem denuo tuas suscipientes literas valde sumus, ut diximus, mirati, eo quod antea nobis ex petitione prædictorum Principum, pro tribus palliis suggessisti, & postea pro solo Grimone. Sed volumus, ut nobis indicet tua fraternitas, cur tantæ rei facta sit permutatio. Repperimus etiam in litteris tuis, quæ nimis animos nostros conturbaverunt, quod talia nobis à te referantur, quasi nos corruptores simus Canonum, & Patrum rescindere traditiones studeamus, ac per hoc, quod absit, cum nostris Clericis in Simoniacam hæresim incidamus, expetentes & accipientes ab illis præmia, quibus tribuimus pallia. Sed hortamur, charissime frater, ut nobis deinceps tale aliquid minimè scribas, quia fastidiosum & injuriosum nobis videtur, dum nobis ingeritur, quod nos omninò detestamur. Absit enim à nobis & à nostris Clericis, ut donum, quod per Spiritus sancti gratiam suscepimus, pretio venundemus, quia illa tria pallia, pro quibus te suggerente, ut prædiximus, flagitati sumus, nullum expetentes commodum, tradidimus. Insuper & chartas, quas secundum morem, à nostro scrinio pro eis accipientes. Suggessisti etiam nobis per alia scripta tua, quod in Bagoaria unum reperisses falsum Sacerdotem, qui affirmabat se à nobis ordinatum esse Episcopum. Sed tua fraternitas optimè egit, dum ea non credens, quæ falso retulit, Sacerdotio illum privasti. Sic etenim authoritate beati Petri Apostoli præcipimus, ut quemcunque repereris sacris canonibus deviare, nulla ratione patiaris sacrum ministerium tractare. Et quia sciscitatus es, si deberes in Bagoariæ provincia jus habere prædicationis, quam à decessore nostro habuisti concessam, nos quoque auxiliante Deo omnia quæ tibi largitus est decessor noster, non minuimus, sed augemus. Nam non solum Bagoariam, sed etiam omnem Galliarum provinciam, donec te divina jusserit superesse majestas, nostra vice per prædicationem tibi injungimus, ut quæ repereris contra Christianam religionem vel Canonum instituta ibidem detineri, ad normam rectitudinis studeas reformare. (a)

Sequuntur hîc tres Epistolæ, quæ quia in Surio sunt, non ponimus illas hîc, neque lectiones alcujus operæ pretii sunt; nisi quod in ultima Epistola Sur. fol. 504. v. 39. qui vocatur erga ripam] m. s. qui vocatur Bochonia erga ripam flum.
Sur. fol. 505. v. 6. Indictione quinta] m. s. Indictione secunda.

HUcusque cum Epistolarum serie sufficiat intimasse, qualis labor, quantave cura sancto Bonifacio fuerit circa omnes, quos ipse ad Christianitatis cultum convertit. Si quem verò moveat, quòd plurimæ Epistolæ, quarum mentio fit in suprascriptis Epistolis, hîc pariter scriptæ non habentur, sciat illud hac de causa accidisse, quoniam nusquam eas invenire potui. Deinde inprimis dicere volo, quanta Karlomanni Principis devotio fuerit circa Fuldense monasterium. Rationabile etenim videtur, eandem devotionem intimare, non solum ad declaranda tanti viri beneficia, verùm etiam ad profectum illorum, qui exemplis bonis ædificari merentur, pariterque ad confusionem eorum, qui licet optima quæque sciant, videant, audiant, in nequitia tamen solita perseverant; ore tantummodo Deum confitentes, sed factis negantes; cordium aures ad sæcularis vitæ amorem referantes, sed ad præcepta divina obturantes. Princeps igitur prædictus quamvis undique adjacentium provinciarum bello comprimeretur, non tamen ideo à procuratione sanctorum locorum, servorumque Dei retrahebatur; Credens utique arma spiritualia, id est, virtutes animæ, multo fortiora esse, quàm corporalia; nullamque spem habens in multitudine absque spirituali fortitudine, juxta illud: Non salvatur Rex per multam virtutem, & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. (Psal. 32.) Postquam ergò omnia Christianæ religionis jura, ut in præcedentibus libris hujus scriptis agnosci potest, tam falsos Christianos, quàm hæreticos expellendo, juxta S. Bonifacii consilium correxit, illius etiam vota in monasterio Fuldensi noviter constructo implevit. Nam cum Abbas Sturmi, illum locum, ubi nunc

(a) Alii addunt: Dominus te custodiat, & cætera quæ notavimus ad præcedentem Epistolam. BASN.

nunc situm est idem monasterium, cum fratribus quibusdam incolere cœpisset, ejusdemque loci qualitatem S. Bonifacio denuntians, satis laudavisset, tunc ille ad Karlomannum pergens, suppliciter obsecravit eum, dicens: Perpetua remuneratione tua omnipotentem Deum exoro, si mihi succurrere dignaris, ut in Orientali regno tuo monasterium construere, monasticamque vitam instituere possim. Habemus enim in solitudine, quæ Bochonia nuncupatur, juxta fluvium, qui dicitur Fulda, locum satis aptum famulantibus Deo repertum, qui ad vestram pertinet ditionem. Quem scilicet locum à pietate vestra nobis concedi petimus, quatenus in hoc Christo servire queamus. Quo audito Karlomannus nutu Dei gavisus est, & convocans omnes palatii sui milites, petitionem Episcopi eis intimavit, atque coram eis locum postulatum tradidit Episcopo, dicens: Locum igitur quem petis, & quem juxta ripam fluminis Fuldæ situm asseris, totum, quidquid in hoc sub mea potestate consistit, ab hodierna die in jus Domini trado, ita ut ab illo loco undique, ab Oriente scilicet & Occidente, à Septentrione & Meridie marcha (*a*) per tria milliaria passuum tendatur. Hac itaque traditione facta, misit etiam nuntios, qui omnes nobiles, in regione Grabfelt habitantes congregarent, eosque suppliciter rogarent, ut omnes qui infra marcham supra nominatam aliquid proprietatis haberent, facerent, quæ & Princeps fecisset, tradens videlicet in obsequium Domini monasteriique à S. Bonifacio construendi. Cumque à nuntiis præsignati omnes fuissent congregati, Principisque petitionem cognovissent, mox cum omni devotione, quidquid proprietatis ibidem habuerunt, Deo sanctoque Bonifacio, nec non Abbati venerando Sturmi possidendum tradiderunt. Ut autem hæc traditio in perpetuum corroborata permaneret, Karlomannus, cujus instinctu hæc omnia agebantur, jussit chartam suæ traditionis scribi, quam ipse sigillo proprio firmare studuit.

Cum igitur hæc & his similia idem Karlomannus faciens, in dilectione Dei & proximi magis proficeret, sed eandem dilectionem non ea, qua voluit integritate, in seculari habitu constitutis, implere prævaleret, elegit optimam partem, quæ non auferetur ab eo. Nam reliquit ampla terrenæ potestatis regna, & ad Cassinum montem, in quo tunc arctissima monasticæ vitæ disciplina habebatur, veniens, Monachus ibi efficitur, Pipino fratri committens munia regni. Hic itaque accepta paternæ & fraternæ potestatis monarchia, quæ tunc Major domus dicebatur, eandem devotionem, eandemque sollicitudinem, quam & frater ejus excoluit, tam in divinis, quàm sæcularibus negotiis, secutus per omnia S. Bonifacii consilia. Qua de re contigit, ut cum se Deo, qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles, submittere jugiter studeret, regalis potentiæ excellentia obniteret. Tanta verò dignitate sublimatus, eodem modo, quo & ante à S. Bonifacium diligere simul & venerari studebat; unde etiam traditionem fraternam suis literis roborare curavit. Quarum literarum exemplar hîc inserere cupio, ut fideles quique inde instruantur, raptores verò iniqui videant, & confundantur.

Pipinus Rex Francorum, vir illustris, Bonifacio Archiepiscopo & Legato Germanico ab Apostolica sede directo.

QUia veneranda paternitas tua nostram excellentiam postulavit pro manasterio, quod à te noviter constructum est, in solitudine Bochonia, juxta fluivum Fuldæ, in loco quem beatæ (*b*) memoriæ Karlomannus germanus noster legitima donatione tibi concessit, ut sicut ex authoritate S. Petri principis Apostolorum, pro quo *Pipini privilegium.*

(*a*) Limes; inde Marchiones dicti quod limites provinciæ custodirent. Testamentum Caroli Magni, ut nullus eorum fratris sui terminos vel regni Limites invadere præsumat neque *fraudulenter ingredi ad conturbandum regnum ejus vel Marcas minuendas*, id est Limites. BASN.

(*b*) *Beata Memoria*, vox supposita; inquit Mabillonius, Carolomannus enim non decessit nisi post Bonifacium. Ego vix corruptum depravatumque diploma crediderim. Eginhardus quem sibi faventem laudat eruditissimus Mabillonius, Caroli Magni infantiam, hoc est, tempora de quibus agitur, ignorasse confitetur. Irrepsit in textu Anastasii numerus annorum 755. qui tempus obitus Carolomani indicat, nec ipso dissimulante Mabillonio. Variant annales Francorum circa illam mortem, dum ad an. 753. alii ad an. 755. referunt, alii denique annum 754. habent. Hos sequerer, ita ut Carolomannus cum in Gallias pervenisset res Ecclesiæ turbaturus, ut loquitur Anastasius, quamquam ille princeps inter Sanctos referatur, statim mortuus est, eodem scilicet anno quo cæsus est a Frisonibus Bonifacius, paucis mensibus vel diebus interjectis. 1. Leo Ostiensis asserit Abbate jubente in Gallias venisse, ubi cum *aliquandiu remoratus esset, defunctus est*, non annos sed menses ibi transegit, cum anno 754. advenisset, eodem anno procul dubio obiit. 2. Anastasius ipse dum rem narrat *aliquantos dies* in monasterio Viennensi commorantem de hac luce migrasse scribit. Quid si ad annum 755. vitam produxisset, hæc vera forent. 3. Confirmat sententiam nostram annalista Francorum, qui anno 754. e sæculo migrasse asserit: denique ex diplomate Pipini qui fratris mortem nosse debuit, eum nihilominus dum Bonifacio scribit virum *beata memoria*; appellat, qui titulus nonnisi mortuis concedi solet. Potuit Bonifacii mors apud Gallos aliquandiu ignorari, cum apud Frisones evenisset; ideo si æstate ineunte obiit Carolomannus, donationes fratris defuncti confirmare potuit mense Junio, vel etiam Julio. BASN.

SÆC. XI. ANNO 1074.

quo legatione fungeris, privilegio sedis Apostolicæ sublimatus esse constat, ita etiam nostræ authoritatis præcepto roboretur, placuit nobis petitionibus tuis assensum præbere. Et ideo hanc nostræ præceptionis seriem, ob honorem Dei & venerationem S. Petri, conscribi jussimus, per quam privilegium sedis Apostolicæ à beato Zacharia tibi collatum, cum consensu Episcoporum cæterorumque fidelium nostrorum, per omnia roboramus; præcipientes, ut nullus Sacerdotum in regno divinitus nobis concesso, in præfato monasterio ditionem aliquam sibi vendicet, præter sedem Apostolicam; ita ut non ab Abbate fuerit invitatus; nec missarum solennia ibidem quisquam præsumat celebrare, sed juxta id, quod subjectum constat Apostolicæ sedi, firmitate privilegii inconcussæ roboratum permaneat: locis etiam & rebus, quas tam moderno tempore tenet vel possidet, quàm quas futuris temporibus viri ipsius monasterii divina pietas augere voluerit, ex donis & oblationibus, decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Si autem quispiam nostræ authoritatis præcepto repugnare voluerit, sententiam Apostolicæ districtionis, quæ in privilegio expressa est, experiatur. Et tamen hoc, quod ob amorem Dei & venerationem S. Petri, nostra authoritate firmavimus, stabilitate permaneat, manu nostra roboratum, & tam annuli nostri impressione, quàm fidelium nostrorum astipulatione subnixum.

Adalgeri donatio cælitus vindicata.

Eodem tempore contigit, ut quidam Clericus, nomine Adalger, bonæ conversationis vir, sancto Bonifacio adhæreret, eique fideliter ministraret. Post modicum verò temporis infirmitate gravi captus, cum se in extremis hujus vitæ positum sentiret, cum consilio viri Dei, quæcunque prædia ex hæreditate paterna habuit, ad sanctum Martinum tradidit. Sed eo defuncto, fratres ejus Asperth & * Truttmunt, omnia quæ tradidit in locis subternominatis, id est, ad Amanaburg, ad * Brettenbrunum & Seleheim, in suam potestatem redigebant. Cumque pro hac causa à defensoribus Episcopi admonerentur, responderunt, & velle cum juramento affirmare, quod fratris prædia meritò sibi vendicarent. Cui juramento Episcopus se affuturum promisit. Adveniente ergò die statuto, & congregata multitudine copiosa propinquorum suorum, ut promissum juramentum complerent, advenit etiam vir Dei pariter. Cum autem prædicti homines juramenti faciendi adjutores secum ad altare traxissent, dixit Episcopus, Vos soli jurate, si vultis; nolo ut omnes hos congregatos perdatis. At illi nihil morantes, juramentum fecerunt. Quo facto, Episcopus dixit ad illos, Jurastis? Qui respondentes, Juravimus, inquiunt. Tunc Episcopus ait ad Aspertum. Major ursus te occidat. Deinde ad Trutmundum dixit, Nunquam ex semine tuo videas filium vel filiam. Quod scilicet utrumque, ut à S. Episcopo prædictum est, eventus rei probavit. Nam post modicum temporis Asperto ad mensam sedente, venerunt qui dicebant ursum magnum discurrere per campum. At ille equo celeriter ascenso, & venabulo arrepto, cepit ursum persequi, antequàm præpararent se comites sui, in quo itinere equo delapsus, totusque per membrorum compagines confractus interiit. Cum autem servi illius ad illum properantes pervenissent, invenerunt eum jam mortuum. Truttmunt verò audiens sancti viri prophetiam in fratre suo esse completam, nimis expavit, & mox prædia injustè ablata ad altare S. Martini reddidit.

* Sur. Trutmundus.
* Sur. ex Adamanaburgo, Brittenbrunnon.

Frisiam repetit.

Post hæc igitur cum S. Præsul Bonifacius verbi divini semina, quæ infra Germaniæ Galliæque confinia jecit, in cordibus credentium jam pullulasse, & fructum facere cerneret, nec non vicinam corporis sui solutionem prænoscens, sitiret omni modo, quando veniret & appareret ante faciem Dei, decrevit adire Fresonum populos, olim quidem ejus doctrina ad Christianæ religionis culturam conversos, sed fallente diabolo, iterum quosdam eorum ad pristinum gentilitatis errorem devolutos, ut aut eos Deo reconcilians ibi præsentem vitam fructuosa pace finiret, aut si hoc magis Deo placeret, pro ejus nomine quæcunque ibidem adversa & cruciamina sibimet occurrerent, usque ad mortem sustineret. Sed priusquam tanti discriminis iter arriperet, sciens non convenire, ut pro alienis ovibus salvandis laborans, proprias sibique commissas oves perire permitteret, sanctum Lullum, qui fidelissimus prædicationis & laboris sui comes extitit, cujusque probitatem omni dignitate condignam satis agnovit, cum consensu venerandi Regis Pipini, nec non Episcoporum & Abbatum, atque Canonicorum, omniumque procerum ad suam dioecesin pertinentium pro se Episcopum elegit & ordinavit. Nam ab Apostolico præsule jam ante eundem pro se ordinandum impetravit. Quo facto mox illum manu propria apprehendens commendavit cunctis Principibus, ibidem congregatis, ut ipsi tanquam patri obedirent, & adjutores ei in omnibus necessitatibus existerent. Deinde profectus ad eos, qui in Turingia, & qui circa

circa Renum habitabant, eadem faciebat. Novissimè verò ipsum Lullum admonens, dixit: Quoniam resolutionis meæ tempus appropinquat, voluntas mea est, proficisci, ubicunque me divina gratia dirigere voluerit. Sed tu, fili charissime, commissarum animarum curam age, tu populum ab errore revoca, tu inchoatam monasterii mei basilicam prope Fuldam perfice, ibidemque corpus meum, quocunqve abiero, sepulturæ committito. Adhæc etiam quæ itineri nostro jam necessaria sunt, provide, & linteum, quo istud decrepitum corpus post obitum meum involvatur, in theca librorum meorum repone. Postquam loquendi finem fecit S. Bonifacius, B. Lullus, licet ex nimio dolore lacrimatus fuisset; non tamen aliud, quàm tantus pater proposuit, suggerere præsumpsit. Paucis itaque diebus transactis navi cum conviatoribus, ad hujusmodi iter electis ascendit, & Reni fluminis alveo differtur, donec aquosa Fresonum arva ingrediens in stagnum, quod lingua eorum Almeri dicitur, sospes perveniret. Ubi circumquaque pergens, verbum Domini cum fiducia prædicavit, Ecclesias ingenti studio construxit. Tantam autem gratiam Dominus famulo suo contulit, ut post paucos dies multa millia virorum ac mulierum cum commilitone suo Chorepiscopo (a) Eoban baptizaret. Hunc namque ad sublevandam senectutem suam, injuncto sibi Episcopatu, in urbe, quæ dicitur Thret, subrogavit. Erant etiam ei fautores Presbyteri tres, & totidem diacones, quorum hæc sunt nomina, Wintrug, Waltheri, & Adalheri, Hamunt, Skirbalt & * Bderso; Vaccar verò & † Kundekar Williheri & Hadolf ex monastico ordine erant, sequentes eum. Qui omnes unanimiter cum S. Bonifacio laborantes in prædicatione Evangelii meruerunt consortes fieri in palma martyrii.

Sæc. XI. Anno 1074.

** Sur. Boso. † Sur. Gundarbarus.*

Nam cum per latas Fresonum regiones prædicandi causa discurrissent, venissentque ad flumen quoddam, * Borthne vocatum, quod est in finibus eorum, qui rustica dicuntur lingua * Oster & Westerriche, sanctus Bonifacius suorum tantummodo clientum comitatu stipatus, jussit ibi tentoria figi, cupiens videlicet in eodem loco, eorum qui nuper baptizati erant, adventum expectare confirmationis gratia. Dies enim appropinquabat, qui ad eandem confirmationem statutus erat. Cumque dies prædestinatus advenisset, & ortus sol altiores lineæ suæ gradus jam præoccupasset, tunc omnes, qui quasi filii à patre (b) expectabantur, indignum! ad accipiendam S. Spiritus gratiam, quæ ipso die per sacram confirmationem offerenda erat, super illos, versa vice pro amicis inimici, pro novitiis fidei cultoribus, novi lictores cum ingenti strepitu, horrendoque armorum sumptu in castra Sanctorum proruperant. Quo viso, pueri ex castris prosilientes, armisque sese accingentes, sanctos contra populi furentis multitudinem defendere gestiebant. Sed S. Bonifacius audito tumultuantis turbæ impetu, primo quidem ad munimenti spiritualis asylum confugit, sumens videlicet Sanctorum reliquias, quas secum indesinenter habere consueverat; deinde verò accitis ad se Clericis è tentorio processit, & pueros suos ad resistendum paratos compescuit, dicens, Nolite, quæso, pueri mei pugnare, nolite adversariis nostris bellum inferre, quia sacræ scripturæ verbis edocemur, ut non solum malum pro malo non reddamus, sed etiam malum pro bono exhibeamus. Jam enim diu optatus adest dies, jam tempus illud advenit, quo de laboriosa hujus sæculi ærumna ad æternæ beatitudinis invitamur gaudia. Cur ergò tantam gratiam, tantam gloriam à nobis secernere & auferre vultis? Quin potius confortamini in Domino, & oblata gratiæ divinæ dona nos gratanter suscipere permittite. Sperate duntaxat in Domino, & ipse liberabit nos ab omnibus periculis. Hæc & similia dicens, animos virorum suorum compescuit ab omni tumultu bellorum. Deinde etiam Clericos cujusque ordinis patria liberaque voce admonens, ait: O fratres charissimi, si qua divina amoris cura, si qua admonitionis meæ memoria maneat in vobis, in hora ostendite præsenti, recolentes illa dominica verba: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, quoniam animam non possunt occidere. Spei itaque vestræ anchoram in DEO figite, quia post breve hujus vitæ spatium perpetuæ remunerationis vobis bravium consortes faciat supernorum civium. Nolite precor diuturna invictissimæ mentis bella in hac parvissima perdere hora, nolite perversis gentilium adulationibus implicari, sed subitaneum, quod nobis jam imminet mortis periculum, pro illius amore, qui pro nobis passus est, constanter & viriliter sustinete, ut cum illo perenniter possitis gaudere. Nec dum verò hujus salutiferæ

Bonifacius a Frisiis circumventus.

** Sur. Bortnam vocat.*

** Sur. Oester & Westerreiche.*

Rom. 12. 1. Pet. 3.

Matth. 10.

Bonifacii obitus.

(a) Leg. Coepiscopo. Eobanus enim vere fuit Episcopus. Mab. Attamen Willibaldus habet etiam *Chorepiscopo*. Basn.

(b) Aliter Willibaldus, qui de die & loco convenit, sed asserit illam cædem non a Christianis nuper conversis fuisse intentatam, sed à Paganis, qui locum diemque sacrum elegerant. Sic quidem autumat Mabillonius. Sed si Willibaldi Caput X. legas, ibi facile patebit Neophytos illos ex amicis inimicos, ex novitiis fidei cultoribus hostes factos, eosdemque esse, quos *paganos* appellat, quia dejeratam, ore tenus Religionem receperant. Non igitur fallitur Othlonus. Basn.

feræ admonitionis verba à S. Bonifacio, discipulos ad coronam martyrii incitante, completa sunt, & ecce furens multitudo paganorum cum gladiis omnique infesta armatura super eos irruit, eorumque corpora felici cæde cruentavit. Quod cum fecissent, confestim victricem damnationis suæ causam augentes, primo quidem ingressi sunt castra, & omnia quæ illic erant reposita, tam in libris, quàm in capsellis reliquiarum suarum abstulerunt, arbitrantes se in eis reperturos multos auri & argenti thesauros. Deinde verò ad naves currentes, asportaverunt etiam ea, quæ de quotidiano Clericorum puerorumque victu illic remanserant. Ubi cum aliquid vini inter cætera reperissent, cœperunt ex eo gustare, furentemque animum inebriare. Post hæc verò tractare, & consulere studuerunt, qualiter illum, qui putabatur inventus esse, auri & argenti thesaurum invicem dividerent. Cumque prolixius de tantæ pecuniæ sermocinantes divisione nequirent rem pacifico consensu definire, tanta inter eos subitò discordia & disceptatio exorta est, ut eodem furore, eadem vesania, eisdem armis, quibus antea Martyres jugulabant, semetipsos mutua condigna cæde necarent, justo Dei judicio illis occurrente, & in tam reprobum sensum cadere permittente, ut eundem gladium, quem evaginaverunt ad interficiendos salutis suæ ministros, transfigerent in corda sua. Hujusmodi igitur strage finita, qui supererant iterum de pecuniarum opinione gaudentes concurrebant, & fractis librorum repositoriis, pro auro, volumina; pro argento, divinæ doctrinæ chartas libros, quos invenerunt, alios quidem per campi planitiem, alios verò per palustria loca dispersserunt, quosdam autem in quibuslibet locis incongruis projicientes absconderunt. Veruntamen omnipotentis Dei gratia, ut clarescceret quanti esset meriti, cujus iidem fuerant libri, postea magno temporis spatio transacto, reperti sunt intemerati, & ad Ecclesias, in quibus usque hodie haberi possunt, à singulis inventoribus reportati. Inter eosdem verò libros repertus est S. Evangelii liber, quem beatus vir pro sanctitate sua secum jugiter ferre solebat. Hic ergò quamvis gladio acuto, ut adhuc ab inspicientibus probari valet, per medium incisus fuerit, nullius tamen literæ integritatem eadem incisione perdidit. Quem ut fertur S. Bonifacius in illa hora, qua ad caput ejus abscindendum vibrabatur gladius, habens in manibus, vel pro tutela capitis, ut multi solent, seu etiam pro clipeo spirituali, quem in libro tali esse credidit, percussori opposuit. In quo nimirum signo & miranda virtus DEI, & veneranda sanctitas beati Bonifacii potest agnosci. Mirabilius namque videtur, quod nulla incisi libri littera delebatur, quam si nullum incisionis stigma per ferientem gladium in libro reperiretur.

Postquam ergo carnifices, qui remanserant, nulla æstimatæ pecuniæ indicia invenerant, satis contristati domum sunt reversi, sumpturi post trium dierum inducias dignas facinoris sui pœnas. Audita enim sanctorum virorum improvisa nece, omnes Christiani, qui in ejusdem regionis confinio habitabant, convenerunt, terramque eorum, qui sanctos trucidabant, cum armata manu invaserunt. Quibus cum pagani convenientes resistere vellent, sed minimè prævalerent, in fugam versi magnam, persequentium Christianorum virtute prostrati corruerunt. At Christiani victoriam in paganos obtinentes, omnem substantiam eorum abstulerunt, sicque ad propria redierunt; factumque est, ut qui salutis suæ ministros trucidare non verebantur, duplici contritione contererentur; nam in vita præsenti cœperunt conteri, & postmodum æternæ damnationi sunt deputati.

Bonifacii corpus Trajecti sepultum.

Corpus verò B. Pontificis à Trajectensis Ecclesiæ Clericis raptum post dies paucos ferebatur ad Trajectum, ibique magna veneratione est sepultum. Quod cum S. Lullus comperisset, congregata multitudine venerabilium virorum, tam laicorum, quàm Clericorum, intimavit eis & gloriosam S. Bonifacii passionem, & qualiter humatus esset apud Ecclesiam Trajectensem, pariterque referans omnibus in quo loco S. Præsul adhuc vivens sibi præciperet corpus suum sepelire, petiit, ut pro DEI amore auxilium præberent, quatenus sancti viri jussa posset implere. Cumque plurimi ad hujusmodi auxilium se promptissimos exhiberent, elegit ex eis, qui sibi aptissimi videbantur, & misit tam navigantes, quàm equitantes ad prædictam urbem causa auferendi corpus S. Bonifacii. Eisdem autem legatis omnimodo properantibus, & pervenientibus ad Trajectum, cives illius loci audientes cur venissent, congregaverunt & ipsi seniores populi, judicesque ad resistendum. Et quia multitudini advenientium congredi non posse viderunt, testati sunt à Rege Pipino jussum fuisse, ne corpus S. Bonifacii inde auferretur. Veruntamen legati hoc magis fictum, quàm verum arbitrantes, viribus totis in ea, qua venerant causa, instabant, virtute scilicet divina eos roborante & adjuvante, ut voti compotes existerent. Quod etiam ita esse rei probavit

vit eventus. Nam cum utrinque ageretur altercatio de corpore sancto; interea signum Ecclesiæ, quod vulgò appellari solet (*a*) Glocca, absque humano motu sonare cœpit. Quo audito incolæ omnes, qui illic aderant, ad pugnam congregati, nutu divino perterriti obstupuerunt, & sancti viri corpus reddendum esse decreverunt; statimque redditum est corpus, & à venerabilibus prædictis legatis susceptum cum debito honore, & sine remigantium labore, tricesima obitus sui die, quasi ad hoc statuto, multi virorum ac mulierum procul habitantium convenerant, qui nescientes adventum sancti corporis, gratia tantum præstolandi seu occurrendi legatis illuc venire disposuerant. Sed & venerandus præsul Lullus, qui legatis transmissis mox ad regiam curtem properabat, ipso die licet ignarus de suorum reditu, sanctique corporis adventu, simul advenit, Deo tantam convenientiam ordinante, ut illis communiter advenientibus, quibus magna mœstitia ex amisso patre & doctore contigit, fieret etiam commune gaudium, cum eum perennem patronum apud Deum habere posse agnovissent. Suscepto igitur thesauri tanti pignore fuerunt plurimi in urbe Mogonciacensi, qui censebant illic sepeliendum esse sancti viri corpus, ubi erat Episcopus, affirmantes hujusmodi jus esse omnium Ecclesiarum, ut quo quis sedem Episcopalem habuerit, illic quoque sepeliendus sit. In tantum autem quorundam illud affirmantium prævaluit certamen, ut pænè eorum consilio S. Lullus consentiret, nisi cuidam venerabili Diacono, qui dicebatur Otpertus, apparuisset S. Bonifacius in visione dicens, Dic Episcopo Lullo, ut corpus meum absque omni ambiguitate ad monasterii mei locum transferat. Cumque hanc (*b*) jussionem multi audientes minimè crederent, præsul Lullus allatis Sanctorum reliquiis, jussit Otpertum probare jurando, si vera esset ejus visio. At ille nihil dubitans, jussa implevit, visionem jurando probavit. Quod cum factum fuisset, omnes non solum ea, quæ prius renuerant de sancti corporis translatione fieri consenserunt, sed etiam adjutores esse cœperunt, in his quæ hujusmodi cura poscebat. Quidam enim ad afferendas naves, ut celeriter trans Renum proficisci possent, properabant, quidam verò litaniam, psalmodiam, aliaque divinæ laudis cantica sanctum funus sequentes, dicebant. Cumque turba una longius procedens, ultraque procedere non valens, rediret, alia nihilominus turba de regione vicina accessit, gaudens illius sancto obambulare corpori, quem credidit & speravit sibimet apud Dominum suffragari. Quæ ibi lætitia & compunctio de tanti viri patrocinio plurimis fuerit exorta, hoc nequeunt nostra dignè depromere scripta. Unde etiam in quibusdam locis ubi cum sancto corpore pernoctabant vel meridiabant, in ejus honore Ecclesias postea construebant. Tali itaque gaudio perductus est monasterii Fuldensis loco, quo ipse sepeliri sæpius optavit, sæpiusque id beato præsuli Lullo peragendum commendavit. Qui & petitionem ejus complere summopere nisus, cum veneratione debita terræ, quod suum erat reddidit, animam verò cœlestibus gaudiis sociandam omnimodis precibus commendare curavit. In cujus venerando tumbæ loco, per ejus merita, multis, quos fides congrua ad obtinenda ea, quæ poscunt, incitat, plurima eveniunt beneficia, tam interioris, quàm exterioris hominis; interioris quidem, cum veniam delictorum suorum obtinuerint; exterioris verò, cùm infirmitatem vel debilitatem aliquam corporalem evaserint. Quæ videlicet utraque beneficia, quotiescunque ibi non impetrantur, non imputandum est vel divinæ inclementiæ, vel invalido apud Deum S. Bonifacii patrocinio: sed potius his, qui infidelitate capti non merentur exaudiri, attestante Evangelista, qui de Domino nostro dicit; Quia non potuit ullas virtutes facere, propter incredulitatem quorundam. Cessant etiam interdum miracula, tam pro servitutis divinæ negligentia, quam pro incorrigibili inhabitantium malitia; cessant & idcirco, quia cum aliquando per intercessionem Sanctorum eveniunt, non solum laudes vel grates Deo debitæ, Sanctisque ejus minimè referuntur, sed nec memoriæ commendantur. Habuit autem S. Bonifacius in Episcopatu (*c*) annos XXXVI. menses VI. & dies VI. Passus est unà cum sociis Nonis Junii, Anno scilicet peregrinationis suæ XL. sed Incarnationis Domini septingentesimo (*d*) quinquagesimo, regnante eodem Domino nostro, Cui laus & gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sæc. XI. Anno 1074.

Glocca.

Matth. 13.

De

(*a*) Clocca. Scriverius.
(*b*) Visionem. Scriverius.
(*c*) Mabillon vult legi *Apostolatu*, quia revera tot annos in Episcopatu non perseveravit Bonifacius. Basn.
(*d*) Legendum *quinquagesimo quarto*, vel etiam secundum alios, *quinquagesimo quinto*. Sic igitur procedit ætas Bonifacii an. 680. natus est; in Frisiam trajicit an. 716. in Germaniam Româ mittitur an. 719. fit Archiepiscopus anno 732. Concilium habet in Germania an. 742. Sedem Moguntinam occupat an. 745. Obiit. an. 754. vel 755. Basn.

SAEC. XI. ANNO 1074.

De adventu S. Bonifacii Romam.

ANno Dominicæ Incarnationis DCCXXXVIII. Indictione VI. Imperante Leone Augusto & Karlo glorioso Duce Francorum, & Luitprando Rege Longobardorum, Bonifacius venerabilis Presbyter, Anglus genere, à Brittannia Romam veniens, à Gregorio II. Papa Episcopus ordinatur, & ad prædicandum quatuor Germaniæ populis destinatur. In qua legatione tantam à Domino consecutus est gratiam, ut rogatu, consensuque Karli Ducis, prædictus Papa sua vice regendam sibi omnem subjugaret Germaniam. Interea B. Bonifacius aliquem cœpit locum diligenter explorare, ubi absque omnium contradictione posset cœnobium construere; & Monachos, cujus & ipse (e) professionis extitit, ad Dei servitium congregare. Unde inspirante gratia divina, in solitudine Bochonia, quæ ad solius Regis ditionem pertinebat, locum sibi placitum reperit, eumque incolere decrevit. Hunc locum, juxta ripam fluminis Fuldæ situm, Karlomannus, convocatis regni Principibus, prædicto Episcopo summa devotione tradidit, ita ut ab illo loco undique, ab Oriente scilicet & Occidente, à Septentrione & Meridie marcha per tria milliaria protendatur.

(e) S. Benedicti. Scriverius.

FINIS.



SANCTI

SANCTI ANSHELMI LUCENSIS EPISCOPI,

LIBRI DUO.

CONTRA GUIBERTUM ANTIPAPAM,

PRO DEFENSIONE GREGORII SEPTIMI,

Legitimi Pontificis Romani.

Ex Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Ratisbonensis.

EX TRITHEMIO,

DE

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

ANSELMUS *Episcopus Lucensis, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus litteris non infime doctus, Gregorii Papæ VII. Cooperator indefessus, & contra Guibertum ei subordinatum ab Henrico defensor egregius, adeo ut omnia ejus facta, dicta, vel scripta contra Henricum Imperatorem auctoritate Juris & scriptuarum defenderet. Reliquit ingenii magni monumenta clarissima, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam cum gloria transmisit. E quibus exstant, In Hieremiam Prophetam lib. 1. Et plures Epistolæ ad diversos, lib. 1. Claruit sub Henrico IV. Anno Domini 1080. Hæc Trithemius. Eadem fere Sixtus Senensic lib. 4. Bibliothecæ. Utrum autem libri isti aliquando sint typis excusi, incompertum habeo. Nullum certe exemplar, quamvis studiose indagatum reperire potui. Quocirca licet editi fuissent, inediti tamen ob raritatem meritò censeri possent.*

ABBAS URSPERGENSIS IN CHRONICO.

Scripsit posthæc Anshelmus Lucensis Episcopus, Epistolam ad eundem Wigbertum, in qua illum prævaricatorem ac superbum cognominat, inter alia subinferens: Ut ergo de beato Gregorio patre nostro dicam quod de Cornelio scripsit beatus Cyprianus: factus est Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium, & ut verius dicam, omnino omnium testimonio, de plebis, quæ tunc aderat, suffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, id est, cum locus Petri, & gradus Sacerdotalis cathedra vacaret. Quo occupato, & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jam Episcopus voluerit fieri, foras fiat necesse est, nec habet Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, licet multum de se jactans, sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus debet esse, factus est, jam non secundus ille, sed nullus est. Hæc priori sententiæ (adversariorum Gregorii septimi) *valde contraria scripsit Anselmus Episcopus, vir literis apprimè eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, & quod omnibus majus est, in Dei timore & sancta conversatione nominatissimus, adeo ut tam in vita, quam post mortem referatur miraculis clarus. Hæc Urspergensis.*

Ad hanc Epistolam alludere vel respicere videtur ipse Anselmus, cum initio primi libri sic alloquitur Guibertum: Scripsi tibi pauca cum multo dolore & sinceræ charitatis affectu, ut cognoscens errorem tuum redires ad cor, &c. Sed quia verba tua iniquitas & dolus, &c. audi interea, &c.

JACO-

JACOBI BASNAGII
IN
S. ANSHELMUM
OBSERVATIO.

I. ANselmus, *Gregorii septimi* defensor acerrimus, non patria *Lucensis*, sed *Mantuanus*, nobili prosapia, ad Episcopatum Lucensem ab *Alexandro II.* fuit promotus: annulo & baculo quem ipsi contulerat Imperator, recepto, sedem suam adiit; sed postmodum facti cum pœniteret, plurimis generosior, dignitate deposita in. Monasterium Cluniacense secessit. Eum revocavit ad pristinam sedem *Gregorius VII.* qui ejus opera multis in rebus, præsertim adversus *Henricum* Imperatorem usus est.

Scripsit anno 1082. ut quidem arbitramur, adversus *Guibertum* Antipapam; 1. enim electus est Guibertus post Concilium Brixinense, quo depositus est Gregorius septimus, an. 1080. 2. Data pugna ab Henrico adversus *Rudolphum* eodem anno. Jam autem perierat *Rudolphus*, cæsique fuerant Saxones in pugna dum calamo manum apposuit Anselmus, ut patet ex ipsius verbis: *Non itaque adversum nos clamat sanguis Saxonum, sed contra vos, cum universo mundo, qui sceleris vestri tabe inhorruit.* 3. Quin imo jam adversus Guibertum scripserat Anselmus: *scripsi tibi pauca cum multuo dolore.* Ab altera vero parte aliqua prodiderat Guibertus in sui defensionem, cum ipsi mendacii dicam impingat Anselmus: Non Ecclesiæ Sacramenta, sicut *tu mentiris*, sed sacrilegos & Schismaticos detestamur. Quin etiam ipsius objectinibus aliquando respondet. Non potuit igitur illa responsio Anselmi ante annum 1082. quo ipsam assignavimus, confici.

Rationes quibus nititur adversus Principum jura levissimæ plurimis videbuntur. Quid adversus electionem Ambrosii vel Gregorii primi ab Imperatoribus firmatam reponit? Quid adversus consuetudinem multo plurimorum seculorum serie roboratam? Nicolaum Pontificem, cujus decretum ipsi objiciebatur, decipi potuisse ore rotundo affirmat, *homo quippe fuit, eique ut contra fas ageret, surripi potuit.* Schismaticos & Simoniacos morte plectendos asserit.

Sæc. XI. Anno 1082.

INCIPIT LIBER PRIMUS S. ANSELMI LUCENSIS EPISCOPI, CONTRA *WIBERTUM ET SEQUACES EJUS.

* Wicbertum. Guibertum.

Mali nolunt redargui.



ROPRIUM est bonarum mentium, ibi metuere culpam ubi non est, reproborum verò, se præferendo, alios de fatuis sensibus, alios de indignis meritis reprehendere. Redargui despiciunt, dum se redarguentibus sapientiores suspicantur: ea quæ intelligunt, aliis libenter dicunt, ut plus illis tam subtilia, & tam utilia, & aliis ignota videantur scire. Cum habent intelligentiam, non seipsos sed semper alia, ut plus videantur scire, scrutantur, nec scrutantur sua facta, sed aliena investigant. Sed justo omnipotentis Dei judicio agitur, ut quia non habuerunt timorem Dei, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum, & in lege ejus noluerunt ambulare, divitias quas devoraverunt, evomant, & de ventre eorum extrahat eas Dominus. Et sicut dicit Apostolus, quia non probaverunt Deum habere in notitia, *tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Spiritus enim sanctus disciplinæ effugit fictum, & auffert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. *Super quem*, inquit: *requiescam, nisi super humilem & mansuetum, & trementem verba mea?* Et alibi: *cum simplicibus sermocinatio mea.* Quo recedente, veternosus serpens tantum virus insipienti obscuratoque cordi infundit, & ita totum veneno mortiferæ deceptionis mancipatum sive servum inebriat, ut amarum dulce, & dulce amarum sapiat, ut tenebras lucem, & lucem tenebras credat, bonum denique malum, malum est bonum asserat: sicque fit, ut ex duobus convenientibus immundis Spiritibus, plenitudo superbiæ firmata, dæmoniacis humanisque contagiis, desertam vacantemque domum, omnium vitiorum comitatu stipata, circa finem mundi occupet, occupatam possideat, possessam prostituat, ut minor jam videatur in capite, & quasi per incrementa temporum in ætate perfecta profecisse. Diabolus enim dixit: *ponam sedem meam ad aquilonem, & ero similis altissimo:* De patre vero vel socio tuo dicit Apostolus: *Qui extolletur supra omne quod dicitur aut quod colitur Deus.*

Rom. 1. Esaiæ 66. Proverb. 3. Esaiæ 14. 2. Thessal. 2.

Audi itaque sceleratissime omnium, qui sic mihi jam nominandus, eo quod latrare non timuisti contra Dominum & Magistrum tuum: cognosce quæ propria sunt. Scripsi tibi pauca cum multo dolore & syncereæ charitatis affectu, ut cognoscens errorem tuum redires ad cor, & pænitentiam ageres delictorum tuorum. Sed quia verba tua iniquitas & dolus, & noluisti intelligere ut bene ageres, audi interea, quæ Dominus contra te per Prophetam clamat: *Hæc dicit Dominus Deus. Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu ejus terram: Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quam gentes, & præcepta mea ultra quam terræ quæ in circuitu ejus sunt. Judicia enim mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis gentium, & faciam in te quæ non feci, & quibus similia ultra non faciam propter omnes abominationes*

Ezechiel. 5.

tiones tuas. Ideo patres comedent suos filios in medio tui, & filii comedent patres suos. SÆC. XI.
Hæc itaque cum videas tuis temporibus impleta, & veritas dicat: *faciam quæ nunquam in te feci, & quibus similia ultra non faciam;* quandoquidem abominatio nova & inaudita tui temporis te & Dominum tuum. N. & per vos complices vestros novæ addicat maledictioni; tibi etiam necesse est, si vis salvus esse, inauditum judicium asscribas: *Ista est mater Hierusalem*, & reliqua: Adultera siquidem quæ nunc est in parte tua, olim videbatur Hierusalem, sancta videlicet Ecclesia, filia Regis David. Sed, prô dolor, corrupta est à fratre suo, & constuprata usque ad verticem. Omnis decor ejus recessit ab ea, facta est quasi vidua domina gentium, quia Rex Babylonis possidet eam. Cum enim Dominus dicat B. Petro, *Tibi dabo claves regni cælorum, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & pasce oves meas*, & alibi, *Una est columba mea*, quæcunque alterius juris usurpatione corrumpitur, non jam sponsa Christi sed adultera, non libera sed ancilla convincitur, sicut dicit beatus Ambrosius: *Convenior à Comitibus, & Tribunis, ut per me Basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem jure suo jussisse, ut quæ in potestate ejus essent, omnia tradi debere? respondi. Si à me peteret quod meum est, id est, fundum meum, argentum meum, jus hujusmodi meum, me non refragaturum, quamquam omnia quæ mea sunt, pauperum sint, verum ea quæ divina sunt, Imperatoriæ potestati non esse subjecta:* Et paulo post: *Nec mihi fas est tradere, nec tibi Imperator accipere expedit. Domus privati nullo potest jure temerari, domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: noli gravare te Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus: Scriptum est enim: Quæ Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mænium jus est commissum, non sacrorum. Iterum dicitur mihi, mandasse Imperatorem: Debeo & ego unam Basilicam habere. Respondeo: Non licet tibi ullam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera enim est, quæ non est legitimo Christi conjugio copulata. Veteri jure à Sacerdotibus donata imperia, non usurpata.*

ANNO 1082.

Matth. 16. Joan. 21. Cant. 6.

Ambrosius.

Constat itaque quia Ecclesia hæc non est vera Ecclesia sed adultera: cum sicut beatus Cyprianus dicit: *Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur; nec perveniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est, habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* *Cyprianus.*

Unde & beatus Gelasius inter cætera dicit: *Ad sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ sunt, disponenda pertinere, non ad seculi potestates, quæ si fideles sunt, Ecclesiæ suæ & sacerdotibus voluit esse subjectas. Non sibi vendicet Imperator alienum jus, & ministerium quod alii deputatum est.* Et paulo post: *Obsequi solere Principes Christianos Ecclesiæ decretis, non suam præponere potestatem.* *Gelasius.*

Noli itaque dicere, quia universalis Ecclesiæ curam suscepimus. Quomodo enim tibi commissa est Ecclesia; quem constat non intrasse per ostium, quod Christus est, sed aliunde ascendisse ut furem? Apostolica enim & universalis Ecclesia suum habebat pastorem. Ut enim de beato Gregorio patre nostro dicam, quæ de Cornelio scripsit Cyprianus, *factus est Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium, & ut verum dicam, omnino omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit suffragio, de Sacerdotum antiquorum & virorum bonorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, & cum locus Petri, vel gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. Quo occupato & de Dei voluntate atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jam jam Episcopus fieri voluerit, foras fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, licet de se multum jactans, & sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est, & cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum qui solus esse debet, factus est, non secundus ille, sed nullus est.* *Cyprianus.*

Hæc sunt judicia Dei, quæ projecistis, & præcepta in quibus ambulare noluistis, omnium gentium iniquitatem supergressi, cum in infernum viventes descendistis. Omnes itaque gentes in comparatione vestri sceleris justificatas credimus, quia post donum acceptum sancti Spiritus, virtutesque superventuri seculi, non solum sicut Deum glorificare noluistis, sed contra præcepta ejus leges iniquas statuentes, omnem vobis aditum veniæ interclusistis, nisi ad unitatem matris Ecclesiæ unde præcisi estis redeatis, quæ sola jus ligandi & solvendi possidet. Dominus namque dicit: *gratis accepistis, gratis date. Qui non intrat per ostium, non est pastor ovium. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælo.*

Investitura summum Peccatum.

Matth. 10. Joan. 10. Matth. 16.

SÆC. XI. ANNO 1082. Rex autem tuus sine intermissione vendit Episcopatus suos, edicta proponens, ut nullus habeatur Episcopus, qui à Clero electus, vel à populo fuerit expetitus, nisi præcesserit honor regius. quasi ipse sit hujus ostii ostiarius, de quo veritas dicit: *Huic ostiarius aperit.*

Joan. 10. Tu vero aliunde ascendisti, & non vocatus à Deo accessisti, noli usurpare tibi tanti curam regiminis. Sicut enim jam dictum est, Gregorius in Ecclesia fuit, qui apud te etiam constitit, & judex à nullo condemnari potuit, manifestum est te ab Ecclesiæ radice præcisum aruisse, nihilque habere potestatis ac juris. Sicut enim beatus Cyprianus dicit, scribens Magno Presbytero: *Ecclesia una est, quæ intus & foris esse non potest: Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest:* Et paulò post: *Invenimus in tali facinore non solum duces & authores, sed & participes pœnis destinari, nisi se à communione malorum seperaverint, præcipiente per Moysem Domino: Separamini à Tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere ab omnibus, quæ sunt eorum, ne simul pereatis in peccato eorum. Et quæ comminitans Dominus per Moysen fuerat, implevit. Ut quisque se à Chore & Dathan & Abiron non separasset, pœnas statim pro impia communione persolveret. Quo exemplo ostenditur & probatur obnoxios omnis culpæ & pœnæ futuros qui se Schismaticis contra præpositos & Sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint, sicut etiam per Oseæ Prophetam Spiritus sanctus contestatur & dicit: sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminantur: docens scilicet & ostendens omnes omnino cum autoribus, supplicio conjungi, qui fuerint eorum peccato contaminati.*

Cyprianus. Num. 16. Osea. 9.

His & aliis innumeris salutaribus præceptis admoniti detestamur non Sacramenta Ecclesiæ, sicut tu mentiris, sed Schismaticos & sacrilegos, quorum parricidalibus manibus, se se Sacramenta divina subtraxerunt, & cum Catholica matre nostra Ecclesia persequar inimicos ejus, nec convertar donec deficiant. Sanctum quippe suum, quod foris habetis, quod malo vestro accepistis, quia bono odore peristis, veneratur Ecclesia, sed vos persequitur, ut Sara ancillam, quæ tamen de semine Abrahæ concepit & peperit. Intellige itaque quomodo persequatur adhuc ancillam domina, ut docearis quæ sit persecutio beata, & scias quo modo nec pro justitia Christianis jurgandum sit, cum competenter exponi tibi permiseris, ut addatur adversus Catholicos, & non redarguas Christum qui dicit: *compellite intrare*, & alia multa, quæ in consequentibus posita audies.

Luc. 14.

Augustinus. Gal. 4. Dicit beatus Augustinus adversus Donatistas. *Si Ecclesia ipsa est quæ persecutionem patitur, non quæ facit, quærant ab Apostolo, quam Ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillæ. Liberam quippe matrem nostram cælestem Jerusalem; idem veram Dei Ecclesiam in illa muliere dicit fuisse præfiguratam, quæ affligebat ancillam. Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quam illam Sara coercendo. Illa enim dominæ faciebat injuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro, si boni & sancti viri nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur, cujus putant in Psalmo vocem, ubi legitur: persequar inimicos meos, & cætera. Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio injusta quam faciunt impii Ecclesiæ Christi. Ista namque beata est quæ persecutionem patitur propter injustitiam.* Item. *Quod autem dicunt, qui contra suas impietates leges justas institui nolunt, non petiisse à Regibus terræ Apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator: qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc Propheticum complebatur; Quare fremuerunt gentes, & reliqua. Nondum autem agebatur quod paulo post in eodem Psalmo subditur: Servite Domino in timore: Quando enim reges serviunt Domino in timore, nisi ea quæ contra jussa Dei fiunt religiosa severitate prohibendo atque plectendo?* Idem alibi: *Ubi est quod isti clamare consueverunt? Cui vim Christus intulit? Quem coëgit? Ecce habet Paulum Apostolum. Agnoscant in eo prius cogentem Christum & postea docentem, prius ferientem, & postea consolantem.* Item: *Non mihi placet, ut omnes habeant occidendi licentiam, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit personæ. Qui vero repelluntur aliquo terrore, ne mala faciant, etiam ipsis fortasse aliquid præstatur. Hinc autem dictum est, non resistamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit, non ut & correctionem hominum negligamus. unde nec reus mortis alienæ, qui cum suæ possessioni muros circumduxerit, aliquis ex ipsorum casu percussus intereat: Neque enim reus est Christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcitrando aliquem occidat, aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes*

Psal. 17. Psalm. 2. Ibidem. Act. 9. Matth. 5.

dentes canis: At vero quomodo Apostolus Paulus sategit, ut in tribuni notitiam perferretur, insidias sibi à quibusdam perditis parari, & ob hoc deductores accepit armatos? Si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? absit ut ea quæ propter bonum & licitum facimus aut habemus, si quid per hoc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Item. *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus, in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concusseritis, neque calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum: Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Item ad Bonifacium: *Gravi de pugna quereris? dubites nolo, utile consilium tibi tuisque dabo: arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris, quia quando pugnatur, Deus apertis cœlis spectat, & partem quam aspicit justam defendit, & ibi dat palmam.* Item: *Noli existimare neminem Deo placere posse qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium, in his etiam plurimi illius temporis viri: In his erat Centurio ille, qui Domino dixit: Non sum dignus ut intres sub tectum meum. Hoc ergo primum cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus etiam tua corporalis donum Dei est. Sic enim cogitabis de Dei dono non facere contra Dominum: Esto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas.* [Luc. 3.] [Matth. 8.]

Idem Augustinus Donato Presbytero: *Displicet tibi quod traheris ad salutem, cum tam multos nostrûm ad pernitiem traxeris. Quid enim volumus nisi te comprehendi, & præsentari, & servari ne pereas?* [Augustinus.]

Pelagius Papa. *Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia persecutionem Ecclesia faciat, dum vel ea quæ committuntur reprimit, vel animarum salutem requirit: Errant hujusmodi rumoris fabulatores: non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel jam factum punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si ut illi putant, nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari, quæ & malis pœnam, & bonis præmia justitia suadente constituunt. Malum autem schisma esse & per exteras etiam potestates hujusmodi opprimi debere, & Canonicæ scripturæ authoritas, & paternarum nos regularum veritas docet.* Item alibi: *Nec puteris alicujus esse peccati, si hujusmodi homines comprimuntur. Hoc enim & Divinæ gratiæ & mundanæ leges statuerunt, ut ab Ecclesiæ unitate divisi, à secularibus etiam potestatibus comprimantur, nec quidquam majus est, unde Deo sacrificium possitis offerre, quam si id ordinetis, ut hi qui in suam & aliorum pernitiem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.* [Pelagius Pontifex.]

Hieronymus super Ezechielem libro tertio: *Qui malos percutit in eo quod mali sunt, & habet vasa interfectionis, minister est Domini.* [Hieronymus.]

Augustinus super Psalmum centesimum decimum octavum: *Est injusta misericordia, de qua in lege scriptum est: non misereberis ejus, & in libro Regum legis, quia Saul propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium Regem, quem prohibebat sententia Divina servari. Ut si quis latronis filiis deprecantibus motus, & lacrymis conjugis ejus inflexus absolvendum putat, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem?* [Augustinus. Deuteron. 19. 1. Reg. 15.]

De deprædatione autem eorum qui ab Ecclesia præcisi sunt, responderant patres nostri. Augustinus, *Quidquid*, inquit: *à parte Donati possidebatur, Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transferre jusserunt. Si autem consideremus quod scriptum est in libro Sapientiæ; ideo justi tulerunt spolia impiorum: Item quod legitur in Proverbiis: thesaurizant autem justis divitiæ impiorum: tunc videbimus non esse quærendum, qui habeant res hæreticorum, sed qui sint in societate justorum.* [Augustinus. Sapient. 10. Prov. 13.]

Item, beatus Gregorius, Veloci magistro militum. inter cetera: *Nunc utile visum est aliquanti illic milites transmittantur, quos gloria tua admonere & hortari ut parati sint studeat, & occasione inventa cum gloriosissimis filiis nostris Martio & Vitalio loquere, & quæcunque vobis Deo adjutore pro utilitate reipublicæ steterint, facite, & si hic vel ad Ravennates partes nec dicendum Ariulfum cognoveritis excurrere, vos à dorso ejus sicut viros fortes condecet; laborate:* Item Maurino & Titaliano inter cetera: *Gloriosi filii estote soliciti, quia quantum comperi, hostem collectum habet, & in marinis dicitur residere, ut si huc cursum Deo sibi irato mittere voluerit, vos locum ipsius quantum Dominus adjuverit deprædate.* Quibus diligenter perspectis, scies nos veritatem docere, non Pseudoprædicationibus dedocere, & te pro superbia in reprobum traditum sensum; sancto Patri nostro crimen imposuisse, & dicta sanctorum patrum, quæ in Epistola tua posuisti, non intellexisse. [Gregorius.]

Hæc

SÆC. XI. ANNO 1082. Hæc & his similia prædicamus, & cum multo dolore cordis ab his necessitatibus nostris eripi laboramus, & ad Dominum Deum nostrum de ista tribulatione clamamus, ut vos humiliter sub manu sua, diesque nostros in sua pace disponat. Cum multo siquidem dolore secat pius medicus, ni secaret, moriturum, cum multis lacrymis ligat pater filium freneticum. Dans denique gloriam nomini Domini lætatur justus cum videt vindictam, sed tamen animum ejus semper cruciat pereuntium multa.

Quando armis Ecclesiam tueri liceat. Verum quidem est quia nec pro justitia ferrea arma corripi concessum est, sed propter se, quantum ad justitiæ perfectionem, quantum spectat ad Domus Dei decorem. Nec hoc quidem laudat Apostolus, quod contentiones fiat inter sanctos, sed tamen dixit: *Contemptibiles qui sunt inter vos, constituite ad judicandum*, & cum omnes vellet esse sicut seipsum, concedit tandem, ut propter incontinentiam unusquisque habeat suam uxorem, & ut vir uxori, & uxor viro debitum reddat. *1. Cor. 6.*

Matth. 5. Cum veritas ipsa in Evangelio præmisisset; *Nolite jurare omnino, & sit sermo vester, est, non.* Subdidit tamen dicens: *Quod amplius est, à malo est*, non enim dixit, malum est, sed, *à malo.* ac si dixerit, si jurare necesse fuerit, & malo incredulitatis aliorum compulsi, jurate, non sine causa, non propria volunte. Hinc est quod Moyses pro temperamento vindictæ, *oculum*, inquit: *pro oculo, dentem pro dente*, ut clementiore hac via eriperet occidendi facultatem. *Exod. 21.*

Utinam non esset colluctatio Catholicis adversus carnem & sanguinem, ut quieti viverent, & tantæ perfectionis essent, ut omnes palmam Martyrii desiderarent, & non essent quos vindicare minister Dei vindex in iram ei, qui male ageret, haberet, qui non sine causa gladium portat. Nos vero in nullius sanguine miscuimus, nec protegente Deo miscebimus, nec de perditione morientium exultamus. Vindicare propriam injuriam omnes prohibemus, ut illum spectent judicem, qui pollicetur dicens: *Mihi vindictam, ego retribuam.* Defendere pupillum & viduam armis, etiam carnalibus, tueri sanctam Ecclesiam, non eos, qui in causa sunt, sed nisi pro communi Republica sub quorum regimine sunt universalis Ecclesiæ cupimus. Pecuniam eorum & terram non concupiscimus, sed ut thesaurizent impiorum divitiæ justis, & spolia impiorum tollant justi, ea tamen intentione ut eos lucrari possint, & non solum quæ illorum sunt, sed omnia etiam sua in charitate distribuant summopere satagimus & desideramus. *Rom. 12.*

Non itaque adversum nos clamat sanguis Saxonum, sed contra vos cum universo mundo, qui sceleris vestri tabe inhorruit. Clamat cœlum, clamat terra, clamat omnis Ecclesia justorum, & quæ adhuc peregrinatur, & quæ jam cum Christo regnat, clamat Christus, clamat Pater pro Sponsa Filii sui, clamat Spiritus sanctus qui quotidie postulat pro ea gemitibus inennarabilibus. Vos siquidem Ecclesiam laniatis & scinditis, qui partem vestram ab ejus unitate præcidistis, eamque crudelius gladio Schismatis, quam idololatriæ scelere in frusta concidistis, ut jam non cum granis palea, sed præcisa à vite in ignem projiciantur sarmenta. Vos enim Ecclesiæ Catholicæ, quam invasistis per totum Regnum, quod quia intus cecidit, foris diu stare non poterit, membra distrahitis, & in servitutem redacta quasi vile mancipium in vestrum dominium redigitis, & divini juris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes: omnia Imperatoris juri esse subjecta, Episcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei Ecclesias, cum Dominus dicat: *Ecclesiam meam, columbam meam, oves meas.* Paulus dicit: *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est à Deo tanquam Aaron*, in parte tua quis præficitur, nisi quem aut gratia exhausto fenore, vel munus à manu, vel munus à lingua, vel munus ab obsequio attraxerit? Quis moribus, quis honestate, quis vitæ integritate eligitur? Persequendi sunt itaque lupi, vitandi sunt universi qui ad hoc, ut hæretici fiant, promoventur, qui lepram Giezi cum divitiis suis possident, & mala quæsita mercede, non tam patrimonium facultatum quam thesaurum criminum congregarunt. *Matth. 16. Cant. 2. Joan. 21. Heb. 5.*

Quia itaque nec gratis datis, nec gratis accepistis, & à mandatis Domini declinantes, maledicti estis, & quia non obeditis Apostolicis præceptis, formidamus commisceri vobis. Dicit namque beatus Ambrosius. *Si qua est Ecclesia, quæ Apostolicæ veritatis fundamenta non possidet, ne quam tibi labem possit ingerere, deserenda est. His enim legibus adulta, talibus est documentis exculta, hujus modi institutionibus est propagata. Qui his adversatur, qui ista dissimulat, qui hanc veritatis lucernam sub modio abscondit, non pastor Ecclesiæ, sed inimicus existit; & de ejus manibus pereuntium sanguinem Dominus requirit. Si ergo Christum causam perditionis eorum, ad quos missus est, & vocem ejus non audierunt, dicere non præsumis, nec Paulo audes asscribere stultitiam gentium* *Ambrosius.*

gentium & scandalum Judæorum, à nostra quoque detractione linguam compesce, qui compellimur dicere veritatem, sicut per Prophetam Dominus comminatur: Sacerdos ingrediens & regrediens nisi sonitum dederit, morietur: Item: maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. SÆC. XI. ANNO 1074.

Innocentius Papa: *Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minime defenditur, opprimitur:* Item ejusdem: *negligere quippe cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* *Exod. 28. Jerem. 48. Innocentius.*

Pius Papa: *quid prodest illum errore suo non pollui, qui consensum præstat erranti? sine dubio contra mandata dimicat, & qui consensum præstat erranti.* *Pius Papa.*

Clemens: *Certissimum est quod neque amicitia, neque propinquitas generis, neque Regni sublimitas, homini debet esse pretiosior veritate.* *Clemens.*

Fabianus: *Qui omnipotentem metuit Deum, nec contra Evangelium, nec contra Apostolos, vel contra Prophetas, aut sanctorum patrum instituta agere aliquid ullo modo consentit.* *Fabianus.*

Leo; *Qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.* *Leo.*

Augustinus: *Quisquis metu alicujus potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum.* *Augustinus.*

Gregorius: *consentire videtur erranti, qui ad resecanda ut corrigi debeant, non occurrit.* Non igitur quod propter bonum & licitum facimus, sicut superius dictum est, nobis, si quid mali inde acciderit imputabitur. *Gregorius.*

Quod autem dicis, qui universalis Ecclesiæ curam suscipimus licet inviti, nunquid vita comite ad tam immane facinus pertrahi debuisti, ut temerares thorum matris tuæ & patris tui? Et si violentiam sustinuisti, cur saltem jam adulter non resipiscis?

Quod autem obsecras per Jesum, ne nobilissimam fœminarum amplius circumveniam, deludam, & fallam, Deum testem invoco, nihil terrenum, nihilque carnale in ea vel ab ea ex intentione concupisco, & sine intermissione oro ut ab hoc seculo nequam cito eripi merear, nimio affectus tædio, quia incolatum meum prolongari video, serviens die ac nocte in custodiendo illam Deo meo, & sanctæ matri meæ Ecclesiæ, cujus præcepto mihi commissa est, & spero quod multa mihi retributio per gratiam Dei in ejus custodia excrescat, quæ non in vanum sua dispergit, sed indeficientem in cœlo thesaurizat sibi thesaurum quem tinea non demolitur, ubi fures non effodiunt nec furantur, parata pro defensione justitiæ non solum terrena omnia distribuere, sed usque ad sanguinem pro vestra confusione & reverentia ad sanctæ Ecclesiæ gloriam & exaltationem certare, donec tradat Dominus inimicum suum in manu fæminæ.

Tu vero memento unde excideris, & age pænitentiam, si forte remittat tibi Dominus, ut nos reddita pace Ecclesiæ voti nostri mereamur fieri compotes. Depone Cidarim, aufer Coronam & indue lugubribus vestibus, tanto humilior & abjectior omnibus effectus, quanto præ omnibus differentius superbiæ extulisti cornu. Dic Regi tuo ut cognoscat aliis omnibus generationibus inauditum facinus suum, qui duos jam adulteros matri suæ ingessit, & calamitates totius orbis, illam præcipue, de qua superius diximus, tecum defleat, quæ novo sceleri nova justo Dei judicio successit. Veni ad dolentem & pro te gementem matrem Ecclesiam, ut ipsa pro te offerat sacrificium acceptum Domino. Sola enim est per quam sacrificium libenter Dominus accipit, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedit, extra quam quicunque inventus fuerit, peribit regnante diluvio, extra quam quicunque agnum comederit, profanus est, de cujus carnibus, lex efferri foras, prohibet. In multis quidem estis secum, sed in hoc nolite gaudere: Illud potius timete, quod in eodem Psalmo sequitur: *Contaminaverunt testamentum ejus.* Sicut non profuit Pilato & Herodi vinctus & flagellatus Christus, sic ad impietatem & perditionem vestram magis officiunt Sacramenta ejus. *Exhortatio ad Pœnitentiam.* *Exod. 12. Psal. 54.*

Cum fiducia veni ad pinguedinem matris Ecclesiæ, à cujus utero errasti, ut coalescas ei. Potens enim est Deus iterum te inserere, cui nihil est impossibile, & certe gaudebit in te, irruetque super collum tuum, & prima stola induet, immolabitque vitulum saginatum pro filio prodigo. Omnipotens Deus qui vult neminem perire, qui supra maternum amorem diligit peccatores, illuminet cor tuum gratiæ suæ splendore & reducat ad viam salutis, ut cognoscas quæ sit voluntas ejus beneplacens & perfecta.

Sæc. XI. Anno 1082.

Incipit Liber secundus.

Petrus Pastores dedit Occidentalibus Ecclesiis.

OPITULANTE Domini Dei nostri clementia, qui nos & sermones nostros suo mirabili nutu regit, atque disponit, accingimur respondere his qui dicunt Regali potestati Christi Ecclesiam subjacere, ut ei pro suo libito vel pretio, vel gratis liceat Pastores imponere, ejusque possessiones vel in sua, vel in cujus libuerit jura transferre. Et ne diutius exordium protrahamus, in primis dicendum videtur, quo modo certum est, quod beatissimus Petrus Apostolus primus Ecclesiæ Pontifex, prius patriarchalibus sedibus Orientis: postmodum vero primos misit Pontifices civitatibus Occidentis. Ipsi enim hæc ordinatio maxime competebat, cui principaliter Christus Dei Filius cælestis regni clavibus traditis suas oves pascere jusserat, & pro cujus fide ne deficeret specialiter oraverat, cuique fratres suos in eadem fide confirmare præceperat.

Sed & reliquos Apostolos, quos reliqui mundi partibus novimus prædicasse, singulis urbibus, illarum partium quibus quisque verbum Dei prædicavit, itidem Pastores non dubitamus misisse. Et quomodo Spiritu sancto docente cognoverunt seculi Principes ad fidem venturos, & succedentibus temporibus stimulante avaritia quosdam eorum Dei Ecclesiam suæ ditioni velle subjicere, suaque auctoritate & libitu Pastores eidem subrogare, inter reliquos Canones, quos pro religionis cautela, & Ecclesiastica disciplina statuerunt, eorum pravis conatibus hac constitutione obviaverunt, quæ ita se habet: *Si quis Episcopus secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur & segregetur, omnesque qui illi communicant.* *Constitut. Apostol.*

Hanc autem constitutionem, quæ eorum scribitur, si quis authenticam non esse contendet, sanctæ septimæ universalis Synodi CCCL. Patrum, nec non & Antiochenæ Synodi, quibus authentica esse docetur, eversor, ac per hoc hæreticus judicabitur: Nam & Calistus & Gregorius & quidam alii Romani Pontifices, ut curioso lectori notum est, eorundum Apostolicorum Canonum auctoritate suas constitutiones firmaverunt. Stephanus vero Quartus & Johannes Septimus, ut ait Anastasius in prologo septimæ Synodi, quinquaginta capitula eorundum Canonum in plenissimum auctoritatis robur recipi censuerunt.

Porro eisdem Apostolis decedentibus, Ecclesiæ ubique terrarum consuetudinem ab eis traditam inviolabiliter servaverunt, ut decedente cujuslibet Ecclesiæ Pontifice, Clerus & populus ejusdem communi deliberatione de suo vel alterius Ecclesiæ Clero sibi Pastorem præficerent. Et hæc tam sancta tamque Deo grata consuetudo tamdiu integra illibataque permansit, quousque fidelium multitudo Dei Ecclesias amplissimis possessionibus ditare cæpit. Tunc enim ambitionis Spiritu interveniente, alii suarum, alii etiam aliarum Ecclesiarum ceperunt Episcopatus ambire, & nefandi Simonis commercio suis fautoribus, etiam quam non habebant pecuniam promittere. Quod videntes Deo dignissimi Romani Pontifices, qui Sacerdotii primatum in toto orbe tenebant, scil Bonifacius, Celestinus, Leo, Gelasius, Symmachus, Hormisda, Gregorius, alii, Simoniacam hæresin prius à Petro damnatam, ex tunc & in æternum damnaverunt, alii priscam consuetudinem decretalibus constitutionibus ita firmaverunt, ut statuerent nullum ex alia Ecclesia alii Ecclesiæ præponi, nisi forte qui suæ digne præficeretur Ecclesiæ, in eadem, quod ipsi vix posse contingere crediderunt, nullatenus posset inveniri.

Imperatores Promotioni Pontificis se non immiscent.

Hanc itaque quam prædixi consuetudinem ab Apostolis traditam nullatenus violare præsumpserunt Christianissimi Imperatores, Constantinus, Constans, Valentinianus, Theodosius, Archadius, Honorius, Carolus, Ludovicus & his imperio & religione consimiles, qui vel à se vel ab aliis ædificatas Ecclesias amplissimis donis ditaverunt, & in Clero & rebus Ecclesiarum nullum sibi dominium vel judicium vendicare voluerunt, imo ne quis sibi vendicaret, quidam eorum, ut in sequentibus docebimus, legibus vetuerunt.

At contra Zenon & Anastasius Imperatores Eutychianistæ, hi leguntur prius sanctam Dei Ecclesiam sibi subdidisse, ita ut Catholicos Episcopos in exilio relegarent, & Apostolica traditione postposita sibi consentaneos in eorum sedibus videlicet subrogarent. Nam ante horum tempora leguntur quidam hæretici Imperatores, Catholicos Episcopos multis modis vexasse, electioni vero & promotioni cujuslibet Pontificis nusquam leguntur se immiscuisse, siquidem sub eisdem Eutychianistis & Constantinopoli & in reliquis urbibus, legitur innumerabilis fidelium multitudo Cleri scilicet & populi extitisse, quod Pseudoepiscopos eorundem nullatenus voluerunt suscipere,

pere, ut ex hoc aperte clareat, eundem Clerum & populum idcirco eosdem Pseudo-episcopos respuisse, quia constabat eosdem absque sui electione in Dei contemptum, & erroris augmentum à præfatis Principibus promotos fuisse.

Et ut exemplo quod dicimus astruamus: Anastasius S. Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarius, in Chronica quam de Græco in Latinum sermonem translulit, quamque ex vetustissimis Chronicis Græcorum compilaverunt quidam Græci Dei cultores; Theophanes scilicet & Georgius, quos idem in ejusdem libri præfatione miris laudibus attollit: in eadem inquam Chronica de Imperio Anastasii sic inter cætera scribit: *Vicesimo Imperii Anastasii anno Joanne Alexandrino antistite hæretico mortuo, Dioscorus junior prælatus est Episcopus Alexandriæ. Cum autem venisset Constantinopolim pro Alexandrinis apud Imperatorem intercessurus, propter occisionem filii Calliopii augustalis, ab Orthodoxis publice convitiis appetebatur cum procederet, æstimantibus eum contra recta dogmata advenisse, ergo cum ob homicidium intercessit, cum festinatione discessit. Causa vero cædis ista fuit: Cum idem Dioscorus manus impositionem accepisset, recesserunt multitudines rusticorum dicentes, quia nisi secundum quod sanctorum Apostolorum Canones continent fiat Episcopus, non recipietur. Principes vero inthronizaverunt eum. Dioscorus vero venit ad sanctum, & venientes Clerici induerunt eum secundo & iterum consecraverunt. Et ita veniens ad sanctum Joannem perfecit collectam. Cum autem esset illic Theodosius filius Calliopii augustalis, & Achatius magister militum, turbæ turbatæ ceperunt injuriis afficere filium augustalis, eo quod laudaret Imperatorem Anastasium. Cum vero jurgium motum fuisset, insilientes quidam à sede posuerunt filium Augustalis, & interemerunt eum: at vero Achatius magister militum, quotquot capere potuit, interfecit. Quod audiens Imperator, iratus est adversus eos. Porro Dioscorus interveniens mitigavit eum.*

Anastasius Bibliothecarius.

Ecce qui primum Apostolicam traditionem de Pontificali promotione ausi sunt violare, ecce quibus primum autoribus seculi principes suos Pontifices nituntur Dei Ecclesiæ promovere: Et ut cepta persequamur, secuti sunt horum exempla hæreticorum quidam Græcorum Imperatores, regni sui urbibus, suos Episcopos imponentes. Romanæ vero urbi, Deo præstante meritis Apostolorum qui in ea vivunt & præsident, in hoc pepercerunt, decretum tamen electionis futuri Pontificis à Clero & Senatu subscriptum prius, quam idem consecraretur, sibi mitti statuerunt. Quod cum legatur eisdem Imperatoribus, sæpe directum fuisse, nusquam tamen legitur eosdem Romanorum electionem mutasse. Hoc autem quia Deo contrarium erat, ut Ecclesia Pontifice careret, usque dum quæ decretum ferebat iret & rediret, penitus respuerunt sequentes Imp. pietate religioneque præstantes. Sic enim legitur in Romano Pontificali: *Benedictus enim natione Romanus suscepit jussiones clementissimi Principis Constantini ad venerabilem Clerum, & populum Romanæ civitatis, per quas concessit, ut qui electus fuerit Pontifex è vestigio consecretur absque tarditate:*

Pontificale Romanum.

Itaque qui advertit alios Græcorum Imperatores ante consecrationem decretum sibi mitti voluisse, attendat eosdem Romanam electionem nunquam reprobasse, attendat etiam posteros eorundem, quia hoc contrarium Deo erat, penitus respuisse. Itaque percurramus sanctorum Patrum decreta quæ de Pontificum promotione statuerunt, ut sciamus quid juris Imperatoribus suorum vel quorumlibet temporum in eisdem servaverunt.

Leo Doctor eximius & primus Ecclesiæ Romanæ Pontifex, Anastasio Thessalonicensium Episcopo, qui vices Romani Pontificis super quadraginta Episcopos Illyrici & Græciæ habebat, inter cætera scribit: *De persona consecrandi Episcopi, & de Cleri plebisque consensu Metropolitanus fraternitati tuæ referat:* Et paulo post: *Metropolitano vero defuncto, cum in loco ejus alius fuit subrogandus, comprovinciales Episcopi ad civitatem Metropolim conveniant, ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconibus optimus deligatur. Cum ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postulaverit, ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præponatur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis, tantum ut nullus invitis & non petentibus, ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, cui non licuerit habere quem voluit:* Item idem: *Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebe expetiti, nec à provincialibus cum Metropolitani judicio consecrati.*

Autoritates Patrum.

Leo Papa.

Celestinus. *Nec emeritis in suis Ecclesiis peregrini & extranei, & qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui bene suorum merentur civium testimonium præponantur.* Item ibidem: *Nullus invitis detur Episcopus, Cleri, plebis & ordinis consensus, & desiderium*

Celestinus.

Sæc. XI. Anno 1082.

rium requiratur. Tunc alter de Ecclesia eligatur altera, si de civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, qui ibi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque fructum militiæ suæ in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem, in aliena stipendia minime alter obrepat. Sit facultas Cleris renitendi, si se viderint prægravari, & quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare. Quod si non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos est recturus, debent habere judicium.

Gregorius. Gregorius Gaudioso Episcopo inter cætera: *Et ideo fraternitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & Clerum plebemque admonere festinet, ut remoto dissidio uno eodemque consensu talem præficiendum sibi expetant Sacerdotem, qui à venerandis Canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate electus, omnium subscriptionibus roboratus & dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos sacrandus occurat. Commonemus etiam ut nullum eligi permittatis de altera Ecclesia, nisi forte inter Clericos ipsius civitatis nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus, poterit inveniri, provisurus ante omnia ne ad cujuslibet conversationis meritum lasciviæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras.*

Concilium Nicenum. Ex Concilio Niceno Patrum CCCXVIII. Cap. VI. *Per omnia autem manifestum est, quia si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hunc Concilium magnum & sanctum censuit non debere esse Episcopum. Sane, si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum Ecclesiasticam regulam, duo vel tres animositate ducti per contentionem contradicunt, obtineat plurimorum Sacerdotum sententia.*

Septima Synodus. Ex VII. Synodo universali habita à V. Patriarchis, cum CCCL. Patribus, sub Adriano primo Pontifice, cap. III. *Omnis electio Episcopi vel Presbyteri aut Diaconi à Principibus facta, irrita maneat, secundum regulam, quæ dicit: Si quis Episcopus secularibus potestatibus usus Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregetur, omnesque qui illi communicant.*

Octava Synodus. Ex VIII. Synodo item universali habita à V. Patriarchis cum Patribus CCXL. sub Nicolao primo Pontifice: *Promotiones & consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum fieri, hæc sancta & universalis Synodus definivit, & statuit, atque jure promulgavit, neminem Laicorum Principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ aut cujuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confusio vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum Laicorum habere conveniat, sed potius silere & attendere sibi, quousque regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si quis verò Laicorum ad concertandum & cooperandum invitatur ab Ecclesia, licet hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit se obtemperare asciscentibus, taliter enim dignum Pastorem sibi regulariter ad suam salutem Ecclesia promovet. Quisquis autem secularium Principum aut potentum, aut alterius dignitatis Laicus, adversus communem ac consonantem atque Canonicam electionem Ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat & consentiat, quod Ecclesia de electione atque ordinatione proprii Præsulis se velle monstraverit.*

Concilium Antiochenum. Item ex Concilio Antiocheno CXXII. *Si quis Presbyter vel Diaconus per secularem dignitatem Ecclesiam Domini obtinuerit, dejiciatur, & ipse & ordinator à communione modis omnibus abscindatur, & sub anathemate sint, sicut Simon Magus à Petro.*

Synodus sub Symmacho. Ex Synodo Symmachi Pontificis cum ducentis & octodecim Episcopis: *Non placuit Laicos ad statuendum aliquid in Ecclesia habere aliquam potestatem, cui subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* In eadem: *Defuncto Pontifice, si in unum totius inclinaverit Ecclesiastici ordinis electio, consecretur Episcopus. Si verò, ut fieri solet, studia cæperint esse diversa, convincat sententia plurimorum.*

Pontificale Romanum. Ex Romano Pontificali. *Benedictus natione Romanus fecit constitutum in Ecclesia beati Petri Apostoli, in quo sederunt Episcopi septuaginta duo; Presbyteri Romani triginta tres, præsente Clero, sub anathemate, ut nullus Pontifice Romano vivente, aut Episcopo civitatis suæ, præsumat loqui aut sibi partes facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato Clero & filiis Ecclesiæ, & tunc electio fiat.* Ex eodem. *Stephanus natione Siculus, congregatis Episcopis totius Tusciæ, atque Campaniæ, considentibus pariter duodecim Episcopis Francorum & Romanis Presbyteris, in præsentia totius Cleri & populi Concilium fecit in Ecclesia Constantiniana, in quo damnavit Constantinum Neophytum invasorem sedis Apostolicæ, & allatis sacris Canonibus, eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem Concilio sub anathematis interdicto, ut nullus unquam Laicorum neque ex alio ordine*

ordine præsumat nisi per distinctos gradus ascendens Diaconus aut Presbyter factus fuerit Cardinalis, ad sacrum Pontificatus honorem promoveri. SÆC. XI.

Ex Concilio Leonis IV. Episcoporum L. cap. V. *Si qui Sacerdotibus, seu primatibus nobilibus, seu cætero Clero hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ electionem Romani Pontificis contradicere præsumpserit, sicut in Concilio beati Stephani legitur statutum, anathema sit: Item quod electio Pontificis non pertineat Laicis tantum.* ANNO 1082. *Concilium sub Leone IV.*

Ex Consilio Laodicensi cap. XII. *Non est permittendum turbæ electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi.* *Concilium Laodicense.*

Item ex decreto Celestini Pontificis: *Docendus est populus, & non sequendus, nosque si nesciunt eos quid liceat, quidve non liceat commonere, non consensum præbere debemus.* *Celestinus Papa.*

Decursis itaque tot sanctorum patrum authoritatibus, Latinorum scilicet & Græcorum, patet nihil juris Imperatoriæ potestati in Pontificum electione seu promotione ab eisdem attributum esse, imo ne qua laicalis potestas sibi quidquam in his vendicet, à quibusdam eorum sub anathemate, hoc est, separatione à Deo, inhibitum fuisse. Et certe sub præfatis Romanis Pontificibus, leguntur extitisse potentissimi Imperatores, non solum Orienti, sed etiam Occidenti imperantes, scilicet Valentinianus & Theodosius juniores; Martianus, Mauritius & Phocas. Et cum præfatæ universales Synodi, id est, prima & septima à tot patribus agerentur Niceæ, Christianissimi Imperatores Constantinus magnus, & item Constantinus, & Hirene mater ejus affuisse leguntur; sed & Basilio magno Imperatore magno petente & præsente legitur octava Synodus item universalis Constantinopoli celebrata fuisse. Itaque cum prima earum censeret non habendum quemquam Episcopum sine Concilio Metropolitani: Septima verò trium sacrorum ordinum electionem à Principibus prohiberet fieri: Octava verò sub anathemate interdiceret Pontificum electionem laicali potestati; nunquid qui præsentes aderant Imperatores questi sunt hoc ad sui contemptum fieri, ut nihil de Pontificum electione eorum quidem referretur potestati? Imo potius leguntur sanctorum patrum constitutiones amplexati fuisse, easque quidam eorum post quinque Patriarcharum subscriptiones suis quoque subscriptionibus roborasse. Item, cum contingeret præfatos Romanorum Pontifices de Pontificum electione decernere, contigit suorum temporum Imperatores hoc ad sui Imperii injuriam fieri questos fuisse? Non equidem.

Sunt autem quidam eorum contra quos scribimus, qui putant se quiddam magni in sui defensionem adinvenisse, cum introducunt Gregorium & Ambrosium à seculi principibus ad Pontificatum promotos fuisse. Quod quam frivolum, quamque falsum sit, evidenti judicio clarebit, collatis eorum electionibus cum cap. VIII. Synodi, quod supra scripsimus: Nam quamvis multorum annorum interstitio à se distent, tamen ita sibi concordare videntur, ut & Synodus & eorum electio vel promotio, uno eodemque Dei Spiritu acta fuisse, probentur. Sic enim in gestis eorum describitur vel scriptum habetur: *Gregorium licet totis viribus renitentem, Clerus, Senatusque & populus Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. At ille cum decretum generalitatis evadere nequivit, consensurum se tandem aliquando simulavit, & Imperatori Mauritio, cujus Filium ex lavacro sancto susceperat, latenter litteras destinavit, adjurans, ne unquam assensum populis præberet, ut se hujus honoris gloria sublimarent. Sed præfectus urbis Germanus nomine, ejus nuntium anticipavit, comprehensumque ac diruptis Epistolis, consensum quem populus fecerat Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia Diaconi, eo quod locum deferendi ei honoris ut cupierat reperisset, ipsum ordinari præcepit.* *Ambrosii & Gregorii ordinationes ab Imperatoribus firmatæ.* *Ex gestis Gregorii Papæ.*

Item in gestis Ambrosii, *Cum populus magis magisque acclamaret: Peccatum tuum super nos. Cumque ille videret suam intentionem nihil posse proficere, fugam paravit, egressusque noctis medio civitatem, cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis quæ dicitur Romana, invenitur. Cumque inventus custodiretur à populo, missa relatione ad Imperatorem clementissimum Valentinianum, qui hoc summo gaudio accepit, quod judices ad se directi ad Sacerdotium peterentur.* *Ex gestis Ambrosii Episcopi.*

Ecce ex his & præfato capite patentissime colligitur, juxta priscam consuetudinem præfatos Pontifices electos fuisse; Sed quia nullatenus promoveri patiebantur, cum in alterius electione præfectus vice Romanorum, Mauritii; in alterius verò populus Valentiniani legitur auxilium expetisse, patet profecto juxta cap. VIII. Synodi, Ecclesiam seculares potestates in sui adjutorium invitasse, easque non imperio, sed obedientia tunc usas fuisse. Quod quidem non videtur nobis fieri non licere, si contingat dignum quemlibet consensum in sui promotionem non præbere, regalem vero potesta-

Sæc. XI. Anno 1082. testatem contingat in eadem diœcesi adesse, ut Valentinianus tunc in Mediolanensi legitur affuisse. Ut autem quæratur extra diœcesim, cum longo interstitio possit abesse, absurdissimum est, cum sanctissimorum Patrum legibus statutum sit, ne intra tres Menses viduatam relinquant Ecclesiam à Pontifice.

Historia tripartita. Quod vero in historia tripartita legitur Valentinianus Imp. dixisse Ambrosio: *Deus tibi commisit animas, ego corpora;* quam pessimè cohæreat præcedentibus, qui legit intelligat. Valde enim contrarium videtur, & hoc eum dixisse, & ut à se Pontifex eligeretur, quod ibidem præmissum est, nullatenus consensisse. Hoc autem nihil nobis adversatur, cum beatus Gregorius eandem historiam mendosam & à Romana Ecclesia repudiatam affirmet.

Nicolai decretum pro investituris. Sunt item qui objiciunt: Nicolaum juniorem decreto Synodi constituisse, ut obeunte Apostolico Pontifice successor eligeretur, & electio ejus Regi notificaretur. Facta vero electione, & ut prædictum est, Regi notificata, ita demum Pontifex consecraretur. Quod si admittendum est, ut ratione factum dicatur, objicimus ad hoc confutandum, præfatum Regem & optimates ejus se ea constitutione indignos fecisse primum quia postea præfatum Nicolaum, Coloniensem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisse, graviter tulerunt, eumque hujus gratia quantum in se erat à Papatu deposuerunt, & nomen ejusdem in Canone consecrationis nominari vetuerunt, ideoque decretum ejus de jure irritum esse debebit, quia cum à toto orbe Papa habetur, juxta eorundem sententiam eisdem Papa non fuit, quasi non ex Dei sed eorum tantum penderet voluntate, quempiam quemlibet esse vel non esse; Romanus enim Pontifex, ut sapientes norunt, non modo deponi, sed etiam nullo Christiano jure à quolibet potest judicari. Deinde quia cum in eodem decreto cautum esset, ut Romæ Pontificis electio à Romano Clero & populo ageretur, & postea Regi notificaretur, ipsi præfatum decretum violantes, elegerunt quod eis non licebat, prius Cadalaum Parmensem, postea Wicbertum Ravennatem, induentes eos Apostolicis insignibus, vocantes Apostolicos Apostatas, Antichristi præcessores. Præterea autem præfatus Wicbertus aut sui, ut suæ parti favorem asscriberent, quædam in eodem decreto addendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt à se diffidens, ut aut pauca aut nulla exemplaria sibi concordantia valeant inveniri. Quale autem decretum est, quod à se ita discrepare videtur, ut quid in eo potissimum credi debeat, ignoretur?

Sed ut tandem invincibili gladio feriamus, præfatus Nicolaus unus scilicet Patriarcha, cum quolibet Episcoporum Concilio, non potuit abrumpere, imo nec mutare, non obviantia fidei, præfata decreta sanctorum quinque Patriarcharum, scilicet Romani, Alexandrini. Antiocheni, Jerosolymitani, Constantinopolitani, & ut ex numero CCL. & eo amplius, tot quidem leguntur præfatas constitutiones suis temporibus statuisse, in quibus non inveniuntur quidquam regiæ potestati in Pontificum electione seu promotione concessisse, imo ut prædictum est, considentibus cum eis Christianissimis Imperatoribus & non contradicentibus, leguntur sub perpetuo anathemate vetuisse. Quod si hoc vendicandum est ex Græcorum Imperatorum consuetudine, vel ex Ambrosiana vel ex Gregoriana electione, constat ut præmissum est, eosdem ipsos hoc veluti Deo adversum respuisse, eorundem vero Pontificum electionem & promotionem VIII. Synodo quamvis præpostere concordasse.

Et quamvis decretum de quo agimus à præfatis Ecclesiæ legibus penitus enervetur, videamus tamen adhuc quid de eo iterum Ecclesiæ & seculi leges censeant, ut penitus evacuetur. *Synodus Hilarii Papa.* Ex Synodo Papæ Hilarii Cap. IV. *Illud quod quisque commisit Episcopus illicite aut à decessoribus invenit admissum, si proprium vult vitare periculum, damnabit: Nam in se, quidquid in alio non resecabit, inveniet.*

Gelasius. Gelasius Cresconio, Joanni & Messalæ Episcopis inter cætera. *Decessorum statuta sicut legitima & justa, successorem custodire convenit, ita debet etiam malefacta corrigere.*

Pelagius. Pelagius Armentario magistro militum, inter cætera. *Postea quam Ecclesiæ jura documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam Pontifex vel si velit permittatur habere licentiam.*

Adrianus. Adrianus Engelramino: *Constitutiones contra sancta decreta Romanorum Præsulum, nullius sint momenti.*

Gregorius. Gregorius in Registro: *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.*

Leges Rom. Ex Romanis legibus: *Id tantum de sacra responsione substantiam mutuetur, quod legum auxilia prosequuntur.* Item: *Generale præceptum beneficio speciali anteferendum est.* Et item: *Contra jus rescripta non valeant, quocunque modo fuerint impetrata. Quod enim*

enim publica jura præscribunt, magis sequi judices debent. Et infra: *Personalia rescripta quæ cum jure concordant, valeant more veterum, & negotii de quo loquitur nostra rescriptio finis latæ sententiæ terminis censeatur. Speciale autem si quid legibus ac juri importat injuriam, abolitum extirpetur.* Item: *Illa sacra unius cujusque supplicantis desiderio concessa prævaleant, & effectui mancipentur, quæ cum juris & legum ratione concordant: Ea vero quæ surreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferant remedium.* SÆC. XI. ANNO 1082.

His itaque decursis patet præfatum decretum nullius momenti esse, nec unquam aliquid jurium habuisse. Et hæc dicens non præjudico beatæ memoriæ Papæ Nicolao, nec quidquam ejus honori derogo, Patrum sententias Dei Spiritu conditas sequendo. Homo quippe fuit, eique ut contra fas ageret, surripi potuit. Nec mirum hoc eidem contigisse, cum quidam ipsius decessor inveniatur quiddam decrevisse, & meliori usus consilio postea immutasse. Siquidem Bonifacius secundus legitur ex decreto constituisse, Vigilium Diaconum sibi in Pontificatu succedere. Quod quia Romano Clero visum est Canonibus adversari, præsente Clero ab eodem subpositum est igni, ante confessionem beati Petri Apostoli. Et certe præfatus Nicolaus divino metu concussus hoc idem fecisset, si tot Patrum sententias tunc in unum collectas, vidisset, easque suo decreto tam concorditer adversari perpendisset.

Beatus quoque Augustinus librum retractationum composuit, in correctionem eorum quæ prius incaute descripsit, & ut idem quisque sapiens faciat, his verbis commonefacit: ait enim in prooemio ejusdem libri: *Neque enim quisquam nisi impudens, ideoque mea errata reprehendendo me reprehendere audebit. Sed & si dicit, non debuisse ea à me dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit, & mecum facit: eorum quippe reprehensor est, quorum & ego sum: Sed sicut volet quisque accipiat hoc quod facio, me tamen Apostolicam sententiam etiam in hac re oportet intueri. Quæ dicit; Si nos ipsos judicaremus, à Domino non judicaremur.* *Augustinus.* *1. Cor. 11.*

Excommunicatio autem quæ in præfato decreto terribiliter profertur à Wicberto, aut à suis fautoribus, indita creditur, quoniam in antiquioribus ejusdem decreti exemplaribus, longe aliter habetur. Et hæc quidem veniet super eos, qui eam ibidem in sui favorem indiderunt, & super eos, qui eam timendam esse dicere præsumunt: Super illos quidem, ut incidant in foveam, quam foderunt, & ut apprehendat eos captio quam occultaverunt: Super hos autem, quoniam illic trepidaverunt timore ubi non esset timor, quoniam Dominus in generatione justa est. Nam si in generatione justa est, in præfatis patribus fuit, & per eos locutus est, ideoque illorum maledictio sicut Dei pavenda est. De maledictione vero illorum qui eorundem Patrum decretis non obediunt, dicit idem Dominus per Prophetam: *Benedicam maledictionibus vestris:* Et item: *Maledicent illi & tu benedices.* Et Salomon: *Sicut avis in contrarium volans, & passer quolibet vadens: sic maledictum frustra super eum veniet qui misit illud.* Hoc contra decretum cujus se Wicbertus authoritate defendit, ut doceat se esse quod non est, nec unquam esse poterit. *Malach. 2. Psal. 108. Prov. 26.*

De numero vero annorum quibus hæc damnabilis consuetudo permansisse dicitur, ut seculi potestas pro suo libitu Pontifices promoveat, jure causari non potest. Nam de diversis consuetudinibus, illa potissimum sequenda est, quæ cum originem sumeret, Catholicos patres suorum priorum patrum vestigia sectantes authores habuit, sicut patres septimæ & octavæ Synodi, secuti sunt statuta sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & illi consuetudinem ab Apostolorum temporibus, per omnes Ecclesias observatam: Ea vero perversitas, quæ à seculi principibus superinducta est, non præjudicat eidem sanctæ consuetudini quantalibet temporum obtinuerit curricula. Alioqui Dominus Deus noster culpandus est, qui filios Israël longissima consuetudine sub servitute detentos, tum sub Pharaone, tum sub Cyro vel Dario liberavit, & humanum genus sub Diaboli servitute longa consuetudine detentum, post quinque M. annorum curricula propria morte redemit. Præterea cum veteris & novi testamenti legibus adulterium inhibitum sit, si qui Reges adulterium commiserint, nunquid eorum auctoritate posteri reges adulterari sibi licitum putabunt? absit. *Investiturarum consuetudo vetus.* *Abrogata.*

Et quidem certum est Regum contra leges commissa nullatenus sequenda esse, leges vero ab eisdem calcatas in suo statu manere debere. Hinc est quod sancti Dei Martyres & Romani Pontifices in suis statutis inseruerunt dicentes: *Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra divinitatis mandata præsumere. Injustum enim judicium & definitio, Regis metu vel jussu à judicibus ordinata, non valeant: nec quidquid contra Evangelicæ vel Propheticæ aut Apostolicæ doctrinæ constitutionem sive sanctorum Patrum actum fuerit, stabit, & quod ab infidelibus & hæreticis factum erit, omnino cassabitur.* *Decreta Pontificum.*

Item

Sæc. XI. Anno 1082. Adrianus. Item Adrianus ad Engelrammum Episcopum Cap. 48. *Item generali decreto constituimus ut execrandum anathema fiat, & veluti prævaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicunque Regum vel potentum deinceps Canonum censuram in quocunque crediderit vel permiserit violandam.* Item idem ad eundem. *Constitutiones contra sancta decreta Romanorum Præsulum, nullius sint momenti.*

Cleri corruptio. Si autem omnis plantatio, quam Pater cælestis non plantavit, eradicabitur, & si, ut prædictum est, quod ab infidelibus & hæreticis actum fuerit, omnino cassabitur, nunquid hæc impietas Eutychianistarum Imperatorum cassari, & eradicari non debet? Certe quisquis Ecclesiasticus pro suo officio vehementer non accenditur, ut tanta pravitas à Dei domo radicitus evellatur, zelo ejusdem domus Dei non comeditur, & apud Deum canis mutus latrare non valens reputatur. Quis enim non advertat hanc pestem seminarium esse Simoniacæ hæreseos, & totius Christianæ religionis lamentabilem destructionem? Nempe cum dignitas Episcopalis à Principe adipisci posse speratur, contemptis suis Episcopis ac Clericis Dei Ecclesia deseritur, & ab aliis quidem ingens pecunia aulicorum marsupiis infunditur, ut eorundem suffragia ad tam nefariam promotionem mereantur, ab aliis infinitæ pecuniæ dispendio plus decennio in seculari curia deservitur, æstus, pluviæ, frigora, & cætera incommoda patientissimè tolerantur; ab aliis autem vel sui pastoris, vel cujus honorem ambiunt mors incessanter optatur, ab alio alii vehementer invidetur, dum quod sibi sperat ab eo surripi posse putatur, imo prô dolor in tantam Dei injuriam interdum prosilitur, ut & servis & fornicariis dignitas ista præstetur. Tales quippe cum adepti fuerint, quod taliter expetierunt, peccantes seculi potestates nullatenus præsumunt redarguere, quoniam ab illis se promotos fuisse meminerunt, imo ne redarguere præsumerent, promoti fuerunt. Et hi lac quidem & lanam accipiunt, sed perditissime viventes omnium salutem negligunt. Sic quippe impletur quod scriptum est: *Ruina populi, Sacerdotes mali.* Et item: *Et erit sicut populus, ita & Sacerdos.* Sacerdotes quippe à populo non videntur distare, cum quisque certatim se popularibus actionibus studet implicare. Nam cum nemo Deo militans implicet se secularibus negotiis, quidam eorum non Canonum, sed canum & accipitrum studia, & reliquos mundi luxus exercent: Quidam autem, quasi Deus laudet in Sacerdote quod reprehendit in divite, amiciuntur peregrinorum pellibus, & relictis suis cathedralibus Ecclesiis, assistunt Imperatoribus, cum Canones Spiritu Dei conditi prohibeant Pontifices palatia Regis adire, sed si qua suggerenda sunt per suos Diacones potius intimare. Cumque iidem sacri Canones prohibeant sub interminatione, quemque Pontificem à sua cathedrali Ecclesia tribus dominicis diebus abesse, alios quidem eorum vix ter aut quater in anno, & hos vix anno integro contingit easdem revisere. Et ut soli non peccent, sed fiant ut scriptum est: *laqueus juvenum:* dant exemplum Clericis suas itidem Ecclesias deserere & sub spe Episcopandi Regum curiæ militare.

Esaiæ. 24. Oseæ. 4. Isaiæ. 41.

Sed objicitur, Clericos ut divina officia Principibus exhibeant, eorundem inhabitare curiam oportere: quasi non sit justius apud Deum, & apud homines convenientius, quemque Episcopum in cujus diœcesi contingit Principem adesse, eidem idoneos & religiosos Clericos ad divina mysteria celebranda dirigere, & pro temporis diuturnitate, qua idem ibidem moratur, alios aliis jubere succedere.

His tantis cladibus quæ contingunt ex præfatis promotionibus, Gregorius septimus obviare cupiens, Romana Synodo quinquaginta Episcoporum, considente Presbyterorum & Abbatum multitudine, per omnia sanctis præfatis Patribus consonantia decreta statuit, dicens: *Si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu alicujus laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos habeatur, nel ulla ei ut Episcopo aut Abbati audientia concedatur, insuper ei gratiam beati Petri & introitum Ecclesiæ interdicimus, quo usque locum quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cœpit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus & Ecclesiasticis dignitatibus, constituimus.* Item: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet secularium potestatum aut personarum investituram Episcopatuum, vel alicujus Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se astrictum esse sciat.*

Gregorius. VII.

Et quoniam sanctorum authoritate monstratum est, Pontificum electionem seculari potestati non subjacere, libet adhuc Christianissimorum Imperatorum, quas hac de causa sanxerunt constitutiones ad medium deducere, ut pateat nobis, si quid juris in eadem causa sibi voluerunt vendicare. Hoc enim Carolus & Ludovicus gloriosi Imperatores in primo libro Capitulorum suorum statuerunt, *Sacrorum Canonum ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico*

Carolus & Ludovicus Impp.

siastico præbemus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi, secundum statuta Canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut verbo & exemplo sibi subjectis prodesse valeant. Certe constitutio hæc tam consonantissima sanctorum Patrum constitutionibus esse deprehenditur, ut si vel à Nicæna vel qualibet etiam universalium Synodorum promulgaretur, non minus Spiritu Dei per istorum ora, quam per eandem prolata crederetur. Hoc quippe docet hunc esse honorem, hanc esse libertatem sanctæ Ecclesiæ, Clerum scilicet eidem & populum sibimet Pontificem eligere debere, hoc in electione Canonum statuta servanda esse commemorat, hoc Simoniacam hæresim prohibendo impugnat, hoc vitæ meritum & sapientiam Pastoris electione quærenda demonstrat, & quod mirum est, brevissime videtur tangere, quod beatus Gregorius scribit de Pontifice, scil. *Ut quisquis perpendere debeat qualiter ad Pontificatum veniat, & rite veniens qualiter doceat, & recte docens qualiter vivat.* SÆC. XI. ANNO 1082.

Patet itaque sanctorum Romanorum Præsulum auctoritate & Patrum, sanctarum universalium Synodorum, septimæ atque octavæ, Pontificum electionem Cleri & populi cujusque esse debere: patet quoque Christianissimos Imperatores, Constantinum, Constantem, Valentinianum, Theodosium, Arcadium, Honorium, Carolum, Ludovicum, cæterosque fide & religione præstantes, eandem consuetudinem ab Apostolorum temporibus observatam minime violasse. Patet etiam item Christianissimos Imperatores Constantinum magnum, & item Constantinum, & Eirenen, & Basilium, Carolum quoque & Ludovicum, præfatam electionem seculari protestati legibus abstulisse, quamquam si etiam eorundem sanctionibus hoc non prohiberetur, Patriarchalium sedium auctoritati non minus obaudiretur. Pontificibus enim, non Imperatoribus, legitur Deus dixisse: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c.* Item primo Pontifici: *Pasce oves meas:* Item Apostolis omnibus: *Euntes docete omnes gentes.* Patriarcharum enim tanta est auctoritas, ut omnimodis hæreticus comprobetur, quisquis eorundem Synodicis constitutionibus obviare nititur. Quæcunque enim communiter statuerint sequenda, ab omni Ecclesia serventur, quæcunque docuerint respuenda, respuantur, nec unquam à quolibet, nisi forte ab eisdem eorundem commune judicium retractabitur. Firmamentum enim Christianæ fidei in eorum sedibus, per beatum Petrum sessorem earundem, ita Deus locavit, ut si unus ex tribus principalibus Patriarchis ceciderit, duo stent, quod si duo ceciderint, cum pro fide Petri ne deficiat à Christo oratum sit, unius scilicet Romani Patriarchæ fides in qua fratres suos confirmet, nunquam deficiat. Quod utique Christus Deus noster jam ostendere dignatus est, in universalibus Synodis, jam ab ipsius ascensione octies universaliter celebratis. Nam uno vel duobus à fide corruentibus, Romanus in ejusdem fidei fundamento, licet pulsatus, licet concussus, tamen stetit immobilis. Cœlum enim & terra transibunt, verba autem ejus non transibunt, qui dixit: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, &c.* Gregorius P. Matth. 18. Joan. 31. Matth. 28. Matth. 16.

Caveant itaque seculi potestates sequi quod Eutychianistæ Imperatores adinvenerunt, ne quod absit cum eis pariter puniantur, quorum tam pravas actiones imitari maluerunt. Permittant sanctæ Dei Ecclesiæ uti suo jure, & honore, scilicet secundum sanctorum Patrum sanctiones Pontifices sibi deligere & promovere.

Et quoniam supra diximus, hanc pestem Simoniacæ hæreseos seminarium esse, operæ pretium est adversus ejusdem hæresis Sacerdotes insurgere, & de eorum Sacerdotio & sacrificio Patrum sententias in medium adducere.

In Epistola septimæ Synodi universalis, Adriano Papæ directa, sic inter cetera legitur. *Eos qui per pecuniam manus imposuerunt vel imponunt. Petrus divinus Apostolus, cujus cathedram sortita est sanctitas vestra, tanquam Simonem magum deponit. Tolerabilior enim est Macedonii & eorum qui circa ipsum sunt sancti Spiritus impugnatorum impia hæresis. Illi enim creaturam, & servum Dei Patris & Filii Spiritum sanctum delirando fatentur. Isti suum Spiritum sanctum efficiunt servum: Omnis enim Dominus quæ habet, si vult vendit, sive servum, sive aliquid eorum quæ possidet: Similiter & qui emit, Dominus volens esse ejus quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto, æqualiter peccantes his qui blasphemaverunt dicentes: in Beelzebub ejicere Christum dæmonia, atque ut verius dicamus, Judæ comparantur proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit. Cumque sanctus Spiritus consubstantialis sit Christo, ejus ipsi proditores erunt. Et procul dubio non est in eis gratia Spiritus sancti, id est Sacerdotii sanctitas. Nam qui non acceperunt, non habent: Ait enim Petrus Simoni: Non est tibi pars neque sors in sermone isto,* Synodus VII. Luc. 11. Act. 8.

Sæc. XI. Anno 1082. *quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri: Nam & vigesimus & octavus Canon Apostolorum, & actus eorundem, tertius & quartus liber Regum, alienum omnino à Sacerdotio pronuntiant eum, qui aliquam dederit vel acceperit pecuniam in aliquo tempore, sive ante manus impositionem, sive in manus impositione, sive post manus impositionem: Accipere enim est quandocunque accipere.* Item ex ultima Epistola ejusdem Synodi; *Omnis ergo Episcopus vel Presbyter, aut Diaconus convictus, quod per pecunias manus impositionem dederit vel acceperit, & à Sacerdotio & gradu decidat. Fortassis autem dicunt aliqui, quia pœnitentiam agimus pro peccato, & Dominus ignoscet illud. Ita est, quia omnes agentes pœnitentiam Deus suscipit, & indulget per pœnitentiam peccata, quæ jam patrata sunt,* & infra. *Sed quia secundum Apostolum, irreprehensibilis debet Sacerdos esse, qui per pecunias quemquam consecrat, vel consecratus est, alienus est à Sacerdotio, sicut omnis Ecclesiæ scimus alumni ex Canonicis disciplinis eruditi.*

Paschalis Papa. Item ex Epistola Paschalis Papæ Mediolanensibus missa. *Si quis objecerit, non consecrationes, sed res ipsas quæ consecratione proveniunt, vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil autem penitus sapere. Nam cum corporalis Ecclesiæ Episcopus vel Abbas sine rebus corporalibus exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit, quisquis eorum alterum vendit sine quo alterum habere non provenit, neutrum non venditum derelinquit. Quam tamen objectionem sacer Chalcedonensis Canon penitus exterminat, cum procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel quemquam Ecclesiæ subjectum, adeò per pecunias ordinari prohibeat, ut interventores quoque tanti sceleris anathematis mucrone succidat.*

Quid plura? Si anathematizati & excommunicati, ut & verè hæretici, Simoniaci & Neophyti ab Ecclesia sunt separati, quis non videat quod hujusmodi Sacerdotum Missæ & orationes Deum ad iracundiam super populum provocent, quem talibus placari credebamus? Scriptum est enim. *Veri sacrificii locus extra Catholicam Ecclesiam non est.* Et item: *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita.* (*Tit. 3.*) Quando ergo tales Episcopos vel Abbates, vel reliquos Clericos non devitamus, si eorum Missas audimus, vel cum eis oramus, cum illis excommunicationem subimus. Quos quidem Sacerdotes esse saltem credere, omnino errare est, cum Petrus Simoni dicat: (*Act. 8.*) *Pecunia tua tecum sit in perditione, quia æstimasti donum Dei pecunia possideri.* Ubi cum existimasti dicitur, non pro eo quod fecerit, sed quia se posse facere credidit, condemnatur, cum minus sit existimare quam credere. In hoc ergo quod subjungitur, (*Ibidem.*) *non est tibi pars neque sors in sermone isto*, patenter ostenditur, quia nihil sacræ ordinationis in hac promotione percipitur.

Gregorius. Item ex registro beati Gregorii ad Sigium, inter cætera. *Cur non perpenditur, cur non advertitur, quia benedictio illi in maledictionem vertitur, qui ad hoc ut hæreticus fiat promovetur?* Item, idem in eodem. *Grave omnino & ultra quam dici potest facinus est, Sanctum Spiritum qui omnia redemit, venundari.*

Ambrosius. Item Ambrosius in pastorali: *Nempe hoc est quod nimis doleo, quia Archiepiscopus cum per pecuniam aliquem Episcopum ordinaret specialiter, ordinavit leprosum.* Item ibidem: *Quod accepit pecunia fuit, quod dedit lepra fuit:* Item ibidem: *Aurum dans perdidisti, & sanctam gratiam non acquisivisti.*

Hactenus de Simoniacorum sacerdotio, nunc de eorum sacrificio patrum sententias perscrutemur.

Cyprianus. Cyprianus in Epistola ad Concilium: *Existimat aliquis summa & magna, aut non sciente aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri, & Sacerdotes, id est, Dei dispensatores non erunt de ejus sententia ordinati, hoc est fidem non habere qua vivimus, hoc est Deo honorem non dare. Sed de ejus sententia non ordinantur Sacerdotes, qui extra Ecclesiam sunt, sicut ipse Dominus in duodecim Prophetis ponit & dicit: sibimetipsis Regem constituerunt, & non per me.* (*Osea 8.*) *Et iterum: Sacrificia eorum tanquam panis luctus.* (*Osea 9.*) *Omnes qui manducant ea contaminabuntur. Et per Isaiam Spiritus sanctus clamat & dicit: Væ vobis filii desertores, hæc dicit Dominus: habuistis consilium & non per me, & fecistis conventionem, non per Spiritum meum, adjicere peccata super peccata.* (*Isaia. 30.*)

Hieronymus. Hieronymus super duodecim Prophetas: *Odit Deus sacrificia hæreticorum, & à se projicit, & quotiescunque sub nomine Domini fuerint congregati, detestabitur fætorem eorum, & claudit nares: Odisse autem & projicere & non odorari, humana loquitur consuetudine, ut nos affectum Dei nostris sermonibus cognoscamus: Et si holocausta obtulerint, videantur jejunare, dare eleemosynas, pudicitiam polliceri, quæ holocausta sunt vera, non ea suscipit Dominus. Non enim sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium respicit voluntatem.*

Pela-

Pelagius Viatori & Pangratio inter cætera. *A schismaticorum sacrificiis, potius autem sacrilegiis abstinere debetis.* Item in eadem Epistola: *Non est Christi corpus, quod schismaticus conficit: Nec enim divisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere. Unam, ut sæpe dictum est, quæ Christi corpus est, esse constat Ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest. Similiter enim cum ab ea quisquam discesserit, esse desistit Ecclesia. Unum in Jerusalem templum est, idolis necesse est ut immolet, qui semetipsum diviserit.* Pelagius

Gregorius in Registro: *Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata.* Gregorius.

Hæc itaque tam patentia tamque manifesta sunt, ut dilucidari non egeant. Patentissime namque Simoniacorum Sacerdotium & sacrificia irrita esse demonstrant, quamvis quidam scripserit, quod sicut in baptismate Simoniacorum, ita & in eorundem sacrificio virtus Spiritus sancti cooperaretur, scilicet, ut non eisdem sit verum & salutare sacrificium, sed his quibus exhibetur. Quod ex præmissis patrum sententiis apertissime refellitur, & maxime ex eo quod dicitur: *sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui ea manducant contaminabuntur.* Non enim exhibitio baptismatis, & sacrificii Dominici corporis, omnino simili sibi collatione conferri valent. Nam necessitate urgente omni baptisato conceditur baptizare, sub fidei interrogatione, & nomine Trinitatis, & trina mersione, quod utique concessum est propter eum qui periculo mortis urgetur, ne si tunc ad Sacerdotem cum non affuerit curratur, subito non valeat inveniri qui baptisma ministret. Solis autem Sacerdotibus licitum est Dominicum corpus conficere, quod quidem non baptisato ilico morituro necessarium non est. Baptisma enim præcedit Dominici corporis præceptionem, ideoque necessarium est, ut per quemlibet baptisetur antequam Dominicum corpus à morituro expetitur. Magis namque dolendum est quempiam absque baptismo humanis rebus excedere, quam baptisatum absque Eucharistiæ communione, quamvis sine utroque non salvetur, qui quidem utrumque posset sumere. Nam qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu, non intrabit in regnum Dei*, idem dixit: *Nisi manducaveritis panem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ideo autem dixi de potentiâ sumendi utrumque, quoniam parvulus modo natus modo renatus non valet carnem Dominicam manducare, licet sanguinem ejusdem possit vix ori infusum deglutire. Nam quod dicitur, *Nisi manducaveritis*, de his qui manducare possunt, accipiendum puto. Nemo enim dicit de eo qui manducare non potest, sed de eo qui potest.

Baptismi & Eucharistiæ necessitas ad salutem. Osea. 9. Joan. 6. Joan. 6.

His ita decursis dicendum videtur hæresin Arrianorum & Sabellianorum & Macedonianorum & Fotinianorum atque omnem generalem hæresim à S. Dei Ecclesiæ impugnatione cessasse, & Deo pro eadem pugnante cessaturam, si qua deinceps existimatur oriri posse. Hæc vero, id est Simoniacorum hæresis, quæ in initio nascentis Ecclesiæ adversus eam statim arma corripuit, usque in finem sæculi, prout sibi Diabolus vexilliferos & sequaces inveniet, & ad ejusdem probationem eandem impugnare non cessabit. *Oportet enim hæreses esse*, ut ait B. Apostolus, *ut qui probati sunt manifesti fiant.* Sed animadvertendum est, quod Christus Deus, qui suam Ecclesiam super fidei petram ædificandam promisit, primo omnium hæreticorum primum Apostolorum opposuit, videlicet ut sicut Ecclesia, id est credentium multitudo novit se fidem Petri semper debere sequi, sic in perpetuum meminerit ejusdem nefariæ hæresis virosa & mortifera consortia fugere, in cujus capite constat omnium Christianorum Principem maledictionis jaculum intorsisse. Hæc cum ita sint, quicunque pro suo posse ab hujus pestis impugnatione cessaverit, cum Simone & ejus sequacibus portionem habebit, dicente B. Gregorio: *Quisquis contra Simoniacorum hæresim & Neophytorum pro officii sui loco vehementer non asserit, cum eo se non dubitet habere portionem, qui prius hoc piaculare flagitium commisit.* 1. Cor. 11. Gregorius.

Sciendum est autem quod aliud est hæreticum esse, aliud schismaticum: hæreticus siquidem est, qui Catholicæ Ecclesiæ fidem relinquit, & sui vel alterius erroris viam sequi diligit. Item juxta beatum Isidorum, *Qui sacram Scripturam aliter interpretatur quam flagitat sensus Spiritus sancti, per quem scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, hæreticus appellari potest.* Schismaticus vero est, qui quidem rectam se confiteri fidem simulat, sed sanctorum Patrum traditiones superbe contemnit, & se aliqua malevolentia ab unitate Ecclesiæ scindit. Isidorus.

Item juxta sanctum Augustinum *Hæreticus est, qui non sequitur Catholicam veritatem. Schismaticus est qui non amplectitur Catholicam pacem.* Augustinus.

Item Papa Pelagius in suo Regesto introducit beatum Augustinum ita definientem schisma in Epistola ad Valerianum Patricium inter cætera: *Vide utrum schismatici non*

SÆC. XI. ANNO 1082. *sint, qui se ab eminentissima & manifestissima auctoritate Apostolicarum sedium separaverunt.*

Item idem Pelagius in Epistola ad Viatorem & Pangratium inducit Augustinum ita dicentem: *Qui adversum autoritatem illarum Ecclesiarum, quæ Apostolicas sedes & Epistolas accipere meruerunt, temere credit, immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit.*

Hæc cum ita sint, ex his patet eos esse Ecclesiam, qui Apostolicarum Ecclesiarum auctoritatem sequuntur, eos vero omnibus modis esse schismaticos, qui contra præscriptas auctoritates Apostolicarum sedium, & sanctorum Patrum plus quam CC. Pontifices in Ecclesia Dei ordinare nituntur.

Concilium Antiochenum. *Schismaticus vero* juxta Antiochenum Concilium, *si permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ, per extraneas potestates tanquam seditiosus comprimendus est.* *Augustinus.* *Multa namque*, ut ait Augustinus: *etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt, quorum potius utilitati consulendum est quam voluntati. Nam in corripiendo filio quamlibet aspere, nunquam tamen amor paternus amittitur. Fit tamen quod nollet ut doleat, quia etiam invitus videtur dolore sanandus.*

Pelagius. Item Pelagius Valeriano patricio. *Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum jam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si ut quidam putant, nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari, quæ & malis pœnam & bonis præmia, justitia suadente, constituunt. Malum autem schisma est etiam per extraneas potestates opprimendum.*

Schismatici opprimendi. Itaque si, ut ex his patet, schismatici per extraneas potestates sunt opprimendi, nunquid & Simoniaci ab eisdem non sunt opprimendi? Nunquid minus delinquunt? Immo magis. Nam si Christus Dei Filius & Spiritus ejus & Patris per omnia æquales sunt, Judæus & simoniacus, qui utrumque vendunt, pares non erunt? Item cùm ex præmissis auctoritatibus constet, Simoniacum Paraclitum emere, Judæum vero liqueat Christum emisse, nunquid constabit eosdem malitia & merito pares habendos esse? Et quidem ita videtur.

Patet itaque Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos, & si commoniti non resipuerint, etiam ab exteris potestatibus opprimendos. *Gregorius.* *Verendum quippe est*, ut ait Gregorius, *Quemque pro suo officio & loco contra eosdem vehementer non inardescere, eorumque detestando errori totis nisibus non obviare.* *Innocentius.* *Error namque*, ut ait Innocentius Papa, *Cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minime defensatur, opprimitur.* Item idem: *Negligere quippe cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere?*

Augustinus. Augustinus: *Quisquis metu cujus libet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum.*

Ambrosius. Ambrosius: *Consentire est, non solum scienter mala fieri permittere, sed etiam malefacta non persequi.*

Gregorius. Gregorius: *Qui non corrigit resecanda, committit.* Item in moralibus. *Plerumque quieti atque inconcussi relinquimur, si obviare pravis pro justitia non curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, si verum lumen jam intrinsecus respicit, si in se flamma sancti fervoris accendit, in quantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione justitiæ nosmet ipsos objicere, & perversis ad injusta prorumpentibus etiam cum ab eis non quærimur, obviare. Nam cum justitiam quam nos amamus in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur.*

Et quoniam à quibusdam eorum ignorantia, à quibusdam vero negligentia; ab aliquibus autem superbiæ contumacia delinquitur, optimum est ut primum levius mitiusque cum eisdem & cum schismaticis agatur, & ut pro eis oretur, *ne forte*, sicut ait *Rom. 1. 2. Tim. 2.* Apostolus: *Det illis Deus reprobum sensum, ut si resipiscant à laqueis Diaboli, à quibus alligati tenentur.* Quod si rationi non acquieverint, Simoniaci pariter & schismatici, ut incurabilia membra ab Ecclesiæ corpore abscindantur, & ut dictum est, ab exteris potestatibus opprimantur.

Augustinus Sciendum est Augustinum de omnibus hæreticis & schismaticis ad quendam Petrum sic scripsisse. *Firmissime tene & nullatenus dubites, omnem hæreticum quantumvis multas eleemosynas faciat, vel etiam pro Christo sanguinem fundat, cum Diabolo & Angelis ejus æterno igni mancipandum, nisi ante finem vitæ hujus Catholicæ incorporetur & reintegretur Ecclesiæ.*

Hactenus contra eos qui dicunt Dei Ecclesiam & Pontificum ejus ordinationem Regiæ potestati subjacere, contraque Simoniacorum Sacerdotium & sacrificium satis dictum. Nunc restat de facultatibus Ecclesiæ dicere, quas iidem contendunt sub regia ditione manere.

CANI-

CANISIUS

Ad Lectorem.

IN Manuscripto Codice, quo usi sumus, subjiciebantur sequentes sententiæ, ab ipso, ut videtur, Anselmo ex variis auctoribus collectæ, quibus demonstrare studet Ecclesiæ facultates non esse in potestate Regis aut Cæsaris. Quo fit, ut ea quæ sequuntur aut sint altera pars secundi libri; aut totius operis tertius. Utrum tamen nihil desideretur, non injuria ambigas.

ALBINUS

IN

LIBRO SECUNDO SUPER MATTHÆUM.



INVENIT *Jesus in Templo vendentes boves & oves & columbas & nummularios sedentes, & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, ac mensas subvertit.* Matth. 21. Joan. 2. Boves, aves, & columbæ ad hoc emebantur, ut offerrentur in Templo. Nummularii ad hoc sedebant ad mensas, ut inter emptores venditoresque hostiarum prompta esset pecuniæ taxatio. Videbantur ergo licite vendi in Templo, quia ad hoc emebantur ut in eodem Templo offerrentur Domino. Sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenæ negotiationis, ne ejus quidem quæ honesta putaretur, exhiberi, dispulit negotiatores injustos, & foras simul omnes cum his quæ negotiabantur ejecit. Quid ergo fratres mei, quid putamus faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur ementes in Templo vidit & eliminare festinavit?

Hæc propter illos diximus, qui Ecclesiam ingressi non solum intentionem orandi negligunt, verum etiam ea pro quibus orare debuerant, augent, insuper & arguentes se pro hujusmodi stultitia, convitiis odiisque, vel etiam detractionibus insequuntur, addentes videlicet peccata peccatis, & quasi funem longissimum sibi incauta eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo districti judicis examinatione damnari. Nam bis quidem in sancto Evangelio legimus quod veniens in templo Dominus hujusmodi negotiatores ejecit, primum videlicet, id est, tertio ante passionem suam anno, sicut ex Joannis Evangelistæ sequentibus scriptis agnoscimus, & ipso quo passus est

SÆC. XI. ANNO 1082. est anno, cum ante quinque dies Paschæ sedens asino Jerosolymam venisset. Sed hoc idem in templo jam sanctæ Ecclesiæ, examine quotidianæ visitationis agere, omnis qui recte sapit, intelligit.

Unde multum tremenda sunt hæc dilectissimi, & digno expavescenda timore, sedulaque præcavendum industria, ne veniens improvisus, perversum quid in nobis unde merito flagellari ac de Ecclesia ejici debeamus, inveniat. Et maxime in illa quæ specialiter domus orationis vocatur, observandum, ne quid ineptum geramus, ne
1 Cor. 11. cum Corinthiis audiamus ab Apostolo, *Nunquid domos non habetis*, ad agenda vel lo-
Jerem. 11. quenda temporalia, *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Etiam à Propheta cum Judæis, *dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.*

Et quidem gaudendum est, quia ipsi sumus in baptismo templum Dei facti, testan-
1. Cor. 3. te Apostolo, qui ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*, ipsi civitas Regis magni
Psalm. 86. de qua dicitur: *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, id est, fundamenta Ecclesiæ in soliditate fidei Apostolorum & Prophetarum. Sed nimis tremendum, quia præmisit
1. Cor. 3. Apostolus dicens: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et ipse
Psal. 100. Judex justus, *Disperdam*, inquit: *de civitate Domini omnes qui operantur iniquitatem.* Gaudete quia in nobis Paschæ solennitas agitur, cum de vitiis ad virtutes transire satagimus, Pascha quidem transitus dicitur. Gaudendum quia Dominus nostra pectora, civitatem videlicet suam invisere, quia idem Pascha nostræ bonæ actionis præsentia suæ pietatis illustrare dignatur, sed timendum satis ne nos in civitate sua aliud quam ipse diligit agentes inveniat, & ipse se nobis qualem non diligimus districtus redditor ostendat, ne nos in templo nummularios, ne venditores boum, ovium, columbarumve reperiens damnet.

Boves quippe doctrinam vitæ cælestis, oves opera munditiæ & pietatis columbæ S. Spiritus designant, quia nimirum boum juvamine solet ager exerceri: ager autem est Domini, cor cælesti excultum doctrina, & suscipiendis verbi Dei præparatum rite sermonibus; oves innocenter sua vellera vestiendis hominibus præstant, Spiritus super Dominum in columbæ specie descendit. Vendunt autem boves, qui verbum Evangelii non divino amore, sed terreni quæstus intuitu audientibus impendunt, quales
Philipp. 1. reprehendit Apostolus, quia Christum annuntiarent *non sincere.* Vendunt oves, qui
Matth. 6. humanæ gratia laudis opera pietatis exercent, de quibus Dominus ait: *Quia receperunt*
Matth. 10. *mercedem suam.* Vendunt columbas, qui acceptam Spiritus gratiam non *gratis*, ut præceptum est, sed ad præmium dant, qui impositionem qua Spiritus accipitur, etsi non ad quæstum pecuniæ, ad vulgi tamen favorem tribuunt, qui sacros ordines non ad vitæ meritum, sed ad gratiam largiuntur. Nummos mutuo dant in templo qui non simulatè cælestibus, sed apertè terrenis rebus in Ecclesia deserviunt, sua quærentes, non quæ Jesu Christi.

Verum hujusmodi operarios fraudulentos quæ merces manet, ostendit Dominus, cum facto de funiculis flagello, omnes ejecit de templo. Ejiciuntur autem de parte sortis sanctorum, qui inter sanctos positi, vel fictè bona, vel apertè faciunt opera mala. Oves quoque & boves ejecit, quia talium vitam pariter & doctrinam ostendit esse reprobam.

Funiculi quibus flagellando impios de templo expulit, incrementa sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos districto judici datur. Hinc etenim
Isaiæ. 5. dicit Isaias: *Væ quod trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Et in Proverbiis Salo-
Prov. 5. mon: *Iniquitates*, inquit, *suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Qui enim peccata peccatis pro quibus acrius damnetur accumulat, quasi funiculos quibus ligetur ac flagelletur paulatim augendo prolongat.

Numulariorum quoque quos expulerat effudit æs, & mensas subvertit, quia damnatis in fine reprobis etiam ipsarum quas dilexere rerum tollet figuram, juxta hoc
1. Joan. 2. quod scriptum est, *& mundus transiet & concupiscentia ejus.*

Joan. 2. Et eis qui columbas vendebant dixit: *Auferte ista hinc, nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Venditionem columbarum de templo auferre præcipit, quia gratia Spiritus gratis accipi, gratis dari debet. Unde Simon ille magus, qui hanc pe-
Act. 8. cunia emere voluit, ut majore pretio venderet, audivit. *Pecunia tua tecum sit in perditione, non est tibi pars neque sors in sermone hoc.*

Notandum autem quia non soli venditores columbarum sunt, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines largiendo pretium pecuniæ vel laudis vel etiam honoris inquirunt, verum hi quoque, qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Deo largiente percepêre, non simplici intentione, sed cujuslibet hu-
1. Pet. 4. manæ causâ retributionis exercent, contra illud Apostoli Petri: *Qui loquitur quasi sermo-*

sermones Dei, qui ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum: Quicunque ergo tales sunt, si nolint veniente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de suis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis. SÆC. XI. ANNO 1082.

In eodem.

Zelo domus Patris Salvator ejecit impios de templo.

ZELEMUS & nos fratres charissimi domum Dei, & quantum possumus, ne quid in ea pravum geratur, insistamus. Si viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, si detractionibus assuetum, si ebrietati servientem, si luxuria enervatum, si iracundia turbidum, si alii cuiquam vitio substratum, studeamus in quantum facultas suppetit, castigare polluta, ac perversa corrigere & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, & maxime in ipsa domo orationis, ubi corpus Domini consecratur, ubi Angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid quod nostram fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus.

In Joannem.

Jesus autem inclinans deorsum digito scribebat in terra.

PER inclinationem Jesu, humilitas, per digitum qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur. Porro per terram, cor humanum, quod vel actionum malarum vel bonarum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus judicare de peccatrice, non statim dat judicium, sed prius se inclinans deorsum, digito scribit in terra, ac sic demum, quam obnixe rogatus, judicat, nos videlicet typicè instruens, ut cum quælibet proximorum errata conspicimus, non hæc antea reprehendendo judicemus, quam ad conscientiam nostram humiliter reversi, digito eam discretionis sollerter exsculpamus, & quid in ea conditori placeat, quidve displiceat, sedula examinatione dirimamus, juxta illud Apostoli: *Fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in Spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* *Joan. 8.* *Gal. 6.*

Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se & dixit eis: *Qui vestrum sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.* Quia hinc & ideo Domino scribæ & Pharisæi tendebant laqueos insidiarum, putantes eum vel immisericordem futurum in judicando, vel injustum, prævidens ille dolos, quasi fila transit araneæ, & judicium justitiæ per omnia & mansuetudinem pietatis ostendens. Ecce temperantia miserandi: *Qui sine peccato est vestrum*; ecce iterum justitia judicandi, *primus in illam lapidem mittat.* Ac si dixisset; si Moyses mandavit vobis mulierem hujusmodi lapidare, videte, quia non hoc peccatores, sed justos facere præcepit. Primo vos ipsi justitiam legis implete, & sic innocentes manibus & mundo corde ad lapidandum ream concurrite, primo spiritualia legis edicta, fidem, misericordiam & charitatem perficite, & sic ad carnalia judicanda divertite. *Joan. 8.*

Dato autem judicio Dominus, iterum se inclinans deorsum in terra scribebat. Et quidem juxta morem consuetudinis humanæ potest intelligi. quod ideo Dominus coram tentatoribus improbis inclinari & in terra scribere voluerit, ut alio vultum intendens, liberum daret eis exitum, quos sua responsione perculsos citius exituros, quam plura interrogaturos præviderat. Denique audientes: unus post unum exibant, incipientes à senioribus.

Sed figuratè nos admonet in eo, quod & ante datam & post datam sententiam inclinans scripsit in terra, ut & prius quam peccantem proximum corripiamus, & post quam debitæ castigationis illi ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis investigatione perpendamus, ne forte aut eisdem quæ in ipsis reprehendimus, aut aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti, sicut forte fieri potuit, ut ipse qui homicidam reum mortis esse judicaverit, ipse in seipso per odium fraternæ mortis esse reus ante oculum conditoris inveniatur. Similiter qui fornicationis crimen in fratre accusat, in seipso superbiæ facinus non videat, Ideo jubetur judex alieni criminis digito discretionis in corde suo describere, ne forte in seipso reus inveniatur. Quid ergo nobis in hujusmodi periculis remedii, quid restat salutis, nisi ut cum peccantem conspicimus alium, mox inclinemur deorsum, id est, quàm dejecti ex nostræ conditione fragilitatis

SÆC. XI. ANNO 1082. Job. 27.

tis simus, si non nos divina pietas sustentet, humiliter inspiciamus, digito scribamus in terra, id est, discrimine sollerti pensemus, an cum beato Job dicere possimus: *Neque enim reprehendit nos cor nostrum in omni vita nostra.*

Ex decretis Stephani Papæ & Martyris.

VESTIMENTA Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse & honesta, quibus in aliis usibus nemo debet frui, quam Ecclesiasticis & Deo dignis officiis, quia nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi à sacratis hominibus; ne ultio quæ Balthasar percussit, super hæc transgredientibus & talia præsumentibus veniat divina, & corruere eos faciat ad ima. Hæc illis in partibus quibus moraris, & in omnibus, quibus potueris, cunctis nota facito, & observare Apostolica mandato auctoritate, quia & nostri nobisque commissi in sede Apostolica & universali Ecclesia omnes hæc observare nunc & futuris temporibus, professi sunt.

Innocentius Papa Episcopis Apuliæ.

CANONES apud Nicæam constituti pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt.

Ex decretis Siricii Papæ.

ILLUD nos quoque par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci, quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum instrumenta Sacramentorum suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Ex decretis Leonis Papæ primi.

NEC primum aut secundum aut tertium in Ecclesia gradum quisque laicorum quibuslibet suffragiis fultus ascendat, priusquem ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Quod enim nunc utcunque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id quod omnino interdicimus usurpare præsumpserit, quia remissio peccati non dat licentiam peccandi, neque quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi.

Ex Concilio Toletano XII.

SI Diaconus aut Presbyter crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur, ibique tantummodo quandiu vixerit, communionem sumat laicam.

Ex Canonibus Sylvestri Papæ.

NULLUS Lector vel Acolytus vasa sancta audeat tangere: & nullus Subdiaconus rem jam consecratam à Presbytero alii porrigat, quia aliud est minister, aliud assistens, nisi tantum subportet quod ei Sacerdos imponat, suo ore benedictum.

Ex eisdem.

SI quis Clericatum promereri desiderat, hoc justum est ut sit Ostiarius annum unum. Lector annos XX. Exorcista annos decem; Acolytus annos quinque, Subdiaconus annos quinque, Diaconus annos quinque. Et sic ad honorem Presbyteri accedat, & faciens in eo ordine annos sex, si fuerit omnium votiva gratia, non præmio, non invasione cupiditatis, nulli prorumpens gradum, sic ab omni Ecclesia eligatur consecrandus Episcopus, nullo de membris Ecclesiæ interdicente, & omni Ecclesia conveniente: *Et dixerunt Episcopi*, placet.

Innocentius Papa de temporibus morandis in Clero.

ITA sane, ut in eis tempora à majoribus constituta serventur, ne cito quilibet Lector, cito Acolytus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat; quia in minoribus officiis

ciis si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur, ut ad Sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant, nec præripiant quod vita probata meretur. SÆC. XI. ANNO 1082.

Ex decretis Zosimi Papæ.

HÆc autem singulis gradibus, observanda sunt tempora, si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret; si major jam & grandævus accesserit, ita tamen post baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari, sive inter Lectores sive inter Exorcistas quinquennio teneatur, exinde Acolytus vel Subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem Diaconatus, si meretur, accedat. In quo ordine quinque annis si inculpatè se gesserit, hærere debebit, exinde suffragantibus stipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis, Presbyterii Sacerdotium poterit promereri. De quo loco, si eum exactior ad bonos mores vita produxerit, summum Pontificatum sperare debebit, hac tamen lege servata, ut neque digamus, neque pœnitens ad hos gradus possit admitti, sane cum etiam defensores Ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine Clericatus.

Sylvester in Synodo confirmante Nicænum Concilium, subscribentibus sibi CCLXXV. Episcopis.

COMMONEO autem omnes vestrum consortes unanimiter de reditibus Ecclesiæ quatuor partes fieri, quota pars exigatur. Habeat autem Ecclesia unam partem ad se relevandam, Pontifex unam, & aliam pauperes vel peregrini, Presbyteri quartam & Diaconi cum residuo Clero, omnibus autem ipso Pontifice dispensante. Constituo etiam & hunc ordinem, ut si quis de Clero vel Presbyteris universorum locorum, quod commune est, transierit de hoc mundo, si neminem de sua generositate habeat consortem, quidquid paupertas ejus habeat, conferat Ecclesiæ, & partes fiant, sicut supra dictum est.

Huic etiam Synodo Synodus Nicæna vicissim subscripsit, & eam approbavit, teste Leone Nono in Epistola ad Michaëlem & Leonem Episcopos. Ubi introducens primum Caput hujus Concilii, ita loquitur de Apostolica sede. *Illi nempe facitis præjudicium de quo nec vobis nec cuilibet mortalium licet facere judicium, beatissimo & Apostolico Pontifice Sylvestro, divinitus decernente, spiritualique ejus filio Constantino religiosissimo Augusto cum universa Synodo Nicæna approbante ac subscribente, ut summa sedes à nemine judicetur.*

Ex decreto Alexandri Papæ.

CUM Sacrorum Canonum autoritas quatuor ex rebus Ecclesia jubeat fieri portiones, quarum una pauperibus, altera fabricis Ecclesiarum sit impendenda; tertia Episcopo: quarta Clericis sit conferenda, sicut pauperibus & Ecclesiis singulæ partes sunt concedendæ, ita quoque reliquæ partes neque ab Episcopo vel Clero emendæ sunt vel vendendæ, sed eis pro Evangelii annuntiatione, & pro officii sui labore eodem modo conferendæ.

Ex decretis Gelasii Papæ.

QUATUOR autem tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenientes fieri portiones: Quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut Sacerdotis interit integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic Clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ Ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum, quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum Præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus asscriptam pauperibus portionem quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus etiam videatur, tamen juxta quod scriptum est: *Ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri. *Matth. 5.*

Sæc. XI. Anno 1082.

Ex Concilio Moguntino, cui præsedit Bonifacius Archiepiscopus & Martyr auctoritate Zachariæ Papæ. Cap. X.

Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decima, nec aliqua possessione priventur, ita ut novis oratoriis tribuatur.

Ex eodem Cap. XLI.

Quicunque beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas omnino adjuvent, & nonam decimam reddant.

Ex Concilio Aquilegiensi. Cap. III.

Ut nulli Presbytero in alio loco baptisma liceat celebrare, nisi in eodem loco, ubi semper Baptisteria antiquitus fuerunt.

Ex eodem Concilio. Cap. III.

Decimæ quæ à fideli populo dantur, in Ecclesiis Baptismalibus inferantur, & ipsi Presbyteri qui in easdem plebes ordinati sunt, cum omni sollicitudine curam habeant de Christianitatis causa populo sibi commisso, & populus suas decimas suis Presbyteris offerat, & Presbyteri dividant eas in quatuor partes, sicut antiqua patrum Regula continetur, unam sibi, unam Clericis, unam pauperibus, unam ad instaurationem seu luminaria vel incensum Ecclesiarum, & hoc statuimus, ut prædicti Presbyteri habeant juxta suam Ecclesiam, aut infra suam cellam locum constitutum, ubi quarta, quam pauperibus dari docuimus, inferatur.

Ex Regesto Leonis Papæ quarti.

De decimis justo ordine non tantum nobis, sed majoribus visum est, plebibus, tantum ubi sacrosancta dantur baptismata, dari debere.

Gelasius Papa Maximo & Eusebio Episcopis.

Licet Regulis contineatur antiquis, parochias unicuique Ecclesiæ pristina dispositione deputatas, nulla posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam exempli mali temeritate crescente, ubique universalis confusio nasceretur, jam in decretis nostris ante non multum temporis destinatis, omnia jussimus, quæ taliter fuerant invasa, restitui. Sed quia temeritas pervadentium legem sibi putat posse generari, si sceleri suo pertinaciam retentionis adjungat, ea quæ inter fratrem & Coëpiscopum nostrum Constantinum Camiscanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & directos ab Anconitano Pontifice decrevimus, per vos impleri cupimus. Tunc formam in cæteris cogitationibus quæ sit sequenda perscripsimus. Nulla igitur præsumtione statum parochiarum qui perpetuæ ætatis firmitate duravit, patimur immutari, quia neque negligentia Pontificis, neque temporalis abjectio, quæ per incuriam forte generatur, nec ignavia faciente consensus, nec surripiente supplicatione præceptio divellere potest semel diœcesim constitutam, ex qua semper ad regenerationem atque consignationem plebs devota consistit.

Idem Justino Archidiacono & Fausto. De rebus Ecclesiæ in quatuor partes dividendis.

Vobis & famæ vestræ consultum duximus, ut Pontificis vestri loco vobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui ejus nomine pariter universa disponat, quatenus omnia prædia ad vestrum revocetis studium, ne cuiquam Clerico pro portione sua solum aliquod Ecclesiæ putetis esse deputandum, ne per incuriam negligentiamque minuatur, sed omnem pensionis summam ex omnibus prædiis rusticis urbanisque collectam ad Antistitem deferatis. Ex qua tamen collectione habeatur ratio, quod ad causas vel expensas accedentium necessitatum opus esse perspicitur, ut de medio sequestretur, & quartæ portiones vel fidelium oblationes de hac fiant modis omnibus pensione, ita ut unam sibi tollat Antistes, aliam Clericus pro suo judicio & electione dispertiat, tertiam pauperibus sub omnium conscientia faciat erogari: Fabricis vero quod competit ad ordinationem Pontificis erogatione vestra decernimus pendendum. Si quid forte ab annua remanebit expensa, electo idoneo ab utraque parte custo-

custode condatur in thecis, ut si major emerserit fabrica, sint subsidio, quæ diversi temporis diligentia potuerint custodiri, aut certe ematur possessio, quæ utilitates respiciat communes.

Ex Concilio Aureliano, cap. VII.

Omnia quæ Deo offeruntur, consecrata habeantur, in vineis, terris, sylvis, utensilibus, vestimentis, pecoribus & reliquis possessionibus, ut quæ Ecclesiis, sine dubio Christo qui sponsus earum est, offeruntur.

De eadem re. Ex Concilio Rotomagensi. Cap. III.

Omnes decimæ terræ sive de pomis arborum, sive de frugibus, Domini sunt; & illi sanctificantor. Boves & oves & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, & quod mutat, & quod mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Sed quia modo multi inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus ut secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel & tertio: si non emendaverint, anathematis vinculo constringantur, usque ad satisfactionem & emendationem congruam.

Ex Concilio Gaballonensi. Cap. XVIII.

Questi sunt præterea quidam fratres, quod essent aliqui Episcopi & Abbates, qui decimas non sinerent dare ad Ecclesias, ubi illi coloni Missas audiunt. Proinde decrevit facer iste Conventus, ut Episcopi & Abbates de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri faciant, familiæ vero ibi dent decimas suas, ubi infantes eorum baptisantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt.

Ex Concilio Toletano. Cap. XXXVI.

De his autem quæ Altaribus offeruntur, quarta pars fideliter Episcopis deferatur; duæ Clericis, decimæ autem secundum quosdam singulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto totam Episcopi recipiant.

Ex Concilio Mogonciacensi. Cap. VIII.

Quatuor partes juxta Canones fieri de fidelium oblationibus debent, ut una sit Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi Ecclesiarum servetur.

Ex Concilio Agrippinensi.

Item quod decima quæ à fidelibus datur, Dei census nuncupanda est, & ideo ex integro reddenda. Cujus tertia pars secundum Canonem Toletanum Episcoporum esse debet. Nos vero hac potestate uti nolumus, sed tantum singulis annis quartam partem usu Romanorum Pontificum, & observantia sanctæ Ecclesiæ Romanæ de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosus inde repertus fuerit, sive Clericus sive laicus ille sit, communione privabitur, & Synodali censura judicabitur.

FINIS.

STATUTA CANONUM DE OFFICIO SACERDOTUM

Incerto collectore.

JACOBI BASNAGII IN HANC CANONUM COLLECTIONEM OBSERVATIO.


Anonum amplissimam Collectionem confecerat *Burchardus*, quamque plurimis libris complexus erat. Hanc anonymus in compendium redegit, vel potius ex ea quæ ad officium Sacerdotum pertinebant, ex Burchardi libris excerpsit. Quo tempore vixerit ille anonymus incertum, sed cum constet Burchardum non obiisse nisi an. 1006. ante sæculi undecimi finem, ipsius abbreviatorem reponere non licuit; quamquam fortasse multo serius vixerit, nihil enim habet quod ejus ætatem possit indicare.

INCI-

SÆC. XI. ANNO 1090.

INCIPIUNT STATUTA CANONUM, DE OFFICIO SACERDOTUM EX LIBRO II. BURCKHARDI.



UT nullus Presbyter absque amictu, alba stola, fanone, & casula ullatenus præsumat missam celebrare. Et hæc sacra vestimenta mundissima sint: & in nitido loco, infra Ecclesiam collocentur. Nec unquam Presbyter his indutus, Ecclesiam exeat. quia hæc divina lex prohibet. *Ex Concil. Remensi, cap. 4.*

Ex Concilio Nannetensi cap. 5. Omnibus Dominicis diebus unusquisque Presbyter in Ecclesia sua, ante missarum solennia, aquam benedicat, in vase nitido, mysterio conveniente. De aqua populus intra Ecclesiam adspergatur. Et atrium ejusdem Ecclesiæ cum crucibus circumeundo similiter adspergat. Et pro animabus ibi quiescentibus oret. Et, qui voluerit de ipsa aqua, in vase suo accipiat domui suæ, vel in agris, vel super pecora, vel ubicunque volet, eam sparsurus.

Alexander Papa constituit aquam sale mistam populis benedici. quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandavit.

Ex dictis Augustini: Missæ peculiares in publico non sunt celebrandæ per festos dies: ut per eas populus à publicis missarum solennitatibus abstrahatur. quia pessimus usus est apud quosdam, in Dominicis diebus, & aliis festivitatibus mox missam celebrare, quam quis, etsi pro defunctis sit, cum audierit, discedat. Admonendus est populus, ut ante publicum, peractumque officium canonicè hora tertia celebrandum, ad cibum non accedat: sed ad publicam missam, prædicationem auditurus conveniat.

Ex Concilio Nannetensi cap. 8. Ut unusquisque Presbyter, qui plebem regit, clericum habeat, qui secum cantet.

Ut omnis Presbyter omni suo parochio, symbolum, & orationem Dominicam insinuet, cumque in Quadragesima ad confessionem veniunt, in primis faciat unumquemque illa sibi memoriter decantare. Nec Presbyter alicui sanctam communionem tradat; nisi qui hanc ex corde pronuntiaverit.

Ex Concil. Carthagin. cap. 4. Sacerdote in Ecclesia verbum faciente, qui egressus de auditorio fuerit sine gravi necessitate, excommunicetur.

Item in Canonibus Apostolorum præcipitur: Tres dies rogationum ante Ascensionem Domini [observentur] Ut ad salutationes Sacerdotis non solùm Clerici, & Deo dicatæ, sed & omnis plebs consona voce respondeat. *Ex Concil. Aurelian. cap. 2.*

Ut nullus ordinatus migret de sua parochia in aliam. Nec ad limina Apostolorum, causa orationis cura Ecclesiæ suæ derelicta. Nec ad palatium: causa interpellandi. Quod si fecerit; nil valet hujusmodi ordinatio, aut demigratio. *Ex dictis Aug.*

Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum: ut, qui causa orationis ad limina beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua: & sic proficiscantur. quia à proprio Episcopo, vel sacerdote ligandi, aut solvendi sunt, non ab extraneo. Ut Presbyteri privatim fidelibus desiderantibus benedicant. *Ex Concil. habito apud Regium. c. 4. Eodem cap. 40. 8.*

Ex Concil. Ven. cap. 20. Ut nullus in Dominicis diebus genua flectat: nec à Pascha, usque in octavas Pentecostes. Benedictionem super plebem facere Presbyteris non licet in Dominicis diebus, vel in aliis festis, populo in Ecclesia conveniente.

SÆC. XI. ANNO 1090.

Si aliqui discordantes sint, statim à Presbytero aut reconcilientur, aut ab Ecclesia abjiciantur, quo peracto, missa celebretur.

Presbyteri sine intermissione orariis utantur, propter differentiam sacerdotalis dignitatis.

Ex Concil. Nanneten-si, cap. 300. 18. Clericus victum, & vestitum sibi honesto artificio, vel agricultura, absque officii sui duntaxat detrimento præparet.

Ex Concil. Moguntinensi. Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ canendo primam, tertiam, sextam, nonamque persolvat. Ita tamen, ut postea horis competentibus, & signis designantibus, juxta possibilitatem, aut à se, aut scholaribus compleantur publicè.

Ex Concil. Afric.

Ex Concil. Nannetensi, c. 60. Ex Concilio Toletano, cap. 6. Si quilibet ordinatus in civitate manens, & loco, ubi est Ecclesia, ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur.

Ex Concil. Venetico, cap. 1. Clericus in civitate manens, si ea die matutinis hymnis defuerit sine ægritudine, 7. (dies) à communicatione habeatur extraneus.

Ex Concil. Nannetensi, c. 11. In convivio presbyterorum ante mensam dicatur versus, & benedicatur cibus ab aliquo priore. Deinde comedant: & per vices cibum potumque benedicant, aliquo clerico interim legente. similiter post cibum dicturi hymnum.

Ex Concil. Afric c. 6. In omni sacerdotali convivio, divinarum scripturarum lectio intermisceatur.

Ex Concil. Carthag. Clericus nec comam nutriat, nec barbam. Et, si per creaturam juret, acerrimè corrigatur. Si perstiterit in vitio, excommunicetur.

Ex Concil. Triburiensi. Præcipimus, ut unusquisque Presbyter super duas, vel tres septimanas Dominicis diebus, vel sanctorum festivitatibus, populum sibi commissum in Ecclesia sua, post lectum Evangelium, doctrinis à sancta scriptura sumptis, instruere studeat.

Ex Concilio Laodicensi cap. 20. Ut Diaconi coram presbyteris non sedeant, nisi horum jussu. Idem de ceteris gradibus.

Ex Concil. Vasensi, cap. 6. Si Presbyter præ infirmitate nequeat prædicare, à Diacono probato sanctorum Patrum homiliæ recitentur.

Hucusque ex lib. 2. B. Item ex lib. 3. Burchardi Episcopi.

Ex Concil. Arelatensi, cap. 1. Ut populus ad celebrandam missam congregatus ante benedictionem sacerdotis non discedat.

Ex Decretis Higini Papæ, cap. 3. Ligna dedicatæ Ecclesiæ non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam; vel igni comburenda, vel ad profectum fratribus in monasterium.

** Ludifredum.* Exempla Isidori ad * Lamfridum Episcopum: Ad Psalmistam pertinet officium canendi: dicere benedictiones: laudes ad sacrificium, responsoria, & quidquid pertinet ad canendi officium.

Ad ostiarium pertinent claves Ecclesiæ, ut claudat, & aperiat templum Dei: & omnia quæ sunt intus, & extra custodiat. Fideles recipiat. Excommunicatos, & infideles excipiat.

Ad lectorem autem, lectiones pronuntiare, & ea, quæ prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare.

Ad exorcistam, exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos, & enechumenos in exorcisando imponere. Ad acolythum præparatio luminarium in sacrario. Ipse cereum portat: ipse * surgesta pro Eucharistia calicis præparat. ** sic m. s.*

Ad Subdiaconum; calicem, & patenam ad altare Christi deferre, & Levitis tradere: eisque ministrare, Urceolum quoque, & aquam, mantile, & manutergium tenere: Episcopo, Presbytero, & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere.

Ad Diaconum autem assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ agunt in sacramentis Episcopi, & in baptismo, chrismate, patena, & calice: oblationes quoque inferre; & prædicare Evangelium: & Apostolum. Nam sicut lectoribus vetus testamentum: ita diaconibus novum prædicare præceptum est. Ad ipsum quoque pertinet officium precum, & recitatio nominum. Ipse præmonet aures ad Dominum habere: ipse hortatur clamare: ipse donat pacem, & ipse pacem annuntiat.

Ad Presbyterum pertinet sacramenta corporis & sanguinis Domini in altari conficere, & orationem dicere, & dona Dei benedicere.

Ad Episcopum, basilicarum consecratio: altaris unctio: chrismatis confectio. Ipse,

Ipse, prædicta officia, & ordines Ecclesiasticos distribuit: & ipse, sacras Virgines benedicit. SAEC. XI.

Hi sunt ordines, ac mysteria clericorum: quæ tamen auctoritate Pontificali, in Archidiaconi cura, & primicerii, ac thesaurarii solicitudine dividuntur. Archidiaconus imperat Subdiaconis, & Levitis: ad quem pertinet cura vestiendi altaris à Levitis; cura incensi, & sacrificii. Quivis Levitarum Epistolam, & Evangelium legat: quivis preces dicat: seu responsorium in Dominicis diebus, vel aliis festivitatibus decantet: & reliqua. Hucusque Isidorus Episcopus, de Ecclesiasticis ordinibus. ANNO 1090.

Ex Decretis Felicis Papæ. Missa non debet celebrari, nisi in locis ab Episcopo consecratis: nisi summa necessitas cogat. Ex iisdem; Dedicationes Ecclesiarum per singulos annos fiant celebres.

Ex Concilio Aurelianensi, cap. 3. Necessitate igitur cogente itineris, permittimus celebrari missam in tentorio, sive sub divo, in nitido loco. Sed hæc nullatenus sine consecrata tabula.

Ex Epistola Thelesphori Papæ, cap. 6. Missa celebranda est minimè ante horam diei tertiam, quia eadem hora & Dominus crucifixus est, & Spiritus sanctus descendit super Apostolos. Excipitur in nocte Natalis Domini.

Ex Concilio Cabilonensi, cap. 39. Visum est nobis, ut omnibus missarum solennitatibus, pro defunctorum spiritibus, loco competenti Dominus deprecetur.

Dionysius Areopagita dicit blasphemias Deo facere, qui missas offert pro malo homine.

Augustinus dicit; pro omnibus Christianis esse faciendum. quia vel eis proficit, aut offerentibus, aut pœnitentibus proderit.

Ex Concilio Afric. cap. 64. Ut preces, & præfationes non celebrentur, nisi quæ in Concilio probatæ fuerint.

Ex Concilio Nannetensi cap. 30. Definivit sacrum Concilium, ut nullus Presbyter solus missam celebrare præsumat. quia oportet eum habere sibi adstantem, & respondentem. si quis hæc transgressus fuerit, ab officio suspendatur.

Ex Decretis Pelagii Papæ, cap. 8. Præfationes tantum sunt recipiendæ. Una in Paschalibus albis: alia, de Ascensione Domini. Tertia in Pentecoste. quarta, in Natali Domini. quinta, de apparitione Domini. sexta, de Apostolis. septima, de sancta Trinitate. octava, de cruce. nona, de jejunio 40. tantum dicenda. Has præfationes tenet & custodit sancta Romana Ecclesia. Has tenendas vobis esse mandamus.

Ex Concilo Toletano IX. cap. 2. Sacerdos in tempore missarum: postquam sacra mysteria consecrare cœperit: si eum subita infirmitas cœptum peragere impedierit; sit liberum Episcopo, vel Presbytero, ut alter consecrationem cœpti officii expleat. Nam iterata mysteria, nec perfecta videri possunt: nisi perfectionis ordine compleantur. Quod etiam consultum cuncti ordines clericorum inditum, vel indultum esse sibi, non ambigant, sed præcedentibus statim alii pro complemento succedant. Nec tamen quod naturæ, languoris causa, consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur. Nullus post cibum, potumque, sive quodlibet minimum sumptum, missas facere: nullusque absque patentis proventu molestiæ, minister, vel sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere. si quis hoc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

Ex Decretis Anacleti Papæ, cap. 11. Peracta autem consecratione, omnes communicent, qui voluerint Ecclesiasticis carere liminibus. sic enim & Apostoli statuerunt; & sancta Romana tenet Ecclesia: &, si hoc neglexerint, degradentur.

Omnis Presbyter missam celebrans, communicet: divinaque mysteria diacono, vel subdiacono, qui ministri sunt altaris, tradat colligenda. Illud etiam attendat, ut eos propria manu communicet. Nulli autem laico, vel feminæ Eucharistiam in manus ponat: sed tantum in os ejus, si quis hoc transgrediatur, ab altari removeatur. *Ex Concil. Rotomagensi, cap. 1.*

Ex Concil. Laodicensi, cap. 29. Quod non oporteat in Ecclesiis agapea fieri: nec comedere, nec accubitus sternere.

Ex Concilio Remensi, cap. 6. Ut calix, & patena, si non ex auro, omnimodis fiat ex argento. Nimium tamen pauper stanneum habeat calicem. De ære autem, vel orichalco, vel ligno, vel vitro, nullatenus calix in usu habeatur.

Ex eodem Concilio: Nihil in altari ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum reliquiis, & quatuor Evangelia.

Ex Concilio Moguntiensi: Ut laici inter clericos nec ad vigilias, nec ad missas, intra cancellos stare, vel sedere præsumant.

Exem-

SÆC. XI. ANNO 1090.

Exempla Anastasii Papæ: Ex Apostolica auctoritate mandamus, ut, dum sancta Evangelia recitantur, nullus sedendo Domini Verba audiat.

Ex Concil. Avernensi: De opertorio Dominici corporis, vel altaris nunquam corpus, dum ad tumulum fertur, obtegatur: nec sacro velamine, dum honorantur corpora, polluantur altaria: nec, ad divinum ministerium pertinentia, ad pompam nuptiarum præstentur.

Augustinus ad Casulanum Presbyterum: In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. Et, sicut prævaricationes divinarum legum: ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt.

Ex Concil. Aurelianensi, c. 3. Nihil in Ecclesia legatur, aut cantetur: nisi ea, quæ auctoritatis divinæ sunt, & Patrum orthodoxorum sanxit auctoritas.

Ex Decretis Sixti Papæ. Ex Concilio Laodicensi, cap. 58. In Ecclesia non licet libros legi, nisi veteris, & novi Testamenti. Sacra vasa non ab aliis, nisi à sacris viris tractentur.

Exempla Soteris Papæ: Sacratæ feminæ, vel monachæ, sacra vasa, vel sacras pallas nullatenus præsumant contingere: vel incensum circa altaria deferre.

Exempla Clementis Papæ. Altaris palla, cathedra, candelabrum, & udum vetustate consumpta comburantur: & cinis in mundo loco juxta Ecclesiam recondatur.

Ex Decretis Gelaii Papæ: Gesta sanctorum Martyrum sancta Ecclesia recipit: quæ tamen in Ecclesia Romana non leguntur, quia auctores eorum ignorantur.

Ex Concilio Rothomagensi, cap. 2. Ut post Evangelium finito offertorio, super oblationem incensum ponatur decrevimus.

Exempla Leonis Papæ, cap. 2. Quoties Ecclesiam, ad quam convenitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificii oblatio indubitanter iteretur. ne, aliqui convenientes sibi sua devotione priventur. *Ex Conc. Urbico.* Nec in altari, quo Episcopus missam cantavit, Presbyter eo die missam celebrare præsumat.

Ex Decretis Zachariæ Papæ XIX. Episcopus, vel Presbyter, postquam ad missam introierit, & orationem dixerit: nisi aliqua passio interveniat, antequam inceptum ministerium impleat, ab altario Dei nullatenus discedere audeat.

Ex Conc. Turonensi, cap. 37. Sciendum quod exceptis Dominicis diebus, & illis solennitatibus, quibus sancta Ecclesia ob recordationem Dominicæ resurrectionis, solet stando orare: fixis in terram genibus suppliciter debemus orare, ad exemplum Jesu, & S. Stephani, & S. Pauli Apostoli.

De sacramento baptismi ex 4. lib. ejusdem: juxta Decretum Leonis Papæ: Victoris Papæ: Gelasii Papæ: Syricii Papæ: Nullo tempore baptizandum est, nisi in sancto sabbatho Paschæ: & Pentecoste: nisi pro periculo mortis anticipetur.

Ex Decretis Celestini Papæ, cap. 12. Cum parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem Vitæ adeant, quàm exorcismis, & exsufflationibus clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur.

Ex Concilio Meldensi, cap. 7. Omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit: vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat: quod extra Ecclesiam non deportetur.

Ex Decret. Hygini Papæ, cap. 10. Similiter ad corporale lavandum, & ad pallas altaris propria habeantur vasa, in quibus nihil aliud fiat.

In catechumeno, & in baptismo, & in confirmatione unus Patrinus potest fieri, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana: per singula singuli recipiunt.

Ex Decretis Leonis Papæ: Ut non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quàm unus sive vir, sive femina. In confirmationibus quoque id ipsum fiat.

Ex Concilio Mogunt. cap. 2. In baptismo, vel in chrismate non potest suscipere alius alium in filium, ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus.

Ex Concilio Parisiensi, cap. 2. Ut nemo à sacro fonte aliquem suscipiat, nisi orationem Dominicam, & symbolum juxta linguam suam, & intellectum teneat, & coram Presbytero decantet.

Exempla Zachariæ Papæ ad Bonifacium Archiepispopum: quod non deberent rebaptizari baptizati à Presbytero Grammaticam ignorante, latinam linguam ita infringente; In nomine Patria, & Filia, & Spiritus sancti.

Ex Decretis Martini Papæ, & Eugenii Papæ: Ubicunque cuilibet Presbytero, sive in sua, sive in alterius parochia infirmus afferatur ad baptizandum, baptizet eum; quod si non fecerit, deponatur.

Ex

Ex Decretis Hormisdæ Papæ, cap. 3. Si quis baptizat, aut aliquod divinum officium exercuerit per temeritatem [* non ordinatur] abjiciatur ab Ecclesia, & nunquam ordinetur. SÆC. XI. ANNO 1090.

Ex Decretis Gelasii Papæ, cap. 7. Diacones absque Episcopo, & Presbytero baptizare non audeant; nisi prædictis officiis fortasse longè constitutis, necessitas extrema compellat. Quod & Laicis Christianis facere plerumque conceditur.

* redundare videtur. CAN. leg. non ordinatus.

Ex Concilio Tarraconensi, cap. 6. Sæpe contra secundùm confirmatos decretum est: seculum relinquere, & soli Deo vivere, vel servire, sicut & bis baptizatos.

Ex Decretis Aurelianens. cap. 5. Ut omnes perfectæ ætatis jejuni ad confirmationem veniant: & moneantur confessiones facere prius: ut mundi donum sancti Spiritus valeant accipere. Et, quia nunquam erit Christianus, nisi Episcopali confirmatione chrismatus.

Melchiades Papa Hispanis Episcopis, cap. 6. Baptismus & impositio manus, utrumque magnum, id est, sacramentum: sed manus impositio majori veneratione est digna. quippe à solis Pontificibus accipienda. sunt tamen hæc duo adeò conjuncta, ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari: & unum, sine altero ritè perfici non potest.

Ex Concil. Lugdunensi, cap. 3. Ut nullus de alio chrismate, nisi de novo, quod proprii Episcopi largitione, vel concessione accepit, baptizare nisi morte præoccupante, præsumat.

Ex Concilio Romano, cap. 20. De scrutinio faciendo, decernimus ut, [ubi] Episcopus, & ubi conventus est populi, & cleri, & possibilitas permittit, ibi celebretur.

Ex Concil. Triburensi, cap. 22. Decretum est, ut deinceps nec pro ordinatione, nec pro chrismate, vel baptismo, vel balsamo, vel sepultura, vel communione quidquam exigatur.

*Hucusque ex lib. 4. * B. Episcopi. quippe de sacramento baptismi. Ex lib. 5. & Decret. de Eucharistia.*

* Burchardi.

Ex Decret. Julii Papæ ad Episcopos Ægypti: Illud verò, quod quidam pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis: nec hoc prolatum ex Evangelio Testimonium receperunt: Ubi Apostolis corpus suum, & sanguinem Dominus commendavit. Seorsim enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum non legimus præbuisse: nisi illi tantum discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet: non, quæ hujus sacramenti institutionem designaret.

Ex Concilio Turonensi, cap. 4. Ut omnis Presbyter habeat vas mundum, in quo corpus Domini diligenter recondatur: aut ad Viaticum recedentibus à seculo. quæ tamen sacra oblatio intincta debet esse in sanguine Christi: ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo: Corpus, & Sanguis Domini, & reliqua. semperque sit super altare obserata, propter mures, & nefarios homines. Et, de septimo, in septimum diem semper mutetur: &, à Presbytero illa sumatur. Et illi, eodem die consecrata in locum ejusdem subrogetur: ne fortè diutius servata, mucida fiat: quod absit.

Ex Conc. Aurelianensi, cap. 4. Illud etiam annectendum videtur, ut oblationes, quæ in altare offeruntur, de sabbatho in sabbathum, semper innoventur sicut panes Propositionis, ne diu servati, mucidi fiant, ut quidam sentiunt, igne concrementur. quod, si quis diabolo instigante, facere præsumpserit, anathema sit.

Ex Concil. Carthag. cap. 38. Ut Diaconus, præsente Presbytero, & præcipiente, Eucharistiam populo distribuat, si necessitas cogat.

S. Ambros. ad quotidianam Eucharistiæ perceptionem hortatur.

Sanctus Hilarius Episcopus dicit; non debere separari à medicina corporis Domini, nisi quem talia prægravant peccata, pro quibus debeat excommunicari.

Ex Decret. Silvestri Papæ, cap. 4. Singuli in Dominicis diebus in XL. præter excommunicatos, & publicè poenitentes, Eucharistiam sumant. Et in cœna Domini, in Vigiliis Paschæ, & in Pentecoste, & Natali Domini penitus ab omnibus est communicandum.

Ex Concil. Eliberitano, cap. 3. Omnis homo ante sacram communionem, à propria uxore abstinere debet 3. aut 5. aut 7. dies.

SÆC. XI. ANNO 1090

Ex Canone Agatensi. Seculares verò qui in Natali Domini, & Pascha, & Pentecoste non communicaverint, catholici non habeantur.

Presbyter qui Laico, vel feminæ: qui nec sacrarium ingredi, vel sanctis sanctorum appropinquare permittuntur, Euchariſtiam ad deferendum infirmo commiserit; gradus sui periculo subjacebit. Nam ipse Presbyter per semetipsum debet communicare infirmum.

Ex Concil. Laodicensi, cap. 19. Solis ministris sacro ordini deditis ad altare accedere, & communicare liceat.

Ex Decret. Silvestri Papa, c. 7. Nullus acolythorum, vel subdiaconorum rem jam consecratam à Presbytero, aliis porrigat: nisi tantum subportet, quod ei sacerdos imposuerit.

Fabianus Papa, c. 10. Sacrificium non est accipiendum de manu sacerdotis, qui orationes, vel lectiones, & reliquas observationes in missa, secundum ritum implere non potest.

Ex Concil. Carthag. cap. 23. Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrificio, neque in gazophylacio recipiantur.

Ex eôdem. Eorum, qui pauperes opprimunt, dona à sacerdotibus refutanda.

Ex responsis S. Gregorii ad Augustin. Archiepisc. Illusio per somnium aliquando fit per crapulam, aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate, aliquando ex cogitatione. Si ergò illusio ex natura evenerit: non est timenda. quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendum est, quam fecisse. Illusione autem per crapulam, animus quidem habet aliquem reatum: non tamen usque ad prohibitionem percipiendæ eucharistiæ, vel celebrandæ missæ, si dies festus exigit, nec ipse presbyter vicarium habere potuerit. Tunc quidem mutatis vestibus cantet. Si autem presbyter vicarium habet, illusio per crapulam, non à perceptione, sed ab immolatione sacri mysterii prohibere debet: si tamen dormientis mentem turpi imaginatione non concusserit. Nam sunt, quibus plerunque illusio nascitur, nec tamen in somno animus eorum turpibus imaginibus fædatur: qui tamen se in ingluviem cecidisse vigilando meminit. Si verò ex turpi cogitatione vigilantis, oritur illusio dormientis: quia animus, quod cogitavit, nesciens pertulit: eàdem die à sacro mysterio est abstinendum. Sed pensanda est ipsa cogitatio: an esset in suggestione; an in delectatione: an in consensu. Fit autem suggestio per diabolum: delectatio, per carnem: consensus, per spiritum. Cùm igitur immundus spiritus suggerit peccatum, si caro non delectatur, peccatum nullatenus perpetratur. Si autem caro cœperit delectari; incipit, peccatum nasci. Si autem mens consenserit delectationi, tunc peccatum constat perfici.

Sæpe tamen contingit, ut mens repugnet carni ex suggestione diabolica delectanti.

Ex Pœnitentiali. Qui sacrificium evomuerit, 40. dies pœniteat. Si infirmitatis causa 7. diebus; si in ignem projecerit 100. Psalmos cantet. Si verò canes talem vomitum lamberint, 100. dies, qui evomuit, pœniteat. Qui verò non benè custodierit sacrificium: & aliquod animal comederit illud, 40. dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia: aut, pars ejus ceciderit, & non inventa fuerit, 20. dies pœniteat. Perfundens aliquid de calice super altare, 6. dies pœniteat, vel 8. Et qui acceperit sacrificium pollutus nocturno [tempore] 7. dies.

Ex pœnitentiali Romano, de sacrificio. Si ceciderit sacrificium in terram, nec inventum fuerit, omne, quodcunque inveniatur, in loco, in quo cecidit, comburatur, & juxta altare cinis recondatur. Et cui acciderit, medium annum pœniteat. Si verò inventum fuerit sacrificium, locus scopis mundetur, & stramen igni detur: & cinis, ut supra, recondatur: & sacerdos 20. dies pœniteat. Si in linteamen altaris calix destillaverit, ipsa stilla sorbeatur: & linteamen inde madefactum super calicem lavetur: & aqua ablutionis juxta altare bibatur, vel recondatur. *Ex Pœnitentiali quodam.* Si autem calix alibi destillaverit; ipse locus lingatur: & corrasus igne consumetur. cinis autem juxta altare recondatur.

Hucusque de lib. 5. Burchardi Episcopi.
Ex lib. 8. ejusdem, cujus & supra.

Ex Concil. Ap. secundum Medardum. Laicus in Ecclesia non debet recitare lectionem, nec ALLELUIA dicere; nisi Psalmos tantum, & responsoria, sine alleluia.

Ex lib. 12. ejusdem de juramento. Decrevit sancta synodus, ut à 70. usque in octavas Paschæ: & ab adventu Domini, usque post consecratos dies: nec non jejuniis quatuor temporum: & in litania majore, & in diebus Dominicis, & rogationum, nisi de concordia, & pacificatione, nullus super sacra jurare præsumat. Anima, quæ peccaverit, & audierit vocem perjurantis, aut ipse viderit, aut conscius fuerit, nisi vindicaverit, portabit iniquitatem.

Ex Concil. Aureliano. cap. 13. De jejunio ex lib. 14. ejusdem: Presbyteri plebibus annuntient, ut in 40. & jejunio 4. Tem-

4. Temporum, ad missam tantum genua flectant. In Dominicis contra diebus, & aliis festis à Vespera in Vesperam genua non flectant, sed stantes incurvati orent. Nec quisquam uno genu terræ impresso orare præsumat, ut Judæi fecerunt Dominum irridentes.

Quod non oporteat in XL. Martyrum natalitia celebrare: sed eorum sanctæ commemoratio fiat in diebus Sabbathorum & Dominicorum. Nec jejunium in XL. ante finem Vespertini officii solvatur. Quicunque in die Dominico quasi pro continentia jejunaverit, anathema sit. *Ex Concil. Laodicensi, cap. 51.*

Excommunicatos à sacerdotibus, nullus recipiat ante utriusque partis justam examinationem. Nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, vel osculo communicet. nec ave eis dicat. quia quicunque in his, vel in aliis prohibitis scienter, excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subjacet. *Ex Decret. Calisti Papa, cap. 15.*

Si sacerdos per turpiloquium, seu conspectu libidinoso coinquinatur, non tamen fornicari volens, 5. dies pœniteat. Qui impugnatione animi polluitur, 7. dies pœniteat. Qui in somnis voluntariè polluitur, consurgat, & cantet genibus flexis 7. Psalmos pœnitentiæ. *Ex lib. 17. ejusdem. Ex Romano Pœnitentiali.*

Volens autem tantum in somnis peccare, 20. Psalmos cantet. Si pollutus est sine voluntate 15. Psalmos cantet: & in fine uniuscujusque Psami dicat ter: Deus in adjutorium meum intende, &c. Qui semen in Ecclesia dormiens fuderit 3. dies jejunet.

De pœnitente ante adventum Presbyteri obmutescente, ex lib. 19. ejusdem: si quis pœnitentiam petens, dum sacerdos venerit, officio linguæ privatus fuerit, reconcilietur: & eucharistia sibi infundatur: si idonea testimonia habuerit, quod ipse pœnitentiam petierit. *Ex Concil. Carthag. & Decretis Eusebii Papa.*

Ex lib. 19. ejusdem: Viginti dies ante Natalem Domini; & omnes dies Dominicos, & in omnibus legitimis jejuniis: & in natalitiis Apostolorum, & præcipuis festis, & publicis, castitatem observare debent conjugati. Quod si non fecerint, 20. dies in pane, & aqua jejunent.

Quidam post prandium, & saturati, à sacerdote populo offerente signum pacis accipere præsumunt. hoc qui præsumpserit 3. dies in pane, & aqua pœniteat. *Augustinus.*

Incestum occultum confitenti, remedium canonicum indicetur, quod subire debuisset, si ejus facinus publicum esset. Verùm quia latet commissum, admoneatur ipse; ut occultè, quantum possit pœniteat.

Quidam Deo soli confiteri peccata debere dicunt, ut Græci: quod & justorum est quidam verò sacerdotibus: ut penè tota sancta Ecclesia. Nam institutio Apostoli nobis sequenda est: ut, confiteamur alterutrum peccata nostra. *Ex Pœnitentiali Theodori.*

Ordinati, post ordinationem, vel antè, capitalibus criminibus lapsi, id est furto, vel fornicatione, perjurio, & aliis hujusmodi, si publica sunt eorum crimina, degradentur. Si verò fuerint occulta, gradum suum retinere possunt: si secretè confitentes sacerdoti, juxta ejus consilium, dignè contendant pœnitere. *Ex Concil. Ilerdensi, cap. 10.*

Ordinati, quorum occulta sunt peccata, si sacerdoti occultè confessionem fecerunt, digneque, juxta judicium ejus, pœnituerint, proprium gradum retinere possunt. *Ex Concil. Toletano.*

Sicut sacrificium offerre non debent, nisi Episcopi, [&] Presbyteri, quibus claves regni cœlorum traditæ sunt: sic, nec pœnitentium judicia alii usurpare debent. Si autem necessitas fuerit, & Presbyter præsens non fuerit, Diaconus pœnitentiam suscipiat ad communionem. *Ex pœnitent. Romano.*

In tribus quadragesimis anni, & die Dominico, & in 4. & 6. feria, conjugati se debent continere: nec illis diebus copulari, quandiu fuerit gravida uxor, & à quo die infans in utero motum fecerit, usque ad partum. A partu, post 33. dies, si filius est: si autem filia, 56. *Ex Concil. Eliberitano.*

Ne confessio pœnitentium publicetur. Sufficit enim illa pœnitentia: quæ primùm Domino offertur: tunc etiam sacerdoti: qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. *Ex Epist. Leonis Papa, cap. 11. ad omnes Episcopos.*

Criminosos, quos seculi leges interficiunt, nos, misericordia præeunte, sub infamiæ nota, ad pœnitentiam recipimus. Ipsam quoque infamiam, qua adspersi sunt, delere non possumus; sed eorum animas, per pœnitentiam publicam, & Ecclesiæ satisfactionem sanare cupimus, quia manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda. *Callistus Papa omnibus Episcopis.*

Manifesta quoque peccata, non sunt occulta correctione purganda: sed palam sunt arguen- *Item S. Gregor. Felici Episc. Siciliæ.*

SÆC. XI. ANNO 1090. arguendi, qui palam nocent: ut, dum aperta objurgatione ſanantur; hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius eſt, ut pro multorum ſalvatione unus condemnetur: quàm per unius licentiam multi periclitentur. Melius eſt enim, ut mali manifeſte corrigantur: quàm pro illi boni pereant.

Ex Decret. Melchiadis Papa & Triburienſi Conc. c. 4. De pœnitentia illorum, qui ſponte homicidium committunt; Inprimis, ut licentiam non habeant Eccleſiam intrandi. Illos proximos XL. dies nudis pedibus incedat, & nullo vehiculo utatur. In laneis veſtibus ſit absque femoralibus: arma non ferat: & nihil ſumat in his XL. diebus, niſi tantum panem, ſalem, & puram bibat aquam. Et nullam communionem cum cæteris Chriſtianis, neque cum alio pœnitente habeat in cibis, vel potu, antequam XL. dies adimpleantur. Ex cibo, quem ſumit, nullus alius manducet. Conſiderata verò perſonæ qualitate, vel infirmitate, de pomis, vel oleribus, vel leguminibus, prout viſum fuerit, aliquid pro miſericordia indulgeatur. Maximè ſi coactus, & non ſponte homicidium fecerit. Et, ei, omnimodis ex canonica auctoritate interdicatur, ut in his diebus cum nulla femina miſceatur: nec ad propriam uxorem accedat: neque cum aliquo homine dormiat. Juxta Eccleſiam ſit, ante cujus januas peccata ſua defleat diebus, ac noctibus: & non de loco in locum pergat: ſed in uno loco his XL. diebus ſit. Et, ſi forte habuerit inſidiatores vitæ ſuæ, interim differatur ei pœnitentia, donec ab Epiſcopo pax ei ab inimicis concedatur. Et, ſi in infirmitate detentus fuerit, ita ut non poſſit dignè pœnitere, differatur pœnitentia, donec ſanitati reſtituatur. Si autem longa ægritudine detentus fuerit, ad ſententiam Epiſcopi pœnitebit, quomodo reatum, & infirmum ſanare diſponat.

Ex ejusdem decretis. Completis XL. diebus, aqua lotus, veſtimenta, & calceamenta accipiat, & capillos incidat.

Quid in primo anno obſervare debeat. In primo anno poſt XL. dies per totum illum annum à vino, medone, & mellita cerviſia: à carne, & caſeo, & pinguibus piſcibus abſtineat: niſi in feſtis diebus, qui in illo Epiſcopio, à cuncto populo celebrantur. Et, ſi fortè in magno itinere, vel in hoſte, vel diu ad Dominicam curtem, vel in infirmitate detentus ſit, tunc habeat uno denario, vel precio unius denarii aut tres pauperes paſcendo tertiam feriam, & ſabbathum redimere: ita tamen ut una re, de tribus utatur. Vel, aut vinum bibat; aut medonem, aut mellitam cerviſiam. Poſtquam domum venerit, aut ſanitati reſtitutus, nullam licentiam habeat redimendi. Completo anni circulo, [in] Eccleſiam introducatur, & pacis ei oſculum concedatur.

Ex iiſdem cap. 6. In ſecundo, & tertio anno ſimiliter jejunet: niſi quod tertiam feriam, & 5. & ſabbathum, poteſtatem habeat redimendi prætacto precio, ubicunque eſt. Cetera omnia obſervet diligenter, uti in primo anno.

Ex eiſdem cap. 7. Quatuor anni deinde reſtant, per quos ſingulos jejunet 3. XL. Unam, ante Paſcha cum ceteris Chriſtianis, abſtinendo à vino, & medone, & mellita cerviſia: à carne, & ſanguine: & ovis, & pinguibus piſcibus. Alteram XL. poſt Pentecoſten. 3. ante Natalem Domini jejunet, ut ſupra dictum eſt. Et in quatuor ſupra dictis annis 3. 5. feria, & ſabbatho quidquid vult. Et 2. & 4. feriam redimere poteſt precio jam ſupra dicto. Sextam feriam omnimodis obſervet in pane, & aqua, & nequaquam redimat. His expletis ſacram communionem accipiat. Semper tamen, quandiu vivat, pœnitere non deſiſtat.

Item Pius Papa, c. 10. Pœnitentes non debent communicare ante conſummationem pœnitentiæ.

De parricidis, ſive inceſtuoſis, fratricidis: Nicolaus Papa Carolo Maguntienſi Archiepiſcopo, ejusque ſuffraganeis: De parricidis fratri eidem præcipimus, ut per unius anni circulum ante fores baſilicæ orantes Domini clementiam, perſeverent. Completo verò anni circulo introducantur Eccleſiam: tamen inter audientes usque dum unius anni finiatur ſpatium, ſtent. Cum ad miſſarum ſolennia, vel ad alia ſacra audire officia venerint. His ita peractis, ſi pœnitentiæ fructus in eis conſpicitis, corporis, & ſanguinis Domini participes fiant, ut deſperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ ſuæ. Jejunent autem usque ad IX. diei horam quotidie, exceptis feſtis diebus, atque Dominicis. Vinum, atque pulmentum ſumere non præſumant, niſi contra paganos. Et, quocunque ire voluerint, nullo vehiculo deducantur, ſed pedeſtri more proficiſci ſtudeant. Tempus autem huic pœnitentiæ in Epiſcoporum arbitrio ponimus, ut ſecundum converſationem illorum, aut extendere, vel minuere valeatis. Ab uxoribus, ſi habuerint, non ſeparentur. Si autem non habuerint, & ſe continere non valuerint, legitimas accipiant uxores, ne fornicationis voraginem incidant. Si autem antequam duorum prædictorum

rum annorum curricula finiantur: finis vitæ illorum advenerit, viaticum illis non negetur. SÆC. XI.

Si quis cum duabus sororibus fuerit fornicatus, aut cum his personis; de quibus sacra scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam; & castitatis non valuerit continentiam habere, liceat ei legitimam uxorem accipere. Similiter & mulier, quæ tali scelere fuerit lapsa, ut non ad fornicationis chaos perducatur. Sed hoc de laicis viris, & de mulieribus solummodò statuunt. ANNO 1090.

Si quis cum commatre spiritali fuerit fornicatus, anathematis, ut scitis, ictibus percutitur. Similiter autem & illum percuti promulgamus, qui cum illa, quam de sacro fonte baptismatis susceperit; aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cum sacro chrismate ungeretur, fornicationis perpetraverit scelus. Legitimam tamen, si habuerit, non demittat uxorem. Inter hæc sanctitas vestra addere studuis, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ipsius liceat secundùm mundanam legem, eam interficere. Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam adstringitur legibus. Gladium non habet, nisi spiritalem, atque divinum; non occidit, sed vivificat.

De diversis homicidiorum modis.

Nicolaus Papa Luitperto Moguntiensi Archiepiscopo: Si quis non in bello, vel odii meditatione, vel propter avaritiam, paganum occiderit: quia non levi vitio connititur, Homicidam convenit pœnitere, quandoquidem nec exteris gentibus, nisi oblatam pacem respuerint, bellum erat populo antiquo penitus inferre præceptum. Si quis arcum tendens causa probandæ chordæ, sagitta casu, non voto, prosiliente, filium suum interemerit, ita debet pœnitere, ut Anciranum Concilium statuit, ut de homicidio sponte commisso. Esset autem severior indicenda pœnitentia, quia filius ejus exstitit: sed quanto carne proximior visus erat, tanto de morte illius in corde suo acrior dolor est exortus. Non enim hoc sponte patratum est. Si quis insanus hominem occiderit, licet ei pœnitentia sit injungenda; quia ipsa infirmitas causa peccati fuisse creditur: tamen tantum levior, quam ei, qui tale quid sanus committit; quantum inter sanum, & insanum, rationabile, & irrationabile constat esse discriminis.

Si aliquo incidente arborem, qui licet sub ejus casu opprimitur, incisor arboris, ut homicida pœniteat, si ejus voluntate, vel negligentia factum est. Quod, si non voto, non injuria illius, non denique scientia contingit: sed, dum ille operi necessario fortassis incumberet; iste insperatus occurrit sub arborem, & ex improviso est oppressus: incisor arboris homicidæ non est comparandus.

Ex Epistolâ Paulini Forolivuensis Episcopi ad Aistolphum.

De illo, qui uxorem suam occidit: Duo consilia tibi proponimus. Aut ingredere monasterium, & humiliare sub manum Abbatis, & multorum fratrum precibus adjutus, observa cuncta simplici animo; quæ tibi ab Abbate fuerint imperata. si ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis. Istud consilium, ut certissimè scias, levius, & salubrius est, ut sub alterius custodia lugeas peccata. Secundum autem consilium tale est: Arma deponere, & cuncta secularia negotia dimittere. Carnem, & sanguinem nunquam comedas: excepto in die sancto Pentecostes; &, in uno die Resurrectionis Domini & Natali Domini. Ceteris temporibus in pane, & aqua, & interdum cum leguminibus, & oleribus pœniteas.

In jejuniis, in vigiliis, & in orationibus, & eleemosynis persevera omni tempore. Vinum, medonem, & mellitam cervisiam nunquam bibas, nisi in illis prædictis diebus. Uxorem ne ducas. Concubinam non habeas. Adulterium ne facias: absque spe conjugii perpetuò maneas. Nunquam te laves in balneo. equum non ascendas. Caussam tuam, & alterius, in conventu fidelium non agas. In conviviis lætantium nunquam sedeas. In Ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium humiliter stes. Ingredientium, & egredientium orationibus suppliciter te commendes. Communione sacri corporis, & sanguinis Domini cunctis Vitæ tuæ diebus, indignum te existimes. In ultimo termino Vitæ tuæ pro viatico, si observaveris consilium, tibi concedimus.

Ex cap. Nicolai Papæ, sive Wormatiensis Episcopi.

Qualiter pœniteat, qui sacerdotem occidit: Qui sacerdotem voluntariè occiderit; carnem non comedat, & vinum non bibat: cunctis diebus jejunet usque ad Vesperam: exceptis diebus festis, atque Dominicis: arma non sumat: equum non adscendat: Ecclesiam per 10. annos non ingrediatur: post 5. annos Ecclesiam ingrediatur, non tamen communicet, sed inter audientes stet. Cum autem fuerit 19. anni finitus cursus, communicandi ei licentia tribuatur: &, equitandi remissio. Maneat autem in reliquis observationibus, 3. dies per hebdomadam, ut perfectius purificari mereatur.

Ex cap. Nicolai Papæ, sive Wormatiensis Concilii.

Qui infantem suum oppresserit: Si quis infantem suum oppresserit incautè, aut vestimentorum pondere suffocaverit post baptismum, XL. dies pœniteat, in pane, & aqua, &

Sæc. XI. Anno 1090. & oleribus, & leguminibus, & à marito se abstineat. Postea tres annos per legitimas ferias pœniteat. In 4. anno, 3. 40. observet. Quod si ante baptismum, XL. dies pœniteat, post quinquennium observet.

Ex Decretis Eutychiani Papæ. De his qui truncant homines, vel comburunt domus: Si quis membrorum truncationes, vel domorum incendia fecerit, sive facere jusserit, aut facienti consenserit: quousque de his unicuique legaliter, vel amicabiliter coram Episcopo civitatis, aliisque civibus non commendaverit, ab Ecclesia se privatum cognoscat. Si verò secundam, & tertiam conventionem, in quibus arguitur, non emendaverit, tanquam ethnicus, & publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.

Ex Decret. ejusdem Papæ, c. 26. Quod perjurium reliquis criminibus æquetur: Prædicandum est, ut fideles perjurium caveant: & ab hoc summopere abstineant: scientes hoc grande scelus esse, in Lege, & Prophetis, & in Evangelio prohibitum. Audivimus autem quosdam parvi pendere hoc scelus, & levem quodammodo perjuris modum pœnitentiæ imponere. Qui etiam talem de perjurio pœnitentiam imponere deberent, qualem & de adulterio de fornicatione, homicidio sponte commisso; & de cæteris criminalibus viciis. Si quis perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiam longam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive a communione, & consortio fidelium: ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in sua domo eum recipiat. *Ex Decretis Pelagii Papæ XI.* De eadem re: si quis semet perjuraverit; & alios sciens in perjurium duxerit, XL. dies in pane, & aqua; & septem sequentes annos pœniteat; *Ex Decretis Pii Papæ, cap. 2.* &, nunquam sine pœnitentia sit. Et alii, si conscii fuerant, similiter pœniteant. Sin autem singuli, ut perjurium non sponte commissum, pœniteant. Si quis a Domino suo coactus se perjurat, utrique sunt perjuri. Qui compulsus à Domino perjurat se sciens, utrique sunt perjuri, & Dominus, & miles. Dominus, quia præcepit: Miles, quia Dominum plus, quàm animam dilexit. Si liber est, XL. dies, in pane, & aqua pœniteat, & 7. sequentes annos. Si servus est, 3. 40. & legitimas ferias pœniteat.

Ex Decretis Soteris Papæ. De incautis juramentis non observandis: si aliquid fortè nos incautius jurasse contigerit: quod observatum, pejorem vergat in exitum: illud, consilio salubriore mutandum noverimus, ac magis instante necessitate perjurandum nobis, quàm servato juramento, in aliud crimen majus divertendum.

S. Ambros. in lib. 3. de offic. De eodem: sæpe plerique constringunt se jurisjurandi religione: &, cum ipsi cognoverint, promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciant, quod spoponderunt: sicut de Herode supra scripsimus: qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit: Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur: crudele, quod mors prophetæ pro jurisjurandi religione donatur. Quanto tolerabilius esset, tale perjurium sacramento. Et post pauca: Non igitur omnia promissa solvenda sunt.

Ex Conc. Nivernensi. De non servandis incautis juramentis: Diffinitio incauta, laudabiliter solvenda: nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio.

S. Gregor. Papa in suis moralibus. Quod satius sit perjurare, quàm juratum nefas implere; cum mens inter minora, & maxima peccata constringitur: si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur. quia, & qui murorum ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur.

S. Isidorus. De eâdem re: Non est conservandum sacramentum, quo malum incautè promittitur. Veluti, si quisquam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio.

Item Isidorus in sent. suis. Item: In malis promissis, rescinde fidem. In turpi voto cave, ut decretum, quod incautè vovisti, non facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.

Ex Concil. Toletano. Necesse est, ut malè jurans dignam pœnitentiam agat, eò quod nomen Dei contra præceptum ejus in vanum sumpsit. quia in Exodo scriptum est: Neque enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui in vanum. Et, in Levitico: Non perjurabis in nomine meo. Nec perjurabis nomen Domini Dei tui: ego Dominus. Malum tamen, quod facturum se sacramento devoverat, omninò non faciat. quia stulta vota sunt frangenda.

S. Isidorus. Quod Deus ita habeat juramentum, ut ille, cui juratur: Quacunque arte Verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur: Dupliciter autem reus erit, quia, & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.

Ex Concil. Aurelian. 10. Nisi pro pace: Et hoc sancta Synodus decrevit: nisi pro pace facienda, ut omnes fideles jejuni ad sacramenta accedant.

Ex Concil. Aurelian. cap. 2. Juramenta filii, aut filiæ nesciente patre: & vota Monachi, nesciente Abbate: & juramenta pueri, irrita sunt.

De

De irritis juramentis: Ut pueri, ante quatuordecim annos non cogantur jurare. SÆC. Qui acceperit sacrificium, post cibum, aut post aliquam parvissimam degustationem, XI. nisi pro viatico: pueri, tres dies: majores 7. clerici 20. dies pœniteant.

Si quis dederit, vel acceperit communionem de manu hæretici: & nescit, quod ANNO Catholica Ecclesia contradicit: postea intelligens, annum integrum pœniteat. Si au- 1090. tem scit, & neglexerit: & postea pœnitentiam egerit, 10. annos pœniteat. Alii, judicant 7. & humanius, 5. annos. Si quis permiserit hæreticum missam suam celebrare in Ecclesia Catholica, & nescit: XL. dies pœniteat. Si, pro reverentia ejus, annum integrum pœniteat. Si pro damnatione Ecclesiæ Catholicæ, & consuetudine Romanorum, projiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam. Si recesserit ab Ecclesia Catholica in congregationem hæreticorum, & alios persuaserit, postea pœnitentiam egerit, 12. annos pœniteat. 3. annos extra Ecclesiam, & 6. inter audientes, & duos adhuc extra communionem. De his, in canone dicitur, ut decimo anno communionem sine oblatione recipiant. Si Episcopus, aut Abbas Monacho suo jubet & pro hæreticis mortuis missas facere: non licet, & non expedit obedire eis. Si Presbytero contigerit ubi missam cantaverit; & alius recitaverit nomina mortuorum: &, si simul nominaverit hæreticos cum Catholicis: si post missam intellexerit, hebdomadam pœniteat. Si exequenter fecerit, annum integrum pœniteat. Si quis pro morte hæretici missam ordinaverit, & pro religione sua, ejus reliquias ibi tenuerit, & nescit differentiam Catholicæ fidei, & postea intellexerit penitus quæ egerit; reliquias ibi debet igne cremare, & annum pœniteat. Si autem scit, & neglexerit, penitus commotus, 10. annos pœniteat. Si quis à fide Catholica discesserit sine ulla necessitate, postea ex toto animo pœnitentiam acceperit, 3. annos extra Ecclesiam inter audientes, juxta Nicænum Concilium, 7. annos in Ecclesiis inter pœnitentes, & 2. annos adhuc extra communionem pœniteat.

Ex Decreti Cornelii Papæ, c. 5. Ex Decret. Eutychiani Papæ, c. 2.

Finis opusculi.



MENO-

MENOLOGIUM GRÆCORUM,

EX BIBLIOTHECA ET INTERPRETATIONE CARDINALIS SIRLETI.

Ex Codice M. S. in lucem editum & notis illuſtratum ab Henrico Caniſio Noviomagenſi, Juriſconſulto.

Sæc. XI. Anno 1095.

DE HOC

MENOLOGIO OBSERVATIO.



Aucissima de *Menologiis Græcorum* sumus observaturi ratione duplici: primo Latini vix curant Sanctos quos colunt Græci; & quanquam in cultu conveniant, discrimen Sanctorum, ad quos illi vel alii confugiunt eosque venerantur, est maximum. Secundo scripserunt de Menologiis ante nos viri eruditissimi. *Cave* plurima in Historiæ Litterariæ Supplemento compilavit: sed præcipue materiam amplissimam exhausit *Fabritius* in ultimo volumine Bibliothecæ Græcæ, quæ tot antiquitatis & eruditionis monumenta continet. Parcat igitur lector, si ejus otio studiô parcamus, jam dicta non repetentes, aliqua solùm dicturi brevissime.

I. *De Menais & Menologiis.*

I. Differunt *Mênæa* & *Menologia* apud Græcos. *Menæum* opus est grande, duodecim volumina secundum mensium numerum complectitur. In eo non modo Sancti omnes quisque ad suum diem revocati designantur, sed singulorum officium undecim *Tropariis*, sive *Canticis*, Antiphonis Latinorum respondentibus, Missis, Lectionibus subnectitur. Aliquando tamen Menæa rediguntur in compendium & distinguuntur in duo volumina quorum unum quodque sex menses complectitur.

Menologia vero, adinstar Martyrologii Rabani vel Notkeri superius editi, Passionem & acta Sanctorum tantùm continent.

Tria sunt Menologia Græcorum Latinis notiora: primum illudque elegantissium, quod *Basilium Macedonem* confecisse & imaginibus ornasse putavit Baronius. Hos in fronte legerat versus Vincentii Pinelli, elegantiam voluminis describentes:

Bar. an. 886. t. 10. p. 593.

Basilius imperator hujus Climatis,
In pace præstans atque rebus Bellicis,
Fecit volumen sicut alterum polum
E Pellibus pactum, sequens ex ordine
Pulchras ferens imagines ut sidera.

Si verum foret illud Menologium fuisse fœtum Basilii Macedonis, nono sæculo adscribi deberet: sed cum in eo indicentur Sancti Basilio multò posteriores, homonymia Basiliorum deceptus est procul dubio Baronius. Menologium illud opus est *Basilii Junioris*, Pophyrogennetæ dicti, qui imperium tenuit ab an. 975. ad an. 1025. Illud exemplar servatur in Bibliotheca Vaticana. Secundum Græcorum Monologium fuit illud *Sirleti*, quod Canisius edidit. A priori non parum discrepat, multa tamen habet similia. Confectum fuit post Basilium & Menologio mox a nobis laudato posterius est; ideo illud sæculo undecimo assignavimus.


Aliud denique Menologium habetur, quod ex Menæis excerpsit *Maximus Margunius* Cytherorum Episcopus & a *Pinello* Venetiis sæculo præterito editum.
Illud

Illud quod Canisius vulgavit Menologium eo magis debet æstimari, quod huc usque Basilianum integrum in lucem non prodierit, semestre enim tantum Italiæ sacræ inseruit Ughelius Abbas; cætera actis suis illigant Bollandiani. Hoc antiquitatis est non contemnendæ, & a Cardinale *Sirleto* viro doctissimo Latine fuit redditum. Sunt tamen multa quæ in eo reprehendes. 1. enim ea semper fuit indoles Græcorum, ut veritatis parum studiosi fabulas summa animi contentione perquirerent. Audit semper G*ræcia mendax* quantumvis Christiana & res sacras tractare nunc solita. In vitis Sanctorum elucidandis portenta fingunt illi, ab Historica veritate vel incauti vel libenter deviant, rerum gestarum seriem immutant, quin imo res inauditas, quæque fidem nullam merentur, confidenter hic narrantur. 2. Sanctos omnibus incognitos, quique nullum in Ecclesia nomen habuerunt, plurimos in Menologio Græco reperias. 3. Denique, quamquam his in rebus peritissimus fuerit *Sirletus*, attamen distractus aliis curis, vel ipsum tanta describere cum pigeret, multa omisit: unde nata occasio Baronio, qui Sirleti exemplar Latinum quod hic recuditur, legerat, sibi fingendi, Sanctos etiam illustrissimos aliquot in Menologiis Græcorum deesse ab iisque non coli: quorum falsitas ipsi Græca inspicienti statim apparuisset.



MENOLOGIUM GRÆCORUM

Mensis Januarii die primo.



IRCUMCISIO Domini nostri Jesu Christi.
Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri BASILII Archiepiscopi Cæsareæ.

Ejusdem Mensis die secundo.

NAtalis sancti Martyris Basilii ex urbe Ancyra, qui Cæsareæ Imperatore impio Juliano, Præside Saturnino passus est. Eodem die sancti Silvestri Romani Pontificis, qui propter summum virtutis gradum, defuncto Miltiade, antiquioris Romæ creatus est Episcopus. Hic multorum patrator miraculorum, Constantinum Magnum ad Christi fidem convertit, cùm animi & corporis morbos divino Baptismate ab eo expulisset.

Ejusdem Mensis die tertia.

SAncti Martyris Gordii ex Cæsarea Cappadociæ, qui cum Licinio Rege esset Comes, & militarem ordinem gereret, propter Christianæ fidei confessionem, nobile martyrium perpessus est, in cujus laudem habita insignis Basilii magni extat oratio. Eodem die sancti Prophetæ Malachiæ de tribu Levi.

Ejusdem mensis die tertia vel quarta.

NAtalis Beatorum martyrum Theopempti, & Theonæ, qui Diocletiano Imperatore passi sunt. Eodem die Commemoratio sancti Martyris Zosimi & Athanasii Commentariensis, Domitiano Præside apud Ciliciam illustre martyrium pertulerunt. Eodem die Commemoratio sanctæ Encleticæ Virginis. *Syncletica.*

Die V.

SAncti prophetæ Micheæ de Tribu Ephraim.

Die VI.

CElebritas sanctorum Theophaniorum.

Die VIII.

CErtamen sanctorum martyrum Theophili diaconi & Helladii laici, qui pro Christi confessione in Libya sub proconsule laniati, acutis testis compuncti, atque in ignem conjecti, constanter in fide perseverantes Christo Domino animas suas reddiderunt.

Ejusdem mensis die IX.

SAncti Martyris Polyeucti, qui Decio, & Valeriano Imperatoribus, cum in Melitina Armeniæ primum militasset, ac postea ad Christum conversus, neglectoque de fide ipsa abjuranda edicto, gentilium simulachra confregisset, nullis cognatorum precibus, aut blanditiis persuasus, ac ne ipsius quidem uxoris gemitibus & fœmineis ululatibus commotus esset, stabili confessione, securi percussus Martyrii palmam consecutus est.

Die X.

GRegorii Episcopi Nyssæ fratris Basilii magni, viri eruditione, eloquentia, & orthodoxæ fidei zelo insignis, qui dicendi vi, & sacrarum literarum Testimoniis hæreticos confutavit. Cumque ad multam senectutem pervenisset, migravit ad Dominum.

Eodem

Eodem mense die XI. Sæc. XI.

COmmemoratio sancti Patris nostri Theodosii Cœnobiarchæ ex oppido Marissi Cappadociæ. Anno 1095. *Mazariassi.*

Die XXI.

CErtamen sanctæ Martyris Tatianæ ex antiquiore Roma, Alexandro Imperatore: quæ propter Christi fidem oblata Imperatori, & in templum idolorum cum eo ingressa, precibus simulachra evertit, atque in terram collisit; quare in faciem verberatur, & uncis ejus palpebræ dilacerantur, deinde suspensa pectinibus laniatur, raso capite, postremo cum igni & feris objecta illæsa mansisset, securi percussa evolavit in cœlum.

Eodem Die sancti Martyris Meortii, qui verberatus per septem dies, migravit ad Dominum. *Mortii.*

Die XIII.

NAtalis sanctorum martyrum Hermilli & Stratonici, sub Rege Licinio. Erat autem Hermillus in ordine diaconatus, qui pro Christi confessione post verbera, & dilaniatas carnes, & alia tormentorum genera, una cum Stratonico in flumen Istrum conjicitur, ubi uterque beatum finem consecutus est. *Hermyli.*

Die XIV.

CErtamen sanctorum Patrum in Sina interfectorum à Saracenis, Temporibus Diocletiani, & Petri Alexandrini; fuere autem patres interfecti numero XXXVIII. ex quibus Hesaias & Sabas reperti sunt vivi, alii vero mortui sunt inventi. Eodem die Natalis sanctorum Patrum XLIII. in Raitho jugulatorum à Blemmyis in mari rubro, ubi sunt duodecim fontes, & LXX. arbores palmarum. Eodem Die sancti Theoduli. Hic fuit filius Nili, viri sapientis, qui relicto sæculo, in montem Sina se contulit, ubi cum filio vitam monachi exercuit.

Die XV.

SAncti Joannis Calybitæ filii Eutropii Senatoris, & Theodoræ.

Eodem die Natalis sancti Martyris Anastasii Persæ. Hic fuit Rege Persarum Cosroe, Romanorum autem Heraclio; Patriam habuit Razech, qui cum Hierosolymam esset profectus, ibi accepto baptismate, factus monachus in monasterio sancti Sabæ, omnemque monasticæ vitæ exercitationem assecutus, martyrii subeundi desiderio affectus Cæsaream Palæstinæ se contulit, ubi cum vidisset magos quosdam, eosque irrideret, ab illis detentus, ad Barsabanam ductus, varie cruciatus est, postremo actus ad Regem Persarum, vehementius ab eo cruciatur, ipsius collo ita laqueo astricto, ut respirandi facultatem non haberet, postremo securi percutitur, capite pro Christi fide abscisso.

Eodem die Sanctæ Martyris Charitinæ, quæ Imperatore Diocletiano, & Domitiano Præside accusata quod Christum coleret, oblata Præsidi se Christianam esse professa est; quare multa & varia tormenta constanter perpessa, martyrii palmam assecuta migravit ad Dominum.

Die XVI.

APud urbem Constantinopolim veneratio preciosæ illius cathenæ, qua beatus Apostolus Petrus, Christi caussa, Herodis jussu vinctus est.

Die XIX.

NAtalis Sancti martyris Theodoti, Licinio Imperatore, Præside Sabino, in Insula Cypro, multos & varios cruciatus perpessus, atque ab omnibus liberatus, Constantino magno Imperatore in pace quievit, & ut Christi Confessor migravit in cœlum.

Eodem Die Memoria sanctorum Patrum Macarii Ægyptii & Macarii Alexandrini, qui exercitatione monastica, vita, moribus, admirabili abstinentia, & miraculis illustres fuerunt.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XX.

NAtalis ſancti martyris Neophyti, qui fuit ex Nicæa Bithyniæ, piis ortus parentibus Theodoro, & Florentia, Imperatore Diocletiano. hic cum quintum decimum ageret ætatis ſuæ annum, Decio Præſidi repente aſtitit, & liberè Chriſti fidem prædicans, flagris primùm cæditur, poſtea in ardentem fornacem conjicitur, ferarum morſibus traditur, cumque ex his omnibus illæſus permanſiſſet, poſtremò irruente in illum barbaro quodam homine ſecuri percutitur.

Die XXII.

NAtalis ſancti Timothei Epiſcopi Epheſi. Hic fuit ex urbe Lyſtra, patre Græco gentili, matre vero Judæa, diſcipulus Beati Apoſtoli Pauli, cujus & comes fuit, quem & Epiſcopum Epheſi Apoſtolus ipſe ordinavit, paſſus eſt in urbe Epheſi, ejus reliquiæ Conſtantinopolim tranſlatæ, repoſitæ ſunt ſacro altari una cum ſanctis Apoſtolis Luca, & Andrea, ubi & ipſius ſolemnitas celebratur.

Die XXIII.

NAtalis ſancti Clementis Ancyræ Galatiæ, qui ortus patre gentili, matre verò Chriſtiana, nomine Euphroſina, quæ Chriſti Martyrem futurum illum prædixit, ſub Diocletiano & Maximiano martyrium pertulit, quo die & ſanctus Agatangelus Ancyræ, Lucio Præſide paſſus eſt.

Ejusdem Menſis XXVII.

RElatio reliquiarum ſancti Johannis Chryſoſtomi in urbem Conſtantinopolim in templum ſanctorum Apoſtolorum, tempore Procli Patriarchæ, & Theodoſii minoris; Celebratur autem dies feſtus ſicut in XIII. die Novembris.

Die XXVIII.

NAtalis ſancti Patris reverendiſs. Ephrem Syri, ex patria Edeſſa, in cujus laudem extat ſermo ſancti Gregorii Nyſſeni.


Die XXX.

NAtalis ſanctorum martyrum Cyri & Joannis, ibidem & trium ſanctarum virginum Theodotæ, & Eudoxiæ, & matris Athanaſiæ ſub Diocletiano Imperatore.

Eodem die ſanctorum martyrum, Victorini, Victoris, Nicephori, Claudiani, Diodori, Serapionis, & Papiæ in urbe Corintho paſſorum, Imperatore Decio.

Eeodem die, Sanctorum martyrum Triphenæ ex Cyzico Helleſponti urbe.

Menſis Februarii primo die.



NAtalis dies ſancti martyris Tryphonis ſub Gordiano Imperatore paſſi.

Eodem die Hypapante Domini Noſtri Jeſu: quo tempore Beatus Simeon Chriſtum Dominum in ulnas accepit. Item ſancti & juſti (*a*) Simeonis, de quo in Evangelio ſcriptum eſt.

Ejus-

(*a*) Differunt a Latinis Græci; quippe vetuſtiora Latinorum Martyrologia diem Januarii quintum Simeoni conſecrarunt. Uſuardus, Ado, quibus Romani Martyrologii ſcriptorem adjicias, in octavum Octobris depoſitionem Simeonis adſcripſerunt. Sunt qui Græcos dicant hunc diem non niſi ſecundo Februarii celebrari; ſed nullo prorſus diſcrimine cum noſtro Menologio; quippe ſolitus Græcorum mos eſt, ubi duo Sancti occurrunt una die, alterum in ſequentem differre. Edidit Allatius Hymnum Sophronii in laudem Symeonis, cujus verſus Anacreonticis comparantur. Plura ſi quis habere volet, de ſacerdotio & dignitate Simeonis, conſulat Caniſium, ubi de laudibus Deiparæ virginis agit l. IV. c. 12. multa legas etiam apud Baronium & Allatium, quæ Fabulas ſapiunt ficulneisque nituntur argumentis, quæ è recentiorum, quamquam aliquando vetuſtiſſima ferant nomina, ſcriptis eliciuntur. BASN.

Ejusdem Mensis die IV.

Natalis sancti Hadriani, qui apud Cæsaream Decio Imperatore martyrium passus est.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Isidori Pelusiotæ. Item sancti Martyris Abrahamii Persæ, & sanctæ martyris Agathæ.

Ejusdem mensis die VI.

Sancti martyris Juliani Emeseni. Item sanctæ martyris Faustæ & sociorum, Evilasii & Maximi sub Maximiano Imperatore.

Eodem die sancti Martyris Silvani Episcopi, Lucæ Diaconi & Mocii lectoris, qui Imperatore Numeriano, ex regione Emesenorum, martyrium passi sunt.

Ejusdem mensis die VII.

Commemoratio sancti Parthenii Episcopi Lampsaci.

Ejusdem mensis die VIII.

Sancti Zachariæ Prophetæ è numero duodecim.

Ejusdem mensis die IX.

Sancti martyris Nicephori, qui Valeriano & Galieno Imperatoribus, martyrium perpessus est.

Ejusdem mensis die XI.

Natalis sancti martyris Blasii Episcopi Sebastæ, qui Maximiano Imperatore passus est.

Ejusdem mensis die XIII.

Natalis beatissimi Patris nostri Martiniani, qui fuit ex Cæsarea Palæstinæ vir pietate & monastica exercitatione insignis.

Ejusdem mensis die XIV.

Commemoratio sancti patris Auxentii sub Theodosio minore, pietate & exercitatione monastica illustris.

Ejusdem mensis die XV.

Natalis sancti martyris Onesimi, discipuli sancti Pauli Apostoli.

Ejusdem mensis die XVII.

Sancti martyris Theodori ex urbe Amasea, ducis exercitus, cum idolum incendisset, ejus quam matrem Deorum esse gentiles nugabantur, pectinibus dilaniatus, & in caminum ardentem injectus martyrium assecutus est.

Ejusdem mensis die XVIII.

Sancti Patris nostri Archiepiscopi Constantinopolis Flaviani, qui ab impio Dioscoro, & Hæreticis cum eo aspirantibus ejectus atque in exilium missus, variis pressuris, & ærumnis vexatus, vita functus est.

Ejusdem mensis die XX.

Sancti Episcopi Sadoch, & qui cum illo in Perside passi sunt centum viginti octo martyrum. *Sadoth.*

Ejus-

SÆC. XI. ANNO 1095

Ejusdem mensis die XXI.

SAncti patris nostri Eustathii Episcopi Antiochenæ urbis.

Ejusdem mensis die XXIII.

SAcrosancti martyris Polycarpi Smyrnæ, qui fuit discipulus sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ, unà cum divino illo martyre Ignatio.

Ejusdem mensis die XXIV.

INventio pretiosi Capitis sancti præcursoris Joannis Baptistæ.

Ejusdem mensis die XXV.

SAncti Tarasii Archiepiscopi Constantinopolitanæ urbis, qui auctore Adriano Romano Pontifice in secunda Nicæna Synodo egregiam navavit operam ad condemnandam illorum hæresim, qui sanctarum imaginum cultum impugnabant.

Ejusdem mensis die XXVII.

SAncti Patris nostri confessoris Basilii & Procopii Decapolitæ, qui tempore Leonis cognomento Iconomachi pro sanctarum imaginum cultu varios cruciatus perpessi, mortuo Tyranno erepti è carcere in pace dormierunt.

Mensis Martii die primo.



Anctorum martyris Eudociæ ex regione Samaritarum. Hæc fuit ex Heliopoli Trajano Imperatore ad Christi fidem conversa, baptizata ab Episcopo Theodoto post multas pro Christi fide inquisitiones à Vincentio Præside securi percutitur.

Eodem die sanctæ Domninæ & sociorum. Hæc piis & locupletibus orta parentibus à pueritia Deo ipsi se dedicavit, cumque admirabili monasticæ virtutis exercitatione usa esset, ad dilectum sponsum suum Christum, cum multis Deo placitis operibus translata est.

Eodem die sanctæ Antoniæ. Hæc ex urbe Cea, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus propter Christi confessionem & inanium Idolorum irrisionem, graves & varias perpessa cruciatus, postremo vase quodam inclusa, in paludem Ceæ dejecta, spiritum Domino commendavit.

Ejusdem mensis die II.

DOrmitio sancti Parmenæ, unius ex septem Diaconis.

Eodem die sancti Porphyrii Episcopi Gazæ ex urbe Thessalonica, Arcadio & Honorio Imperatoribus, cùm cœlestem in terris vitam duxisset, migravit ad Dominum.

Ejusdem mensis die III.

SAnctorum martyrum Cleonici, Eutropii & Basilissi, qui cum Maximiano Imperatore militarent, delatique essent Christiani, sub Asclepiade Præside, post multa tormenta & crucem ipsam, martyres effecti, migrarunt in cœlum.

Ejusdem mensis die IV.

Heroidis. SAnctæ martyris Heraidis, & sanctorum martyrum Archelai, Cyrilli, Photii. Et sancti Patris Gerasimi in Jordane versantis, cui fera ipsa servivit.

Eodem

Eodem die Sanctorum martyrum & Pontificum apud Chersonem, Basilii, Eugenii, Agathodori, Elpidii, Ætherii, Capitonis, & Ephræm. Eodem die martyrio functi Nestor, & Arcadius Episcopi Trimythuntiorum in pace quieverunt.

Ejusdem die VII.

SAncti Patris Pauli cognomento Simplicis propter rectam, & simplicem, multisque modis à Beato illo magno Antonio probatam ejus integritatem, quam & Deus ipse miraculis comprobavit, ut literarum monumenta testantur.

Eodem die Sancti Patris nostri Confessor * Theophylacti Episcopi Nicomediæ, qui ex partibus orientis Constantinopolim profectus, illorum hæresim, qui sanctarum Imaginum eversionem moliebantur, argumentis & divinarum literarum testimoniis confutabat, ita ut Imperatoris Hæretici jussu in * Strmibelum Castrum missus fuerit, ubi cum xxx. annos ob Catholicæ fidei defensionem in exilio transegisset, migravit ad Dominum.

* Rom. Martyrolog. Theophili.

* Strobelum.

Eodem die Sancti Patris Pauli Episcopi Plusiadis confessoris, qui vixit temporibus illis, quibus ab hostibus sanctarum imaginum Ecclesia ipsa oppugnabatur; ob cujus defensionem multa perpessus, in exilium missus in pace quiescens spiritum Deo commendavit.

Eodem die Sancti Hermæ, cujus meminit Apostolus Paulus in Epistola, quam scripsit ad Romanos.

Ejusdem mensis die VIII.

SAncti Cononis Martyris τοῦ κυπρίε ex Nazareth Galileæ, hic sub Decio Imperatore propter Christianæ fidei confessionem ferreis clavis confixis pedibus ante currum jussus currere, in genua procumbens, & orans spiritum Christo Domino tradidit.

Eodem die Sanctorum Martyrum, qui sunt in Amorio detenti, & in Syria martyrium perpessi, Theodori, Constantini, Theophili, Bassonis & sociorum numero quadraginta duorum.

Ejusdem mensis die IX.

SAnctorum quadraginta Martyrum qui sub Licinio Imperatore, Agricolao Præside in palude Sebastæ passi sunt: in quorum laudem extant sanctorum Basilii magni, Gregori Nysseni, Joannis Chrysostomi, & Gaudentii Episcopi Brixensis elegantissimæ orationes.

Ejusdem mensis die X.

SAnctorum Martyrum Codrati & sociorum Dionysii, Cypriani, Anecti, & Crescentis ex urbe Corintho, Decio & Valeriano Imperatoribus, Græcis ipsis præsidente Jasone, sub quo Codratus cum sociis in Christi confessione constanter perseverans, securi percussus est.

Ejusdem die XI.

SAncti Pionii Presbyteri Ecclesiæ Smyrnensis. Hic Decio Imperatore, ligno affixus, & in ardentem rogum conjectus, martyrio consummatus.

Eodem die Sancti Patris nostri Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani, ex regione Phœnicia, urbe Damasco, multiplici eruditione, divinarum literarum scientia, & pietate insignis.

Ejusdem die XVI.

SAncti Martyris Juliani; Hic ex urbe Anazarbensi Ciliciæ, cum ageret xviii. ætatis annum, Marciano Præsidi oblatus, renuens Idolis sacrificare, variis modis cruciatus postremo sacco, arena & venenatis serpentibus pleno inclusus, in medium mare dejicitur, & ita martyrii palma coronatur.

Ejusdem mensis die XVII.

NAtalis sancti martyris Pauli, qui pro sanctarum Imaginum cultu igne comburitur.

Eodem die Sanctus Theosterictus pro earundem imaginum defensione in pace consummatus, migravit ad Dominum.

Die XVIII.

Sancti Patris nostri Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymitani &c.

Eodem, Decem millia securi percussi apud Nicomediam martyrio coronati sunt. Item Trophimi, Eucarpionis martyrium celebratur.

Die XIX.

Sanctorum martyrum Chrysanthi & Dariæ.

Eodem Die sanctus Claudius Tribunus in mare projectus, martyrio coronatur. Item sancta Hilaria ejus uxor securi die tertio Decembre percussa, ejusdem martyrii palmam consecuta, migravit ad Dominum.

Eodem die Sancti Jason & Maurus, S. Claudii, & Hilariæ filii ense percussi martyrio coronati sunt.

Eodem die sancti Martyris Pancharii Romæ, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, propter Christianæ fidei confessionem apud Nicomediam, decimo nono Mensis Martii ense percussi.

Eodem die sancti Diodori Presbyteri & Mariani Diaconi, qui quod Christi fidem profiterentur, propterea spelunca inclusi, securi percussi sunt.

Eodem die, Certamen sanctarum septem mulierum apud Amysum Alexandræ, Claudiæ, Euphrasiæ, Matronæ, Julianæ, Euphemiæ, & Theodosiæ, item sanctæ Derphutæ & sororis.

Ejusdem mensis die XX.

Certamen sanctorum Patrum interfectorum ab Æthiopibus in monasterio sancti Sabæ.

Eodem die Sancti Patris Nicetæ Episcopi Appolloniadis confessoris. Hic pro defensione sanctarum imaginum persecutionem passus, eo quod nollet venerabilem Christi Domini, & immaculatæ matris ipsius & aliorum sanctorum imaginem negare, in exilium missus, & variis afflictionibus tentatus, beatam præstans confessionem, sanctam Deo ipsi animam tradidit.

Eodem die Sancti Martyris Rodiani, qui pro Christianæ fidei confessione, securi percussus, martyrii palmam consecutus, migravit in cœlum.

Eodem die Certamen Sanctæ Martyris Photinæ Samaritanæ, cum qua Christus Dominus in puteo locutus est, & Joseph, & Victoris filiorum, nec non Sebastiani Ducis, Anatolii, Photii, Photidis, Parasceves, & Cyriacæ germanorum sororum, qui omnes Christi fidem confessi, martyrii palmam consecuti sunt.

Ejusdem mensis die XXI.

Sanctorum Martyrum Philemonis & Domnini Certamen. Item sancti Jacobi commemoratio. hic à puero monasticam exercitationem edoctus jejuniis, & vigiliis, ac meditationi divinarum literarum incumbens, Episcopatus dignitatem assecutus est, cumque Hæreticorum sanctas imagines oppugnantium temporibus multas tentationes, & persecutiones perpessus esset, postremo fame, & siti afflictus in cruciatibus spiritum Deo tradidit.

Eodem die Certamen Sanctarum martyrum Callynicæ, Basilissæ, & sacrosancti martyris Birilli Episcopi Catanæ. Hic sanctus Birillus ex Antiochia Syriæ cum esset sancti Apostoli Petri discipulus, ab eo Episcopus constitutus Catanæ urbis Siciliæ, gregem illum recte pascens multos gentiles ad Christi fidem convertit, prædicatione & miraculorum multitudine insignis, cum ad summam senectutem pervenisset, migravit ad Dominum.

Die XXII.

Sancti martyris Basilii Presbyteri Ancyranæ Ecclesiæ, qui cum in Christiana confessione constanter persisteret, Juliano Apostata Imperatore, & Saturnino præside Ancyras post multos cruciatus, Christi martyr volavit in cœlum.

Die

Die XXIII.

CErtamen sanctorum martyrum Domitii, Pelagiæ, & Aquilæ, Eparchi, & Theodosiæ.

Die XXIV.

SAnctorum martyrum Niconis & sociorum centum nonaginta novem, qui in urbe Cæsarea Palestinæ propter Christianæ fidei confessionem martyrii palmam adepti sunt.

Eodem die sancti Patris nostri Severi Episcopi Catanæ urbis Siciliæ.

Eodem die Vigilia Annunciationis Beatæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ.

Die XXV.

ANnunciatio ejusdem Beatissimæ Mariæ virginis, Dominæ nostræ semper virginis Mariæ.

Die XXVI.

CElebritas Gabrielis Archangeli.

Eodem die, certamen sanctorum martyrum qui apud Gothos passi sunt.

Item sanctorum martyrum Quadrati, Theodosii, Emanuelis & aliorum quadraginta, qui apud Orientem passi sunt.

Item commemoratio sancti Patris nostri Stephani confessoris. Hic cùm sanctarum & venerabilium imaginum cultum profiteretur, à Leone Armenio Imperatore in exilium missus, variis cruciatibus vexatus, post multa certamina, quæ Catholicæ Ecclesiæ causa sustinuerat, migravit ad Dominum.

Die XXVII.

NAtalis sanctæ Matronæ apud Thessalonicam. Hæc cum Christianam fidem profiteretur, & Judææ cujusdam Nobilis fœminæ, cujus erat ancilla, neque minis, neque blanditiis, aut verberibus flecteretur, quo minus in proposito permaneret, diutina carceris vexatione animam Deo tradidit.

Eodem die sanctorum martyrum Phileti senatoris, & Lydiæ uxoris, ejusque filiorum, Macedonis, Theoprepidis, Gronidæ commentariensis & Amphilochii Ducis.

Eodem die martyres Jonas, & Barachesius securi percutiuntur.

Die XXVIII.

SAncti Patris nostri Hilarionis junioris Abbatis monasterii Pelaceti.

Eodem die certamen sancti Erodionis. Hic fuit unus de septuaginta duobus discipulis, Patrarum Episcopus, qui cùm Christi fidem prædicaret, & multos converteret, post multa tormenta, gladio jugulatus est, & ita functus martyrio, animam in manus Dei commendans. Sanctus verò Philetus & qui cum eo erant Christiani, Adriano Imperatore, quotidie Deo ipsi servientes comprehensi, martyrio coronati sunt.

Die XXIX.

SAncti Marci Arethusiorum Episcopi & Cyrilli Diaconi ac sociorum. Fuit sanctus Marcus Constantino Magno Imperatore. Hic Zelo Dei affectus multas aras, & simulacra destruxit, & Ecclesias Dei veri construxit, neque ullis tormentis persuaderi potuit à Juliano Apostata, ut pro reficiendis falsorum Deorum templis vel obolum solveret. Multa in hujus sanctissimi viri laudem graviter, & eleganter scripsit sanctus Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus.

Die XXX.

SAncti patris nostri Joannis, cognomento Climacis, viri doctrina, & exercitatione monastica insignis.

Eodem die, sancti Prophetæ Joadæ.

Item sancti patris nostri Zosimi Episcopi Syracusarum. Et sancti patris Joannis ex Puteo. Et confessoris Eustachii Bithyniæ.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XXXI.

SAcro sancti martyris mirabilium rerum effectoris Hypatii Gangreni Episcopi ex Regione Ciliciæ. Hic cum vitæ probitate esset illustris & in magna existimatione haberetur, interfuit Synodo primæ Nicenæ, cum trecentis, & decem, & octo Patribus.

Eodem die sanctorum Abdæ Episcopi & Benjamin Diaconi, & sociorum, qui apud Persidem martyrii coronam acceperunt.

Ejusdem mensis die XI.

SAnctorum martyrum Trophimi & Thalei qui Diocleciano, & Maximiano Imperatoribus, sub Præside Laodiceæ Asclepio pro Christiana fide passi sunt.

Eodem die Reliquiarum sancti martyris Epimachi relatio in urbem Constantinopolim.

Eodem mense die XII.

SAncti patris nostri Theophanis confessoris.

Eodem die sancti Gregorii Papæ.

Ejusdem mensis die XIII.

SAnctorum martyrum Sabini, Aphricani, Publii, & Terentii, quorum martyrium celebratur in Paulopetrio.

Eodem die sancti Sabini, aliàs Abibi, ex Hermopoli, qui saxo alligatus, & in flumen dejectus, martyrio consummatus est.

Eodem die Christina pro Christi confessione apud Persidem martyr effecta migravit ad Dominum.

Die XIV.

SAncti patris nostri Benedicti multorum monasteriorum Patris celeberrimi, pietate, & miraculorum multitudine illustris.

Eodem die sancti martyris Alexandri, qui propter Christi fidem apud Pidnam securi percussus est.

Die XV.

SAnctorum martyrum Agapii & sociorum, Publii, Timolai, Alexandri & Alexandri Dionysii, & Dionysii qui Diocletiano Imperatore passi sunt: Agapius ex urbe Gaza, Timolaus ex Ponto, duo Dionysii ex Tripoli Phœniciæ, Publius & duo Alexandri ex Ægypto, sub Urbano Præside Cæsareæ animas pro Christo tradiderunt.

Eodem die sancti Aristobuli Episcopi Britanniæ, fratris Beati Barnabæ Apostoli, à quo cùm esset ordinatus Episcopus, ad Britannos missus, illic Christi fidem prædicans, & Ecclesiam constituens, martyrium assecutus est.

Eodem die sancti Nicandri martyris. Hic Diocletiano Imperatore cùm martyrum amore flagraret, & eorum reliquiis studiose ac reverenter colligendis, curandisque incumberet, delatus apud Præsidem, ac detentus, libera voce Christum ipsum Deum verum esse prædicans, detracta pelle, martyrii coronam adeptus est.

Eodem die Menigni Fullonis. Hic sub Decio Imperatore cum persecutio magna contra Christianos commota esset, pro Christianæ fidei confessione animam tradens, martyrio coronatus est.

Ejusdem mensis die XVI.

SAncti Martyris Sabini, qui cum esset ex Hermopoli Ægypti, genere atque existimatione inter primarios urbis cives habitus, delatus quod Christi fidem sequeretur, allatus ad Arianum quendam urbis Præfectum, & Christi fidem confessus, tamdiu suspenditur ac laniatur, quoad carnes in terram defluerunt; postea igne accensis lampadibus comburitur, & ligno alligatus in flumen Scamandrum dejectus martyrii coronam consecutus est.

Eodem die Sancti Martyris Papæ, qui Christi fidem confessus, in terram prostratus

tus verberatur; postea in faciem cæditur, atque in sublime elatus, ferreis unguibus laceratur, & acutis clavis munitas crepidas indutus ad longum iter ingrediendum impellitur, postremo sterili arbori alligatus, fructiferam illam efficit, in qua & martyrio consummatur, cujus reliquias sanctas Lycaones possidentes jure optimo lætantur. SÆC. XI. ANNO 1095.

Mensis Aprilis die primo.

SANCTÆ Martyris nostræ Mariæ Ægyptiacæ, quæ cum decem, & septem annos lascivam & turpem vitam duxisset, conversa in meliorem statum, talis evasit, ut miraculis etiam multis virtutem suam comprobaverit; siquidem quadraginta septem annos ita vixit, ut neminem nisi Deum ipsum spectatorem habuerit.

Eodem die sancti Patris nostri, & confessoris Macarii Constantinopolitani, viri fidei & vitæ integerrimæ; qui cùm Leo Imperator Patriarcham Nicephorum, & multos alios Episcopos, & Archimandritas exilio & carceribus condemnasset; Beatus Macarius ob eam causam, quod sanctas imagines, quas ille oppugnabat, protegeret, minis, & variis modis vexabatur. Itaque in Afrusiam insulam extorrem misit, quæ omnia vir sanctissimus forti & generoso animo perferens, gratias agebat Deo. cumque in illo ipso exilio annos multos, & damnum & certamina perpessus esset, multis editis miraculis, migravit ad Dominum.

Ejusdem Mensis die secundo.

COmmemoratio venerabilis Patris nostri Titi monasticæ vitæ studio insignis.

Eodem die Sanctorum Martyrum Amphiani & Ædesii fratrum, qui Maximiano Imperatore apud Berythum à beato Pamphilo martyre ad pietatem instructi, & Christi fidem libera voce confessi, martyrio coronati sunt.

Eodem die S. Virginis Theodoræ, quæ ex urbe Tyro originem ducens, cum decimum septimum annum ageret, Urbano Præsidi Palæstinæ oblata, & Christi fidem libere professa, ac flagris cæsa, in mare dejecta, Deo ipsi spiritum reddidit.

Ejusdem die III.

SAncti Patris nostri Nicetæ Confessoris, & Abbatis Monasterii Medicii. Item Commemoratio sancti Patris nostri Joseph Hymnorum scriptoris.

Die IV.

SAncti Patris nostri Georgii in regione Maleo diversantis.

Eodem die Sanctorum Martyrum Theoduli lectoris & Agathopodis diaconi, qui ex urbe Thessalonica exorti Christianam fidem profitentes ducti sunt ad Faustinum Præsidem, quo loco in confessione constanter permanentes, martyrio functi sunt.

Eodem die Sanctæ martyris Pherbuthæ & ancillæ cum sociis; Sapore Rege Persarum martyrium passæ, sorores sancti Symeonis Episcopi, qui cum mille aliis martyrium pertulit apud Persas.

Eodem die Commemoratio Publii & Platonis Abbatis monasterii Studitæ.

Item Sanctorum trium, Theonæ, Symeonis, & Phorbini.

Item sancti Patris nostri Zosimi, qui Beatæ Mariæ Ægyptiacæ funus curavit.

Die V.

SAnctorum martyrum Claudii, Diodori, Victoris, Victorini, Papii, Nicephori, & Serapionis.

Eodem die Sanctorum martyrum Theodoræ & Didymi, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Præside Alexandriæ Eustratio.

Eodem die S. Zenonis, qui pice illitus, & in ignem conjectus, detracta pelle, in medio rogo, martyrio consummatus est.

Eodem die quinque martyrum Juvenum ex urbe Lesbo.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die VI.

SAnctorum Martyrum Centum viginti apoud Persidem coronatorum.
Item Sancti Platonidis, & sanctorum Martyrum duorum apud Ascalonem.

Die VII.

SAncti Martyris Calliopii.
Eodem die Sancti Patris nostri Georgii Episcopi Mitylenæ monasticæ vitæ observatione insignis.
Eodem die S. martyris Calliopii Maximiano Imperatore.
Eodem die Sanctorum ducentorum martyrum in urbe Sinope gladio percussorum.

Die VIII.

SAnctorum Herodionis, Agabi, Rufi, Asyncriti, Phlegontis & Hermes.

Ejusdem mensis die IX.

SAncti martyris Eupsychii apud urbem Cæsaream pro Christi confessione martyrio coronati.
Eodem die Commemoratio sanctorum martyrum captivorum apud Persidem martyrio coronatorum.

Die X.

SAnctorum martyrum Terentii, Pompei, Maximi, Macarii, Aphricani, & sociorum, Decio Imperatore, & Fortuniano Præside securi percussorum.

Die XI.

SAncti martyris Antipæ Episcopi Pergami, sub Domitiano Imperatore testimonio Beati Joannis Evangelistæ comprobati. hujus dies festus celebratur in venerabili Apostolico Templo Celeberrimi Apostoli Joannis Theologi prope sanctissimam magnam Ecclesiam.

Die XII.

SAncti Patris nostri Basilii Episcopi Parii.

Die XIII.

SAncti Martini Romani Pontificis, qui à Constantino, cognomine Pogonato, propterea quod condemnasset Sergium, Pyrrhum & Theodorum, publico edicto in exilium missus est, ubi multis ærumnis & angustiis oppressus, migravit ad Dominum.
Eodem die Sanctorum martyrum Maximi, Quintiliani & Dadæ, Maximiano & Diocletiano Imperatoribus gladio percussorum.

Die XIV.

SAnctorum Patris Aristarchi, Pudentis, & Throphimi, qui cum esset ex LXX. post Pauli Apostoli mortem, & ipsi Nerone Imperatore capite cæsi sunt. Hæc beatissimus Dorotheus cum esset Romæ Romana lingua scripta reliquit, non solum autem de his, sed & de reliquis Apostolis, & aliis sanctis viris, & sacris Prophetis historiam accuratè conscripsit, fuit enim vir ille ingenio, & multarum rerum peritia insignis, ut quivis alius.
Eodem die sancti martyris Ardalionis, qui cum esset mimus Maximiano Imperatore, & in Theatris aliorum acta simularet, cùm aliquando illi visum esset Christianorum constantiam repræsentare, & Diis ipsis renueret sacrificare, ob id quod à spectatoribus applausum esset, ejusque actum & fortitudinem omnes collaudarent, silentium indicens populo, re vera se Christianum esse prædicavit, quare cum à Præside admonitus, ut sententiam mutaret, ipse magis magisque in Christianæ fidei confessione

fessione permaneret, in accensum rogum conjectum martyrii corona donatus est. Eodem die sancti martyris Thomaidis ex urbe Alexandriæ.

Sæc. XI. Anno 1095.

Die XV.

Sancti martyris Crescentis ex urbe Myra Lyciæ, viri pietate & Christianæ fide insignis, quapropter suspensus laniatur, postea in ignem injectus, Deo ipsi spiritum tradidit.

Eodem die Sanctarum martyrum (a) Basilissæ, & Anastasiæ, quæ cùm essent ex magna urbe Roma genere & divitiis illustres, discipulæ sanctorum Apostolorum, illis martyrio coronatis, cum eorum sanctas reliquias nocte sublatas curavissent, delatæ sunt Imperatori Neroni. Itaque in carcerem conjectæ, & paulo post eductæ, cùm in Christi confessione se permanere professæ essent, suspensæ sunt, mammis, manibus, pedibus, & linguis excisis, capite obtruncatæ sunt.

Eodem die Sanctorum martyrum Theodori, & Pausilippi, Adriano Imperatore, & Precio Præside Europæ, pro Christiani nominis confessione gladio cæsi, spiritum Deo commiserunt.

Die XVI.

Sanctarum mulierum Irenæ, Agapæ, & Chioniæ, quæ sub Diocletiano Imperatore propter Christi confessionem passæ sunt: quo tempore Chrysogonus martyr ab eodem Imperatore gladio percussus est.

Ad oram adscriptum erat: habetur 3. Aprilis.

Sancti Felicis Episcopi, Januarii presbyteri & Septiminii Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. Hi omnes cum Imperiali decreto juberentur gentilibus suos libros tradere, sanctissimus Episcopus id renuit eis verbis: scriptum, inquit, est, ô Præses, nolite dare Sanctum canibus, neque projicere velitis margaritas vestras ante porcos. His de causis vincti educti de carcere missi sunt ad Præsidem Prætorii, quos post dies quatuordecim eductos è carcere imposuit navigio alligatos pedibus equorum: cumque sancti viri volutarentur ad pedes brutorum animalium jejuni, ac ne aquam quidem per quatuor dies gustantes, Deo ipsi gratias agebant: cum vero pervenissent ad urbem Tauromenem appellatam, in Lycaoniam deducti, tenuerunt civitatem Ælurorum. Tunc Præses solvens illos viros sanctos à vinclis leniter & blande rogabat, ut libros quos habebant, traderent, illi verò cum respondissent, se neque libros prodere velle, neque Idolis immolare, jussit Præfectus illos obtruncari, quæ cum lata esset sententia, ad Deum preces miserunt, è cujus manu coronas cœlestes perceperunt.

Ad oram: habetur: 9. Kal. Novemb.

Eodem die SS. martyrum Leonidis, Chariessæ, Nices, Galenæ, Calidis, Nunechiæ, Basilissæ & Theodoræ.

Die XVII.

Sancti martyris Symeonis apud Persidem Episcopi & sociorum Abidellæ presbyteri & aliorum mille centum quinquaginta.

Menæa Græc. Abdella.

Item sancti martyris Adriani.

Eodem die sancti patris nostri Agapiti Romani Pontificis, Justiniani Imperatoris temporibus Constantinopolim profecti, viri pietate, & miraculis celeberrimi.

Die XVIII.

Sancti patris nostri Joannis discipuli sancti Gregorii Decapolitæ. Item commemoratio sancti martyris Sabæ, qui fuit Valentiniano majore & Valente imperatoribus apud Gothos: qui cùm à puero Christi fidem amplexus esset, comprehensus, ab Athanarico flagellis cæsus in trabe domus suspensus, cum Idolothyta hoc est Idolis immolatas carnes gustare non pateretur, ductus est ad fluvium Musæum, ejusque collo alligato ligno flumine suffocatus est, agens ætatis annum trigesimum octavum.

In marg. erat: habetur pridiè Idus Aprilis.

Eodem die sancti Patris nostri Cosmæ Archiepiscopi * Carthaginis. Item sanctæ martyris nostræ Athanasiæ, quæ piis orta parentibus se ipsam Deo consecravit.

* Alia lectio habuit Calcedonis. Can.

Die

(a) In Actis Lini illud tribuitur Marcello Presbytero, Aringhus tamen hoc Historicæ veritati repugnare negat, eo quod illæ mulieres virum Sacerdotalem adjuvantes in pio ministerio sedulam navaverint operam. Basn.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XIX.

SAncti martyris Paphnutii Hierosolymitani pietate, & rectæ fidei testimonio insignis.

Eodem die Dormitio sancti Joannis Palæolauriti, qui desiderio serviendo Deo accensus, relictis hujus vitæ delitiis Christi cruce suscepta, venerabilia loca adiit, & ad beati Caritonis lauram profectus, illic certamen monasticæ vitæ susceptum bene & laudabiliter exegit; & in pace quievit.

Eodem die commemoratio sancti martyris Theodori apud Pergen Pamphyliæ, qui Imperatore Antonino, & Præside Theodoto ligno affixus ac suspensus tribus diebus vixit & postea migravit ad Dominum, cujus sanctas reliquias unguentis & velis religiosi quidam viri curantes, insigni loco reposuerunt.

Eodem die sancta martyr Philippa, sancti Theodori mater, gladio consummatur.

Eodem die sancti martyres Socrates & Dionysius lanceis vulnerati martyrio functi sunt.

Eodem die sancti patris nostri Georgii Episcopi Pissidiæ Antiochiæ, qui cum illis esset temporibus, quibus pravo instinctu Diaboli excitata est hæresis sacras Imagines oppugnantium, nequaquam persuaderi potuit ut cum hæreticis conveniret, & sanctarum Imaginum venerationem abnegaret, in exilium missus migravit ad Dominum.

Eodem die Sancti Patris nostri Tryphonis Archiepiscopi Constantinopolitani.

Die XX.

SAncti Patris nostri Theodori cognomento Trichina, hic propter ærumnas, & vitæ duritiam, cui se subjecit, frigore & gelu propter Christum ipsum vexatus, crassa & aspera veste corpus tegebat. ex quo factum est ut Trichinas cognomento appellaretur, ob idque contra Dæmones potestatem accepit. cumque ita vixisset & ad Dominum, quem desiderabat migrasset, omnibus fidelibus sanitates confert, unguento ex sancto ejus sepulchro scaturiente.

Eodem die Sanctorum martyrum Victoris, Zotici, Zenonis, Acindyni, Cæsarii, Severiani, Christophori, Theonæ, & Antonini sub Diocletiano impio Imperatore martyrio coronatorum.

Ejusdem mensis die XXI.

SAcro sancti Martyris Januarii Episcopi & sociorum Proculi, Sosii, & Fausti Diaconorum, Desiderii lectoris & Acutionis Diocletiano Imperatore & Timotheo Præside Campaniæ coronatorum.

Eodem die sanctæ Martyris Alexandræ Reginæ, uxoris Diocletiani, quæ propter Christi confessionem securi percussa est.

Eodem die Sancti Patris nostri Maximi Patriarchæ Constantinopolitani.

Eodem die Sancti Patris nostri Anastasii Montis Sinai.

Eodem die Commemoratio Prophetæ Michææ. Et certamen sanctorum martyrum Apollo, Isacii, & * Codrati, fame, & ense consummatorum Diocletiano Imperatore sub quo militarant.

* Rom. Mart. Crotates.

Die XXII.

SAncti Patris nostri Theodori Sycotæ ex Galatia temporibus Justiniani Senioris. Ejus dies festus celebratur in templo sancti martyris Magni Georgii.

Eodem die Sancti Apostoli Nathanaëlis, qui fuit Simon Zelotes, hic fuit ex Cana Galileæ, ubi Christus Dominus invitatus ad nuptias aquam in vinum convertit.

Eodem die Sanctorum Apostolorum ex LXX. Apellis, Lucæ, & Clementis. Hic Apelles non Heracleæ fuit Episcopus, sed Smyrnæ, Lucas autem iste non fuit ille, qui scripsit Actus Apostolorum, sed Episcopus Laodiceæ Syriæ, Clemens vero qui ex gentibus ad fidem conversus, factus est Episcopus Sardorum. Hi omnes cum ad Christi fidem multos conversos baptizassent, tentationes non paucas perpessi migrarunt ad Dominum.

Rom. Mart. Lucius.

Die XXIII.

MEmoria Sancti, gloriosi, & magni martyris Georgii cognomento Tropæophori. fuit magnus martyr Georgius Diocletiano Imperatore, Cappadox genere.

Die

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XXIV.

SAncti Martyris Sabbæ Ducis exercitus, fuit autem hic Sabbas, Aureliano Imperatore in urbe Roma, Gotthus genere; qui cum Christi fidem servaret, Sanctorum in Carceribus detentorum satagebat, & propter vitæ puritatem, & virtutum exercitationem pravos spiritus ex hominibus fugabat. delatus autem quod esset Christianus, ductus ad Imperatorem, abjecta Zona, Christum confessus est. quare suspensus lampadibus comburitur, & in lebetem picis plenum ardentem injicitur: cumque admirabiliter servatus, LXX. viros ad Christi fidem convertisset, postremo in flumen dejectus, martyris coronam accepit.

Eodem die Memoria sanctorum martyrum Pasicratis, & Valentionis ex Dorostoro Mysiæ in legione quadam militantium Auloximi Ducis.

Eodem die Sanctorum martyrum Eusebii, Neonis, Leontii, Longini, & aliorum quatuor. Diocletiani Imperatoris jussu à quatuor Carnificibus cæsi, & suspensi, eo usque laniati, quoad carnes eorum in terram defluerent, & viscera ipsa nudata sint; postremo securi percussi sunt.

Die XXV.

SAncti Apostoli & Evangelistæ Marci, qui post prædicatum Evangelium Ægypto, Libyæ, & Pentapoli, apud Alexandriam funibus vinctus, laniatus est.

Die XXVI.

SAcrosancti martyris Basilei Episcopi Amasiæ, qui sub Licinio Imperatore, pro Christi confessione Nicomediam ductus, sententiam accepit, ut gladio percuteretur. cervice igitur truncata, navigio imponitur, caputque ejus ex altera parte, ac corpus vero ex altera in mare projectum est, quæ conjuncta iterum sunt secundum naturalem harmoniam; ita ut inventus fuerit sanctus martyr integer à piscatoribus quibusdam juxta Sinopem in sinu quodam; in quem cum sagenam demisissent, & in continentem extraxissent, quemadmodum Elpidiphoro, quam primum sanctum illum virum excepit, Nicomediæ Angelus dixit; qui cum Theotimo, & Parthenio Diaconis ex Amasia venerant, extractum ex sagena susceperunt, & unguentis, & canticis honorantes in urbem Amasiam transmiserunt.

Die XXVII.

HIerosolymis sancti martyris Symeonis Episcopi Hierosolymorum, consanguinei Domini nostri Jesu Christi. post multos cruciatus, cruci affixus, martyrii coronam consecutus est.

Eodem die Sancti Patris nostri Joannis confessoris, Abbatis monasterii Catharorum. Hic sub impio Imperatore Leone, pro sanctarum Imaginum defensione, cum in exilium mitteretur, convocans multos, eosque admonens, Vigilate inquit, Patres, & Fratres, ne à Diabolo, ad negandam sanctarum Imaginum venerationem, subripiamini: ductus autem ad Imperatorem, libera voce impietatem illi exprobrans, jussus est in oculos verberari, ac ferreis catenis vinctus exul mittitur in castrum *Pentadactylum nomine, ibique ligatis pedibus carcere inclusus decem & octo menses detentus est. Post hæc in urbem ipsam in conspectum Imperatoris tanquam ad triumphum duxerunt. Denique post multas ærumnas cum aliis plurimis relegatus in Insulam Aphrusiam. Exactis illic duobus annis & dimidio, visione quadam admonitus, cùm his, qui cum illo erant, obitum suum prædixisset, migravit ad Dominum.

* Menæa: πεντὰ δάκτυλον ἐν τῇ χώρᾳ τῆς λάμπης.

Eodem die Sanctorum Aristarchi, Marci, & Zenonis. fuerunt hi tres ex LXX. Aristarchus hic est, cujus meminit Apostolus Paulus ad Romanos scribens, * Amaseæ Syriæ Episcopus, quippe qui Christi Evangelium illic prædicavit. Marcus vero est, quem consueto nomine Joannem vocabant, cujus Lucas meminit in Actibus Apostolorum; fuit autem Episcopus ab Apostolis in Bibliopoli. Zeno hic ille est, quem Paulus Apostolus νομικὸν appellat, ad Romanos scribens; qui cum à Beato Petro in Diospoli primus Episcopus esset constitutus, docebat prædicans Christum esse Deum verum. Hi igitur cum multas ærumnas ab infidelibus pro ædificatione Ecclesiarum, & eversione Idolorum passi, multorumque miraculorum & sanitatum effectores essent, ad Christum Dominum migraverunt.

* Menæ Gr. Apamea Syriæ.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XXVIII.

Prusa.

SAncti martyris Patritii Episcopi * Prusiæ. Hic à puero cum esset optimis moribus institutus, & virtute, & sapientia insignis, Episcopus Prusiæ creatus est, quo in munere ita se gessit, ut propter ejus in Christi fide ardorem, ac studium detentus, ab Idolorum cultoribus Præsidi oblatus fuerit, cui libere vanitatem gentilis superstitionis arguens, multis tormentorum generibus cruciatus, postremò gladii supplicium pertulit, & sic martyris palmam assecutus est.

Die XXIX.

De Jasone die XII. Julii de Sosipatre die XXV. Junii.

SAnctorum Jasonis, & Sosipatri. Fuit autem Jason ex urbe Tarso, primus ad Christianam pietatem conversus. Sosipater verò ex Achaia ortus, post Jasonem Christi fidem amplexus est, uterque vero fuit Pauli Apostoli discipulus, & Jason quidem patriæ suæ doctor extitit, Sosipater vero Iconiensium Ecclesiæ clavum suscepit; cumque multos ad Christi fidem converterent, delati apud Cercyllinum regem custodiæ traditi sunt; quo loco erant septem latronum duces inclusi, his omnibus Saturninus Jacischolus, Faustianus, Januarius, Marsalius, Euphrasius, & Mamminus: quos tàm dictis quàm factis admirabilibus ad Christi fidem traduxerunt, ex lupis oves effectos, qui in lebetes pice, sulfure, & cera plenos injecti martyrii coronas à Christo perceperant, quin etiam custos carceris, propter eandem in Christum fidem, sinistra manu, & duobus pedibus excisis, truncatur capite, Christi Domini invocans nomen, Jasonem vero & Sosipatrum eductos è carcere, Carpiano Præsidi cruciandos tradidit; quos examinatos rursus in carcerem vinctos conjecit. Hos viros sanctos cùm Cercyra Regis filia vinctos vidisset, idque ob Christi fidem eos pati didicisset, Christianam se esse professa est, ornatum omnem, quem gestabat, pauperibus distribuit, quod cum pater audisset, eamque à proposito avertere non posset, in carcerem conjici jussit, eamque Æthiopi cuidam nequissimo vitiandam tradidit; qui cùm carceris januæ ad corrumpendam virginem accessisset, repente à fera quadam dilaniatus est. Quod cum audisset puella ipsa, eum curatum, à fera liberavit, Christianumque effecit, ita ut Æthiops ipse clamarit: Vere magnus est Deus Christianorum. Mox à Tyranno graviter cruciatus è vita migravit. Qui vero milites carcerem custodiebant, ligna multa congesserunt, & igne accenso virginem comburere conati sunt, in quem conjecta, cùm illæsa permansisset, multos ad Christi fidem traduxit. Posthæc in ligno suspenditur & fumo densissimo tamdiu subjicitur, quoad spiritum suum Deo ipsi tradidit. Quo facto persecutionem adversus Christianos commovit Rex, & sanctis viris, qui in adjacentem Insulam confugerant, supplicio affectis, revertens, cùm esset in medio pelago, ut olim Pharao, submersus est. Itaque populus Domini gratiarum Hymnos Deo ipsi obtulit. Jason vero & Sosipater è carcere liberati, verbum Dei sine impedimento prædicabant. Postea verò quàm surrexit novus Rex, & de sanctis illis viris didicisset, jussit lebetem ferreum illuc ferri, in eamque injici picem, resinam, & ceram, ac vehementer accendi, & sanctos Jasonem, & Sosipatrum in illam demergi: sed nihilominus sancti quidem illi servati sunt incolumes: infideles vero multi combusti. Quod videntes plurimi ad Christum ipsum concurrerunt: Rex verò suspenso lapide ex collo clamabat, Deus Jasonis, & Sosipatri miserere mei: quem cum ita lamentantem Beatus Jason vidisset, omnem populum admonens, & docens, & catechismo instructum baptizavit, in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti; quem Sebastianum nominavit. Non post multos dies filius Regis in morbum incidens mortuus est, quem sanctus Jason suis precibus è mortuis suscitavit; multaque alia cum edidisset miracula & pulchra templa erexisset, aliaque omnia benè & sanctè perfecisset, aucto Christi grege, in senectute laudabili, ad eum quem tantopere desiderabat Christum, migravit.

Eodem die sanctorum septem martyrum latronum, à sancto Jasone ad Christum conversorum, qui in lebetem pice ferventem conjecti, consummati sunt.

Item sanctæ Cerceræ filiæ Cercyllini Regis, quæ sagittis vulnerata martyrio fruita est.

Eodem die sanctorum martyrum Zenonis & Vitalis igne consummatorum.

Eodem die sanctus martyr Eusebius pro Christiana confessione martyrio consummatur.

Eodem die Onesiphorus Episcopus Losonis & Evodius à beato Petro Antiochenæ Eccle-

Ecclesiæ Episcopus constitutus, (a) post multos cruciatus, & plurimos ad Christi fidem conversos & ipsi ad desideratum Dominum pervenerunt, Cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Ejusdem mensis die XXX.

Sancti Apostoli Jacobi fratris Joannis Theologi, qui propter Christianæ fidei confessionem ab Herode Rege securi percussus est.

Eodem die sancti patris nostri Donati Episcopi Aureæ.

Item sancti patris nostri Clementis Poëtæ, & sancti martyris Maximi, qui cum literam X mediam invenisset, ensem per ventrem infixum significavit.

Eodem die Inventio reliquiarum sancti martyris Basilei Episcopi Amaseæ.

Eodem die sancti Patris Donati Episcopi Euroeæ sub Theodosio Magno imperatore.

Mensis Maii die primo.

COMMEMORATIO sancti Prophetæ Hieremiæ, qui fuit sanctificatus ex utero matris suæ, lapidatus à populo, mortuus est apud Daphnas Ægypti.

Eodem mensis die II.

Sancti Patris nostri Athanasii Magni Patriarchæ Alexandriæ, qui pro Christi fide orthodoxa multos labores, & persecutionum certamina, exilia, calumnias, & cavillationes perpessus est.

Eodem die sanctorum martyrum Exuperii, Zoes conjugis, filiorum, Cyriaci, & Theoduli sub Adriano Imperatore.

Die III.

Sanctorum martyrum Timothei & Mauræ conjugis. delatus autem Timotheus apud Præsidem Thebaidis Arianum, vinctus est in rota, & frenum in os illius conjectum est atque suspensus est capite in terram verso, alligato ad collum saxo, quibus omnibus, cum non cederet Beatus martyr Timotheus, sperans Præfectus fore, ut Mauram ejus uxorem ad Christum negandum adduceret, blandiciis & adulatione illam aggredi cœpit, suadens, ut Idolis immolaret; quæ cum renueret, coram Præside se Christianam esse confessa est. quare crines à capite ipsius avulsi, & digiti abscissi sunt, & in aquam ferventem immersa est. Quæ cum nihil læsa esset, suspicatus est Præfectus, aquam illam non fuisse calidam, sed frigidam, idque ut experiretur in manus suas aspergi jussit. Itaque sancta Maura cum aquam ex lebete manu hausisset & injecisset in manum Præsidis, pellis ipsius defluxit. Quapropter utrumque crucifigi jussit Præfectus. cum vero novem dies Beati conjuges suspensi mansissent, se vicissim hortantes, ut forti animo tormenta perferrent, ita animas suas Domino tradiderunt.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Diodori, & Rodopiani Diaconi, qui fuerunt tempore Diocletiani Imperatoris, & propter Christianæ fidei confessionem à propriis civibus injurias multas, verbera, & flagella perpessi apud Aphrodisiam urbem Caryæ à carnificibus lapidati, spiritus Domino ipsi tradiderunt.

Die IV.

Sanctæ martyris Pelagiæ, quæ fuit ex Tarso Ciliciæ temporibus Diocletiani Imperatoris. hæc cum audisset de Christi fide, & cuperet scire qualis nam hic esset, * Oartum Episcopum baptizantem animadvertit; cumque dimissa esset à matre, quasi ad nutricem abire vellet, Episcopum adiit, qui divina inspiratione commotus, illam accepit, & baptizavit: quod cum audisset Imperatoris filius, & amoris esset impatiens, se

* *Alii Clinonem vocant.*

(a) *Hunc locum male interpretatus est Bollandus 6. Maii. Vide Tillemont T. 2. p. 445.*

SÆC. XI. ANNO 1095.

se ipsum interfecit: Diocletianus vero accersitam Virginem, cum à Christi fide amovere non posset, bovem æreum accendens, in illum Virginem conjecit, in quo finem & confessionis coronam accepit.

Eodem die Memoria S. Patris nostri Nicetæ, Presbyteri, Abbatis monasterii * Mecidii. Hic cum Virginitatis, & continentiæ desiderio teneretur, habitabat in montibus, & divina providentia ductus divinus Oeconomus effectus est, & fidelis mysteriorum operator. Itaque ut sacerdos sacro gregi præfectus est, expulsus vero ex grege ab Imperatoribus sanctarum Imaginum, exiliis gravissimis, & acerbissimis subjectus est. cumque Athleta fortissimus, & invictus in fide persisteret, ut firmus miles omnem vim lethalem cum Deo pugnantium hæreticorum despuit, ex quo pro duplici confessionis & monasticæ exercitationis lumine duplicem coronam de manu Domini accepit.

Eodem die Sancti Patris nostri Hilarionis miraculorum effectoris.

Die V.

SAnctæ Magnæ martyris Hirenæ.

Die VI.

SAncti & justi viri, ac patientissimi, Prophetæ Job commemoratio, cujus historia celeberrima est divinis literis commendata.

Eodem die sancti Parmenæ, unius ex septem Diaconis, & Sanctæ Euthaliæ.

Eodem die Sancti Quinti miraculorum effectoris, sancti Troadii, & Dormitio sanctorum Andronici Athanasiæ, Theodoreti Antiochiæ.

Eodem die sacrosancti martyris S. Theodoti Episcopi Cyreniæ, Cypri, sub Licinio Imperatore, & Sabino Præside, cui assistens nervis verberatur, deinde suspenditur, postea in carcerem conjectus cessante persecutione, decreto Constantini Magni, à custodia liberatur, & duobus annis postea migravit ad Dominum, ad gloriam, & laudem Dei qui illum gloriosum effecit.

Ejusdem mensis die VII.

COmmemoratio signi quod in cœlo apparuit, preciosæ crucis, hora tertia diei sub Constantio Imperatore filio Constantini Magni. Et sanctorum martyrum Acatii, & Quadrati: fuit autem Acatius Maximiano Imperatore Cappadox genere legionis Martiæ, ductus ad Phirmum Præfectum confessus est nomen Christi. Itaque plurimum cruciatus missus est ad Bibianum, alterum Præsidem, qui cum aliis vinctis ductus est Bizantium, ubi multis flagellis cæsus, in carcerem conjectus est, & ab Angelis sanus effectus, postea ad alium Præsidem Phylacidianum mittitur, cujus jussu caput ejus abscinditur, celebratur autem ipsius solemnis dies in sancto ejus martyrio.

Menæa Gr. Phylacillianum vocant.

Die VIII.

SAncti gloriosi Apostoli, & Evangelistæ Joannis Theologi. Et Sancti Patris nostri Arsenii Magni.

Ejusdem mensis die IX.

SAncti Prophetæ Isaiæ & sancti martyris Christophori. fuit Isaias inter Prophetas maximus, mortuus est autem sectus serra lignea à Manasse Rege filio Ezechiæ.

Certamen magni martyris Christophori. Hic sub Decio Imperatore baptizatus Antiochiæ à sancto Babyla propter Christi confessionem simul cum Callinice & Aquilia, quas ad fidem converterat, capite detruncatus est.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum Epimachi, & Gordiani, qui cum essent ex magna urbe Roma, detenti sunt, cumque cogerentur à Præside Diis immolare, Idolis sacrificare, nefarium facinus recusarunt, ob idque plurima tormenta subeuntes securi percussi sunt.

Die

* 3. *Apr. Videtur appellari hoc monast. Medicium; nisi sint diversa. Utrobique tamen cum nostro conveniunt Menæa.*

Die X.

SAncti Apostoli Simonis Zelotæ. Hic Simon est Nathanaël appellatus, qui Evangelii prædicationem in omnem Mauritaniam & Aphrorum regionem sparsit. postremo Britanniam profectus, cum multos Evangelii verbo illustrasset, ab infidelibus crucifixus, illic sepultus est, qui mores habuit Zelo quem nomine proferebat.

Eodem die certamen Sanctorum Alphei Philadelphi, Cyrini. & sociorum. Hi erant ex Regione Bazachinorum Præfectorum.

Eodem die martyris Hesychii.

Sancti martyris Mochii. & Genethliacus dies Constantinopolitanæ urbis. Fuit hic sub Diocletiano Imperatore, & Laodicio Proconsule Europæ, ex Antiquiore Roma, cumque nullis cruciatibus flecti posset, ut Christianam fidem abnegaret, postremo duabus rotis alligatus, neque ea re læsus, feris objicitur, à quibus cum esset liberatus, populo ipso clamante, oportere illum dimitti, ablegatur ad Philippesium in Perinthum urbem Thraciæ, quæ nunc Heraclæa dicitur, atque illic ense obtruncatur, & tunc quidem illic sepultus est, postea verò Constantinus ille magnus Templo in urbe ipsa constructo sancti martyris reliquias in illo studiose ac reverenter collocavit.

Eodem die Certamen sancti martyris Dioscordis. Hic fuit ex urbe Smyrna, qui cum ad ejus urbis Præsidem accessisset, vinctus carcere includitur, postea interrogatus cum in Christi fide constanter permaneret, jussu Præsidis interficitur.

Ejusdem mensis die XII.

SAncti patris nostri Epiphanii Archiepiscopi Constantiæ Cypri. Hic fuit ex regione Phæniciæ, ex urbe Eleutheropoli, parentibus quidem obscuris, sed Judæis, scientia, vitæ merito & totius orbis testimonio insignis, ut Beatus Hieronymus de illo testatur, qui & patrem penè omnium Episcoporum, & antiquæ reliquias sanctitatis appellat. Hic cum plurimùm pro Christi Ecclesia laborasset, cum centum, & quindecim annos, tribus mensibus minus vixisset, divino Christi Evangelio propria manu in pectore posita, his qui cum eo erant, beneprecatus, obdormivit.

Eodem die sancti patris nostri Germani Confessoris Archiepiscopi Constantinopolitanæ urbis. Hic fuit filius Justiniani Patritii viri illustris ac celebris, qui sub Heraclio Imperatore plurimos magistratus gessit, quem, cùm ob egregiam pietatem in admiratione haberetur senatus, Heraclii filius invidiæ livore commotus interfecit, & magnæ Ecclesiæ clero aggregavit; ubi tantum profecit virtute & divinarum litterarum, ut primum Ecclesiæ, quæ in Cycyco est, Episcopus electus fuerit, postea cùm majore cura Constantinopolitana Ecclesia indigeret, ad illius regimen translatus est; ubi cum multiplici doctrina populum instruxisset, altioresque divinæ scripturæ sensus interpretatus esset, & Ecclesiam ipsam canticis & sermonibus exhilarasset, posteaquam Leo Isaurus (ad illius enim usque tempora sanctus Germanus pervenit) sacras imagines destruere aggressus, neque admonitionibus abduci potuit à cultu sanctarum imaginum, neque ullis argumentis aut demonstrationibus Imperatori Leoni persuadere potuit, sacris imaginibus honorem tribui oportere; quin imò compositos à sancto illo viro de orthodoxa fide libros combussit. Quod cum animadverteret, deposito in sacro altari pallio, ad privatam domum secedens, quietem amplexus est, & annum ætatis agens nonagesimum migravit ad Dominum.

Die XIII.

SAncti martyris Glyceriæ. Hæc fuit temporibus Antonini imperatoris, & Sabini Præsidis in urbe Trajanopoli, cumque fronti preciosam Christi crucem inscripsisset venit ad Præsidem, seque Christianam esse professa est: admonente autem Præside illam, ut Diis immolaret, ingressa in templum, & Christum precata, dejecit Jovis simulachrum, & comminuit. Quod cum vidissent Gentiles, lapides jecerunt in eam, qui ad illam usque pervenire non poterant. Itaque crinibus suspensa, pectinibus laniatur. Deinde in carcerem conjecta multis diebus jejuna detinebatur: sed ab Angelo alimoniam accipiens, nihil eorum passa est, quæ per famem passura esse credebatur. Quæ res stuporem attulit Præsidi, & iis qui cum eo erant, cum verò invenissent lan-

SÆC. XI. ANNO 1095.

lancem, lac, panem & aquam carcere clauso allata. Posthæc injecta est in caminum ardentis ignis, unde rore defluente ignis extinctus est, & sic exiit incolumis. mox manibus, & pedibus loro vincta est, stratisque silicibus in carcere imposita est, ubi ab Angelo erepta ex vinculis, cumque sana inventa esset, custodem carceris attonitum reddidit, qui repente Christum confessus, capite obtruncatus est. Martyr vero Glyceria ad Præsidem ducta feris exponitur, quarum unius exiguo morsu attacta, ita ut neque plaga, neque livor appareret, Deo ipsi spiritum tradidit, & in urbe Heraclea deposita est.

Eodem die sancti martyris Alexandri sub Maximiano Imperatore, & Beriano Comite, quo Idolis immolante cum sua cohorte Alexander miles sacrificare non est passus, sed insanos illos vocans redarguit, ut dæmonum cultores. Detentus igitur ductus est ad Maximianum, qui aggressus est illum à Christi fide abducere: Alexander verò in cœlum intuens, vidit filium Dei, ejusque facies ita illustris effecta est, ut Præses desperarit aliquid posse in eo juxta animi sui sententiam efficere. Quamobrem illum tradidit Tiberiano Tribuno ex urbe Roma Bizantium usque ducendum, & in itinere cruciandum, & primum accensis lampadibus ejus latera combusta sunt, deinde spineis virgis cæsus est, matre ejus Poemenia sequente, quodque futurum erat metuente. Cum autem venisset Philippos, gavisus est, quod Christiani qui in illa urbe erant, occurrissent, quippe qui ejus vincula osculabantur. Cum vero Beriam venisset, & illic aquæ penuria laboraret, precibus aquæ fontem eduxit, qua accensa oleum in eo calefactum est, ut in sanctum virum funderetur, quod effusum in Carnifices transfusum illos flammis consumpsit. Cum vero pervenisset Dioriparum, apud præter fluentem fluvium capite obtruncatus, martyrii coronam assecutus est.

Eodem die Sergii confessoris. Hic beatus Sergius nobili genere exortus, eo quod sanctarum Imaginum venerationem amplecteretur, persecutori & impio Regi oblatus est, cumque multis, & variis tormentis tentatus esset, ut sacras imagines abnegaret, quidvis pati maluit, quàm execrabile facinus perpetrare, & divinas Patrum constitutiones violare; eductus postea è carcere, & facultatibus omnibus privatus, cum uxore & filiis in exilium mittitur, ubi multis, & variis ærumnis fortiter resistens, migravit ad Dominum.

Eodem die sancti patris nostri Pausiaci Episcopi Synadorum. Hic patriam habuit Apameam, parentibus ortus insignibus, ac Christianis, arte medicus, obiitque urbes, & oppida, ægrotos curans; post hæc effectus Monachus continentia, jejunio, & oratione utens, solum panem & aquam adhibebat, quibus virtutibus *Cyriacus* Patriarcha *Constantinopolitanæ* urbis commotus Episcopum Synodorum constituit, Imperatore Mauritio, quem à periculosissimo morbo curavit. hic copiosam aquam in diversis locis scaturire fecit, qui cum ad summam senectutem pervenisset, usque ad tempora impii Leonis, migravit ad Dominum.

Die XIV.

SAncti martyris Isidori. fuit Isidorus temporibus Decii Imperatoris ex urbe Alexandria, militarem ordinem ducens, cum verò navigasset in insulam Chium, una cum militaribus navigiis, quibus imperabat Numerius, delatus est à Julio Centurione quod Christum coleret, & suorum Deorum cultum execraretur; neque illis offerret victimas. cumque sanctus Isidorus magna voce à se Christum coli confessus est, & Numerius immutabilem ejus sententiam perspiceret, jussit post multos cruciatus caput abscindi; & ita martyrii coronam accepit.

Eodem die sancti martyris Maximi. Hic cum libera voce Christum prædicasset, & multos ad Christianam pietatem perduxisset, variasque injurias, & plagas ab infidelibus pertulisset, postremo lapidibus percussus, tanquam ab illis coronatus migravit ad Dominum.

Die XV.

SAncti Patris nostri Pachomii Tabenesiotæ. Fuit Pachomius sanctus ex Thebaide inferioris Ægypti, Constantini Magni temporibus: habuit autem parentes Idolorum cultores; conversus autem ad Christi fidem baptismum suscepit, & monasticam vitam amplexus, ad eremum accurrit, ubi perfectam vitam assecutus virtutibus, & miraculis clarus multos sui sectatores effecit, ut antequam ex hac vita decederet, monachorum, qui per illum effecti sunt, mille & quadringentorum numerus effectus sit.

Eodem

Eodem die Sancti Patris nostri Achillii Metropolitæ Larissæ urbis. Hic fuit sub Constantino Magno piis ortus parentibus, quorum diligentia, pietatem cum externis disciplinis, eruditus est; cumque esset vita, & moribus excellens, effectus Pontifex secundæ Thessaliæ in Larissa urbe, ab omnibus Græciæ incolis prædicatur. Hic & in magna Niceæ habita synodo, una cum illis sanctis Patribus laboravit, concertans, & Arium hæreticum, & ejus socios expugnans, atque anathemati subjiciens, rursus in urbem Larissam revertitur; ubi cum plurima templa Idolorum evertisset, & dæmones ex hominibus expulisset, aliisque plurimis editis miraculis in pace vitam exegit; oratoria multa à fundamentis erexit, atque varie ornavit. SÆC. XI. ANNO 1095.

Eodem die Theodori Sanctificati. Hic Beatus Theodorus cum Dei legem meditatus esset, castissimo animo totus purus effectus, & vas utile ac sanctificatum ostensum est, supergrediens visibilium rerum sensum, cum sancto Pachomio & contubernio, & moribus conjunctus, & vere dignus, qui Sanctificatus appellaretur; quippe qui miraculorum operatione dives factus est. Cum igitur tam bene vitam egisset, in summa senectute migravit ad Dominum.

Eodem die Sancti Patris nostri Georgii Metropolitæ Mitylenæ. à puero monachicam vitam subiens in summa se exercuit humilitate, ac perfecta mansuetudine. ex quo factum est, ut Metropolita Ecclesiæ Mitylenæ creatus sit, ubi misericordiæ, cujus mirum in modum amator fuit, opera exercens, esurientibus opem tulit. Cumque omnem pravam opinionem oppugnaret, & orthodoxæ fidei acerrimus esset propugnator, & laudabiliter ac religiose vitam transegisset, migravit ad Dominum, divinam reliquiarum suarum arcam post mortem relinquens multorum miraculorum effectricem.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Petri, Dionysii, Christinæ Virginis, Andreæ, & Pauli. Fuit sanctus Petrus ex urbe Lampsaco, qui ductus ad Decnum Præsidem Abydini, & jussus Veneri sacrificare, idque recusans, & Christum Dominum confessus, lignis, toto corpore comminuto, tradidit spiritum. Paulus vero & Andreas, ex Mesopotamia genus ducentes, una cum Decno, sub quo militabant, Athenas venerunt, detentos autem Dionysium, & Christinam, jussit Præses custodiri; sanctam vero Christinam Virginem illiciebant ad coitionem, quod cum illa renueret, vim non intulerunt, sed ejus admonitionibus dissuasi in Christum Dominum crediderunt, ex quo factum est, ut ipsa & Dionysius jussu Præsidis lapidati sint, Christina vero virgo illa sancta, capite obtruncata est.

Eodem die Monachorum in Monasterio sancti Sabæ interfectorum, & sancti Patris nostri Alexandri Episcopi Hierosolymorum. S. Euphemiæ sanctorum martyrum Audesii Episcopi, presbyterorum sexdecim, Diaconorum novem, Virginum septem ex Patria Charchar. Et certamen sanctorum martyrum Bachthisi, Isacii, & Simeonis. Hi omnes Christum profitentes, & in Perside Regione prædicantes detenti adducti sunt ad Præsidem à quo cum cogerentur Idolis immolare, nec vellent, diversos cruciatus perpessi, in ignem una cum discipulis suis conjecti, martyrii coronam acceperunt.

Die XVII.

SAncti Andronici & Juniæ. Hic cum orbem terrarum percurrisset, & Christum Dominum prædicans, admirabilem Juniam mundo ipsi jam mortuam, & Christo soli viventem, comitem habens, errorem Gentilium abstulisset, multis ad veri Dei notitiam adductis, Idolorum templa subvertentes, divinas Ecclesias, ubique gentium ædificaverunt, immundos spiritus ex humanis corporibus expulerunt, insanabiles morbos curarunt; & cum humanæ naturæ essent participes, commune debitum exolverunt. Horum meminit magnus Apostolus Paulus in Epistola quam scripsit ad Romanos, Salutate, inquiens, Andronicum, & Juniam cognatos & concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.

Eodem die Sancti martyris Solochani, & sanctorum martyrum Heraclii, Paulini, & Benedimi. fuit Solochanus sub* Maximiniano Imperatore, Ægyptius genere, miles sub Tribuno Calypano, cum tribus millibus aliis militibus. Cumque Imperatoris jussu ex Ægypto Chalcedonem venisset, & Imperator ipse præcepisset Duces cogere milites sibi subditos Idolis immolare, & singuli cum suis ordinibus sacrificia offerrent, Calipanus suam quam ducebat legionem, Imperatoris præceptum implere cogebat. omnibus igitur immolantibus, tres soli restiterunt, Solochonius, Pamphamer, & Pamphalus, qui se Christianos esse cum prædicarent, adeo sunt verberibus cæsi, ut

* Maximiano.

præ

Sæc. XI. Anno 1095.

præ fatigatione Domino spiritus tradiderint Pamphamer, & Pamphalenius; Solochono vero aliquantulum convalescenti ense os ipsum scissum est, cujus partem morsu cum sanctus vir ille fregisset, vincula quibus circumdatus erat perfregit, & in conspectu Tyranni astitit. Itaque vinctus funibus in stadio supra acutas testas septies tractus est, postea dextera manu ligatus in trabe domus suspensus est, saxo in sinistro pede ligato gravatus: sed fune ipso disrupto in terra rectus stetit. Quare Copanus Præses excandescens calamum scribæ acceptum in aurem ejus infixit, & ita spiritum tradidit.

Die XVIII.

SAnctorum Christi martyrum Thecusæ, Alexandræ, Claudiæ, Fainæ, Euphrasiæ, Matronæ, Julittæ, Theodori & Theodoti. Fuerant hæ ex Ancyra urbe Galaciæ; ex quorum numero honestus Theodotus uxore vinctus, non ejus ipsius occupatione impeditus est, quò minus divinæ pietati vacaret, sed prætextu quodam mercaturæ frumentum emens & panem efficiens Deo ipsi offerebat, & egenis hominibus suppeditabat, eo quod magistratus ipse jusserat ex Idolothytis Christianorum cibaria maculari: quin etiam ad carceres accedens, fideles homines confirmabat, deinceps virgines adeundo idem faciebat, quarum virginum una Thecusa nomine amita ejus erat, cum vero adductæ essent Virgines illæ ad Præsidem, expositæ sunt injuriæ, sed Christi gratia servatæ sunt incorruptæ, postea lapidibus alligatæ in paludis profundum dejectæ sunt, quarum sanctas reliquias collectas Theodotus sepelivit, quare delatus est Theochnus, Præsidi oblatus Christumque ipsum Deum esse confessus, suspensus est, & dilaniatus salsa aqua cum aceto mixta laniatis infusa est, & lapidibus maxillæ confractæ sunt, adhæc ense percussus migravit ad Dominum.

Die XIX.

SAnctorum Patricii, Episcopi Prusæ & sociorum Acatii Menandri, & Polyæni. Patritius hic vocatus ad judicium propter Christi fidem adstitit Julio Præsidi, qui cum eo persuaderi non posset, ut quod confessus fuerat, abnegaret, jussu Præfecti in ferventes aquas injectus est, quibus cùm læsi essent, qui eum injecerant, ipse vero incolumis evasisset, postremo ense obtruncatus est cum Acacio, Menandro & Polyæno. Agitur autem eorum celebritas in die sanctissimæ Dei genitricis.

Eodem die certamen sancti martyris Philoteri qui fuit ex urbe Nicomedia filius Patiani proconsulis, viri nobilis, pulcher & speciosus. Hic cum adstitisset Diocletiano Imperatori, & de Christi fide constanter disseruisset, conjectus est in fornacem ardentis ignis, cumque illinc exisset incolumis, miratus Diocletianus illum dimisit. Cum vero Imperator ipse diem obiisset, & Maximianus ejus gener Regno successisset, Christiani homines anno uno quieverunt. Postea cum alios omnes persecutores Maximianus superare studeret, captum sanctum virum juvenilem ætatem habentem, quatuor palis alligatum à carnificibus verberari jussit, quem ab illius tremente machina solutum, suspendi, & ense lacerari, & mox in feras tradi præcepit, ex quibus cum illæsus evasisset, multos ad Christum Dominum convertit, qui postea ense percussi martyrio coronati sunt. posthæc adductæ sunt ad Tyrannum sex virgines quibuscum erat soror martyris Theotimi: Una ex illis erat virgo Cyriaca nomine, decimum octavum annum agens, quæ & Imperatorem ipsum affecit contumelia, ob idque immaniter verberata est, suspensa, & gladio lacerata, cumque adhuc viveret, in ignis flammam dejecta est, ubi hæc spiritum Deo commendavit, Phileterus vero Proconesum ad lapidicinam damnatus mittitur, similiter & virgines. cumque multa signa martyr fecisset, ad sanctum Eubiotum profectus, post septem dies defunctus est. Comes vero & qui cum eo erant cum credidissent & Baptizati essent, quæque illic essent idola omnia confregissent, in pace dormierunt.

Die XX.

CErtamen sancti martyris Thallelæi & sociorum. Hic fuit Numeriano Imperatore patre Berutio, & matre Romula, ex Libano genus ducens, medicæ artis peritus, detentus autem in Azarbo Ciliciæ, ductus vero ad Theodorum Præsidem, cum persuaderi non posset, ut Idolis immolaret, jussit Præses ejus ipsius talos perforari, & in caput funibus suspendi. Quod cum ministri facere sibi viderentur, divino quodam instinctu, alienatis mentibus lignum pro sancto illo viro perforatum suspenderunt; cum

cum vero Præses ipse se ab illis illusum existimaret, multis verberibus & flagellis eos cædi præcepit; martyrem vero in mare demergi jussit, unde exiit incolumis veste alba indutus. Id cum vidissent duo viri Alexander, & Asterius, crediderunt in Christum & securi percussi sunt. Postea martyr apud Edessam Eciensem civitatem, capite obtruncatus est.

Eodem die sancti martyris Aquilæ. Hic fuit ex Thebaide Ægypti, qui propter Christi fidem accusatus, & ductus ad Arianum Præsidem, & libera voce Christum confessus, suspensus pectinibus laniatur, & in carcerem conjicitur. Cum verò Præfectus ipse navigio vectus transiret fluvium, oravit sanctus vir, ut ille in terram non deduceretur, priusquam scripto Christi deitatem confessus esset, cùm igitur ille detentus ex fluvio egredi non posset, misit sanctus vir, qui diceret se alio modo ad continentem exire non posse, nisi Christum Deum esse, scripto confessus esset, neque alium præter ipsum esse Deum.

Die XXI.

COmmemoratio religiosissimorum Imperatorum Constantini, & Helenæ. Hic beatus Imperator fuit filius Constantis Chlori & Helenæ venerabilis. Constans enim frater consobrinus erat Claudii Cæsaris Romani Imperatoris ante Diocletiani & Carini Imperium, quibus Christianos homines cruciantibus ipse Constans divinam providentiam reveritus, eos misericordia prosequebatur. Hic Constantinum unicum filium genuit, primum Christianorum Imperatorem, quem & pietatem edocuit, &c.

Die XXII.

SAncti martyris Basilisci sub Maximiano Imperatore ex Regione Amaseæ: Hic propter Christi confessionem detentus ab Agrippa Præside, indutusque crepidas ferreas ignitis clavis confixas, jussus est impelli per viam, quæ ducit ad Comanos. Cumque in itinere venisset ad locum quendam, ubi erat mulier nomine Trojana, sanctum Basiliscum, vinctis post terga manibus in platano arida ligarunt, quam sanctus ille missis ad Deum precibus viridem reddidit, fontemque è terra subito scaturire fecit, quod videntes milites cum muliere in Christum crediderunt. Cum vero ad urbem Comanorum venisset, neque persuaderi posset, ut sacrificaret, Deum ipsum precatus ignem è cœlo demisit, qui Apollinis templum & Idolum combussit. Quare accensus Præses obtruncari jussit martyrem Basiliscum, & in flumen demergi: Itaque martyrii coronam assecutus est in laudem & gloriam Dei nostri Amen.

Die XXIII.

MEmoria Sancti Patris nostri Michaëlis confessoris Episcopi Synadorum. Hic primum monachus, postea factus est Episcopus, qui cum esset rectæ fidei observantissimus. Leonis Isaurici hæresin redarguens, propter sanctarum Imaginum venerationem, quam libera voce profitebatur, in exilium missus, cum bonum certamen & cursum consummasset, migravit ad Dominum.

Die XXIV.

COmmemoratio Sancti Patris nostri Simeonis admirabilis. Fuit hic tempore Justini majoris ex Antiochia Syriæ, patre Joanne ex urbe Edessa oriundo, matre Martha: ejus autem vita, & sanctitas tam insignis, atque illustris fuit, ut verbis explicari non possit. Cum enim admirabili abstinentia multos annos in monasterio se exercuisset, descendit ex monte, atque ascendit in columnam illam, in qua stetit annos decem & octo; cum antea in parva quadam stetisset quinque & quadraginta annos. Cum vero ageret annum octogesimum quintum, ex terrestri statu ad cœlestem vitam, & æternam requiem migravit. Quanta vero fuerit Simeonis cognomento Stylitæ sanctitas & fama celeberrima, testes sunt Theodoretus Cyri, & Evagrius, in his quæ de sanctorum rebus gestis monumenta reliquerunt.

Eodem die Certamen sancti Meletii Ducis exercitus, Joannis & Stephani Comitum: & multitudo eorum, qui cum ipsis certamen sustinuerunt ducentorum quinquaginta martyrum, cum mulieribus & pueris. Cum sanctus Meletius Christi fidem libere & constanter profiteretur, & Idola execrabilia, quæ in Gentilium templis colebantur, precibus suis everteret, à Maximo Præside missi sunt milites, qui Meletium, & qui

cum illo erant, detinerent: ducti vero cum immolare nullo modo passi essent, baculis silvestribus cæsi, lateribus laniati & ferreis malleis contusi sunt, postremo in ligno clavis confixi, rursus ferreis malleis eorum frontibus verberatis, sanctus Meletius in pinu suspensus atque confixus, migravit ad Deum, Stephanus vero & Joannes Comites obtruncati pro Christi fide, ipsi quoque occubuerunt.

Eodem die Certamen sancti martyris Serapionis Ægyptii, & eorum, qui cum ipsis, eodem tempore passi sunt.

Eodem die Certamen sancti martyris Serapionis & sociorum. Hic una cum Callinico mago propter Christi fidem obtruncatus est: Festus autem, Faustus, Marcellus, Theodorus, Melecion, Sergius, Marcellinus, cumque his Felix, Fotinus, Theodoriscus, Mercurius, & Didymus, quorum alii erant Comites, alii Tribuni, alii Principes, omnes in fornacem conjecti, martyrio consummati sunt. Milites vero qui cum sancto Meletio erant, gladio percussi; Susanna vero, Martiana, & Palladia sanctorum martyrum conjuges cum suis infantibus jussu Præsidis à Carnificibus confractæ sunt, qui statim post commissum scelus animam efflasse dicuntur. quin etiam in ætate valde puerili Cyrianus & Christianus interrogati à Præside, utrum Jupiter, an Christus illis videretur esse major, cum Christum majorem respondissent, obtruncati sunt.

Die XXV.

TErtia inventio venerandi Capitis gloriosi præcursoris Joannis Baptistæ, quod cum multo antea fuisset absconditum, postea inventum, non stanneo, ut prius, sed aureo vase inclusum ex Comanis allatum, urbs Illustris, una cum Pastore, & fidelissimo Imperatore ac populo exultans, excepit & fideliter venerata in sacro loco reposuit.

Die XXVI.

SAncti Carpi, qui fuit unus è numero LXX. & minister Beati Pauli Apostoli in prædicatione Evangelii, qui & divinas ejus Epistolas, ad quos mittebantur, perferebat.

Eodem die Certamen sancti Apostoli fratris Domini, & filiorum ipsius, & sanctorum martyrum Abercii & Helenæ.

Die XXVII.

CErtamen sanctorum martyrum Theodoræ, & Didymi. fuit sancta Virgo Theodora temporibus Diocletiani, & Eustrathii Præsidis Alexandriæ, quæ ad Præsidem ducta & Christum confessa, in lupanar tradita est. sed illa Christum Dominum precata, ut servaretur intacta, ita servata est: Didymus enim quidam, cum esset Christianus, divinitus inspiratus militari habitu indutus, ad illam ingressus est, quem cum vidisset virgo, timore correpta, in angulos domus aufugit, illam vero juvenis hortatus, ut esset bono animo tanquam nihil passura eorum, quæ ipsa suspicabatur, militari habitu indutam, è cella exire jussit, ipse vero muliebri veste, & fœmineo capitis tegumento amictus, quasi illa ipsa virgo foret, sedebat. Cum vero intemperans quidam ingressus sub muliebri habitu, virum esse cognovisset, & Præsidi rem omnem aperuisset, statim ductus Beatus ille, capite obtruncatus, in ignem dejectus est. Post hæc detenta sancta Theodora, securi percussa, migravit ad Christum Dominum.

Die XXVIII.

SAnctæ martyris Helconidis. Hæc fuit Gordiano, & Philippo Imperatoribus ex urbe Tessalia; detenta vero ad Perinium ducem Corynti ducta Idolis immolare passa non est, sed Christum ipsum prædicans, primum alligata est pedibus jugo boum, & prostrata soluto plumbo, asfalto, & pice illæsa exiit; postea raso capite, igne tota perfusa est, postea dimissa ingressa in templum Idolorum, simulachrum Palladis, Jovis, & Æsculapii precibus in terram postravit. Ad hæc sectis mammis, cum Justinus Proconsul succesisset Perinio, ad eum ducta martyr, in caminum ardentis ignis mittitur, sed flamma ipsa illam non attigit, verum septuaginta ex militibus consumpsit, postea in grabatum aereum ignitum expansa est, repente vero astiterunt Angeli Michael, & Gabriel, qui beatam martyrem incolumem servarunt. Postremo feris exponitur, quæ illam ne attigerunt quidem, sed viros centum viginti interfecerunt.

tunc

tunc latam sententiam Præsidis libentissime accipiens, secto capite migravit in cœlum. Sæc. XI.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum Crescentis, Dioscoridis, Pauli & Heladii. Anno 1095.

Die XXIX.

Commemoratio sanctorum Patrum, qui in urbe Nicæa primam synodum adversus Arium celebrarunt, Item de Alexandro Archiepiscopo Alexandriæ, & de Ario.

Eodem die Certamen sanctæ martyris Theodosiæ virginis in urbe Cæsarea. Hæc sacrosancta virgo ex urbe Tyro, cum decimum octavum annum ageret, vincta ducta est ad judices præsidentes, quorum primus erat Urbanus, qui statim virginem Idolis sacra facere jussit, cum verò persuasionibus nullum relinqueret locum, mammis & lateribus verberatur, ita ut ossa comminuta fuerint, & viscera denudata, cùm vero flagris magis, magisque cæderetur, & tormenta ipsa tacitè sustineret, adhuc spirantem interrogavit Præfectus, an Diis immolaret, illa vero erigens os, & judicem ipsum intuens, ridenti vultu dixit, Erras homo, nescis me cum Dei martyribus communione dignam factam esse? Ille cum se à puella ludibrio haberi cognovisset, amplius eam torquet, deinde in mare projicit, ubi Deo ipsi spiritum tradidit.

Eodem die sanctæ martyris Theodosiæ Constantinopolitanæ, & sancti martyris Olbiani Episcopi civitatis Aneo. Hic fuit Imperatore Maximiano, consulatu Alexandri & Maximi, Præsidibus Julio & Æliano, à quibus interrogatus, cum sacrificare noluisset, nudus ignitis obeliscis transfigitur, postea in custodiam missus est, ad secundam examinationem reservatus; cumque in illa etiam constanter se gereret, laniatus, postremo in flammam accensam injectis jaculis perfossus, spiritum Deo reddidit.

Die XXX.

Commemoratio sancti patris nostri Isaci Presbyteri confessoris. Hic oriundus ex partibus orientis cum venisset Byzantium temporibus Valentis Imperatoris Ariani, cum Valens ipse ad bellum contra Gothos proficisceretur, obviam venit beatus ille vir rogans, ut Ecclesias Orthodoxorum aperiret: cùm vero id se facturum negans faciem avertisset, sanctus Isacius rursus antevertens eadem rogabat, uti scilicet Ecclesias patefaceret, si vellet vivus reverti; quod cum audiret Imperator, iratus propter ejus viri libertatem, jussit verberari, & in spinas dejici: non destitit ille propterea, tertio apprehenso freno, eadem admonere, mortem ei prænuncians. quæ res in majorem iracundiam illum incitavit. Itaque jussit Saturnino & Victori custodiendum tradi, donec ipse in pace reverteretur. Cui sanctus vir, si tu inquit, in pace reversus fueris, non est mecum locutus Dèus. Fugiens ergo à facie inimicorum tuorum per ignem vitæ finem accipies. Quod ita factum est: cùm enim fugeret in Achyrone, cum Præposito, qui eum ad hæresim compulerat, & Imperatorem ipsum contra orthodoxos homines semper irritaverat, à Gotthis obsessus igni consumptus est ab hostibus, qui Achyronem incenderunt. Hac igitur libertate dicendi, & confessione aliisque præclarè gestis magnus effectus, reliquam vitam cum laudabiliter, & sanctè Beatus Isacius transegisset, translatus est ad Christum Dominum.

Die XXXI.

Certamen sancti martyris Hermiæ. Hic sub Antonino Imperatore in urbe Comanorum, militarem vitam exercens ætate jam provecta canos habens, propter Christi confessionem detentus, cum renueret Idolis immolare primum maxillis verberatur ita ut pelle facies ipsa degluberetur, & dentes evellerentur, Postea in ardentem Caminum injectus, illæsus ignem evasit, quo facto venenatis medicamentis corrumpi jussus est, quæ cum bibisset, nihilominus incolumis permansisset, eum qui venena miscuerat ad fidem ipsam convertit, qui Christum confessus, capite obtruncatus est: Sanctus vero martyr divulsis totius corporis nervis in ardentis olei dolium injicitur, ad hæc effossis oculis triduo capite in terram verso suspensus, postremo obtruncatus, ad Deum ipsum translatus est.

Sæc. XI. Anno 1095.

Mensis Junii die primo.

ROMÆ sancti martyris Justini ex Neapoli Syriæ, patre Prisco. hic venit Romam Antonino Imperatore, librosque scripsit, quibus errorem Idolorum redarguit, & Christianæ fidei veritatem defendit. pro qua cum multos cruciatus pertulisset, sub Rustico Præside una cum Charitone, Charitio, Evelpisto, Hierace, Peone, & Valeriano pro Christi confessione sanguinem fudit.

Eodem die sancti Firmi martyris, qui sub Maximiano Imperatore pro Christi fide comprehensus, ductus est ad Præsidem Magnum nomine, cumque persuaderi non potuisset, ut Idolis sacrificaret, nudus nervis cæditur, suspensus laniatur, totiusque corporis compage soluta, postremo capite obtruncatus, certaminis coronam assecutus est.

Eodem die sancti martyris Thespesii, qui sub Alexandro Imperatore propter Christi confessionem à Simplicio Præfecto Cappadociæ cùm ipse quoque esset Cappadox, ductus est ad templum Idolorum ut illis ipsis sacrificium offerret; cumque id constanter renuisset, sed magis magisque Idola irrisisset, suspensus, verberibus cæsus est, & in clibanum accensum injectus. Cumque divina ope adjutus, illæsus permansisset, rursus ducitur ad templum Idolorum, quibus gentiles immolabant, accedente autem illa ad aram, statim illa diruta est. itaque illico injectus est in sartaginem ignitam, oleo, pice, & sævo plenam, quam cùm duos dies fortiter tolerasset, illinc exiit incolumis, nullum ignis vestigium in suo ferens corpore; cujus miraculi magnitudine, multos Gentiles ad Christi fidem convertit. itaque illum extra urbem Præses eductum, capitali pœna damnavit.

Eodem die sanctorum martyrum Hermylli & Stratonici.

Die II.

SAncti patris Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, qui fuit temporibus impii Imperatoris Constantini cognomento Copronymi, ortus & educatus in urbe Regia Constantinopoli, claris parentibus Theodoro & Eudocia. fuit autem Theodorus scriba Regalium edictorum, qui delatus, ut cultor divinarum imaginum flagris cæsus, exul missus est in urbem Nicæam, in qua multas ærumnas perpessus migravit. Ejus filius Nicephorus in numerum scribarum aggregatus, cùm omnia ut stercora, & telas aranearum arbitratus esset, secessit in Propontidem; ubi dum sibi ipsi, & Deo vacaret, mortuo Tarasio, beato illo Constantinopolitanæ civitatis Patriarcha, in demortui locum eligitur, regnante Nicephoro Imperatore, Patre Stauratii, pervenit autem usque ad Imperium Leonis sanctarum Imaginum oppugnatoris, qui religiosissimum Michaelem ab Imperio expulit, ab hoc impio Tyranno exul factus beatus Nicephorus & in carcerem conjectus, exacto septuagesimo anno in manus Dei spiritum commendavit, cum novem annos in Patriarchatu, tredecim vero in exilio vixisset.

Ejusdem Die III.

CErtamen sanctorum martyrum Luciliani, & quatuor puerorum, qui cum illo erant, Claudii, Hypatii, Pauli & Dionysii. fuit sanctus Lucillianus temporibus Aureliani Imperatoris sacerdos Idolorum, canus capite, ex urbe Nicomedia, translatus autem ad Christi fidem, & oblatus Silvano Comiti, neque ullo modo passus Christum negare, in maxillis percutitur, virgis cæditur, & in caput suspenditur, postea in carcerem conjectus est, ubi & quatuor pueros invenit, ob eandem Christi fidem detentos, quibuscum rursus Silvano Comiti oblatus est, qui in Christianæ fidei confessione constanter permaneret, in ardentem fornacem cum quatuor illis beatis pueris injectus est, desuper autem demisso imbre, atque extincta flamma, exierunt incolumes. postea ducti sunt Byzantium, & ipsi quidem pueri obtruncati sunt, Lucillianus verò crucifixus martyrio consummatus est.

Eodem die Sanctæ Paulæ Virginis & martyris, quæ cum sanctis Beati Lucilliani & sanctorum quatuor puerorum certaminibus interesset, tam in carcere, quam in via eorum sanguinem abstergebat, & vulnera curabat; erat enim inde usque à majoribus Christia-

Christianæ fidei sectatrix, ejusque opus erat visitare in carcere detentos, quique pro Christo paciebantur, eos curare ac nutrire, quamobrem detenta, ducta est ad Comitem, nec passa Idolis immolare, nuda verberatur, ita ut assiduis virgarum plagis ejus corpus dissolutum fuerit, sed astantis Angeli præsentia illico sana facta est, rursusque oblata Comiti, in os cæditur, insuper in Caminum injecta egressa est incolumis, lata vero sententia ut securi percuteretur, & Byzantium venisset, cum eo esset in loco, ubi Beatus Lucillianus cruci affixus est, obtruncata migravit ad Dominum.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die IV.

NAtalis sancti Metrophanis Archiepiscopi Constantinopolitani, qui fuit filius Domitii, fratris Probi Imperatoris. hic ad Christi fidem conversus, baptizatus est. Cumque profectus esset Byzantium, cum Tito ejus urbis Episcopo versatus, ab illo factus est Ecclesiasticus & aliquot annis postea Episcopus Byzantii. Hic senio & morbo gravatus Nycænam magnam Synodum adire non potuit, sed Vicarium misit primum inter Prebyteros Alexandrum, quem & successorem suum habuit. hic ad summam senectutem provectus, Magno Constantino Imperatori sacræ synodi Patribus cum illo reversis regiæ urbi, & Ecclesiæ bene precatus requievit in Domino, cum prius divina revelatione admonitus prædixisset sanctos viros Alexandrum & Paulum.

Eodem die Sancti Patris nostri Andreæ Hierosolymitani Archiepiscopi Cretæ.

Et sanctarum mulierum Marthæ, & Mariæ.

Die V.

SAnctorum martyrum Martiani, Nicandri, Apollinis, Leonidis, Arii, Gorgii, Hyperechii, Selleniadis, Irenes, & Pambonis. Hi omnes sancti sub Ægypti Præside eo quod Christum ipsum abnegare noluerint, fame, siti, & æstu vexati, martyrii certamen sustinentes animas suas Domino tradiderunt.

Eodem die Certamen sancti martyris Dorothei. Hic vir sanctus Dorotheus fuit Episcopus Tyri, temporibus Licinii, & Constantini: Diocletiano autem & Maximiano Imperatoribus, propter imminentem persecutionem, derelicta propria domo abiit in urbem Odissopolim, ubi servatus est; postea vero quam Diocletianus, & Maximianus, mortui sunt, venit Tyrum, ibique Ecclesiam rexit, usque ad tempora Juliani Apostatæ: tunc vero Odissopolim reversus est, atque ibi comprehensus à Juliani Principibus, & multa passus tormenta in summa senectute martyrii coronam percepit: qui dum pateretur, animam Deo ipsi commendavit, annum agens centesimum septimum, Qui Ecclesiasticos libros, & Historias latinis & Græcis literis scriptos reliquit, erat enim utriusque linguæ peritus, studio intento, & naturæ aptitudine plurimum valens.

Eodem die Certamen S. virginum, & sociarum, Zenaidis & sanctarum mulierum Cyriæ, Valeriæ, & Marciæ ex Urbe Cæsarea Palæstina, quæ cum abnegassent Idola, & execrabiles victimas, à Christiano quodam homine cathechizatæ atque instructæ in Christum crediderunt, & bapizatæ sunt, cum multa pietate viventes, Deumque propitium sibi facientes, jejunio, & oratione, temperantia, & Justitia. Itaque ab omni populo cognitæ sunt, ac detentæ, & multis ac diversis tormentis cruciatæ ad Deum migrarunt.

Eodem die sancti Patris nostri Eustathii Archiepiscopi Antiocheni, qui cum esset sub Constantino Magno Imperatore, orthodoxæ fidei splendore, & sapientia illustris in Nicena prima synodo impium Arii Hæreticum Dogma redarguit, cumque doctrina, & sanctitate clarus, ad centesimum annum pervenisset, quievit in Domino, cujus sanctæ reliquiæ Antiochiam translatæ sub Xenone Imperatore. Extat Beati Joannis Chrysostomi in hunc virum sanctum nobilis laudatio, quem & Beatus Hieronymus suo testimonio insigni commendavit.

Die VI.

SAncti Patris nostri Attali admirabilium rerum effectoris, qui jejunio, vigiliis, & aliis virtutibus præstans, ac plurimos exemplo, vita, & miraculis ad cœlestem normam convertens animam suam Deo commendavit.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die VII.

Sacrosancti martyris Theodoti Ancyræ, qui accusatus apud Theotænum Præsidem, quod sanctarum virginum corpora in paludem demersa, extracta sepelisset, ductus ad Præsidem ipsum, & liberè pietatem professus, verberatus est vehementer. postea bis in ligno suspensus, lateribus laniatus transfoditur, lampadibus comburitur, lapidibus conteritur, postremo capite obtruncatur.

Eodem die sancti martyris Lycarionis, qui ex Ægypti urbe Herme propter Christi fidem comprehensus, cum à Judice cogeretur Christum abjurare, neque id facere persuasus esset, in carcerem tenebricosum conjectus, & aliquot dies detentus, postea eductus, laniatur, & in cruce figitur: Deinde ferreis virgis ignitis comburitur in pectore, postea in ardentem caminum immittitur, ubi triduo mansit, & exiit illæsus, adhæc mortifera venena coactus est bibere, à quibus cum nihil passus esset, eum, qui illa miscuerat ad Christi fidem convertit, postremo capitis pelle detracta, gladio percussus, mortem pro Christo subiit.

Die VIII.

Certamen sanctorum martyrum Nicandri & Germani, qui cum in militari ordine censerentur, & à Maximo Præside inquisiti se Christianos esse professi essent, cogebantur à Christi fide desciscere, cumque id facere constanter recusarent, obtruncati martyrio coronati sunt.

Eodem die relatio reliquiarum sancti martyris Theodori ducis exercitus ad Euchaitas. Hic fuit sub Licinio Imperatore natus apud Euchaitas, sed in urbe Ponti Heraclea diu versatus est, vir planè animi & corporis specie decorus, cum vero Licinius illum Christianum esse cognovisset, jussit Nicomediam honorifice illum accersiri: at ille Imperatori referri mandavit, ut ille ad eum veniret. Persuasus autem Licinius profectus est Heracliam, cujus adventum cum martyr didicisset, oratione præmissa equo pulcherrimo insedit, eique occurrens, salutem nunciavit, quam Imperator humaniter excepit, & regali honore hominem prosecutus est, sedensque admonebat, ut Diis sacrificaret: Theodorus verò jussit omnes Deos illuc afferri, ut illis immolaret, & primum quidem in cellam promtuariam, postea ad ipsum allati sunt, quos media nocte acceptos aureos scilicet, & argenteos illos Deos comminutos pauperibus martyr ipse distribuit. Qua re cognita vehementer verberatur, postea in cruce fixus sagittis petitur, cumque effossis oculis mortuus esse censeretur, detrahitur de ligno ab Angelo, & sanus factus est, quem cum vidissent qui missi fuerant à Licinio, crediderunt Christo ipsi, & martyres facti sunt. tot igitur & tantis miraculis à viro illo sancto effectis universa multitudo ad fidem Domini conversa, seditionem contra Licinium commovit, cui vix martyr persuasit, ne quid innovaret. tunc Licinius sententiam tulit, ut gladio feriretur. Quo facto precibus ad Deum missis, martyr ipse mandavit, ut ejus ipsius reliquiæ ad Euchaitas relatæ in patrio prædio sepelirentur, & sic gladio percussus martyrio coronatus est.

Celebritas Archangeli Michaëlis. Et certamen sanctorum martyrum Alexandri & Antoninæ. Hi sancti martyres fuerunt in Castello Cardemo, beata quidem Antonina pudice & sancte vitam degebat, comprehensa vero à Festo Præside cum persuasionibus nullis flecti posset, ut Christum ipsum abnegaret, & dæmonibus serviret, meretricia domo includitur, ubi cum triduo jejunio detenta esset, nocte effulsit lumen in carcere & facto tonitruo fores carceris diruptæ sunt, & vox è cœlo demissa, quæ hortabatur, ut surgeret, & cibum sumeret. Quo sumpto, corroborata astitit Præsidi, cumque denuo persuaderi non posset, ut Idolis victimas offerret, prostrata, plagis cæsa, iterum in meretricium diversorium demittitur, quo divina revelatione excitatus Alexander ingressus (facile autem propter juvenilem ætatem, erat enim annis natus decem, & octo, videri poterat ad inhonestum facinus accessisse) clam sanctam virginem, è domo illa eduxit, chlamyde capite contecto, ipse vero pro ea illic remansit, paulo post cum res ipsa innotuisset per milites, qui ad sanctam illam violandam accesserant, ductus ad Præsidem Alexandrum verberatus, utrique extremæ manuum & pedum partes sunt amputatæ, postremò in foveam ignis dejecti, liquida pice toto corpore uncti beatum finem Christo adjuvante sunt assecuti. Eorum natalis celebratur Constantinopoli, ubi sanctæ & preciosæ illorum reliquiæ reconditæ sunt, ex quibus multorum morborum curationes scaturiunt.

Eodem

Eodem die certamen sanctorum martyrum Nicandri & Marciani, qui propter Christianæ fidei confessionem sub Præside Maximo in carcerem conjecti, cum ad negationem adigi non possent, ferreis unguibus lacerantur, & in excelsis trabibus suspensi, ac detracti super carbones ignis extensi, virgis desuper verberantur, falsoque aceto perfusis plagis, testis acutis perfricantur, lapidibus ora contusa & facies confractæ, postremo linguæ gladio excisæ, & ense percussi migraverunt ad Dominum. Sæc. XI. Anno 1095.

Eodem die sanctæ martyris Calliopæ, quæ sub Decio Imperatore, specie corporis, & animæ pulchritudine insignis, à Christi amore, & fide separari non potuit, sed licet excissæ fuerint illi mammæ, licet super acutas testas pertracta, & incensæ carnes, sale aspersæ, tamen adjuvante Christi Angelo capite obtruncata martyrio coronata est.

Die IX.

Apud Alexandriam Natalis sancti Cyrilli ejusdem civitatis Episcopi viri eruditissimi & catholicæ fidei propugnatoris egregii, quem summus Pontifex Cælestinus idoneum judicavit, cui vices suas in Ephesino concilio delegarit.

Die X.

Apud Prusiada sacrosancti martyris Timothei ejusdem civitatis Episcopi, qui sub Juliano Imperatore Apostata, cum Ecclesiam suam bene regeret, & multorum miraculorum fama esset illustris, à Juliano Christianæ fidei desertore obtruncatus est, cujus dies in sanctissimo ipsius martyrio celebratur.

Eodem die apud Antiochiam sanctæ Pelagiæ martyris, quæ accusata apud Præsidem, cum virginitati suæ metueret, Deum precata est, seque ipsam componens, ascendit in tectum ejus domicilii, in quo à Præside reposita fuerat, unde se præcipitem dedit, ac sanctam animam Deo reddidit. Hanc venerabilis sanctus Joannes Chrysostomus pulcherrimis encomiis honoravit, celebravit, tum propter virginitatis puritatem, tum etiam propter virtutum exercitationem non vulgarem.

Eodem die apud Cappadociam sancti patris Canidis, filii piorum parentum Theodoti & Theophanis, sub Theodosio magno Imperatore: vixit autem admirabili abstinentia, usus precibus, & jejuniis intentus, paucissimis oleribus, sale non conditis vescens, ad annum tertium & septuagesimum pervenit, ac sic beatus ille migravit ad Deum.

Eodem die apud Antiochiam sancti Theophanis & Pansemnæ: fuit autem Theophanes infidelibus atque impiis ortus parentibus; sed mortua uxore, qua cum junctus tres annos vixerat, Ecclesiam adiit & baptizatus est, ac prope urbem cellula angusta ædificata, seipsum inclusit, in omnibus his, quæ ad perfectæ vitæ exercitationem & summum virtutis gradum pertinent, se exercens. cum verò audivisset de publica quadam meretrice, nomine, Pansemna, quod multis esset causa perditionis, precibus Deo seipsum commendans, meretricem adiit, cui tot & talia dixit, qualia satis essent ad persuadendum mulieri quantumvis lascivæ, ut relicta turpitudine, continenti & honestæ vitæ se traderet, quibus admonitionibus illustrata & compuncta divinum baptisma suscepit, & bene disponens res suas beatum Theophanem sequuta, cella, quam sibi ipsi ædificavit, inclusa, virtutem omnem exercuit tantumque Deo ipsi placuit, ut Dæmones expelleret, & varios morbos curaret, cùm autem vixisset annum unum & menses duos in ejusmodi exercitatione simul cum sancto Theophane ad Dominum translata est.

Die XI.

Sanctorum Apostolorum Bartholomæi & Barnabæ, quorum alter fuit è numero duodecim, alter ex LXXII.

Die XII.

Sancti patris Onuphrii Ægyptii, qui cùm esset Cœnobio in urbe Hermopoli Thebarum, & audiret de *Eliæ* Prophetæ & *Joannis* præcursoris vita, egressus ex Cœnobio habitavit eremum annos LX. hominem omnino non videns; ubi post admirabilem monasticæ vitæ exercitationem, ad cœlum migravit, quem magnus ille Paphnutius sepelivit; cujus dies Natalis celebratur in sanctissimo ipsius oratorio in monasterio sancti Alipii.

Eodem

SÆC. XI. ANNO 1095.

Eodem die Sanctæ martyris Antoninæ. Apud Nicæam Bithyniæ Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Priscilliano Præside, Antonina in Christianæ fidei confessione constanter perseverans, verberibus cæsa, in ligno suspensa, lateribus laniata, subulis perfossa, flammis incensa, demum gladio percussa, martyrio coronata est.

Die XIII.

SAnctæ martyris Aquilinæ, quæ sub Diocletiano Imperatore, & Biblo Præside Palæstinæ quindecim annos nata, Christum prædicans, & æquales puellas ab Idolorum errore, ad Christianæ fidei veritatem convertens, accusata est apud Proconsulem Volusianum, & Christi nomen confessa, verberata est, quoad sanguis è naribus defluxerit, postremo sententia lata, gladio percussa est, cujus Natalis celebratur in sancto ejus Martyrii templo.

Die XIV.

SAncti Prophetæ Elisæi, per quem multa prodigia fecit Deus, ut divinæ testantur, mortuus autem, sepultus est in Samaria in Sebastopoli.

Eodem die sancti Methodii Archiepiscopi Constantinopoli.

Constantinopoli Natalis sancti Methodii, qui hæreticorum sanctas Imagines oppugnantium errorem gravissimis divinarum litterarum testimoniis redarguens, Orthodoxam Ecclesiæ Dei fidem protegens, multas ærumnas ab Hæreticis perpessus, pro sancto Venerabilium Imaginum cultu conservando laborans æternam requiem adeptus, peccatorum remissionem nobis exposcit. Cujus natalis celebratur in sanctissimo Sacello, in quo præcipuæ ipsius reliquiæ intra divinum Templum celeberrimorum Apostolorum repositæ sunt.

Die XV.

SAncti Prophetæ Amos.

Eodem die Sancti Martyris Dulæ. Hic fuit ex Zephyrio prætoria de provincia Ciliciæ, qui propterea, quod Christum coleret, & adoraret, ductus est ad Maximum Præsidem, virgis cæditur; cumque irrideret Apollinem, & alia inania simulacra, Præsidem ipsum in iram magis accendit, quare iterum verberatur, ejusque caput oleo perfusum, igneis carbonibus comburitur, aliisque diversis tormentis cruciatus, in Christi confessione constanter permanens, oblatumque Idolorum libamen ut execrabile quiddam ore suo exspuens, invictus & beatus martyr spiritum Deo reddidit.

Die XVI.

SAncti Patris nostri Tychonis Episcopi Amathuntis civitatis insulæ Cypri. Hic cum haberet pios & Christi studiosos parentes, ab ipsis Deo consecratus est, & divinas litteras edoctus, diaconus est ordinatus ab Episcopo Mnemonio, quo mortuo à magno Epiphanio ad Episcopatus sedem promotus fuit; Cumque multos ab errore & vanitate Idolorum ad Christi Dei nostri fidem convertisset, multaque Idolica templa evertisset, & simulacra quæ in illis erant confregisset, erectis & consecratis divinis templis, excessit multis insignibus clarus miraculis.

Die XVII.

NAtalis Sanctorum martyrum Manuelis, Sabelis, & Ismaelis, qui fuerunt ex Perside orti, patre quidem inter magos primo, matre vero Christiana, edocti pietatem, & sacras litteras ab Eunyco quodam presbytero, viro admodum religioso. Cum vero hi viri à Baltano Persarum Rege missi legati ad Julianum Apostatam, ut cum illo de pace agerent, vidissent Imperatorem trans Chalcedonem Idolis immolantem, multosque per illum ad errorem subduci animadverterent, viri pietatis studiosi & Christi adoratores percusserunt pectora sua flentes, & Christo ipsi supplicantes, ut illos ab idolorum execrabili errore liberatos, in suæ sanctæ fidei puritate servaret, & re ad Imperatorem impium delata per Judicem cubicularium, ducti viri sancti, flagris cæsi sunt.

Eodem

Eodem die Certamen sanctorum martyrum Isauri & sociorum, Innocentii, Felicis, Hermiæ, & Peregrini: hi omnes Athenis originem ducebant, qui cum à Patria discessissent, in quadam spelunca Apolloniæ per aliquot annos vitam duxerunt, sed delati apud Tripontium Tribunum, comprehensi à Christi fide descíscere cogebantur. Itaque Isaurus Diaconus, & qui cum illo erant, Apollonio Tribuni filio traditi sunt, à quo igne & aqua probati, cum ex his admirabiliter liberati essent, ad Christi fidem multos converterunt, quorum primi erant urbis cives, Rufus, & Ruffinus germani fratres: postremo sententia lata, obtruncati sunt. Sæc. XI. Anno 1095.

Eodem die sancti Patris nostri Besarionis, qui à puerili ætate mundanis rebus abrenuncians, & Schitem secedens, admirabili rerum terrenarum contemptu, solius animæ studio vacabat, ab omni affectu liber, non locorum desiderio, non cibi appetitu detentus, sed futurarum rerum spe, & fidei firmitate munitus, omnia tolerabat, huc atque illuc, tanquam captivus aliquis, in frigore & æstu nudus oberrans sub dio perpetuo stabat, ita ut quadraginta dies, & noctes in medio rhamno aliquando stans, nunquam cubuerit, & quadraginta nunquam in latus declinarit, sed sedens, vel stans dormierit, cumque talem duxisset vitam, ad cœlestem patriam evolavit.

Eodem die Sancti Patris nostri Hypatii. Huic patria fuit Phrygia, parentes autem divinæ pietatis studiosi, temporibus Honorii & Arcadii Imperatorum. Hic satis eruditus, decimum octavum agens annum, relictis rebus omnibus monasticam vitam aggressus, atque omni virtute ornatus, presbyter creatus est, cumque octogesimum explevisset annum, beato fine requievit, quanta vero per illum Deus miracula perficiat, literis explicari non potest.

Die XVIII.

SAncti martyris Leontii, & sociorum Hypatii, & Theoduli. Hic Leontius ex Græcia originem ducens, cum robore corporis, & fortitudine animi polleret, inter militares ordines cum primis numeratus est, postea & Imperator exercitus creatus, in urbe Tripoli Africæ versans, cibariis, & annona regia alebat pauperes & sincera mente Christo serviebat. Hæc audiens Adrianus Præses Phœniciæ, constitutus à Vespasiano Imperatore Romanorum misit ad eum Hypatium Tribunum cum duobus militibus, quorum alter Theodulus vocabatur, dumque proficisceretur Hypatius vehementi febre detentus, audivit vocem Angeli è cœlo demissam quæ jubebat, ut si vellet morbo liberari, invocaret in auxilium Leontii Deum. Hanc vocem audivit & Theodulus, cumque venissent ad sanctum Leontium, & apud illum hospitio accepti essent quæsierunt ab illo ipso, quisnam esset Leontius? Respondit, se esse quem quærerent Leontium Christi servum, eos verò qui dii dicebantur se abominari ut execrabiles & falsos deos: quæ cum audisset tribunus Hypatius, & Theodulus, ad sancti viri pedes procidentes petierunt, ut Christi gratiam illis conciliaret. Orante itaque Leontio, & illos verbo veritatis catechizante atque instruente, venit nubes de cœlo aquam demittens, & albas vestes ferens ad eos illuminandos atque induendos. Quare perturbati homines infideles omnia ad Adrianum Præsidem detulerunt, qui cum ad se ductos flectere non posset, ut à Christi fide desciserent, jussit sanctum Hypatium suspendi, & laniari nec non sanctum Theodulum flagris cædi & ita utrumque obtruncari. Magnus verò martyr Leontius primùm quidem baculis verberatur, postea illecebris & adulationibus Tyranni mentem non adhibens, sed irridens potius, vehementius cæditur, adhæc suspensus diutius laniatus, & saxo ad collum ligato gravatus in carcerem conjicitur, postremo quatuor palis extensus, Deo beatum spiritum commendavit.

Eodem sancti martyris Ætherii, qui fuit sub Imperatore Diocletiano, delatus vero, oblatus est Edesio Præsidi. Christum vero confessus prosternitur, & igneis facibus comburitur, ac diversos cruciatus perferens, gladio percutitur.

Die XIX.

SAncti Apostoli Judæ. Hic in Evangelio Lucæ, & in Actibus Apostolorum Judas nominatur, apud Matthæum vero & Marcum Thaddæus, & Lebeus appellatur, frater secundum carnem Domini nostri Jesu Christi, & germanus Jacobi fratris Dei. Hic Epistolam scripsit spiritu sancto plenam, qui & prædicatione infideles homines convertit, & apud Mesopotamiam Evangelium gentibus disseminans, verbo Christi pietatem regionibus illis prædicavit, & Edessenorum civitatem peragrans, ad Abagarum profectus illum à morbo curavit, demum in Artipoli ab infidelibus suspensus & sagittis vulneratus, spiritum Deo ipsi commendavit.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Eodem die sancti martyris Zosimi certamen. Hic miles sub Trajano Imperatore ex Apolloniade apud Sozopolim, Præside Antiochiæ in Pissidia Domitiano, projectis armis, cum ad Ecclesiam Christi confugisset, adjuvante Dei gratia, baptismo dignus factus est. Quamobrem ad Præsidem ductus, & se Christianum esse confessus, æreo grabato ignito imponitur, à quatuor viris extensus, sed igne ipso in rorem converso, multi ex illis, qui præsentes erant, perculsi miraculo ad Christum conversi sunt. posthæc plantas confixus clavis, & equis indomitis alligatus, currere, coactus est ad Præsidem ad Canitarum urbem, tres dies jejunus permanens, duobus vero pueris divinitus apparentibus, quorum unus panem, alter vero vasculo aquam ferebat, gratias agens Deo, beatus martyr refocillatus est, examinatus postremo, & eandem confessionem forti animo repetens, cervice gladio supposita, martyris corona indutus est.

Eodem die sancti patris nostri Zenonis. Hic abrenuncians mundo beati Magni senis Silvani disciplinæ se tradidit, & propter eximiam obedientiam, & summam exercitationem, atque inopiam signa multa effecit; nam & multos Dæmones ex hominibus abegit, & sanctitate insigni, ad virtutis viam plurimos direxit. Cum itaque ita vixisset, duos & sexaginta annos natus in pace quievit.

Die XX.

SAncti martyris Methodii Episcopi Pataræ. * Hic à puero, se ipsum Deo dedicavit, effectus vas preciosum, & receptaculum spiritus Dei. quare & venerabili sacerdotio dignus habitus, benè & religiosè gregem suum pascens, ut Ecclesiæ cœtum sinceris sermonibus aleret, omnem errorem propulsare studuit; Quamobrem, cum Origenis hæresim irrepere vidisset, ut optimus Pastor divino verborum suorum igne illam combussit; sed cùm non ferret, acerrimus hostis diabolus sancti Episcopi libertatem & instantiam, ministros suos ad ejus cædem excitavit; at ille cum & ante martyrii certamen vitalem mortificationem operatus esset, gladio capite obtruncatus, migravit ad Dominum, sub Decio, & Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus.

Die XXI.

CErtamen Juliani in Ægypto. Hic fuit sub Diocletiano Imperatore, & Martiano Præside in urbe Ægypti Antinopoli, qui monasterio illo magno decem millium monachorum congregato detentus à Præside, & Christum confessus fustibus cæsus, ejusque ovile, & monachi una cum Episcopis, & sacerdotibus fugientibus aufugerunt, sanctus vero Julianus, non verberibus, non carcere, non ullis tormentis, non ipsa denique morte detineri potuit, quo minus pro Christi confessione sanguinem effunderet. Hunc & magnus doctor Chrysostomus Encomiorum honore celebravit.

Eodem die sancti martyris Aphrodisii ex Regione Ciliciæ, qui inde usque à majoribus Christum coluit, quem confessus, Dionysio Præsidi oblatus est, cumque Christum ipsum verum Deum esse professus esset, ferreis laminis ignitis ejus terga inusta sunt, postea in lebetem ferventis plumbi plenum injectus est, unde incolumis evasit, aliaque tormenta perpessus atque in Christiana confessione persistens, martyrii coronam est assecutus.

Eodem die sanctorum martyrum Terentii Episcopi Iconii, Marci Episcopi Apolloniadis, fratris consobrini Barnabæ Apostoli, cognomento Justi.

Die XXII.

SAncti martyris Eusebii Episcopi Samosatensis, qui fuit sub Constantio Imperatore, ferventissimus orthodoxæ fidei æmulator, tantum autem fortitudinis, & rerum terrenarum contemptus in ipsius animum venit, ut id tantum studeret, quo pacto pietas ipsa, & orthodoxæ fidei status, incrementum acciperet, licet Imperator ipse tam contrariæ esset opinionis, quàm nemo alius unquam fuerat. Itaque cum Imperator Constantius minatus aliquando fuerit illius se manum abscissurum, nisi diversum sentiret, ipse utramque manum extendit, ut significaret libentius se illarum abscissionem accepturum, quàm quod proponebatur pietatem proditurum. Hunc beatum virum

** Hæc in Apographo m. s. in ipso textu adscripta sunt. Hieronymus habet, Olympi Lyciæ in qua est Patara: & in Rom. habetur 14. Kal. Octob. id est 18. Septemb.*

rum post Constantium & Julianum Valens Imperator Arriana perfidia corruptus ab Episcopali sede dejecit, & ad Istrum fluvium exulem condemnavit. verum post mortem Valentis ad Ecclesiam suam reversus, post multa certamina & victorias, martyrii palmam assecutus est, cùm fœmina quædam, pravæ opinionis Arianæ perfidiæ sectatrix, è tecto quodam tegulam in viri sancti transeuntis caput dejecisset; quam mulierem sanctus martyr venia dignatus est, neminem permittens illam ulcisci, Christum Dominum & Protomartyrem Stephanum imitatus.

Die XXIII.

SAnctorum martyrum Zenonis, & Zenæ. Hi beati martyres fuerunt ex Philadelphia Arabiæ; Zeno quidem ex ordine militari, Zenas vero erat servus Zenonis, qui cum omnes facultates suas pauperibus distribuisset, & servos libertate donasset, ad Præsidem Maximum à Maximiano Imperatore constitutum accessit cum servo Zena; hic enim cum esset grati animi, secutus est Dominum. Zeno autem ut vidit Præsidem, vano Idolorum cultui servientem, illum increpavit, qui statim nervis verberari jussit; sed martyr ipse zelo accensus insiliens calcibus aram ipsam evertit, quocirca suspensus nulla habita ratione laniatur, ejusque plagæ aceto & sale consperfæ sunt, postea de ligno depositus, ligatis pedibus in carcerem injectus est, quo ingressus Zenas servus Domini sui vincula deosculatus, illum obsecrabat, ne ipsum desereret; quod cum audivisset Præses jussit illum quoque in carcerem includi. ambo igitur examinati, & Christum ipsum abnegare non passi, diversis & acerbis tormentis cruciati obtruncati sunt, quorum dies natalis celebratur in sancto Beati Georgii sacello, apud Liparissium.

Eodem die sancti martyris Eustochii presbyteri, & sociorum. Hic vir sanctus Eustochius & Gainus frater consobrinus, & ejus filii Probelulus & Urbasius fuerunt ex urbe Vusadorum temporibus Maximiani Imperatoris & Agrippæ Præsidis: Eustochius quidem cum esset sacerdos Idolorum, antea videns sanctos viros pro Christo martyrium sustinentes, & miracula multa efficientes, propriam superstitionem condemnans accessit ad Eudossium Episcopum Antiochiæ, à quo baptizatus est & presbyteri ordinem suscepit. Cumque ad oppidum, cui nomen est Listra, venisset, & consobrinum suum Gainum cum tribus pueris invenisset, Christi Domini mysterium exposuit, eosque cum cognatis omnibus baptizavit, quam ob rem detentus, ductus est ad Præsidem, Christum confessus in ligno suspensus, & vehementer laniatus. Post hæc una missi sunt Ancyram ad Aggrippinum illic præsidentem, à quo ad examen constituti, & Christum abnegare non passi, primum quidem suspensi sunt Probelulus & Urbasius ἀπέναντι ἀλλήλων, eorumque maxillæ laceratæ sunt, quorum sanguinem Gajanus frater consobrinus excepit, quapropter verberatus est, sanctus vero Eustochius obtruncatus, & post aliquot dies Gajanus idem passus est. Paulo post pueri ad æream rotam sunt alligati, atque illinc incolumes admirabiliter erepti, rota ipsa moveri desinente, & igne extincto, postea rasis capitibus, clavisque transfixis, ac fœminarum mammis abscissis, magna voce Christum invocantes, obtruncati sunt.

Eodem die sanctæ martyris Agrippinæ, quæ in illustri urbe Roma orta & educata, virginitate, & fortitudine decorata, & Deo ipsi desponsata, forti atque alacri animo ad martyrii palmam cucurrit, & propter amorem & charitatem sponsi sui Christi multis cruciatibus seipsam tradidit. Itaque virgis cæsa, vinculis, carceribus, & torturis afflicta in tormentis ipsis animam Deo commendans martyr excessit, cujus corpus Bassa, Paula, & Agathonice clam susceptum ex urbe Roma in Siciliam transferentes reposuerunt. Cum primum vero Sicilia illud accepit, tenebricosis Dæmonum erroribus liberata est. Cumque Agareni ausi fuissent castrum diripere, in quo Beatæ Martyris templum servabatur, repentino interitu perierunt. Ex quo tempore ad hanc usque diem, leprosi cum fide illuc accedentes purgantur, & reliqui morbi sanctæ Agrippinæ intercessione abiguntur.

Die XXIV.

SAncti gloriosi Prophetæ Præcursoris Joannis Baptistæ nativitas.

Eodem die sancti martyris Orentii, & germanorum fratrum, Herois, Pharnacii, Firmini, Firmi, Cyriaci, & Longini, qui omnes fuerunt Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus ex partibus orientis: militantes vero cum mille tyronibus sub Rodone Cubiculario in urbe Antiochiæ, qui ad partes Thraciæ venerunt, connumerati in legio-

SÆC. XI. ANNO 1095.

legionem quæ dicebatur Legeandri: seditione autem commota temporibus illis Scytharum, qui transierant Istrum fluvium, & Thraciam depopulabantur, nuper post mortem Diocletiani, Maximianus imperium obtinens in multa erat solicitudine & inopia consilii, maxime propter Maroth Ducem Scytharum, & mole & viribus corporis multis præstantiorem, ob idque provocantem alios, si quis vellet secum singulari certamine ita congredi, ut qui pugnando esset superior, reliquis victoriam concederet. Cum igitur Imperator ita se haberet, excitatus est hortatione militum sanctus Orentius ad congressum illum; omnium enim sententia judicatus est robore & bellica peritia insignis atque idoneus, qui propter agilitatem corporis adversarium hostem posset debellare. Congressus enim Christi fide armatus atque indutus in acie pugnans, Scytham illum jaculo transfodit, ejusque caput celeriter abscissum Imperatori obtulit; quod cum Imperator admiratus esset, ac Idolis ipsis victrices jussisset victimas offerre, Orentius ipse Christi Domini præsidio à se Barbarum illum devictum fuisse respondit, non eorum virtute, qui falso nomine dii appellantur. Sed tunc quidem Imperator reveritus præclari illius facti magnitudinem, permisit Orentium Regiis à se honoribus frui; sed postea illum admonens, ut à Christi fide descisceret, cum nihil proficeret, illum cum sex fratribus in Armeniam ad urbem Satalorum relegavit, præcipiens illius regionis Duci, ut si quidem inquisiti milites illi persuasi fuerint Diis immolare, eos ad se remitteret, sin minus, extorres in Abasgiæ & Zechæ regiones ablegaret. Illis igitur juxta Imperatoris præceptum abductis in eam regionem, Beatus Heros fratrum illorum primus migravit ad Dominum, sanctus autem Orentius qui Diroontem debellaverat, saxo ad collum alligato in mare dimissus est (ita enim de illis mandatum fuerat) sed Raphaëlis Archangeli martyrem sublevantis præsidio incolumis exiens è fluctibus, in continente supra petram quandam constitutus est. sanctus vero Pharnacius apud Cordilem ad Dominum translatus est tertio die mensis Junii: septimo autem Firmus & Firminus cum venissent ad urbem Absarum, temporalis vitæ finem invenerunt. S. Cyriacus ad Regionem Lazorum abductus in loco dicto Zeganeo requievit in Domino, quarto decimo ejusdem mensis die. sanctus Longinus dum navigaret à Zeganeo ad Libycam, exorta in mari fluctuatione magna precibus ad Deum missis Deo spiritum tradidit. Itaque in Pytiuntem post quator dies illuc appellens, navigio depositus est.

Die XXV.

CErtamen sanctæ Martyris Feboniæ, quæ monasticam vitam ducens in Monasterio Bryenæ in urbe Nisibi, Diocletiano Imperatore & Seleno Præside, propter Christianæ fidei confessionem vincula, verbera, suspensionem, linguæ sectionem, dentium evulsionem, mammarum, manuum, & pedum abscissionem perpessa, postremo gladio percussa, martyris palmam assecuta est.

Die XXVI.

APud Thessalonicam sancti patris nostri David continentia, castitate, & miraculorum splendore insignis, qui prope urbem Thessalonicam diversorium habens, omnes se adeuntes sermonum jucunditate exhilarabat, & ad meliorem vitam convertebat.

Eodem die sancti patris nostri Joannis Episcopi Gotthiæ, ex Tauroscytharum regione, temporibus Leonis Isauri, sanctarum imaginum oppugnatoris, quarum venerationem cùm beatus Episcopus defenderet, ab impio illo Imperatore multas ærumnas, & exilium passus, pro Catholicæ fidei defensione ex hujus vitæ molestiis ad coelestem vitam translatus est.

Die XXVII.

DIes natalis beati patris nostri Sampsonis Xenodochi. Hic cùm esset genere Romanus, & Constantini magni consanguineus, divitias pauperibus distribuit, & ad Regalem urbem profectus, venerabiles domos frequentans, & divinis literis egregiam navans operam, tantum profecit, ut Patriarchæ Constantinopolitano innotescens, Presbyter ab illo fuerit ordinatus: cumque Justiniano Imperatori, quem ipse per revelationem à gravi morbo liberaverat, esset charissimus, nihil ab eo petiit, nisi ut pauperibus curandis opem ferret, quamobrem Imperator domum amplissimam hospitalem magnis sumptibus erexit, quo loco beatus Sampson piè sanctèque versatus,

tus, requievit in pace, cujus preciosæ reliquiæ repositæ sunt in templo sancti martyris Mocii.

Eodem die sancti martyris Anecti. Hic Imperatore Diocletiano, & Urbano Præside Cæsareæ Cappadociæ cùm Christianos doceret, & hortaretur vehementer ne in tormentis deficerent, sed fortiter & constanter in Christi fidei confessione persisterent, & pro pietate mortem oppeterent, comprehensus est; cumque idola ipsa, quibus sacrificium offerre cogebatur, oratione in terram dejecisset, baculis à decem militibus verberatus, suspensus, & novacula manuum ac pedum abscissis digitis, capite exciso, ex quo lac pro sanguine emanavit, martyrio coronatus est.

Die XXVIII.

INventio petiosarum reliquiarum sanctorum martyrum Cyri & Joannis. fuit autem Cyrus ex urbe Alexandria, Joannes verò ex Edessa, uterque pro Christi fide omnium generum tormentis fortiter superatis, migravit in cœlum. Inventæ sunt autem reliquiæ sub Alexandrino Patriarcha Theophilo, & Arcadio Imperatore, quorum martyrum panegyrim hodie celebramus.

Eodem die sancti martyris Papii. hic fuit Diocletiano, & Maximo Imperatoribus inde usque à majoribus Christi Domini fidem sequens, & prædicans, pro cujus confessione flagris cæsus, & in lebetem injectus, oleo & adipe ferventi plenum, septem dies permansit, indutus igne sicut vestimento, quæ res stuporem omnibus attulit, & plurimos ad Christi fidem convertit.

Die XXIX.

SAnctorum celeberrimorum Apostolorum Petri & Pauli.

Die XXX.

CElebritas omnium Apostolorum.

Mensis Julii die primo.

CERTAMEN sanctorum martyrum Cosmæ, & Damiani, qui Romæ sunt, sub Carino Imperatore. Hi cum medicinæ artis essent periti, non aliam curationis mercedem, quam in Christum fidem, & confessionem recipiebant.

Die II.

NAtalis beati patris nostri Juvenalis Archiepiscopi Hierosolymitani. Hic fuit Theodosio minore Imperatore tertius post Cyrillum Hierosolymarum Episcopus, recta fide & pietate insignis, qui cum Hierosolymitanam Ecclesiam triginta sex annos rexisset, in pace requievit.

Die III.

SAncti martyris Hyacinthi Cubicularii. Hic ex Cæsarea prima Cappadocum civitate Imperatoris Trajani mensæ ministrabat: accusatus verò, quod esset Christianus, toto corpore verberatus in carcerem injectus est, ubi post dies aliquot, jejunus permanens, Deo spiritum reddidit.

Eodem die sanctorum martyrum Theodoti, Theodotæ, Diomedis, Eulampii, Asclepiodoti & Golinduchi.

Eodem die sanctorum martyrum Marci, & Muciani, qui cum à Maximo Præside admonerentur, ut idolis immolarent, à parvo quodam puero ad aram stante non permittebantur, quem puerum comprehensum Gentiles ferula centum quinquaginta verberibus cæciderunt, jubente Præside, cui puerulus, Nunquid, inquit, judex & literas

SÆC. XI. ANNO 1095. ras doces? Similiter & Paulus quidam, cum martyres corroborans, Christum confiteretur, in carcerem conjectus est, ducti vero ad mortem viri sancti Christum Dominum invocantes, orabant: Mucianum autem uxor & ejus filii sequebantur flentes, quos beatus vir ille sedavit, uxor vero cum plorans Marco assisteret, abscissum ejus caput excepit. Ita sancti martyres gladio percussi, martyrii coronam assecuti, Christo Domino astiterunt.

Die IV.

SAncti patris nostri Andreæ Hierosolymitani Archiepiscopi Cretensis viri docti & sancti, qui ad ædificationem Ecclesiæ multa scripta reliquit.

Eodem die certamen sacro sancti martyris Theodori Episcopi Cyrenæ, qui fuit sub Diocletiano Imperatore, ex urbe Cyrenæ, ex qua fuit Simon Cyreneus. Hic accusatus apud Præsidem Dignianum, cum Christum negare nollet, plumbeis virgis cæsus, postea vero abscissa lingua, & multos alios cruciatus, ob Christi confessionem perpessus, in pace quievit.

Die V.

COmmemoratio sanctæ Marthæ, matris sancti Simeonis Stylitæ. Hæc fuit virtutum exercitatione & misericordia in pauperes valde insignis, cujus sanctæ reliquiæ multis beneficia conferunt.

Eodem die sanctæ martyris Cyprillæ. Hæc sub Diocletiano, & Maximo Imperatoribus ex urbe Cyrenæ, quæ est in Libya, cùm accusata esset apud Dignianum Præsidem, astitit cum Lucia, & Roa, devotis mulieribus, cumque persuaderi non posset, ut Idolis immolaret, in ejus ipsius manus injectis carbonibus, & thure, cogebatur sacrificare, illa vero clamans, Non est, inquit, hoc involuntariè factum sacrificium offerre. Combustis autem digitis suspensa, laniata est, mox de ligno detracta, ex plagis quidem sanguis, ex mammis vero lac instar torrentis defluebat, & sic beata martyr spiritum Deo tradidit.

Eodem die Natalis sancti Patris Athanasii ex monte Atho, qui patriam habuit Trapezuntem, nobilibus ortus parentibus, in urbe Constantinopoli, disciplinis non mediocriter eruditus, qui amore solitudinis & quietis effectus monachus, Athanasius dictus est: antea enim vocabatur Abramius, qui multis virtutibus clarus migravit ad Dominum.

Die VI.

CErtamen sanctorum martyrum Basilii, & sociorum LXX. qui apud Scythopolim martyrium passi sunt.

Et commemoratio sancti Patris Sisois in exercitatione Monasticæ vitæ admodum nobilis, cui propter eximiam humilitatem & reliquas virtutes suscitandi mortuos gratiam contulit Christus Dominus.

Eodem die alterius sanctæ martyris Luciæ. Hæc sancta Lucia non est eadem quæ ex Sicilia fuit, sed in Campana regione orta, detenta est à Rixio Vicario, cum cogeretur Idolis immolare, idque constanter recusaret, sanguinem pro Christi nomine effudit, cumque illa Rixius Vicarius, ejus opera conversus ad Christi fidem, Antoninus, Severinus, Diodorus, Dion, Apollonius, Apamus, Papianus, Cotyus, Oronus, Dapimus, Satyrus, Victor, & alii novem.

Eodem die Certamen sancti Astii Episcopi Dyrrachii, qui sub Trajano Imperatore Præside Agricolao, in Christianæ fidei confessione perseverans, plumbatis cæsus est, & post alios cruciatus, precibus ad Deum missis, animam Deo tradidit.

Eodem die sancti martyris Phocæ.

Eodem die Sancti martyris Isauri & sociorum. Sanctus Isaurus Christi mysteriorum Diaconus & socii Athenis orti, Numeriani Imperatoris temporibus, è patria discedentes, venerunt in urbem Apolloniam, ubi per revelationem divini Angeli speluncam ingressi sunt, quam habitabant Felix, Peregrinus, & Hermias Christiani homines, qui pietatis sermonibus ab Isauro nutriti, corporalia nutrimenta illi retribuerunt; ita paulatim eorum admonitionibus tantum profecerunt, ut facultates suas pauperibus distribuentes illum secuti sint. quamobrem apud Pontium Præfectum accusati cum persuaderi non possent, ut Christum ipsum abnegarent, variis tormentis probati, atque ex omnibus incolumes erepti, multis ad Christi fidem conversis, quorum fuerunt

runt Ruffus & * Ruffinianus germani fratres ordinis Senatorii in urbe Apollonia, cum lata esset sententia, capita gladio subjicientes, animas Deo tradiderunt. SÆC. XI. ANNO 1095.

* 17. Jun. Rufinus dicitur.

Die VII.

THomas in Malæo. Hic ex terrena militia translatus ad cœlestem, supernæ patriæ amore accensus, omnia pro nihilo duxit, ut Christum ipsum lucri faceret. itaque tam perfectus evasit, ut Dæmones expelleret, cæcos illuminaret, claudos erigeret, fontem aquæ precibus scaturire faceret. Cumque hæc & alia miracula fecisset, requievit in pace.

Eodem die Sanctorum martyrum Peregrini & sociorum.

Luciani, Pompeii, Hesychii, Papii, Saturnini, & Germani. Hi omnes erant quidem ex Italia, sed propter persecutionem Trajani, Dyrrachium se contulerunt, ubi cum S. Astium in cruce pendentem vidissent, eumque beatum prædicassent, comprehensi sunt à militibus: Cumque se Christianos esse prædicassent, jussu Proconsulis Agricolai, projecti sunt in mare Adriaticum, & sic martyrii coronam receperunt.

Die VIII.

CErtamen magni martyris Procopii, qui fuit Diocletiani temporibus, patre Christiano, matre vero gentile ex urbe * Eliensium, accusatus apud Imperatorem, quod esset Christianus, traditus est Ulcio Præsidi Cæsareæ, verberatur vehementer, & in carcerem conjicitur, postea in templum Idolorum deducitur, ubi orationibus Idola subvertit, quo miraculo milites multos ad Christi fidem convertit, cumque his Tribunos Nicostratum, & Antiochum, qui ad Christum conversi, & baptizati à Leontio Episcopo, obtruncati sunt. una cum illis captæ sunt & duodecim mulieres ordinis senatorii una cum Theodosia matre Procopii, quæ post multos cruciatus obtruncatæ sunt. Post hæc præfecturam accepit Flavianus inquisitione facta de sancto Procopio jussit Archelao cuidam gladio illum percutere; ille manum extendens mortuus cecidit, postremo post alia multa & varia tormenta injecto in manum ipsius igne & thure tolerans Athleta invictus manum continuit ita immobilem, ut combureretur potius quam videretur impiis hominibus sacrificium illud execrabile Idolis ipsis offerre, ita beatus martyr in ardentem clibanum immissus, atque illinc illæsus evadens, percussus gladio, migravit ad Dominum.

* Menæa magna: Ἀἰλιαίων.

Die IX.

COmmemoratio Encæniorum venerabilis templi sanctissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ, quod est in fonte.

Eodem die Natalis sancti martyris Pancratii Episcopi Tauromenii urbis Siciliæ. Hic Antiochenus genere à B. Petro Apostolo ad Christi fidem conversus, & ab eodem ordinatus Episcopus Tauromenii, venit ad Siculos, quos & ab initio ad Christum convertit, eversis Dæmonum simulacris cum ejus regionis Duci Bonifacio persuasisset, ut in Christum crederet, & Ecclesiam ædificaret. in dies igitur plures ad fidem convertens ac baptizans, absente Bonifacio Duce à Montanis interfectus est.

Eodem die Certamen sanctorum Patrum Patermuthii, Copri, & Alexandri, qui Juliano Imperatore Apostata in Ægypti solitudine quietam vitam degentes, delati sunt, quod essent Christani. Cum subdolis Apostatæ adulationibus Coptus deceptus, Christum negasset, Patermuthius, liberius Julianum Imperatorem redarguit, & Coprum à lapsu ad fidem revocat, ita ut qui paulo ante Christum abnegarat, confessor effectus sit. accensa igitur fornace, uterque in eam conjectus est, in qua cum permansissent incolumes, Alexandrum militem ad Christi fidem converterunt, qui cum ipsis etiam fornacem subiit, ex qua egressi, obtruncati sunt.

Eodem die Sacrosancti martyris Cyrilli Episcopi Gortinæ, qui sub Diocletiano Imperatore in extrema senectute Christum ipsum claro præconio prædicans, vinctus in ignem injicitur; sed vinculis quibus tenebatur combustis, & lignis in cinerem dissolutis, ac sancto illo viro permanente incolumi, ejus rei miraculo ad fidem plurimi conversi sunt. Quo circa judex illum obtruncari jussit, Itaque B. Cyrillus martyrii coronam accepit.

Die

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die X.

CErtamen sanctorum martyrum, qui passi sunt apud Nicopolim Armeniæ sub Licinio Rege, & Lysia Præside, quorum primi erant Leontius, Mauritius, Daniel, & Antonius: diversis autem cruciatibus tentati, ac postea in caminum ignis injecti, in Christi confessione permanentes, fœlicem sui certaminis finem consequuti sunt.

Eodem die Beatorum martyrum Bianoris & Silvani, quorum sanctus Bianor ex provincia Pisidiæ propter Christi confessionem à Severiano Præside Isaurorum civitatis Euphratisiæ cum cogeretur Christum abnegare, nec persuasus esset, graviter cæsus, & suspensus, globis igneis adustus est, quin etiam dentes avulsi & aures abscissæ sunt: Silvanus vero quidam videns Bianoris tolerantiam Christo credidit, & statim lingua illi abscissa est, postea & caput humeris avulsum est, sanctus vero Bianor perforatis talis, dextro effosso oculo, & capitis pelle detracta, cervicem gladio supposuit, & sic martyrio coronatus est.

Eodem die Certamen sancti martyris Apollonii ex Sardis civitate Lydiæ, qui oblatus Perinio Præsidi tunc existenti in urbe Iconio, professus se Christianum esse, Idola irridens, cum cogeretur per fortunam Imperatoris jurare, cui ille, Nefas, inquit, per Imperatorem, mortalem hominem jurare, per eum præsertim, qui universarum rerum creatorem non agnoscit, propter hæc beatus martyr ligno crucis affixus, Deo spiritum tradidit.

Die XI.

SAnctus Martianus adolescens in urbe Iconio martyrium passus est, à Perinio Præside condemnatus, propterea, quod ejus impietatem redarguens, clara voce Christum Dominum verum Deum esse confitebatur. Itaque in ignem & injectus, & lingua compunctus, gladio percussus est.

Eodem die certamen sanctæ magnæ celebrisque martyris Euphemiæ, quæ temporibus Diocletiani, & Prisci Proconsulis Europæ ex urbe Chalcedone, accusata quod esset Christiana, in ignem conjecta, feris exposita, & aliis tormentorum machinis tradita, omnibus fortiter toleratis, martyrii coronam accepit.

Eodem die Cindei Presbyteri. Hic ex oppido Telmedia Sidæ Pamphiliæ sub Imperatore Diocletiano, ductus ad Stratonicum Præsidem, Christum confessus est: quamobrem ferreos calceos clavis defixis munitos indutus, ad portam cucurrit, postea in ignem injectus, evasit incolumis, & Deum precatus tradidit spiritum, cujus pretiosas reliquias Orestes quidam Umanadensis genere, Christi Diaconus, in patriam suam translatas per manus sacerdotum more majorum reponendas curavit.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Golinduch, quæ mutato nomine Maria dicta est. Hæc ex Perside cum habitaret cum viro quodam magorum Principe, Rege Persarum Cosroe, Romanorum Imperatore Mauritio, angelica visione admonita, statim baptizata est Mariæ nomine appellata, quæ multos post annos, plurimis editis miraculis tenui quadam febri detenta mundo ipsi salutem precata, spiritum Deo commendavit.

Die XII.

SAnctorum martyrum Procli & Hilarii sub Trajano Imperatore martyrium passi, quorum primus sanctus Proclus coram Trajano Christum confessus, Maximo Præsidi traditus, lampadibus ventre & lateribus comburitur, in ligno suspenditur, pedibus saxo gravatis, postremo sagittis vulneratus migravit ad Dominum. Postea sanctus Hilarius B. Procli consobrinus Christianum se esse professus, suspensus verberatur, & ad tria miliaria tractus abscisso capite cum sancto Proclo depositus est.

Die XIII.

NAtalis sancti martyris Serapionis, qui fui fuit sub Severo Imperatore, divinæ pietatis studiosus & probitate morum insignis, qui detentus ab Aquila Præside, interrogatus cujusnam esset religionis, libera & clara voce respondit, se Christum Dominum colere; quamobrem igni traditus, martyrii coronam reportavit.

Eodem

Eodem die sanctæ martyris Myropis temporibus Decii Imperatoris, quæ primum habitavit in Insula Chio, postea verò ad Ephesiorum urbem profecta, religiosè admodum hauriebat unguenta ex sanctorum martyrum corporibus profluentia, ex quo & cognomen sortita est; postea in Insulam Chium reversa, & se Christianam esse confessa, à Præside Numeriano vectibus vehementer verberata, Deo spiritum reddidit.

Eodem die celebritas Gabrielis Archangeli & commemoratio sancti patris nostri Stephani Sabaitæ.

Die XIV.

CErtamen sancti martyris Justi, qui fuit ex urbe Roma militans sub Tribuno Claudio, revertens vero aliquando à cæde Barbarorum vidit Crucem instar crystalli apparentem, & illinc exeuntem vocem audivit, qua divinæ pietatis mysterio initiatus, Romam profectus, facultates suas pauperibus distribuit, Christi fide exultans: quæ res cum Tribuno innotuisset, & Christi martyr à proposita confessione discedere nollet, illum misit ad Præsidem Magnentium, à quo interrogatus, cùm in Christiana confessione constanter permaneret, jussus est cunctis nervis verberari, postea ignita galea capite indui, & globos ferreos igne accensos ejus maxillis supponi, quæ omnia, & alia ejusmodi tormenta fortiter perferens Beatus martyr, Deum celebrans in caminum injectus spiritum tradidit, ejus sancto corpore integro permanente, ne pilo quidem læso ab igne, in quem fuerat injectus.

Eodem die Natalis S. patris nostri confessoris Joseph Archiepiscopi Thessalonicensis, qui fuit sub Theophilo Imperatore, filius Photini & Theoctistæ, Theodori Studitæ germanus frater. hic cum esset probatæ vitæ & rectæ fidei, communi suffragio Thessalonicensis Episcopus creatus est. Cumque una cum Theodoro obsisteret sanctarum imaginum oppugnatori Theophilo, nec ejus impietati cederet, confessor Theodorus exul Apolloniadem missus est, Joseph vero in carcere multas ærumnas perpessus, in sanctarum imaginum cultu persistens migravit ad Dominum.

Eodem die sancti Aquilæ, cujus laudes B. Lucas in actis Apostolorum descripsit, fuit enim Apostoli Pauli discipulus, & hospes, ab illo rebus divinis instructus. itaque errorem Dæmonum respuens sacerdos, & martyr passionum Christi effectus coronam ab illo accepit.

Die XV.

SAnctorum martyrum Cyrici & Julittæ. Hic fuit sub Diocletiano Imperat: ex urbe Iconio, quæ propter imminentem persecutionem celeberrimum Cyricum tres annos natum accipiens, venit Seleuciam. sed cùm illic quoque eandem Christianorum persecutionem invenisset, migravit Tarsum Ciliciæ, ubi Alexander quidam Præses immanis ex ferox, Christum invocantes homines cruciabat, à quo Julitta comprehensa torquebatur, extracto ex ejus manibus puero, conatus Præses illum blanditiis allicere. cùm non posset eum flectere, ad matrem intentis oculis spectantem, & balbutiente voce Christi nomen invocantem, & Præfectum ipsum despicientem. Nihilominus tamen cum Præses amplius conaretur illum ad se trahere, puer in ejus ipsius ventrem calce extensa, judicis iram in se ita concitavit, ut de gradibus tribunalis dejectum ad parietem, ejus calvariam allisam comminui fecerit. Itaque beatam animam sanctus puer emisit. sancta verò Julitta post multos cruciatus Christum ipsum abjurare non passa, capite obtruncato certaminis palmam consecuta est.

Eodem die sancti martyris Abudemii sub Diocletiano Imperatore ex Insula Tenedo, qui detentus cum cogeretur Christum abnegare, & execrabiles victimas degustare, nec id facere pateretur, flagris cæsus, & multa alia tormenta perpessus in Christianæ Confessionis constantia permanens, beata martyrii corona donatus, migravit ad Dominum.

Eodem die Natalis sancti martyris Antiochi. hic fuit ex urbe Sebastia, medicinæ artis peritus, qui detentus ab Adriano Præside, & ob Christianæ fidei professionem in ardentem lebetem injectus, & alia tormenta perpessus, obtruncatus est; Ex cujus jugulo lac prosiliit, quod miraculum, Cyriacus, qui ejus caput absciderat, cum vidisset, libere Christum ipsum confessus, & Idolis Adriani Præsidis Anathema pronunciasset, & ipse obtruncatus est capite, & appositus S. Antiocho.

Eodem die sanctarum martyrum Valentinæ & Theæ, quæ fuerunt ex Ægypto ad

SÆC. XI. ANNO 1095.

ad urbem Diocæsaream deductæ, Firmiliano Judici oblatæ, Christi veri Dei nostri confessæ nomen, sinistris pedibus combustis, & dexteris oculis effossis, gladio & mulieres Christi nomen confessæ martyrium pertulerunt, è quorum numero Beatus Martyr Paulus post latam sententiam, ut gladio percuteretur, stans & orans pro Christianis, pro Judæis, pro Samaritatis, pro Græcis, pro aliis quoque gentibus, ut ad verbi Dei notitiam venirent, & Christianorum persecutio cessaret, ad misericordiam & lachrymas omnes attraxit. Itaque capite obtruncatus est.

Eodem die sanctorum martyrum Onesiphori & Porphyrii ex urbe Iconio, quorum Onesiphorus fuit discipulus Pauli Apostoli, cum primum in urbem illam venisset, & hospitio in ejus domo acceptus esset, à quo cum tota familia baptizatus est, cumque B. Apostoli doctrina salutari eruditus esset, multos ad Christi fidem & ipse convertit. Quamobrem apud Hellespontum sub Hadriano Proconsule propter Christianæ fidei confessionem verberatur vehementissime, & cum Porphyrio servo Christiano homine ferocibus equis alligatus, & ad quatuordecim milliaria tractus, spiritum Deo tradidit, una cum illo, & B. Porphyrius omnia pro Christi fide certamina constanter sustinens, migravit ad Dominum.

Die XVI.

NAtalis Beati martyris Athenogenis Episcopi Pidachthoes ex urbe Sebastia sub Imperatore Diocletiano, qui detentus à Philomarcho Præside cum decem discipulis suis, multa tormenta cum illis ipsis passus, gladio percussus, capite obtruncatus, quievit in Domino.

Eodem die Sancti martyris Fausti, qui sub Decio Imperatore propter Christianæ fidei confessionem comprehensus, & libere Christum ipsum professus, cruci affixus, & sagittis vulneratus, cum quinque dies in cruce constanter permansisset, in manus Dei spiritum commendavit.

Eodem die Celebritas sanctorum sexcentorum triginta Patrum quartæ synodi oecumenicæ in urbe Chalcedone, tempore Martiani Imperatoris.

Die XVII.

SAnctæ martyris Marinæ. Hæc fuit ex Antiochia Pisidiæ, filia Ædesii sacerdotis Idolorum, quæ oblata Glybrio Præsidi, multis tormentis cruciata, Christum non negavit, postremo capite abscisso martyrii coronam suscepit.

Eodem die S. martyris Hyacinthi apud Amastridem. Hic ad Castrisium Præsidem, & Amastridis urbis magistratus cum ductus esset, Christianam fidem professus verberatur vehementer, evulsisque dentibus, per mediam urbem funibus trahitur, & acutis calamis vulneratur, postea conjectus in carcerem, Deo ipsi spiritum commendavit.

Eodem die sanctæ martyris Theodotæ. Hæc ex urbe Constantinopoli; cum ex facultatibus suis tres sanctas imagines fieri curasset, unam Christo Domino, alteram Dei Genitrici, tertiam sanctæ Anastasiæ, reliquas opes pauperibus & orphanis distribuit, cumque post multam virtutis exercitationem beata Theodota, cum multis aliis religiosis fœminis pro sanctarum imaginum cultu servando laboraret, impii Leonis Imperatore jussu gladio percussa consummata est.

Die XVIII.

SAncti martyris Æmiliani. hic fuit ex Durostolo urbe Mysiæ, servi Græci cujusdam, temporibus Juliani Apostatæ, & Capitolii. Cum vero Christum coleret, & Idola execraretur, nactus opportunum tempus, arrepto malleo, ingressus in templum idolorum simulacra omnia contrivit, & sacrificia dispersit, adiensque Præsidem, se ipsum denunciavit, qui verberatus, & in fornacem ignis injectus spiritum Deo commendavit.

Die XIX.

NAtalis sancti Patris nostri Dii, & B. Macrinæ sororis Basilii magni. fuit Dius sub Theodosio magno, apud Antiochiam Syriæ in virtutis exercitatione plurimum profecit, cumque divina revelatione venisset Constantinopolim, locum delegit, in quo monasterium ædificavit, multis pecuniis ab Imperatore suppeditatis, quibus opus ipsum

ipsum perfici posset, quin etiam Atticus Patriarcha illum cogens Presbyterum ordinavit; qui cum esset sanctitate praeditus, divina virtute atque invocatione Christi operatus, migravit ad Dominum. Sancta vero Macrina specie corporis, & morum probitate ornata, juncta quidem est sponso, sed antequam convenirent, ille mortuus est; cumque ipsam multi conjugem habere cuperent, maluit viduitatem servare, quam iterum nuptias subire. Itaque omni mundana commixtione seipsam separans cum matre vivebat, divinis rebus vacans, secundae matris loco filios post se natos nutriens. Cum enim decem essent filii, haec omnium fuit prima, quae cum fratre Gregorio de anima philosophata, ad extremum religiosam & sanctam vitam ducens, migravit ad Dominum.

Die XX.

NAtalis beati Prophetae Eliae, qui de coelo ignem detulit, pluviam detinuit annis tribus, & mensibus sex, duos quinquagenarios combussit, in monte Choreb Deum vidit, Jordanem scidit melote, & in coelum curru igneo assumptus est.

Die XXI.

NAtalis beatorum patrum Joannis & Simeonis, qui propter Christum cognomento Salo, hoc est stultus appellatus. Hi duo fuerunt ex urbe Edessa Syriae, Imperatore Justino juniore, qui divino desiderio commoti, profecti sunt ad sanctam civitatem, ubi cum vivificae crucis lignum adorassent, in monasterio sancti Gerasimi à sancto Nicone illius Mansionis Praeposito, suscepto habitu, monachi effecti sunt, atque illinc ante septimum diem egressi, eremum adierunt, ubi quadraginta annos omnem vitae duriciem exercuerunt. & Joannes quidem remansit in eremo, beatus vero Simeon reversus est in sanctam civitatem, ubi cum vivificum Christi sepulchrum adorasset, & Deum ipsum precatus esset, ut Mundum & homines lateret quandiu in hac vita superstes esset, ad urbem Emesam venit, ubi per simulationem stultitiae multis editis miraculis requievit in Domino. quo tempore post obitum, quantae sanctitatis esset, cognitus est. Cum enim duo pauperculi homines sine ulla funebri cura, illotum, thuris, & psalmodiae omnino expertem ad sepulchrum efferrent, Hebraeus quidam multam psalmodiam audiens, prospexit è domo in qua erat, ut videret quinam essent psalmorum cantores, cumque à duobus pauperculis hominibus sanctum illum virum efferri vidisset, animadvertens quod Angeli essent, qui psalmos canerent, beatus, inquit, es Salo, qui cum non homines psallentes habeas, Angelos habes hymnos canentes. Post aliquot dies, veniens Joannes amicus & monasticae exercitationis socius invenit beatum Simeonem migrasse ad Dominum, cum quo sanctus Joannes paucos post dies requievit in Christo.

Eodem die sancti Prophetae Ezechielis.

Die XXII.

NAtalis sanctae Mariae Magdalenae.

Die XXIII.

SAcro sancti martyris Phocae. Hic fuit sub Trajano Imperatore, vitae innocentia & virtutum splendore insignis. Qui adductus ad Africanum Praesidem, libere Christum praedicans ejus fidem docebat. Cum verò Africanus Christum blasphemare coepisset, & sanctum Phocam affligere, facto terraemotu cadens cum suis militibus exanimus jacebat, quem beatus Phocas ab ipsius uxore rogatus à mortuis suscitavit, ductus vero ad Trajanum Imperatorem suspensus est ac laniatus, sed in Christi confessione persistens, in ardentem fornacem injicitur, unde illaesus egrediens, in lavacrum valde fervidum immissus est, Deumque precatus emisit spiritum.

Eodem die Natalis beatorum martyrum Apollinarii, Vitalis Episcopi Ravennatis, Apollonii Romani, & sancti martyris Eugenii.

Eodem die sanctorum martyrum Trophimi, Theophili & sociorum, qui sub Diocletiano iniquo & Tyrannico Imperatore, cum ejus voluntati obtemperare, atque impuris simulachris immolare, & Christum ipsum abnegare non passi, lacerati sunt & lapidibus percussi, postea fractis cruribus in ignem injecti, ex quo incolumes servati, gladio percussi sunt.

SÆC. XI. ANNO 1095. Eodem die commemoratio eorum, qui ſunt apud * Vulgariam interfecti ſub Nicephoro Imperatore, Patre Stauratii, nono anno ejus imperii, quorum alii letalibus plagis acceptis, à vita diſceſſerunt, alii viventes capti, cùm Chriſtum abnegare non paterentur, multiplici & acerbæ morti ſubjecti ſunt. alii enim enſe obtruncati, alii funibus vincti, & ſuſpenſi ſuffocati ſunt, alii ſagittis vulnerati expirarunt, alii carceribus & fame conſumpti, martyrii corona donati ſunt.

* Bulgariam.

Die XXIV.

SAnctæ martyris Chriſtinæ, quæ fuit ex Urbe Tyro Urbani cujuſdam Ducis exercitus filia, quæ propter Chriſtianæ fidei confeſſionem, cùm Patris Idola confregiſſet, & pauperibus diſtribuiſſet, aurum & argentum ex quibus Idola ipſa confecta erant, variis ſuppliciis à Patre ſubjicitur, poſtremo à Juliano quodam Præſide, venenatis ſerpentibus tradita eſt, abſciſſis mammis & lingua, quæ omnia forti, & conſtanti animo perpeſſa, Deo ſpiritum commendavit.

Eodem die certamen ſanctorum martyrum Menei, & Capitonis.

Die XXV.

NAtalis ſanctæ Annæ, matris Beatæ genitricis Dei Mariæ.

Eodem die ſanctæ Eupraxiæ filiæ Antigoni cujuſdam ſenatorii ordinis & Eupraxiæ, ſub Theodoſio Imperatore, cujus erat conſanguinea; mortuo autem Antigono mater Eupraxia Theodoſio illam commendavit, qui ſenatorio cuidam viro deſpondit; illa verò diſcedens cum matre in Thebaidem Ægypti profecta ad monaſterium ingreſſa, in quo erant virgines centum & quatuor, parem Angelis vitam ducentes, æmulata earum virtutem à monaſterio ipſo diſcedere paſſa non eſt: erat autem tunc virgo ſexdecim annos nata: mater verò illinc diſcedens Orientis monaſteria obeundo poſſeſſiones multas & beneficia indigentibus contulit. Poſthæc cum in morbum incidiſſet, reverſa eſt ad manſionem, in qua filiam reliquerat, cumque omnes facultates ſuas filiæ commiſiſſet, requievit in Domino. Eupraxia vero cum bona omnia pauperibus, & Eccleſiis Dei diſtribuiſſet, monaſticæ vitæ exercitationem egregie amplexa, tantum in virtute profecit, & neceſſitates corporis ſubjugavit, ut per quadraginta quinque dies immobilis ſteterit, intentis ad cœlum manibus. Itaque propter excellentem virtutem beata Eupraxia miraculorum gratiam accepit, qua multos à variis languoribus liberavit, & ipſa beatum finem aſſecuta, ad Dominum translata eſt.

Eodem die ſanctæ Olympiadis, quæ fuit ſub Imperatore Theodoſio, Arcadio, & Honorio filiis, Aniſii ſecundi Comitis filia, neptis Ablavii Præfecti, ſponſa pauliſper Nebridii, qui fuit ex numero Præfectorum. Cum autem adhuc eſſet virgo, ejus viro ante copulam de medio ſublato, & virgo ſimul & vidua remanſit, omne tempus tranſigens in jejuniis, & orationibus, & pauperum beneficentia. Itaque omnes opes ſuas in curam Chriſti ſacerdotum exhauſit, præſertim in ſanctum Joannem Chryſoſtomum, quem præcipuè honorabat.

Die XXVI.

SAncti martyris Hermolai, & ſociorum. Sanctus Hermolaus, & ſocii ejus, Hermippus, & Hermocrates, ex clero Nicomedienſis ſanctæ Eccleſiæ fuêre presbyteri, ſuperſtites relicti ex iis ſanctis, qui à Maximiano Tyranno in Eccleſia combuſti ſunt, qui denunciati, quod Pantaleemonem occultaſſent, ad Maximianum ducti cùm Chriſtum Deum verum confeſſi prædicaſſent, obtruncati ſunt.

Eodem die Natalis beatæ martyris Paraſceves, quæ fuit Antonino Imperatore ex oppido quodam in finibus antiquioris Romæ Chriſtianis parentibus genita, quæ delata quod Chriſtianam fidem coleret, multis tormentis cruciata in confeſſione perſeverans, gladio percuſſa, ſpiritum ad ſempiternas manſiones tranſmiſit.

Die XXVII.

NAtalis beati martyris Pantaleemonis, qui fuit ex urbe Nicomedia, patre Euſtorgio Gentili, & matre Eubula Chriſtiana, medicinæ artis peritus, ab Hermolao Presbytero, Chriſti fidem edoctus, & propter ejus confeſſionem, minas,

nas, verbera, carcerem tetrum atque incendium perpessus ad cœlestem patriam migravit. SÆC. XI.

Eodem die commemoratio beatæ Anthusæ sub Constantino Imperatore cognomento Copronymo. Hæc religionis causa relinquens parentes, in montibus, & speluncis versabatur. Cum vero monachus quidam presbyter ad Martinei loca se contulisset, beata Anthusa ad ejus imitationem excitata, tam magnos in virtute progressus fecit, ut ad ardentem clibanum ignis, ipsius jussu ingressa, nihil passa exierit incolumis. Multis autem miraculis à Deo ipso digna effecta, cùm imaginem Christi coleret, illam abnegare Copronymus cogebat. itaque flagris cædi jussit fratrem consobrinum, quem beata illa virgo ad sanctarum imaginum venerationem hortabatur: postea & ipsam quoque crudis nervis verberavit, quæ sacras imagines supra caput accensas suscepit, mox in exilium mittitur, & Reginæ in partu vehementer laboranti fore prædixit, ut duos liberos fœminam & marem gigneret, prænuncians utriusque vitam & statum; Quamobrem Regina ipsa Monasteriis, quæ sub illa erant, beneficia multa contulit, & Tyrannus ipse à conatu abstinuit. ita virtus ipsa scit & feras mansuefacere. Cum igitur tam religiose vixisset, in summa senectute accessit ad Dominum. ANNO 1095.

Die XXVIII.

NAtalis Beatorum Prochori, Nicanoris, Timonis, & Parmenæ. Hi cum essent ex numero sanctorum Apostolorum, in diversis locis propter Christianæ fidei prædicationem, ab impiis persecutionem passi, eò quod Christum Dominum filium Dei, & perfectum hominem esse confiterentur, martyrii coronam assecuti sunt.

Eodem die Sancti martyris Eustathii apud Ancyram. Hic cum esset miles, adductus ad Cornelium Ancyræ Præsidem, interrogatus libere Christum confessus est; quamobrem verberatur, & talis perforatis, funibus comprehensus, tractus est ex urbe Ancyra usque ad flumen Sangarum, sequente & spectante ipso Præside, illic in arca inclusus in flumen dejectus est, sed divino nutu factum est, ut Angelus Dei arcam ipsam ad continentem terram extraxerit. Itaque inventus est sanctus ille incolumis canens psalmum illum: Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, & quæ deinceps sequuntur. Hæc cum cognovisset Præses erubescens, educto gladio seipsum interfecit: Sanctus vero Martyr orans, & divinum donum participans per columbam è Cœlo volantem ad se missum, in sancti illius Angeli, qui astiterat manus spiritum commendavit: ejus autem corpus in urbe Ancyra depositum est.

Eodem die Natalis sancti martyris Acatii. & Commemoratio Encæniorum templi sanctissimæ Dei genitricis Mariæ. Et certamen sanctorum Martyrum Quintiliani, Dadæ, Maximi, & Callinici. sanctus martyr Acatius fuit temporibus Licinii, cui oblatus, & Christianum se esse confessus, suspensus laceratur, postea traditur Terentio Tribuno, à quo in ardentem sartaginem injicitur, pice, oleo, & sevo plenam, unde ereptus Præsidem, Apameam, & Apolloniam proficiscentem sequi jussus est. Postea in templum Idolorum adductus, oratione Idola omnia contrivit: mox Tribuno traditus verberatur vehementer, & feris objicitur; Cumque fornacem ardentem introisset, illæsus permansit, sed cum Zelicinthius quidam frigidam esse fornacem opinatus, accessit, ut sciret quonam modo res se haberet, statim combustus in cinerem redactus est. Post hæc datur Posidonio qui ferreum onus illi imponens duxit in urbem Miletum, ubi rursus Idola comminuit, ad hæc capite obtruncato sanguis, & lac ex plaga scaturivit, Leontius vero presbyter Sancti martyris reliquias in domo cujusdam nomine Dorymedontis in urbe Synadonensi reposuit.

Die XXIX.

NAtalis Beati martyris Callinici, qui genus duxit ex Cilicia egregiis moribus in Dei timore à puero educatus multos docuit viam salutis. Itaque Idolorum errore detentos homines admonebat, ut rebus illis vanis abstinerent, & universarum rerum Creatorem Christum agnoscerent. quamobrem comprehensus ad Præsidem Sacerdonem ductus omnium generum tormentis subjicitur, & crepidis ferreis rectos clavos habentibus calceatus jussus est ante equos Præsidis currere usque ad urbem Gangram distantem stadiis octaginta. cum vero siti qui illum ducebant detenti non possent ulterius progredi, orans martyr ex petra aquam eduxit, quæ ad hanc usque diem scaturit: ubi vero Gangram venit; in caminum ignis injectus, spiritum Deo tradidit.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Eodem die Sanctæ martyris Theodotæ & filiorum. Hæc fuit ex urbe Nicæa, admodum pietatis & Dei Præceptorum studiosa, filios erudiens disciplinam Domini, iisdem temporibus quibus & Sancta martyr Anastasia vivebat; detenta vero à Leucaito Præside, cujus nuptias ipsa recusaverat, ob eam præcipue caussam, missa est ad Nicetium Præfectum Bithyniæ, à quo simul cum tribus filiis in caminum ignis injecta, martyrio coronata est.

Die XXX.

NAtalis sanctorum Apostolorum Silæ, & Silvani, ac sociorum, qui in urbe Chalcedone, & Gallia, atque in orbe terrarum Christianæ fidei verbum prædicantes multos ab impietate ad veri Dei notitiam conversos baptizarunt, & in pace animas Deo ipsi reddiderunt.

Eodem die certamen sanctæ martyris Julittæ, quæ fuit ex urbe Cæsareæ Cappadociæ, quam & Basilius magnus encomiis honoravit. Hæc cum cupisset apud præsidem Cæsareæ quendam iniquum hominem accusare, quod agros, villas, & pecora iniquè ac per fraudem alienas facultates ad se transferret, calumniatoribus, falsis testibus & judicum corruptionibus innitens; statim ab iniquo illo objectum est, quod esset Christiana, & propterea non conveniret, illam rerum publicarum participem fieri, quippe quod Imperatorum Deos non coleret. illa vero terrena omnia contemnens, Valeat, inquit, vita hæc & hujus mundi gloria, ego enim verum omnium creatorem & opificem non negabo. atque illico iniquus Judex igni eam tradidit: fornax vero continens sanctæ martyris corpus, tanquam thalamus quidam effulgens animam ipsam ad cœlestem Choream transmisit; Preciosum vero ejus corpus incorruptum, omnibus Christianæ fidei cultoribus servit.

Die XXXI.

NAtalis Beati Eudocimi junioris, qui sub Imperatore Theophilo, Christi Domini osore, claris ortus parentibus, erant enim Patritii, Orthodoxæ fidei cultores, & Eudocia, Cappadoces genere, quorum virtutem sequens probatæ fidei, & vitæ Eudocius eleemosynas quam plurimas quotidie largiebatur, sanctis Ecclesiis præclara dona offerens, viduis, & orphanis subveniens. Denique Beatus ille juxta Dei præcepta vivens, omne virtutis genus exercens, corporis infirmitate detentus, spiritum Deo tradidit, ejus vero consanguinei, prout ab illo jussi fuerant, cum indumentis, & calceis, illum sepelierunt, multis à Deo ipso decoratum miraculis. Et corporis quidem sancti translatio facta est sexto die mensis Junii, dormitio vero trigesimo primo Julii.

Mensis Augusti primo die.



COMMEMORATIO sanctorum Machabæorum, Eleazari, Solomonidis, & filiorum, qui fuerunt sub Antiocho filio Seleuci, à quo tota gens Hebræorum perdita, & in servitutem acta est, extat in eorum laudem sancti Gregorii Nazianzeni oratio.

Eodem die Commemoratio sanctorum novem martyrum apud Pergem Pamphyliæ passorum, Leontini, Atti, Alexandri, Cindei, Menesithei, Cyriaci Meneii, Catuni & Euclæi: omnes hi temporibus Diocletiani Imperatoris & Flaviani Præsidis apud Pergem Pamphyliæ, inde usque à majoribus Christiani, ex quibus Meneus erat faber, reliqui vero agricolæ, sed omnes unam mentem & sententiam habentes martyrii certamen subjerunt, itaque nocte quadam templum Dianæ ingressi, idola, quæ illic erant, subverterunt, quamobrem comprehensi ac verberati & ferreis unguibus laniati, feris objecti in Christi confessione perseverantes, obtruncati sunt.

Die II.

NAtalis beati Stephani Papæ Romani, sub Valeriano & Gallieno Imperatoribus propter persecutionem delitescens, ad se venientes gentiles baptizabat; cùm vero

ro

ro comprehensus in carcere detineretur, ordinavit Presbyteros, Diaconos, & lectores illic, & Nemesii cujusdam Tribuni filiam curatam, & ipsam & ejus patrem Nemesium baptizavit, quem & Diaconum fecit. baptizatus etiam ab eo fuit Sempronius Nemesii servus & Olympius cum Exuperia uxore, & Theodulo filio, qui & baptizati sunt à sanctissimo Papa Stephano inter viam Latinam & Appiam, quorum sanctas reliquias collegit beatus Pontifex. post hæc Sempronius, Olympius, Exuperia, & Theodulus ad statuam Solis ducti obtruncati sunt, quos in monumento deposuit beatissimus Stephanus; qui cum esset quæsitus, non est inventus, latuerat enim ante propter salutem eorum, qui per ipsum crediderant: detenti sunt autem pro illo ejus discipuli numero duodecim quorum nomina hæc sunt, Bonus, Faustus, Maurus, Primitivus, Columniosus, Joannes Exuperantius, Cyrillus, Honoratus, Theodosius, Basilius & Castus, qui statim sunt obtruncati & sepulti à Tertullo quodam Christiano, quem beatus Stephanus Presbyterum ordinavit, & Sapurius Tribunus, paulo post suspensum & nervis cæsum igne combussit. post hæc ductus est ad examen beatus Stephanus ad templum Martis, quod precibus suis destruxit, postea sacro ministerio inserviens obtruncatus est, cum quo & Tarsitius Dominicum corpus ferens, in ligno extensus, interfectus est. Post sanctum Stephanum, ordinatus est Pontifex Sixtus, interfectus & ipse postea cum sanctis martyribus Laurentio & Hippolyto.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die IV.

Natalis sanctorum septem in urbe Epheso dormientium Maximiliani, Exacustodiani, Jamlici, Martiniani, Dionysii, Joannis & Constantini.

Eodem die relatio sanctarum reliquiarum Beatæ matris nostræ, & martyris Eudociæ.

Eodem die Natalis beati martyris Eleutherii, qui fuit ex civitate Byzantio, unus ex ordine senatorio, conversus autem ad Christi fidem baptizatus, & Chrismate unctus sacramentorum particeps factus est, quem cum Imperator Maximianus Christianum esse cognovisset, gladii supplicio supposuit.

Eodem die Natalis beatæ martyris JA & sociarum. Hæc sub Sapore Rege Persarum, provectæ ætatis fœmina, comprehensa cum novem millibus Christianis captivis, à Principibus Magorum variis tormentis, & acerbis cruciatibus traditi sunt, cum quibus & beata JA fortiter & constanter perseverans, gladio percussa, martyrio coronata est.

Die V.

Natalis beati martyris Eusignii, qui cum esset Antiochenus genere, & miles sub Constante Chloro, patre Magni Constantini, pervenit usque ad Apostatæ Juliani tempora, annum agens centesimum & decimum, qui annos sexaginta septem in militia excelluerat. Hic ante Julianum constitutus ad examen, Imperatorem ipsum, ut patriæ pietatis desertorem redarguit, quippe qui honorem ipsius Dei ad Idola vana transtulisset. Hæc cum diceret, & magni Constantini virtutem commemoraret, aliis quidem prudens longa ætate & usu rerum visus est; sed Julianus eum irridens, ense caput abscindi jussit. Itaque ipsius in Christo martyrium completum est.

Eodem die sanctorum duorum martyrum Cattidii, & Cattidiani, qui propter Christianæ fidei confessionem lapidati in cœlum ascenderunt.

Eodem die commemoratio sanctæ Nonnæ matris sancti Gregorii Theologi in pace quievit.

Eodem die Natalis beati martyris Sobelis Ægyptii, qui perseverans in Christi confessione consummatus est.

Die VI.

Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi, quam sancta Ecclesia solenniter celebrat.

Die VII.

Natalis beati martyris Dometii Persæ, qui temporibus Constantini Magni, cùm esset Persa genere, instructus à Christiano quodam Αβάρφ relicta patria impietate veniens in urbem Nisibenam baptizatus, Monachorum habitu indutus, propter Christianæ

næ fidei confessionem à Juliano Apostata, cum duobus discipulis lapidatus martyrii coronam suscepit.

Die VIII.

Commemoratio sancti Æmiliani Episcopi Cyzici. Hic propter sanctarum imaginum cultum, multas ærumnas perpessus, in exilium ab impio Imperatore Leone missus, accepta confessionis corona dormivit in Domino.

Eodem die certamen Sancti martyris Marini senis, qui sub Diocletiano Imperatore, & Præside Lysia ex urbe Anazarbo, Christi fidem professus, jubente Lysia flagris cæditur; in carcere concluditur, ad interrogationem: postero die ductus, cum sacrificare recusaret, in ligno suspensus laniatur; postremo superatis omnibus tormentis obtruncatur, cujus corpus canibus & feris projectum Xanthias & Sapritius collectum sepelierunt extra urbem Anazarbum, in agro Randano, in laudem & gloriam Patris, filii, & Spiritus sancti, Amen.

Eodem die commemoratio sancti Myronis Episcopi Cretæ, cognomento Thaumaturgi. hic natus in Aurace urbe Cretensi propè Cnossum, divina pietate ornatus præcipuè verò misericordia, atque in pauperes charitate insignis, ordinatusque Presbyter in sancta Dei Ecclesia, postea verò & Episcopus constitutus, multis miraculis editis annum propè centesimum agens, migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Theodori Præpositi Oroborum, qui à pueritia crucem Domini tollens in montibus & speluncis ac vallibus solitariam vitam duxit. itaque ut unguentum preciosum atque incensum Domino in odorem suavitatis oblatum, in pace quievit.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Eleutherii, & Leonidis, qui propter fidem Christi igne consummati sunt.

Eodem die sanctorum decem Monachorum qui ex Ægypto ad eremum secedentes in pace quieverunt.

Eodem die certamen sancti Apostoli Matthiæ, qui unus ex septuaginta connumeratus est cum duodecim Apostolis pro Juda Ischariotha, prædicavit autem Evangelium in Æthiopia, ubi multis pro Christi fide superatis tormentis, spiritum Deo tradidit.

Die IX.

Natal: beatorum X. martyrum, qui propter sanctam imaginem salvatoris nostri Jesu Christi, in aurea porta constitutam martyrium passi sunt, quorum nomina hæc sunt, Julianus, Martianus, Joannes, Jacobus, Alexius, Demetrius, Photius, Petrus, Leontius, & Maria Patritia. omnes hi sub Leone Imperatore impio pro defensione sanctarum Imaginum, multas ærumnas perpessi, & variis tormentis superatis, postremo gladio percussi, martyrio coronati sunt.

Eodem die Natalis sancti martyris Antonii Alexandrini, qui propter Christi confessionem in fornacem ignis injectus, spiritum Deo commendans coronatus est martyrii corona.

Eodem die Inventio venerabilis, & non manu factæ Imaginis, conscriptæ à sancto patre nostro Gregorio Episcopo Nysseno, cujus intercessionibus Deus misereatur nostri.

Die X.

Sanctorum martyrum, Laurentii Archidiaconi, & Sixti, qui fidem Christi professi in urbe Roma sub Decio Imperatore martyrium passi sunt.

Die XI.

Sancti martyris Eupli, qui sub Diocletiano Imperatore ex Catana urbe provinciæ Siciliæ accusatus apud præsidem Calvisianum, quod Christi fidem coleret, manibus & pedibus ad genua vinctis suspensus in ligno recto, ferreis manibus laceratus, postea malleis ferreis ejus crura contusa sunt, & in carcere constitutus, sola oratione, fontem aquæ in carcere scaturire fecit, postremo percussus gladio quievit in Domino.

Eodem

Eodem die dies festus Encæniorum perpulchri, & venerabilis, & divini templi sanctissimæ dominæ nostræ genitricis Dei miserantis Mariæ. Sæc. XI.

Eodem die narratio de non manufacta imagine domini nostri Jesu Christi, temporibus Tyberii Imperatoris. Anno 1095.

Die XII.

NAtalis sanctorum martyrum Photii & Aniceti, qui sub Diocletiano Imperatore apud Nicomediam Christum confessi, multos, & varios cruciatus pertulerunt.

Eodem die sancti martyres Pamphilius & Capito, martyrium pro Christo passi sunt.

Die XIII.

COmmemoratio sancti Patris nostri Maximi confessoris, qui sub Imperatore Constantino Pogonato, summus Philosophus, vita & sermone illustris, relictis omnibus factus est monachus, qui cum vidisset Monothelitarum hæresim augeri, zelo divino commotus, Romam profectus est, sanctissimum Papam Martinum hortatus, ut localem synodum congregaret, & Monothelitarum hæresim Anathemate damnaret. hic & libros adversus illam ipsam edidit. Discedens autem Roma cum duobus Anastasiis discipulis suis, rediit Constantinopolim, ubi ad reddendas rationes vocatus à senatu, qui cum Imperatoris hæresi sentiebat: cum veritatis assertione illos argueret, à consessu rapitur, & in custodia includitur, postea in Thraciam ablegatur, ad hæc manus, & lingua abscissa est, aliisque cruciatibus superatis plenus dierum requievit in Domino, & depositus in monasterio sancti Arsenii.

Eodem die Commemoratio Beatæ Reginæ conditricis venerabilis monasterii omnipotentis Salvatoris nostri Christi Irenes, quæ post susceptum sanctum & Angelicum habitum appellata est Irene monacha.

Die XIV.

CErtamen sacro sancti martyris Marcelli Episcopi Apameæ Syriæ. Hic sub Theodosio magno Imperatore, ex Insula Cypro mundani magistratus regimen disponens ita se gessit, ut omnes in admirationem sui excitaret, postea factus est Pontifex Apamiæ Syriæ, quam urbem cum idolorum superstitioni addictam vidisset, illam destruere aggressus est: Sed cum Jovis impuri templum illic esset, quod plurimis machinis usi subvertere non poterant, dæmone quodam impediente, quo minus templum destrueretur, beatus Marcellus aquam accipiens, & sanctificans aspersit lignorum congeriem, & statim ignis accensus, templum illud Idolis addictum combussit. Quare gentiles in furorem concitati sanctum virum comprehensum in igne consummarunt.

Eodem die commemoratio sancti prophetæ Michææ.

Eodem die commemoratio sancti martyris Ursitii, qui sub Maximiano Imperatore ex urbe Sibento, urbe existente supra Illyricos, delatus apud Imperatorem, traditus est Præsidi; cumque in confessione stabili constanter permaneret, nervis boum verberatur; postea lineis funibus oleo perfusis involutus, sulfure & resina conspersus succensus est; Postremo lata sententia, sanctus Ursitius à Valente delatore, stricto gladio interfectus est. Itaque martyrio functus, à fideli quadam muliere Simplicia sepulturæ traditus est.

Die XV.

SAcra Dormitio sanctissimæ Dei genitricis Mariæ.

Die XVI.

CErtamen sancti martyris Diomedis. ex Tarso Ciliciæ ortus claris parentibus, qui Diocletiano Imperatore relicta Tarso, venit Nicæam Bithyniæ, ubi propter Christianæ fidei professionem accusatus est, cumque Imperatoris jussu quidam ad eum comprehendendum accessissent, mortuum invenerunt, cujus caput abscissum, ad Imperatorem attulerunt, quod cum vidisset, jussit reportari, & apponi corpori;

SÆC. XI. ANNO 1095. quod ubi factum est, statim milites ipsi, qui illud fecerant, eandem in oculilis ipsius energiam inspexerunt, quam antea in abscindendo ejus capite inspexerant.

Eodem die Natalis beati Cheremonis in pace quiescentis. Item sancti Rabulæ qui obdormivit in pace. Item sanctorum triginta trium martyrum, qui ex Palæstina igne consummati sunt.

Eodem die commemoratio formæ non manu factæ Domini Dei & salvatoris nostri Jesu Christi ex urbe Edessa ingressæ in hanc à Deo servatam, & regiam urbem reportatæ.

Die XVII.

CErtamen sancti martyris Myronis. hic fuit sub Decio Imperatore, Præside Achaiæ Antipatro, Presbyter Ecclesiæ, moribus & genere insignis. cum verò in festo die natali Jesu Christi Domini Antipater in Ecclesiam ipsam ad Christianos comprehendendos ingressus esset, sanctus Myro zelo Dei commotus contumelia illum affecit. quare suspensus, flagris cæsus est, & in ardentem caminum injectus est, fornax verò virum illum sanctum incolumem servavit, sed flamma ignis exiliens cumbussit centum quinquaginta homines circumstantes. nihilominus tamen cum sanctus ille denuo cogeretur Idolis immolare, nec ullo modo id facere vellet, loris ab humeris ad pedes usque cæsus est; postea laniatis carnibus, feris projectus ab illis ipsis ereptus est: quod cum vidisset Antipater, rubore persusus propriis manibus seipsum interfecit, sanctus verò Myron in urbem Cyzicum ductus à Proconsule sententia lata, cervicem gladio supponens, pro Christi confessione martyrio coronatus est.

Eodem die commemoratio immensæ benignitatis, quam Deus ipse ostendit in propulsandis impiis Agarenis, intercessione sanctissimæ Dominæ nostræ genitricis virginis Mariæ.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Pauli & Julianæ sororis & Stratonici in Ptolemaide, qui sub Aureliano Imperatore apud Ptolemaidem propter Christianæ fidei confessionem (erant enim non fide minus quàm carnis conjunctione fratres) carcere, verberibus, igne, veneno, & aliis multis, & variis tormentis superatis pro Christiana confessione mortem cum vita commutarunt.

Die XVIII.

NAtalis sanctorum martyrum Flori & Lauri. Hi viri sancti erant fratres Gemelli, cæsores lapidum, quam artem didicerant à Proclo & Maximo; postea verò quàm eorum magistri pro Christo martyrium perpessi sunt, relicto Byzantio venerunt in Illyricam regionem, in urbem Ulpianorum, ubi apud Lycionem Præsidem metalla perscrutantes propriam artem nobiliter exercebant, postremo multos passi cruciatus à Lycione Præside in profundum puteum dejecti Deo ipsi animas suas commendarunt.

Eodem die sancta pauperum multitudo, quæ Idolis confractis igne consummata est.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Hermæ, Serapionis, & Polyæni, qui fuerunt ex urbe Roma, & delati quod Christum colerent, Idola verò execrarentur, Præsidi Romæ oblati & Christum ipsum libere confessi, primum in tenebricoso & grave olenti carcere conclusi, atque illinc educti, & idolis immolare non passi, per angustissima difficilia & petrosa pertracti interea Deo ipsi animas commendarunt.

Eodem die certamen sanctarum martyrum Julianæ, & Leonis, qui passus est apud mare prope Myram urbem Lyciæ.

Die XIX.

NAtalis sanctorum martyrum Andreæ, ducis exercitus, & sociorum duorum millium quingentorum nonaginta trium, qui Maximiani Persecutoris temporibus delati apud Antiochum Ducem exercitus quod essent Christiani, perseverantes in Christi confessione ense percussi sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Timothei, Agapii, Teclæ, qui apud Gazam sub Urbano Præside Christianam fidem professi, verberibus, & aliis tormentorum generibus, ferarum dentibus expositi martyrii palmam acceperunt.

Eodem

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Eutychiani militis & Strategii qui pro Christianæ fidei confessione ignem pertulerunt. SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XX.

EOdem die commemoratio sancti Prophetæ Samuelis.

Eodem die commemoratio sanctorum triginta septem martyrum apud Byziam urbem Thraciæ passorum, qui partim ex Byzantio, partim ex Philippopoli detenti apud Byziam Thraciæ, à Præside Apelliano & variis exquisitis tormentis examinati, cum Christum ipsum liberè profiterentur, postremo in caminum ardentem, manibus & pedibus mutilatis, dejecti sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Severi & Memnonis Centurionis, qui pro Christi fide verberibus & loris à capite usque ad pedes cæsi, in ligno suspensi, atque in fornacem abscissis pedibus injecti spiritum Deo commendantes martyrii coronam acceperunt.

Eodem die commemoratio sanctæ martyris Photinæ extra portam Blachernorum.

Eodem die Natalis sancti martyris Lucii senatoris. Hic fuit ex urbe Cyrenæ Libyæ primus inter senatores, qui cum antea Idolorum superstitioso errori addictus esset, videns sacrosanctum martyrem Theodorum ejus urbis Episcopum, fortiter atque immobiliter martyrii coronam consequutum, à Christi Domini gratia compunctus, divinum Baptisma suscepit, & Digniano Præsidi persuasit, ut in Christum crederet, quem secum in Cyprum duxit, ubi cum Christianos homines comprehendi & interfici vidisset, latens Dignianum, tortoribus seipsum tradidit & Tyranno ipso jubente, capite obtruncatus est.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Heliodori & Dosai.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Pauli junioris Archiepiscopi Constantinopolitani.

Die XXI.

NAtalis B. Apostoli Thaddæi qui Lebeus dictus est. Et sanctæ martyris Bassæ. S. Apostolus Thaddæus ex urbe Edessa, Hebræus genere, divinis litteris eruditus, ascendit Hierosolymam in diebus Joannis Baptistæ, cujus prædicationem audiens, & ejus Angelicam vitam admiratus, ab eo baptizatus est. Postea Christum videns, & ejus ipsius infinita miracula cœlestemque doctrinam audiens, secutus est eum: post cujus in cœlum ascensionem, reversus in patriam Abagarum Regem baptizavit, ejusque lepræ quod reliquum fuerat, curavit; cumque multos alios docuisset, & fide illustrasset, Ecclesiis ædificatis, pertransiit urbes Lyciæ, cumque Berytum civitatem Phœniciæ venisset, & illic multos ad Christi fidem conversos baptizasset, requievit in Domino. Sancta verò martyr Bassa sub Maximiano Imperatore apud urbem Edessam accusata quod esset Christiana, ducta est ad Proconsulem Vicarium cum tribus filiis, Theognio, Agapio & Fideli, quorum Theognius primus ex filiis suspensus laceratur, adhortante illum matre ad certamen atque obsecrante, ductus est & secundus Agapius nomine, & flagellis cæsus, cumque pellis capitis usque ad pectus detracta esset, lætanti animo & voce, nihil ita suave sibi videri affirmabat, quàm pro Christo pati. post hos ductus est tertius, qui Fidelis appellabatur, qui Christi fidem confessus, & variis tormentis probatus, sententiam una cum fratribus accepit. Itaque statim capitibus obtruncati sunt. Bassa vero illorum mater educta è carcere jussa est sequi Vicarium Præsidem Macedoniam proficiscentem; ubi cum Idolis immolare omninò recusasset, in ignem injicitur ac lapidatur, cumque illæsa ex omnibus evasisset, ducta est ad templum Idolorum, & Jovis simulachrum in terram dejectum confregit atque comminuit. Ad hæc feris traditur, & in mare quasi stadiis triginta à continente distans projecta est; quo tempore apparuit è longinquo in throno decoro sedens, cumque illa tres viri sole fulgentiores, qui visi sunt illam simul cum throno in navigio ponere; postque dies octo apparuit in Halone Insula Hellesponti; quod cum Macedoniæ Proconsul Philippo quodam nunciante cognovisset, scripsit ad Consularium Cyzici Hellespontiacæ Provinciæ, ut illam detineret, & si Idolis sacrificia offerre nolentem invenisset, jussit manibus post terga revinctis ejus membra confringi, & sic caput abscindi; quo facto, spiritum in manus Dei commendavit.

Eodem die commemoratio sanctæ Theoclitæ miraculorum effectricis. Hæc fuit sub Theophilo Christi osore, ab infantia Deo gratis moribus educata, divinorum eloquiorum meditatione & multarum eleemosynarum in pauperes distributione, & opere quo-

quotidiano laborans, ut necessitatibus pauperum ministraret. hæc & diem obitus sui prædixit. Quot vero & quanta fuerint per eam edita miracula, difficile admodum foret brevi sermone comprehendere.

Die XXII.

COmmemoratio sancti martyris Agathonici & sociorum Zotici, Theoprepii, Acindyni & Severiani. Sanctus Christi martyr Agathonicus temporibus Maximiani comprehensus est à Comite Eutolmio. qui ex urbe Nicomedia ab Imperatore in Ponticam Regionem ad cædem Christianorum missus, cum invenisset sanctum Zoticum cum discipulis Christum prædicantem, crucis morte condemnavit; deinde reversus Nicomediam, audiens quod Princeps per quendam Agathonicum avertentem Græcos ab Idolis, & ad Christum convertentem crediderat, missis militibus utrumque comprehendit, & sanctum quidem Agathonicum vehementer cædi jussit, Principem vero cum aliis Christianis devinctis una cum Agathonico in Thraciam duci, ubi erat Imperator, ut apud ipsum fieret eorum inquisitio; ubi vero ad eam * regionem venit, quæ fluvii nomine appellatur, sanctum Zenonem, Theoprepium & Acindynum catapultis interfecit. Cumque esset prope Chalcedonem, interfecit sanctum Severianum libere Christum prædicantem: Byzantii vero sanctus Agathonicus cum reliquis vinctis & ipso Principe ductus extra urbem verberatus vehementer, cumque pervenisset Lilybæum, ubi Maximianus Imperator versabatur, capite obtruncatus est cum Principe & aliis Christianis, quos ex Nicomedia Comes adduxerat, quibus cum sanctus Agathonicus martyr corona decoratus est.

* *Menæa magna: ἐν χωρίῳ λεγομένῳ ποταμῷ.*

Eodem die natalis beatæ martyris Anthusæ & Athanasii Episcopi qui eam baptizavit, & Charissimi, & Neophyti servorum. Hæc fuit sub Valeriano Imperatore ex urbe Seleucia, parentibus divitibus, sed idolorum cultoribus, cum verò cuperet Christi baptismum & Athanasium Episcopum in Tarso Ciliciæ verbum Dei prædicantem videre, persuasit matri, ut jugum mulorum præberet, quasi ad nutricem se ire velle affirmans; sumptis autem Charissimo & Neophyto, viam ingressa est, cui Episcopus Athanasius ab Angelo sublatus præsens adstitit, quem videns & discens quisnam esset, ad ejus pedes procidens, supplex petiit, ut sancto baptismate illam signaret; cumque deesset aqua, oravit Episcopus, & statim è terra fons aquæ scaturiit, ac duo Angeli in specie militum apparuerunt, albas vestes illi prætendentes. Baptizata est igitur ipsa, & duo famuli cum illa, quæ multam & auro contextam Episcopo ipsi vestem dedit, eamque pauperibus dari petiit, ipsa vero modesto, & humili habitu induta ad nutricem accessit, quæ illam videns, repulit, vilem & abjectam vestem & Christi fidem exprobrans: postea vero quam ad matrem reversa est, ut illam vidit tristem, clam abiens ad Athanasium Episcopum recurrens, monasticam vitam subiit. Aspera itaque veste induta & cruce suscepta in eremo tribus & viginti annis cum feris conversans, & ab ipsis nutrita, multis dæmonum tentationibus superatis in pace Deo ipsi spiritum commendavit, componens se ipsam in petra in qua dormire consueverat. Post hæc sanctus Athanasius Episcopus detentus, & ductus ad Imperatorem Valerianum multis verberibus cæsus ense percussus, martyrii gloriam consequutus est; Sancti vero Carissimus & Neophytus, Eunuchi Beatæ Anthusæ, qui cum ea ab Athanasio Episcopo baptizati fuerant, post obitum Dominæ suæ, & martyrium sancti Episcopi, adierunt Valerianum, & se Christianos esse confitentes, ferreis vinculis constricti, missi sunt ad Ducem Apellianum, quo audiente, Christum professi, suspensi, usque ad tres horas, toto corpore laniati sunt, demum obtruncati, migrarunt ad Dominum.

Eodem die sancti martyres Irenæus, Orus, & Oropsis, gladio post ignem, post feras, post suspendia, ense percussi martyrii palmam acceperunt.

Die XXIII.

NAtalis sancti martyris Luppi, qui cum antea esset servus, martyrii dignitate, quam gladio percussus, assecutus est, libertate donatus, Christi amicus effectus est.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Irenæi Episcopi Sirmii. Hic cum esset Diocletiani Imperatoris temporibus Episcopus Sirmii, detentus, ductus est in Pæoniam, & oblatus Probo Præsidi, cum Christum ipsum verum Deum esse confiteretur ac prædicaret, in carcerem injicitur, atque illinc eductus, flagris cæditur; postea gladio

dio percutitur, & in fluvium Saum demergitur, & sic ejus martyrium consummatum est.

Eodem die Natalis sacrosancti martyris Irenæi Episcopi Lugdunensis, qui temporibus Marci Antonini, cum esset in Gallia Episcopus, Lugduni libros plurimos Ecclesiæ reliquit, fidem nostram confirmans, post Photinum Lugdunensis civitatis Episcopum pro Christo passum, ejusdem Ecclesiæ gubernacula suscipiens, multos prædicationibus ab Idolorum errore abreptos, & Christi martyres adduxit, postremo & ipse à persecutoribus gladio consummatus coronatur.

Die XXIV.

COmmemoratio sancti martyris Tationis, qui cum esset ex oppido Mantineo sub Claudiopoli Metropoli provinciæ Onodiadis, comprehensus à gentilibus, eo quod Christum coleret, astitit in eadem urbe Urbano Præsidi. Confessus autem se Christianum esse, verberatur, & ferro cæsus, cum ad portam civitatis venisset, vocem audiens, bona, quæ illi reposita erant nunciantem, Domino spiritum commendavit.

Eodem die Commemoratio S. Patris nostri Georgii Limniotæ. Hic à puero in finibus montis Olympii, vitam monachi exercens, sub Leone Imperatore sacras imagines frangente, & sanctorum hominum reliquias comburente, liberè pietatem prædicans, atque impietatem Tyranni redarguens, in summa senectute (annum enim agebat nonagesimum quintum) multiplices cruciatus perpessus, postremo abscissis naribus, & combusto capite, gratias agens Deo ipsi spiritum commendavit.

Die XXV.

RElatio sanctarum reliquiarum S. Apostoli Bartholomæi. Item S. Titi Episcopi Gortynæ urbis Cretæ, discipuli S. Apostoli Pauli. Hic beatus Titus annos 20. natus, venit ex Creta Hierosolymam, & usque ad Domini nostri Jesu Christi ascensionem, expleto anno uno decem alios annos illic permanens, ordinatus est Apostolus, prædicavit Evangelium annos 10. & 8. apud Cretam, & reliquas insulas, * annos 6. in patria verò, ex his 94. annorum colligitur numerus.

Eodem die Commemoratio SS. Patrum Epiphanii, Menæ, Gennadii, & Joannis Archiepiscopi Constantinopoleos. Beatus Menas temporibus Justiniani Imperatoris Presbyter fuit sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ. postea factus est Archiepiscopus ejusdem urbis ab Agapito Romano Pontifice, quo tempore Constant. venit, qui Anthimum hæreticum ex Trapezunte Constantinopolim ab hæreticis translatum deponens, beatum Menam ordinavit. bene igitur Ecclesiam regens, & gregem augens, migravit ad Dominum. Una cum sancto Mena, & sanctorum patrum qui supradicti sunt, dies festi celebrantur, quorum intercessionibus adjuvemur.

Die XXVI.

COmmemoratio sanctorum martyrum Hadriani, Nataliæ & Sociorum. Martyr Hadrianus & Natalia ejus uxor, fuerunt ex urbe Nicomedia: in secunda vero persecutione Maximiani comprehensi sunt Christiani homines, numero viginti tres, qui latuerant in speluncis. cùm igitur plurimis tormentis subjecti essent, interrogati quare intolerabiles illos cruciatus sustinerent, responderunt, se illos libenti animo ferre, ut bona lucri facerent à Deo his parata, qui pro eo patiuntur. Statim beatus Hadrianus hæc audiens, à divina gratia compunctus, Notariis dixit, ut ejus quoque nomen cum Christianis scriberent. Libenter enim cum illis, inquit, commoriar & ego. Itaque cum Notarii scripsissent & ferreis vinculis eum astrinxissent, ut hæc cognovit Natalia conjux, existimans ob aliam causam comprehensum fuisse, pulcram vestem induta, ingressa est ad carcerem: ubi causam carceris edocta, vincula viro sancto imposita suaviter deosculabatur, eumque beatum prædicabat, & hortabatur, ut ad perferenda tormenta immobilis permaneret, eosque sanctos viros, qui cum ipso erant precabatur, ut pro illo orarent. Denique pro Christi confessione multis & variis cruciatibus superatis Hadrianus & socii, mortem oppetere, quàm sine Christo vivere maluerunt, quorum sancta corpora Eusebius quidam vir fidelis in civitatem Argyropolim perlata prope Byzantium reposuit, quo & Natalia uxor Hadriani veniens, postea spiritum Deo reddidit, & prope sanctas martyris reliquias sepulta est.

Sæc. XI. Anno 1095

Eodem die Natalis sanctorum martyrum, qui una cum sancto Adriano propter Christi confessionem martyrio coronati sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Attici, Sisinnii & sancti patris nostri Ibistionis.

Eodem die Natalis alterius Hadriani martyris. Hic fuit sub Licinio in civitate Byzantio, filius Probi Imperatoris, cum alio fratre Domitio, qui post Titum fuit Archiepiscopus Byzantii. beatus igitur Adrianus cupiens pro Christo mortem pati veniens Nicomediam exprobravit Licinio, quod temerè Romanos exercitus vastaret prætextu Christianæ persecutionis. quare diversis modis cruciatus, capite obtruncatus est, cujus frater Domitius Episcopus sanctas reliquias collectas in Argyropoli deposuit, ubi erant Adriani, & Nataliæ conditæ reliquiæ, cum Stachi Apostolo.

Eodem die Natalis Tithoæ in pace requiescentis.

Die XXVII.

COmmemoratio sancti patris nostri Poemenis. Hic fuit genere Ægyptius, qui secedens cum fratribus effectus est monachus. Hic beatus Anachoreta tam egregie omnem virtutem exercuit, ut omnes in Ægypto & Thebaide senes Patrem hunc appellarent, & ad rectè vivendi formam directi componerentur. obiit autem in ætate provecta plenus dierum.

Eodem die commemoratio sanctæ martyris Euthaliæ. Hæc fuit in Sicilia, matrem habens gentilem, sanguinis fluxu laborantem, quæ curata est à sanctis martyribus Alpheo, Philadelpho, & Quirino. Credens itaque in Christum baptizata est cum Euthalia filia; cum vero haberet filium nomine Sermilianum, detenta est, ab illo ut suffigeretur, eo quod in Christum credidisset, illa vero ab ancilla extracta è manibus filii aufugit; cujus rei causa commota Euthalia execrabilem illum pro matre convicians audivit à fratre ipso, Nunquid & tu Christiana es? Maximè, inquit sancta illa virgo, & pro Christo ipso libenter moriar: quod audiens prophanus ille denudatam vehementer verberavit, & uni famulorum violandam tradidit, illa verò Deum precata, excæcavit famulum, quod cum vidisset scelestus Sermylianus, caput abscidit.

Eodem die Natalis S. Æthiopis Eunuchi à beato Philippo Diacono baptizati.

Eodem die Natalis beatæ Anthusæ junioris, quæ aspera & lacera veste induta atque in puteum pro Christi confessione dejecta consummata est.

Die XXVIII.

COmmemoratio sancti patris nostri Mosis Æthiopis, qui fuit genere Æthiops, colore niger admodum, perversis moribus, & latrocinio insignis: sed aliquando compunctus monasterio seipsum tradidit, & ita pœnitentiam exercuit, ut etiam latrocinii socios ad Christum converterit. Cùm vero aliquando sederet in cella, latrones quidam in illum irruerunt, nescientes esse Mosem, quos beatus ille funiculo tanquam sacculum paleæ plenum ligans, ad templum afferens dixit fratribus, Quando non licet mihi injuriam inferre, & hos deprehendi, quid jubetis me facere istis? Illi vero cùm eum agnovissent, quod esset Moses celeberrimus ille, atque inexpugnabilis latronum princeps, confessi & ipsi peccata sua abrenunciarunt mundo, & facti sunt monachi probatissimi. Vitam igitur Deo gratam ducens sanctus Senex, debellato intemperantiæ Dæmone, obiit annos natus septuaginta quinque, Presbyter effectus septuaginta discipulos relinquens.

Eodem die Natalis sancti Ezechiæ Regis in pace quiescentis.

Eodem die Natalis sanctæ Annæ filiæ Phanuelis.

Die XXIX.

DEcollatio pretiosi capitis sancti Prophetæ Præcursoris Joannis Baptistæ apud urbem Hierosolymorum.

Die XXX.

SAnctorum Patriarcharum Alexandri, Joannis & Pauli junioris.

Eodem die Natalis sancti miraculorum effectoris Fantini. Hic genus ducens ex regione Calabrorum, Georgii & Bryenæ filius ab infantia Deo consecratus, monasterio traditus est, in quo virtutem omnem exercens, & Dei præcepta custodiens, divinis

vinis revelationibus dignus efficitur; ita continens, ut dies viginti jejunus transigeret, quin etiam quatuordecim annis nudus vixit, innumerbiles calamitates ex Saracenorum incursibus pertulit. In his annos sexaginta durans, Vitalem & Nicephorum discipulos assumens adiit Peloponnesum & apud Corinthum multo tempore diversatus, plurimis salutem conciliavit; Athenas profectus sanctum Dei genitricis Mariæ templum adoravit. Larissam venit, ad sancti Achillei sepulchrum assidens. Thessalonicam se conferens magni martyris Demetrii miraculis fruitur, totos octo annos consuetum canonem abstinentiæ exercens, in senectute bona vitam hanc terrestrem dissolvit.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XXXI.

COmmemoratio preciosæ Zonæ sanctissimæ Dei parentis Mariæ, repositæ in venerabili ejus æde, cum Zona ipsa relata est ab Episcopatu Zelæ sub Justiniano Imperatore, & factum miraculum per impositionem pretiosæ Zonæ super Reginam Zoem conjugem Leonis Imperatoris.

Mensis Septembris primo die.

COMMEMORATIO Sancti Patris nostri Simeonis Stylitæ, qui fuit sub Imperatore Leone Magno & Martyrio Antiochenæ urbis pontifice, à provincia Ciliciæ ex castello Sesan, qui monasticam vitam ingressus in columnam ascendit, in qua quadraginta septem annos stetit, & multis per eum editis miraculis in pace quievit.

Eodem die Commemoratio sanctæ Marthæ, matris beati Simeonis Stylitæ, & sanctæ Evanthiæ, & Dormitio Jesu Nave.

Eodem die Natalis sanctarum quadraginta mulierum martyrum, virginum & monialium. Et Ammun Diaconi earum magistri. Hæ fuerunt ex Adrianopoli Macedoniæ, quæ Christum secutæ sunt, habentes magistrum Diaconum Ammun, detentæ verò à Rabdo Adrianopolis Principe, & plurimum cruciatæ, quod dæmoniis non immolarent, precatæ sunt Deum, ut eas conservaret. Itaque suspensus est in aëre sacerdos Idolorum, & per multas horas cruciatus cadens in terram interiit. suspensus est autem sanctus Ammun, & laniatis lateribus, cassidem ignitam in capite accepit, ex qua liberatus missus est cum virginibus à Beroe Heracleam Thraciæ ad Licinium Tyrannum; ille vero sententiam tulit, ut decem in ignem dejicerentur, octo verò cum magistro suo obtruncarentur: & aliæ quidem decem ense in ore & corde accepto interfectæ sunt; sex verò gladiis concisæ, & reliquæ sex gladios ignitos accipientes abierunt ad Dominum.

Die II.

SAnctorum martyrum, & germanorum fratrum Evodi, Callistæ, & Hermogenis. Hi sancti martyres germani fratres tanquam ex uno ventre geniti, per divinum lavacrum spiritali modo renati sunt, divinæ prædicationis tempore. Christiani verò effecti apud Principem delati sunt, quorum generosus, & fortis animus apparuit, cum imperterriti mortem pro Christo sustinuerunt. Itaque martyrii cursu exacto, migrarunt ad Dominum.

Eodem die Natalis sancti martyris Manantis, qui fuit ex Gangra urbe Paphlagonum Christianis parentibus mortuis susceptus puer à Christiana quadam muliere Ammia nomine. cùm verò esset natus annos quindecim, comprehensus ut Christianus virgis cæditur, & plumbo alligato collo in mare projicitur, sed divina ope è periculo liberatus in spelunca quadam latens nutriebatur cervarum lacte. sed iterum detentus injectus est in caminum, & feris expositus, postremo tridente ferreo visceribus dilaniatis ex præsenti vita ad cœlestem translatus est.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Pauli junioris Archiepiscopi Constantinopolitani. Item sancti Diomedis gladio percussi. Et sancti Juliani, cujus caput ligno confractum

Sæc. XI. Anno 1095.

fractum est, nec non sancti Philippi ense percussi. Item sancti Eutychiani ignis flamma consummati.

Eodem die Natalis beati Hesychii, qui ex Christi confessione necatus est. Item sancti Leonidis igne incensi, sancti Eutychii crucifixi, sancti Philadelphi, qui saxo alligato collo, relicto carnis onere levis ascendit in cœlum. Item sancti Menalippi igne consummati, & sanctæ Parthagapæ, quæ in mare dejecta martyrii coronam assecuta ex hujus mundi fluctibus erecta in cœlum translata est.

Die III.

NAtalis beati martyris Anthimi Episcopi Nicomediæ, & sancti Patris nostri Theoctisti, qui fuit exercitationis socius magni Euthymii. sanctus Anthimus Præsidente Maximiano comprehensus, & interrogatus Christum libere prædicans & tormenta omnia sibi proposita contemnens, verberibus, igne, & multis variisque cruciatibus superatis, postremo obtruncatus, martyr Christi efficitur.

Eodem die Commemoratio sancti Zenonis, qui in lebetem plumbo ferventi plenum injectus Dei amore fervens ad Christum Dominum, pro cujus confessione passus fuerat, translatus est.

Eodem die Natalis sanctæ Basilissæ, quæ Alexandro in urbe Nicomedia Præsidente feris objecta, & alia tormenta perpessa, martyrio coronata est.

Eodem die Natalis beati Aristionis Episcopi Alexandriæ, qui in igne probatus migravit in cœlum. Item sancti Charitonis, qui in foveam ardentis ignis plenam injectus, martyrio donatus est.

Die IV.

NAtalis sacrosancti martyris Babylæ Episcopi Antiocheni, & sanctorum trium, qui una cum illo, gladio consummati sunt. Beatus Babyla cum Imperatorem Numerianum ab Ecclesia expulisset, propterea quod Persarum Regis filium, quem obsidem habebat, interfecerat, ferreis vinculis adstrictus, ac circumductus unà cum tribus illis pueris capite obtruncatus est.

Eodem die Sanctus Babylas in Antiochena urbe magister, una cum octoginta quatuor pueris, quos docebat, obtruncatus est.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Theothimi, & Theoduli, qui pro Christi confessione, igne combusti sunt.

Eodem die Natalis sancti Prophetæ Moysis in pace quiescentis. Item sanctæ Hermiones, quæ fuit una ex quatuor filiabus Philippi, qui Candaces Reginæ Eunuchum baptizavit. Hæc sancta Hermione sub Trajano Imperatore pro Christiana confessione forti & constanti animo perferens tormenta, multis editis miraculis, migravit ad Dominum.

Eodem die sanctorum martyrum Centerionis, Oceani, Theodori, Ammiani & Juliani, qui fuerunt ex oppido Candaule. Hi omnes cum Christum confiterentur, post multos cruciatus, jussu Maximiani in lavacrum injecti sunt, atque illinc à divino Angelo erepti, abscissis securi pedibus, in ignem conjecti consummati sunt.

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Petronii, Charitinæ, Zarbeli, Thatuelis, & Bevææ, qui sub Adriano Imperatore pro Christo sanguinem fuderunt, ex quibus Thatuel cum esset Dæmoniacæ fallaciæ sacerdos, ab Episcopo quodam Christiano ad Christi fidem conversus est, quamobrem ab Augaro regionis illius Duce, virgis cæditur, oculis comburitur, & manibus post terga ligatis in ventre verberatur, ex altera manu suspensus laniatur, postea * tectonico instrumento à capitis vertice sectus cum Bevæa sorore gladio consummatur.

* Menæa: ἐν ὀργάνῳ τεκτονικῷ βληθείς.

Eodem die Commemoratio sanctorum trium millium sexcentorum viginti octo martyrum, qui in montibus & speluncis Nicomediæ latentes comprehensi à Maximiano Præside plurimis tormentis traditi pro Christiani nominis confessione, mortem lætanti animo subierunt.

Die V.

NAtalis sancti Prophetæ Zachariæ, patris beati Præcursoris Joannis Baptistæ.

Eodem die Natalis Abdæi, qui spinosis virgis cæsus Christum Dominum spinis coronatum sequutus est.

Eodem

Eodem die Natalis beati martyris Rhaidis, quæ igne consummata est. Item S. Sarbili à carnificibus lapidati.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Urbani, Theodori, Medimni, & Sociorum octuaginta Sacerdotum, & Levitarum, qui sub perversæ mentis Imperatore Valente ab Ecclesia expulsi, atque infinita mala perpessi, postremo in navigium conjecti, incenso navigio combusti migrarunt ad Dominum.

Eodem die commemoratio sancti Petri, qui fuit in Athero, & sancti martyris Audii Episcopi tempore Insdigerdi regis Persarum. Hic sanctissimus Audius detentus à primario Persarum Mago, cum Soli sacrificare renueret, toto corpore virgis cæditur, ita ut à carnificibus, quasi mortuus reportatus, paulò post spiritum Domino tradiderit.

Die VI.

COmmemoratio miraculi ostensi à Principe militiæ cœlestis Michaële in urbe Colossensium, quæ postea dicta est Chone.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Eudoxii, Zenonis, Romuli, Macarii, & reliquorum. Sanctus Romulus capite obtruncatus est à Trajano Imperatore, qui Christianos plurimos in diversas regiones exules misit, & in Christianæ fidei confessione permanentes mortis supplicio subjecit. Eudoxius verò Comes sub Diocletiano detentus à Præside Melitinæ obtruncatus est, cumque eo milites numero mille centum & quatuor. paucis post diebus B. Zeno cum reliquis sancti Eudoxii sociis, martyrii coronam accepit.

Eodem die sanctus Medimnus injectus in navigium, cumque illo demersus in mari martyrio consummatus est.

Eodem die Natalis sanctorum Fausti, Macarii, Andreæ, Abibi Diaconi & Monachi, Dionysii lectoris, Cyriaci Acoluthi, sancti Fausti, Andronici militis, Theoctisti naucleri & sanctarum mulierum Andropelagiæ & Teclæ. sub Decio Imperatore, Præside Valerio apud Alexandriam propter Christiani nominis confessionem obtruncati, sanctas animas Deo commendantes in cœlum migrarunt.

Die VII.

COmmemoratio sancti martyris Sozontis. Hic ex Lycaonia conversus ad Christi fidem, ingressus in templum Idolorum, in quo erat statua ex auro & argento confecta, dexteram manum Idoli cujusdam abscissam vendidit, ejusque pretium pauperibus distribuit, ob idque comprehensus à Maximo Præside Ciliciæ Christianam fidem confessus, calceis acutos clavos infixos habentibus indutus currere cogebatur, Dei gloriam celebrans; postea suspensus in arbore & verberatus tradidit Deo spiritum.

Eodem die commemoratio sanctorum Evodii & Onesiphori.

Eodem die Natalis sancti Stephani Romani Pontificis, sub Valeriano & Galieno Imperatoribus martyrium pro Christo passi.

Eodem die celebratur Dormitio venerabilis Lucæ, qui fuit ex Provincia Lycaonia tertius Præpositus Monasterii, quod * Profundi Ryacis nomine appellatur.

* Μεγάλα μάγνα: βαθέως ῥύακος.

Eodem die Natalis beati martyris Eupsychii ex Cæsarea Cappadociæ, qui sub Adriano Imperatore comprehensus à Sapricio Præside Cappadociæ venditis prius facultatibus omnibus, cùm partem quandam accusatoribus dedisset, quippe quod per eos regnum cœlorum ei conciliatum esset, quod reliquum fuerat, dispersit pauperibus; quapropter à Sapritio judice cum cogeretur Idolis immolare, idque recusaret, laniatus est, postea percussus, sanctam animam Christo Domino commendavit.

Die VIII.

NAtivitas sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genetricis & semper virginis Mariæ.

Die IX.

SAnctorum Joachimi (*a*) & Annæ, parentum beatissimæ virginis.

Eodem die certamen sanctorum Rufi & Rufiani, qui cum essent germani fratres, pro

(*a*) Cantica duo Ecclesiastica, Græce composita in honorem Joachimi & Annæ, manuscripta memorat Lambecius Bibl. Vindobon. l. 3. p. 207. Cæterum natalis Annæ hic celebratur 25. Julii. Joachimi nomen ex Breviario Romano deleverat Pius V. Pontifex sed illud restituit Gregorius XV. ad diem 20. Martii. BASN.

SÆC. XI. ANNO 1095.

pro Christianæ fidei confessione gladio percussi sunt. idem passus est & sanctus Severus.

Eodem die sanctus Artemidorus igne consummatus est.

Eodem die certamen sancti martyris Severiani, qui ex urbe Sebastia ex ordine senatorio sub Licinio Imperatore militans, Christianam fidem professus, & alios milites ad martyrium pro Christo subeundum hortans detentus est, & ad tribunal Lysiæ judicis adductus libera voce Christi nomen confessus Idolorum errorem redarguebat. Quamobrem suspensus, vehementer nervis cæditur, ac laniatur, postremò pedibus saxo alligatis, aliaque varia tormenta perpessus gratias agens Deo animam tradidit.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Theophanis, qui Imperatoris Diocletiani temporibus vitam monachi exercuit.

Eodem die Natalis B. Charitonis ense consummati.

Eodem die Natalis B. martyris Stratonis, qui in duobus cedris ligatus, & in duas partes sectus pro Christi confessione cum cœlestibus conjunctus est.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Ammiani Theodori, & Juliani, qui per ignem probati, in cœlum assumpti sunt.

Die X.

NAtalis S. martyrum Menodoæ, Metrodoræ, & Nymphodoræ, quæ sub Maximiano Imperatore cum essent germanæ sorores, detentæ à Frontone Præside interrogatæ & Jesu Christi Salvatoris nostri nomen liberè confessæ, & acerbos cruciatus constanter perpessæ animas Christo Domino commendarunt.

Eodem die Natalis sancti martyris Barypsaba. Hic cum accepisset ab Ermita quodam pio ac religioso preciosum Christi sanguinem qui effluxit è latere Domini Dei Jesu Christi Salvatoris nostri, plurimos per illum ipsum sanabat. Itaque ab infidelibus nocte dolo interficitur, Thesaurus autem ille remansit apud quendam ejus discipulum servatus.

Eodem die commemoratio sanctæ Pulcheriæ Reginæ, in pace quiescentis. Hæc fuit soror Theodosii junioris, dicta conjunx Martiani pietate præstantis Imperatoris, quæ cum virginitatem ipsam ad senectutem usque servasset, multaque præclara opera, in Templorum & Hospitalium ædificio contulisset, & sancti Chalcedonensis Concilii patres adjuvisset, in pace requievit.

Eodem die commemoratio SS. Apellis, Lucæ, & Clementis.

Eodem die certamen SS. martyrum Diodori & Didymi, qui ex urbe Syriæ Laodiceæ cum Christianam fidem prædicarent, accusati apud Laodiceæ Præsidem, interrogati, & se Christianos esse confessi ab iniquo judice condemnati in tormentis mortalis vitæ finem acceperunt, ad extremum usque spiritum gratias Deo agentes.

Eodem die apud Persidem sanctæ martyris Jæ, quæ cum esset ex castro nomine Zalæ, captiva cum novem millibus Christianorum à Persarum Rege Sapore ducta est, quæ propter Christiani nominis confessionem carcerem, vincula & verbera sustinens sub Styratio Præside martyrium assecuta est.

Die XI.

COmmemoratio sanctæ matris nostræ Theodoræ Alexandrinæ sub Imperatore Zenone.

Eodem die Natalis beati patris nostri Euphrosyni. Item sanctorum martyrum Diodori, Diomedis, & Didymi ex Laodicæa Syriæ, qui comprehensi à Præside & liberè Christi fidem prædicantes, flagris cæsi vitæ finem acceperunt.

Die XII.

SAncti martyris Autonomi. Hic sub Diocletiano Imperatore derelinquens Italiam, venit Bithyniam, ubi cum multos ad Christi fidem converteret, ab Idolorum ministris interfectus, lignis & lapidibus obrutus martyrio coronatus est.

Eodem die Natalis sacrosancti martyris Curnuti, qui fuit Episcopus Iconii Christianus, homo religiosus, & timens Deum, canus capite, & mente. Commota verò adversus Christianos persecutione detentus, & Perennio Præsidi oblatus, capitis abscissione martyrium consequutus est.

Natalis

Natalis sacrosancti martyris Theodori Episcopi Alexandriæ, quem Alexandrini homines comprehendentes, propterea quod Christum ipsum libera voce prædicaret, furore accensi spinis coronatum in maxilla percussum, & per urbem circunductum in profundum mare demerserunt, ex quo divina providentia servatus est, & Præsidis jussu obtruncatus est, à fidelibus ac religiosis viris in eadem Alexandrinorum civitate sepultus.

Eodem die Natalis beati martyris Juliani ex Galatia. Hic fuit sub Diocletiano in urbe Galatarum natus & educatus, qui cum apud Præsidem delatus esset, quod in spelunca quadam lateret cum aliis quadraginta Christum colens, detentus atque interrogatus Christianam fidem professus est. Itaque in ferreum lectum igne accensum injectus ab Antonio Præside, idolis immolare omnino recusans, Christi martyrio coronatus est.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Macedonii, Tatiani, & Theoduli, qui sub Juliano Apostata tormentis cruciati, propterea quod diis gentilium sacrificia offerre nollent, in ignis rogum conjecti, Præsidem Amachium affati, Si cupis, inquiunt, ò judex, assas hominum carnes gustare, versa & manduca, & vide num semiusti tibi videamur? atque his dictis, gratias agentes Deo animas tradiderunt.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum, Hieronidis, Leontii, Serapionis, Seleuci, Valeriani, & Stratonis, qui Imperatore Maximiano, apud Alexandriam detenti, cum Idolis nollent immolare, in mare projecti præsentis vitæ finem acceperunt.

Die XIII.

COmmemoratio sancti Cornelii Centurionis, qui in Christum credens à beato Petro Apostolo baptizatus est, de quo beatus Lucas Evangelista in actibus Apostolorum scripsit.

Die XIV.

EXaltatio pretiosæ & vivificæ Crucis sub Imperatore Constantino Magno, ut historiarum monumenta testantur.

Eodem die Dormitio sancti Patris nostri Joannis cognomento Chrysostomi, Patriarchæ Constantinopolitani, ejus autem celebritas propter diem festum exaltationis, commemoratio translata est in tertium decimum diem mensis Novembris.

Die XV.

COmmemoratio sancti Martyris Nicetæ, qui sub Imperio Constantini Magni natus atque educatus in regione Gothorum ultra Danubium non communicabat cum Barbaris, sed cum viris piis Deum colentibus, edoctus Christi fidem à sanctissimo Episcopo Gothorum Theophilo, comprehensus ab Athanasio Principe propter Christianæ fidei confessionem, & multis tormentis cruciatus, igne consumptus consummatus est.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Philothei Presbyteri miraculorum effectoris. Hic ex regione Myrmica, à puero Deum colens, vacans jejuniis, vigiliis, orationibus & eleemosynis in luctu & planctu diem transigens, cogitans supplicia, tormenta & gehennam ignis, & vermem illum, qui nunquam sopietur, innocenter Deo ipsi serviebat, cumque sua doctrina multos adjuvaret, accepit charismata miraculorum. Itaque fugabat Dæmones & curabat ægrotos, & mundabat leprosos, atque hæc edendo miracula, in sanctæ vitæ instituto quievit in pace.

Eodem die Natalis B. Porphyrii ex mimis à Juliano Apostata jussus in natali ipsius die obtrectare & irridere Christianorum facta, & cum in aquam descendens immergeret exclamavit, Baptizatur Porphyrius, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sic emergens albas vestes indutus, & se libera voce Christum esse professus, ense obtruncatus coronam martyrii consequutus est.

Eodem die, Inventio sanctarum reliquiarum beati Acatii Episcopi Melitinæ. Sancti martyris Maximi ense consummati. Commemoratio duarum puellarum gladio interfectarum. Commemoratio nec non inventio reliquiarum sancti Protomartyris Stephani.

Die XVI.

SAnctæ Magnæ martyris & celeberrimæ Euphemiæ. Hæc sub Diocletiano Imperatore propter Christianæ fidei confessionem detenta, cum igne & rotis aliorumque

que tormentis & machinis luctata, esca leonibus proposita est, atque ex his omnibus Christi gratia incolumis liberata, in ipso theatro Deo ipsi animam tradidit.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum Maximi, Theodoti, & Asclepiodoti, qui sub Maximiano Imperatore impio Christi prædicationem docentes, multosque ab Idolorum errore, & vana superstitione ad sanctam Christi fidem ac religionem convertentes comprehensi à Tyride Thraciæ Duce virgis primum cæsi, postea manibus, pedibus, & auribus mutilatis, cum cogerentur ab eodem apud Adrianopolim Idolis sacrificare, idque facere nollent, sed in confessione permanentes Tyranno dicerent, Nos Deum alium non habemus nisi Christum Filium Dei, qui fecit cœlum, & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, obtruncati, animas Deo commendarunt.

Eodem die Natalis beati martyris Martini Romani Pontificis. hic fuit temporibus Constantini Pogonati Imperatoris hæretici, quo tempore erat Constantinopolitanæ urbis Patriarcha Paulus, & ipse Monothelitarum hæresi corruptus; quam hæresim quum beatus Pontifex convocata synodo Romæ damnasset, Imperator misit quosdam, qui beatum Martinum duxerunt Constantinopolim, eumque multas ærumnas perpessum, in carcere conclusum & verberatum, postremo in urbem Chersonam exulem misit, ubi sanctam & beatam animam Deo commendavit.

Eodem die Commemoratio sanctæ martyris Sebastianæ. Sancta & gloriosa Christi martyr Sebastiana sub Domitiano Imperatore ex Sebaste urbe Phrygiæ, quæ cum esset temporibus Apostolorum, Christi fidem edocta est ab Apostolo Paulo, comprehensa vero apud Marcianopolim à Sergio Præside, cum Idolis immolare nullo modo passa esset, verberata in carcere inclusa est, postea in fornacem injecta, egressa est incolumis; postea venit Odyssum. Hinc ad urbem Anchialum, postea verò Archadiopolim, hinc Heracliam Thraciæ, ubi detenta est à Pompejano Præside, in caput suspensa & laniata cum feris pugnans, hoc est leonibus, nihil passa, obtruncata est, ex cujus collo exciso effluxit lac pro sanguine, corpus verò in mare projectum, atque eductum in urbe Rysisto sepultum est.

Eodem die Commemoratio sanctæ martyris Melitinæ; quæ fuit ex Marcianopoli Thraciæ sub Antonino Imperatore, Christiana, & timens Deum, comprehensa verò ab Antiocho ejusdem urbis Præside, libera voce confessa est nomen Domini nostri Jesu Christi: quamobrem graviter verberatur, postea in templum Idolorum ingressa, suis precibus Idola dejecit, atque comminuit, quo viso miraculo plurimi gentiles ad Jesu Christi fidem conversi sunt, è quorum numero fuit & uxor Præsidis; Beata verò Melitina iterum verberatur, in carcerem injicitur, & post septem dies nuda suspenditur, laniatur, & rursum in templum Idolorum inducitur, ut illa ipsa coleret; sed confestim Idola corruerunt & contrita sunt, sicque beata martyr obtruncata est, cujus venerabiles reliquias Macedo quidam nomine Acatius collectas in insulam Lemnum perlatas religiose admodum sepelivit.

Die XVII.

Dies natalis sanctarum martyrum Pistis, Elpidis, Agapes, & Sophiæ matris. Beata martyr Sophia cum Christi fidem diligeret, habens secum tres filias, Pistem, Elpidem & Agapem, venit Romam sub Adriano Imperatore, atque illic cum tribus filiabus ab illius urbis Episcopo baptizata est, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quæ Christi fidem prædicans, multos ad Deum convertit, quapropter & ipsa & filiæ ab Adriano detentæ & interrogatæ, libere Christi nomen professæ sunt, ob idque vehementer cruciatæ; & primum sancta Pistis duodecim annos nata, post diversos cruciatus, capite obtruncata est. Post illam sancta Elpis decimum annum agens, ipsa quoque, post plurima tormenta, capitis abscissione migravit ad Dominum. Tertio loco sancta Agape, novem annos nata, & in caminum ardentem injecta, & ipsa martyrio consummata est, quas omnes mater Sophia sepeliit, & ad earum sepulchrum assidens post tres dies animam Deo ipsi reddidit.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Agathochiæ servæ. Sancta martyr Agathochia serva Nicolai cujusdam Christiani hominis, & Paulinæ uxoris, cùm esset Christiana & Deum timeret, quotidie cruciabatur ab hera infideli muliere Idolorum cultrice, quæ Agathochiam octo annis asperis lapidibus verberabat in vertice, eamque nudis pedibus ambulare cogebat in hyeme, & frigore ad ligna colligenda; per totos octo annos, studens illi persuadere, ut adoraret Idola, quod cum omninò recusaret, laniata est & excisa lingua, & in carcerem conjecta fame affligebatur, postremò injecto in collum igne præsentem vitam cum æterna commutavit.

Eodem

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Charalampi, Pantoleonis & sociorum. SAEC. XI.
Eodem die Natalis sanctæ martyris Luciæ viduæ, & sancti Gemiani filii & martyris. Hæc sub Maximiano & Diocletiano Imperatoribus in urbe Roma opibus & genere illustris, annos nata septuaginta quinque, triginta sex, vidua transegit: accusata apud Diocletianum quod Christianam fidem coleret, graviter verberata est, postea in æreum lebetem pice ferventi plenum---- exiit incolumis, cumque urbem circumduceretur, occurrit illi Gemianus, qui eam sequens paulo post baptizatus ejus filius appellatus est. Postremò Lucia post multos cruciatus martyrio coronata est, Gemianus verò postea capite obtruncatus, in cœlum est assumptus. ANNO 1095.

Eodem die Natalis beatorum martyrum Heraclidis Episcopi Tamasi Cypri, & sanctarum fœminarum Sophiæ & Irenæ.

Eodem die Natalis sancti Petri & Nili, qui apud Palæstinam martyrium compleverunt; commota siquidem adversus Christianos persecutione ex Ægypto comprehensi sunt Petrus & Nilus Episcopi, & duo celeberrimi Patremateus & Elias, & una cum illis centum viri, ex Palæstina vero quinquaginta, cumque illi centum persuaderi non possent, ut Christi fidem abnegarent, effossis oculis, & ad metalla traditi, ita beatum finem acceperunt.

Die XVIII.

EOdem die Natalis beati patris nostri Eumenii Episcopi Gortynæ. Et commemoratio sanctarum mulierum Sophiæ & Irenæ. Item sanctæ martyris Ariadnæ, quæ sub Adriano Imperatore martyrii certamen confecit, propterea quod Idola execraretur, & Christi fidem colens, pro illius confessione sanguinem fudit.

Eodem die commemoratio sacrosancti martyris Simeonis Episcopi Hierosolymorum, qui sub Trajano Imperatore post Jacobum fratrem Domini Hierosolymorum Episcopus accusatus ab infidelibus, quod Christi fidem prædicaret, anno ætatis centesimo vigesimo cruci affixus beatam animam ad æternas sedes & immortale illud cœleste regnum Domini nostri Jesu Christi transmisit.

Die XIX.

COmmemoratio sanctorum martyrum Trophimi, Sabarii & Dorymedontis, qui fuerunt sub Imperatore Probo. & Sabatius quidem in urbe Antiochia jubente Præside Vicario vehementer flagris cæsus in tormentis ipsis spiritum emisit: Trophimus vero ferreis crepidis calceatus exul missus in urbem Synadarum, multosque cum Dorymedonte cruciatus sustinens, uterque obtruncatus est.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Januarii Episcopi Beneventi & sociorum Sosii & Procli Diaconorum, Fausti, & Desiderii clericorum. Sanctus quidem Januarius fuit sub Diocletiano Imperatore, & Timotheo Campanæ regionis Præside Episcopus Beneventi; quem Præses in carcere cum sociis inclusum invenit; eductum vero in caminum ignis injecit, unde exiit incolumis, cumque ad ejus conspectum Benevento duo ipsius clerici venissent, capti sunt & ipsi, & cum sancto Januario educti è carcere. Lata sententia gladio sunt obtruncati, tradentes Beatas animas Domino, pro quo mortem subierunt.

Die XX.

SAncti martyris Eustachii Ducis exercitus, & ejus conjugis Theopistæ & filiorum Agapii, & Theopisti. Fuit autem sanctus Eustachius Dux militiæ in urbe Roma sub Trajano Imperatore; conversus autem ad Christi fidem baptizatus est, qui multas ærumnas pertulit, sed paulo post, cum cogeretur Idolis immolare, & ipse Christianæ fidei confessionem rebus omnibus præferret, postremo in æreum bovem igne fervente conjectus, ex terrenis miseriis ad cœlestes divitias evolavit.

Eodem die Commemoratio sanctorum Patrum & Confessorum Hypatii Episcopi, & Andreæ Presbyteri. Hi ex Lydorum regione, in Gymnasio quodam pueri docentur, Hypatius quidem monasticam vitam amplexus est, Andreas verò * sacer in Ecclesia Præco extitit: non solum autem jejuniis, vigiliis, & orationibus præstantes erant, sed etiam humilitate, modestia & charitate alios superabant. Cum verò eorum virtutes cognovisset, qui apud Ephesum præsidebat, Hypatium quidem Episcopum, Andream verò Presbyterum ordinavit: quod cum audisset ofor sanctorum, Leo impius Imperator, ad se accersiri jussos in carcere inclusit, & laniari præcepit, & è capite

* ἱεροκῆρυξ

Sæc. XI. Anno 1095.

capite cutem extrahi, & ſanctas imagines quamplurimas ſupra capita eorum accenſas ſuſceperunt, & pice barbas illiti per mediam urbem diſtracti ſunt, & partes Xerolophi jugulati, canibus eſca expoſiti ſunt.

Eodem die Commemoratio S. martyris Chriſti Suſannæ filiæ Arthemii, ſacerdotis Idolorum, & Marthæ, quæ genus duxerat à Judæis. Hæc mortuis parentibus, baptizata eſt à Silvano Presbytero, & Chriſti fidem edocta, poſtea faculates ſuas pauperibus diſtribuit, & mundo relicto Monaſterium adiit monacha effecta, licet virili habitu pro fœmineo induta ſe Joannem vocari fecerat: ſed poſt ab alia quadam muliere accuſata, quod in illam per vim egiſſet virilia, in habitu virili deprehenſa eſt virgo, & inventa natura mulier, accuſatricem redarguit, profecta vero Heliotropolim, delata Præſidi Alexandro, quod multis gentilibus perſuaderet, ne adorarent Idola, illam apprehenſam vehementer cruciavit, & nihilominus tamen ejus ipſius miraculis, multi ad Chriſti fidem convertebantur, poſtremo in carcerem injecta, Deo ſpiritum tradidit.

Die XXI.

Commemoratio ſancti Prophetæ Jonæ, unius è numero duodecim.

Eodem die Natalis ſancti Patris noſtri Jonæ Sabaitæ. Hic vir ſanctus cum eſſet presbyter, ſe contulit ad Monaſterium Laurum nomine, ſancti Sabæ monaſterium, ubi detonſus ſummam pietatem, & multas virtutes exercens, ad bonam ſenectutem provectus migravit ad Dominum.

Eodem die Commemoratio ſancti Apoſtoli Quadrati. Hic cùm eſſet antiquitate, & multarum rerum ſcientia inſignis, Athenis, & in urbe Magneſia, Doctrinam Domini prædicans, multos dogmatum lumine inſtructos ad divinæ cognitionis lucem perduxit. Itaque Athenis à ſuo grege perſecutores illum expulerunt, lapidibus in eum jactis, igne, & aliis tormentis probatum, poſtea verò ab Ælio Adriano martyrii coronam percepit.

Eodem die Commemoratio ſancti martyris Euſebii. Hic ſponte Præſidem Phoeniciæ adiit, illum arguens quod Chriſti gregem perſequeretur. Itaque ab irato Judice ſuſpendi, & verberari juſſus eſt; cum verò diu aſperis ac laceris pannis indutus, ſale verberibus injecto, in Chriſtiani nominis confeſſione perſtitiſſet, Præſide ipſo in horas, plura & majora magis magiſque addendo tormenta, exultabat vir ſanctus, perinde ac ſi in alieno corpore pateretur. Denique juſſit Præſes caput abſcindi, ſicque aſcendit in cœlum, Dei gloriam prædicans.

Eodem die Commemoratio ſanctorum Patrum & Epiſcoporum Cypri Meletii &. Iſacii. Hi ſancti & beati Patres noſtri Epiſcopi Eccleſiæ Chriſti, quæ eſt in inſula Cypro, viri pii & timentes Deum, quorum opus aſſiduum erat docere populum divina Chriſti eloquia, & facultates ſuas indigentibus diſtribuere, ſic agentes per totam vitam, per diverſa tempora, migrarunt ad Dominum.

Eodem die Commemoratio ſancti martyris Priſci, qui cum viventem aquam in corde geſtaret, carnis incendium non pertimeſcens, ad cœleſtem patriam tranſlatus eſt.

Eodem die Commemoratio ſacroſancti martyris Iſacii Epiſcopi Cypri.

Eodem die Commemoratio ſanctorum ſex martyrum ſatellitum Imperatoris Maximiani.

Die XXII.

Natalis ſacroſancti martyris Phocæ. Hic fuit filius Pamphili, in regione Sinopis, ſtatim verò ab infantia, ſancti Spiritus gratia adjutus miracula edebat, & uſque ad extremum ſpiritum edidit, qui divina voce his verbis admonitus, Poculum tibi temperatum eſt, illud te oportet bibere. quod nimirum divina ope adjuvante ſub Trajano Imperatore bibit, gladio & igne conſummatus, multa quoque poſt ejus ad Dominum migrationem, per eum Deus effecit miracula.

Eodem die Commemoratio ſancti martyris Phocæ hortulani. Et hic fuit ex urbe Synope antiqua & nobili, cujus opus erat horti cultura, cui vacabat, & ejus proventum omnibus communem proponebat, ſed animi cultum pluris faciebat, propterea non diu latuit, ſed ut germanus Chriſti ſervus delatus eſt illius urbis Præſidi. cum igitur veniſſent Satellites, apud illum ipſum, quem quærebant, diverſati ſunt: cum benigne acceptos refeciſſet, quæſivit quinam eſſent, & quanam de cauſa illuc acceſſiſſent; illi rem omnem ei declarantes, quod ſcilicet Phocam quærerent ad ſupplicium.

hoc

hoc audiens Dei servus seipsum quærentibus manifestum effecit, illi ea re maxime doluerunt, ipse verò ipsos rogabat atque hortabatur, ut auderent facere, quod jussi fuerant. itaque capite obtruncatus, gratum Deo sacrificium oblatum est.

Sæc. XI. Anno 1095.

Eodem die Commemoratio sanctæ martyris Drozelæ filiæ Trajani Imperatoris, cum quinque sociis, & sanctorum martyrum Isaac ac Martini.

Die XXIII.

COmmemoratio sanctorum martyrum, Andreæ, Joannis, Petri & Antonii apud Africam passorum.

Eodem die Natalis sanctarum mulierum Xantippæ & Polyxenæ; quæ sub imperio Claudii Cæsaris ex Hispania genus ducentes, Xantippe quidem Paulum Apostolum, apud Hispanos Christi Evangelium prædicantem audivit, quippe qui viro illius Probo fidei & salutis auctor fuerat, Polyxena verò primum audivit Apostolum Petrum, postea Apostolum Philippum, postremo Andream Apostolum, qui eam baptizavit in Græcia tunc existentem à viro quodam raptam, sed Dei ope adjuvante, minimè corruptam; reversa verò in Hispanias cum virgine quadam, nomine Rebecca, genere Judæa, invenit Xantippam sororem virtutum splendore fulgentem. itaque multos docentes Christi fidem in pace quieverunt.

Die XXIV.

CErtamen sanctæ Protomartyris Teclæ, quæ cum esset ex urbe Iconio, à beato Apostolo Paulo edocta eloquia Dei in domo Onesiphori: erat autem quando ad fidem conversa est, annos nata decem & octo, Thamyridi desponsata, viro admodum nobili ac diviti; sed virgo sanctissima contempta matre, viro & divitiis post habitis, sanctum Apostolum Paulum secuta est, usque ad Antiochiam Pisidiæ, ubi à Præside Alexandro feris objicitur, à quibus nihil passa, tauris alligata est, ex quibus erepta, multos ad Christum Dominum convertit: Postremò in patriam reversa habitavit in monte quodam, ubi multis per eam editis miraculis, annos nonaginta, migravit in cœlum.

Eodem die Natalis sancti patris nostri Coprii, viri pietate, abstinentia, humilitate & charitate insignis, qui cùm annum ageret nonagesimum, in occulto quodam loco prolixius orans, visus sibi est, magnum illum Theodosium, post ipsius ad Dominum migrationem unà secum orantem, ac psallentem, postremo hæc dicentem: En frater Copri, instat tempus resolutionis tuæ, veni ad nos, ad paratum tibi quietis locum. Hæc cum audivisset admirabilis ille Pater, post paucos dies paulum ægrotans, sanctos patres amplexus, in pace migravit ad Dominum.

Die XXV.

NAtalis sanctæ matris nostræ Euphrosynæ, beati Paphnutii Ægyptii filiæ.

Eodem die commemoratio beati Paphnutii patris Euphrosynæ.

Eodem die commemoratio magni Terræmotus, in quo celebratur & raptus pueri in aërem sublati. Imperatore Theodosio magno Terræmotus factus est, talis qualis nunquam antea fuisse commemoratur, quo factum est, ut totus populus una cum Imperatore, & Patriarcha exierint extra urbem in locum, qui dicitur campus, propterea quod sine cessatione aliqua erat illa terræ commotio, cum igitur Imperator ipse Theodosius, Proclus Patriarcha, & totus populus Litaniis & supplicationibus divinam opem implorarent, repente puerulus quidam, de media turba in aërem raptus est. Omnibus autem præ timore clamantibus Kyrieeleison, descendit puer, & voce magna populum hortatus est ut Trisagion, ita Deo, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri: quæ cum dixisset, ipse qui dum animam Deo reddidit, & Terræmotus quievit.

Eodem die Commemoratio sanctorum martyrum Pauli, Tattæ, & filiorum, qui appellabantur Sabinianus, Maximus, Rufus, & Eugenius, ex urbe Damasco genus ducentes. accusati vero quod essent Christiani, catenis vincti examinati, & Christianam fidem professi, graviter verberati sunt, atque iniquorum manibus torti, animas Deo commendarunt.

Sæc. XI. Anno 1095.

Die XXVI.

MIgratio sancti, gloriosi & celebris Apostoli & Evangelistæ Joannis, cognomento Theologi.

Die XXVII.

NAtalis beati martyris Callistrati, & sociorum sub Diocletiano Imperatore in urbe Roma: detentus vero sanctus Callistratus à Persentino Duce, & Christum Deum verum professus, vehementer cæsus est, postea sacco inclusus, & in mare projectus, scisso sacco exiit incolumis: qua re visa, quadraginta quinque milites in Christum crediderunt, quos comprehensos ac verberatos Persentinus in carcerem conjecit, cum sancto Callistrato à quo edocti sunt de judicio, de resurrectione, & de anima, postea eductus de carcere Callistratus cum illis quadraginta militibus, precibus ad Deum missis Idola dejecit, quod cum alii milites centum octuaginta quatuor vidissent, ipsi quoque in Christum credentes obtruncati sunt, cum quibus & sanctus Marinus, vir magnus & sapiens, passus est.

Eodem die Commemoratio S. patris Ignatii Præfecti monasterii Salvatoris Jesu Christi, quod profundi Ryacis nomine appellatur. S. Pater Ignatius fuit ex Cappadocum Provincia, Nicephoro, & Joanne Imperatoribus, ab infantia Deo ipsi à parentibus, S. Samuelis exemplo consecratus, qui sanctitate vitæ clarus, post multa pietatis opera ad cœlestem gloriam vocatus, in pace quievit.

Eodem die commemoratio sanctorum Apostolorum, Marci, Aristarchi, & Zenonis. sanctus Marcus, qui & Joannes appellatus est, cujus Lucas Apostolus meminit, ordinatus Episcopus in Evangelii prædicatione ita probatus & Deo gratus apparuit, ut vel umbra morbi fugarentur. Aristarchus etiam ex septuaginta fuisse invenitur, cujus Apostolus Paulus meminit; Hic Apameæ Syriæ Episcopus fuit, vir egregiæ sanctitatis, alter Joannes locustis, & melle silvestri nutritus, Zona pellicea indutus: Zenon autem hic ille est, de quo mentionem fecit Apostolus Paulus in Epistola quam scripsit ad Romanos; hic fuit Diospolis Episcopus, qui cum fuisset habitaculum sancti Spiritus in prædicando Evangelio migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Philemonis Episcopi, Fortuniani, & sanctæ martyris Gainæ.

Eodem die Natalis sanctorum quindecim martyrum, qui cum essent navigio impositi, illo ipso combusto in mari suffocati sunt.

Eodem die commemoratio sanctæ martyris Epicharidis, quæ cum esset Romæ, sub Diocletiano Imperatore detenta à Cæsareo Præside, & confessa nomen Jesu Christi, suspensa & malleo plumbeo à quatuor militibus verberata, postea à carnifice obtruncata, beatam animam Deo tradidit, cujus reliquiæ à Felice Christiano nobili, & senatorii ordinis viro honorificè sepultæ sunt.

Die XXVIII.

COmmemoratio sancti patris nostri Charitonis, & confessoris ducis Eremi. Hic fuit sub Aureliano Imperatore, ex urbe Iconio; detentus vero à Præside & Christi fidem confessus, à quatuor militibus verberatur, postea in carcerem conjectus, iterum eductus flagris cæsus est. Mortuo autem Aureliano, cessante persecutione sanctus Charito Hierosolymam venit sub Patriarcha sancto Macario: cum verò in itinere incidisset in latrones, in spelunca inclusus, hoc modo liberatus est, serpens enim in vas illud in quo latrones vinum servabant, irrepens venenum evomuit, quod cum bibissent, expirarunt, quorum facultates beatus ille pauperibus distribuit, & speluncam illam Ecclesiam fecit, monachisque multis in eam congregatis monasterium constituit, ex petra educta aqua, omni genere morborum expultrice, & ita in summa senectutè migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio sancti Prophetæ Baruch. Item sanctorum martyrum Marci pastoris, Alexandri Alphæi, Zosimi, Niconis, Neonis, Heliodori, & reliquorum puerorum & virginum. Hi S. martyres fuerunt sub Diocletiano Imperatore in urbe Antiochiæ Pisidiæ ex regione Phrygiæ Galaciæ sub Præside Magno, qui cum jussisset venatoribus ut feras investigarent, & venationem afferrent, accedentes ad montem, invenerunt sanctum Marcum oves pascentem, & ursam, quam insequebantur, ad ejus ipsius pedes procidentem, & vestigia lingentem: erat autem sanctus senex

senex canos habens ad pedes usque prolixos. Delatus verò à Principe Venatorum Magno, detentus est à triginta militibus, qui ab eo eruditi crediderunt in Christum; ipse verò Præsidi oblatus libere nomen Christi confessus, vinculis traditus est, reliqui missi sunt ad Præsidem Niceæ, à quo & obtruncati sunt, Sanctum verò Marcum per urbes trahens Magnus quæsivit fabros, qui tormentorum instrumenta coram sancto illo viro componerent; inventi sunt tres fratres Alpheus, Alexander & Zosimus. cum igitur fabrilis artis periti opus aggressi essent, ferrum ipsum ut aqua defluebat, eorumque manus torpescebant; quod cum artifices admirarentur, & vocem audirent illos hortantem, ut cum beato Marco pro Christi fide certarent, rem non neglexerunt, sed Christianos se esse lætanti voce professi, statim tormentis subjecti sunt, & fervens plumbum in eorum ora infusum est. B. verò Marcum cum tribus sanctis illis pueris Præses obtruncavit, ejusque caput in templum Dianæ misit, ac repente Idola ipsa corruentia imminuta sunt: quod miraculum videntes tres viri, Nicon, Neon, & Eliodorus in Christum crediderunt. Itaque & ipsi obtruncati sunt cum pueris, senibus & virginibus. martyrium vero pertulerunt Alpheus, Alexander, & Zosimus, in urbe Calyto mensis Septembris die 28. Marcus verò in Claudiopoli 21. Nicon & ejus socii Moromilio, tertio decimo die Julii.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Alexandri, & triginta, qui cum eo passi sunt.

Die XXIX.

COmmemoratio sancti Patris nostri Cyriaci Anachoretæ, qui fuit sub Theodosio magno Imperatore ex urbe Corintho, qui annum agens decimum octavum, Hierosolymam veniens à Magno Euthimio monachus effectus multum profecit, eosque redarguens, qui cum Origene sentiebant, multa divina Christi virtute edens miracula, in summa senectute ex hac vita decessit.

Eodem die, Commemoratio sanctæ martyris Gudeliæ, quæ cum esset Christiana, & in Persarum regione Christum libere prædicaret, multosque ad Christianam fidem converteret, comprehensa à rege Sapore multis tormentis cruciata, cum nollet solem & ignem adorare, postremo detracta capitis pelle, & ligno affixa, B. animam Deo tradidit.

Eodem die, Commemoratio multorum martyrum Dadæ, Gabdelæ, & Casdoæ. sanctus martyr Dadas, Saporis, Regis Persarum fuit consanguineus; Gabdela verò ejus legitimus filius. cum Christiani essent, non solum à Sapore negati, odio habiti, & dignitatibus spoliati sunt, verum etiam cruciatibus multis subjecti, cum sancta Casdoa suspensi, laniati & lateribus combusti, posthæc in carcerem conjecti, multo tempore detenti, atque illinc educti cum cogerentur solem & ignem adorare, idque omnino recusarent, libere Persarum errorem redarguentes, Christumque ipsum solum verum Deum regem, & rerum omnium creatorem prædicantes obtruncati, ex hac vita ad cœlestem decesserunt.

Die XXX.

COmmemoratio sancti Gregorii, Magnæ Armeniæ Episcopi. Hic sub Diocletiano Imperatore, genere Parthus, detentus autem à Tiridate Rege, propterea quod esset Christianus, multos pertulit cruciatus, postea cum cognovisset Tiridates hunc esse filium Anaci, qui ejus patrem dolo interfecerat, in urbem Ararat missum vinctis manibus & pedibus in profundum lacum feris & serpentibus plenum dejiciendum curavit, ubi annos quindecim à muliere vidua nutritus est, eductus autem è lacu à Tiridate quem à delirii morbo liberavit, omnem ejus familiam baptizavit, & factus Episcopus totius Armeniæ, constitutis Ecclesiis in pace quiescens, migravit ad Dominum.

Natalis sanctarum virginum martyrum Ripsimiæ, Gajanæ, & aliarum triginta duarum mulierum & virginum, quæ passæ sunt 30. die mensis Septembris. Harum cunctarum mulierum Gajana quidem erat senior, Ripsimia verò junior, nobilitate & forma insignis, quod cum audisset Tiridates, ejus amore captus, misit, & illam detinuit, quam cum ad nefariam libidinem excitaret, Christi virtute factum est, ut quod cupiebat, minimè assequeretur. quare cum ita tristatus esset, ut tanquam mortuus jaceret, fugientem consequuti apprehenderunt, eamque scissis vestibus, & manibus post terga ligatis, excisa lingua, & effossis oculis trucidarunt, sic beatam animam

Sæc. XI. Anno 1095. ſancta virgo miſit in cœlum, cum qua martyrio coronati ſunt Chriſtiani 70. mulieres verò triginta duæ, beata verò Gajana ex toto corpore pelle detracta, & lapidibus contrita, obtruncata eſt.

Menſis Octobris primo die.

Commemoratio ſancti Apoſtoli Ananiæ unius ex 70. Hic cum eſſet diſcipulus Apoſtolorum, ab illis factus eſt Epiſcopus Damaſci, qui beatum Paulum Apoſtolum divina revelatione admonitus baptizavit. cum igitur multos in urbe Damaſco & Eleutheropoli ſanaret, & ad Chriſti fidem converteret, Licinio Præſidi aſſiſtens & Chriſtum verum Deum eſſe profeſſus, aridis nervis cæditur, laniatur, atque extra urbem eductus juſſu Præſidis lapidatus eſt, & martyrii corona donatus.

Eodem die Commemoratio ſancti Patris noſtri Romani, qui fuit ex urbe Emeſena Diaconus ſanctæ Eccleſiæ Beriti. venit autem Conſtantinopolim ſub Anaſtaſio Imperatore, ubi in templo ſanctiſſimæ Dei genetricis Mariæ magna cum pietate verſatus, vigiliis, orationibus, & aliis Chriſtianæ religionis officiis intentus, migravit ad Dominum.

Eodem die Natalis beati martyris Domnini, hic fuit ex urbe Theſſalonica, qui ductus Nicomediam, ut Chriſtum abnegaret, id omnino recuſans, & Chriſtum cum omni libertate confeſſus, verberatus, miſſus eſt ad Meſopotamiæ Præſidem crudelem admodum atque immanem: ſed facta irruptione Perſarum captivus ductus eſt in regionem Perſidem, ubi multos ad Chriſti fidem convertens innotuit, & detentus atque cruciatus, in tormentis ipſis animam reddidit.

Eodem die Certamen alterius ſancti Domnini, qui fuit ex urbe Theſſalonica, religioſus, & timens Deum, qui cum tam religioſe viveret, ejus fama pervenit ad aures Imperatoris Maximiani. Itaque detentus, ut Chriſtianus adductus eſt ad tribunal, cui dixit Imperator, Quare me in urbe præſidente audes Deum alium confiteri? ſed immola Diis, ſi vis poſthac vivere. Hoc cum ille renueret, ejus corpus lacerari præcepit. ut autem vidit ſe à viro illo ſancto irrideri, juſſit ante portam urbis ductum, ejus crura confringi, & pedes ſancti martyris abſcindi, cumque dies ſeptem tormenta pertuliſſet, cibi omninò expers gratias agens Deo beatam animam commendavit.

Die II.

Natalis ſanctorum martyrum Cypriani ac Juſtinæ, apud urbem Antiochiam.

Eodem die Natalis ſancti patris noſtri Theophili, qui fuit monachus religioſus, & timens Deum, ſub Leone Iſaurico, cujus impietatem videns, atque execrabile odium in venerabiles Sanctorum imagines evertendas, ejus hæreſim in faciem exprobrans, redarguit, impium, nefarium & Antichriſti præcurſorem & Chriſti deſertorem appellans, aliaque ſimilia objicens. Quibus ad iram concitatus primum verberari eum juſſit, & in carcerem conjici, inde poſtmodum eductus, ſanctas imagines abnegare cogitur. Quod omninò renuens, in exilium miſſus, illic vitam præſentem reliquit.

Die III.

Certamen ſancti patris Dionyſii Areopagitæ Epiſcopi Athenarum.

Eodem die Natalis ſancti martyris Dionyſii, & ſociorum octo. Hic ſub Valeriano & Galieno Imperatoribus adductus ad Præſidem Æmilianum perſeverans in Chriſtiana confeſſione exilio condemnatur, proſcribitur, & lapidatur, plura paſſus tormenta, quàm olim in Libya ſub Decio ſuſtinuerat. Concluſus igitur in loco ſqualido cum Fauſto, Gajo, Petro & Paulo, qui una cum illo duodecim annos toleraverant, conſummatus eſt in confeſſione Chriſti Domini.

Eodem die commemoratio ſancti martyris Theogenis qui pro Chriſti confeſſione

ne ignis flammam pertulit. Item sancti martyris Theotecni & Audacti ense percussi. Sæc. XI.

Eodem die Commemoratio sancti patris nostri Joannis Chozebitæ Episcopi Cæsareæ. Anno 1095.

Die IV.

NAtalis sancti patris nostri Hierothei, qui fuit unus è numero Areopagitarum, qui ab Apostolo Paulo instructus, magnum illum Dionysium Areopagitam Christi fidem instruxit. Cum autem benè & religiosè vixisset, migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio sancti martyris Petri Capitolii. Hic cum sapientia multis præstaret, legitimo matrimonio copulatus cum tres filios genuisset, monasticam vitam subiit; Presbyter verò creatus ab Episcopo Bostrensi, tanquam Christianorum magister accusatus est apud Agarenorum Principem. Itaque propter Christi confessionem ad Damascenorum regionem ductus, lingua ei exciditur: Sed cum apertius, & velocius loqueretur, dextera manu & pedibus truncatur, postea effossis oculis cruci affigitur, atque abscisso capite in ignem traditus, in flumen demersus est.

Eodem die Natalis S. martyris Domninæ & filiarum Berinæ & Prodocæ. Hæ S. mulieres divino zelo vulneratæ, relicta domo, & consanguineis, ad alienam regionem transmigrantes, venerunt vir & pater, milites secum ducentes, ut prædam illam caperent. Comprehensæ verò ductæ sunt Hierapolim, ubi latentes milites, convivio, & ebrietati vacantes, brevi facta oratione in fluvium præterfluentem se ipsas projecerunt, & ita per aquæ suffocationem martyrio coronatæ sunt.

Eodem die commemoratio S. patris Ammonis Ægyptii.

Hic cùm esset Ægyptius genere, parentibus orbatus, à patruo coactus uxorem duxit, sub Maximiano Imperatore; vixit autem cum illa annos decem & octo quam non ut uxorem, sed ut sororem habebat; quin etiam illi persuasit, ut virginitatem servaret. Itaque & ipsa, & omnibus rebus derelictis, in montem Nitriæ propè Ægypti desertum secessit, una tantum veste nocte & die corpus tegens. Produxit autem vitam usque ad magni Antonii tempora, sub Magno Constantino, celebri & primo Christianorum Imperatore. Hujus viri sanctitatem admiratus est beatus Antonius præsertim propter miracula quæ per ipsum plurima Dei benignitas effecit.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Fausti, Gaii, Eusebii & Chæremonis Diaconorum. Hi fuerunt discipuli Magni Dionysii, & Diaconi Domini nostri Jesu Christi, & Gajus quidem, & Faustus cum magistro exules facti, & multa tormenta perpessi, martyrii finem acceperunt: Eusebius verò & Chæremon post magistri exilium sanctos, qui erant in carceribus visitantes, & martyrum reliquias sepelientes usque ad Decii tempora pervenerunt, multas perferentes tentationes propter Christi confessionem, cujus causa detenti obtruncati sunt.

Die V.

NAtalis sanctæ martyris Charitinæ, quæ fuit sub Diocletiano Imperatore, & Dionysio Comite, Claudii cujusdam serva, de qua cum Comes Domitius audisset, scripsit ad ejus Dominum, ut ad se illam mitteret inquirendam ut Christianam. Quare tristatus ejus Dominus, & sacco indutus, illam deflebat, ut cito morituram, quem serva ipsa consolans dicebat, Domine, ne tristeris, sed gaude, siquidem pro meis, & tuis delictis victima à Deo accepta reputabor. Illo verò dicente, Memento mei apud cœlestem Regem, missa est ad Comitem, ad quem perducta, & Christum confessa, raso capite, super ardentes carbones strata est, postea saxo gravi alligata projecta est in mare, ex quo egressa, apparuit Comiti, à quo multis aliis tormentis cruciata, post unguium, manuum & pedum abscisionem Deo spiritum commendavit.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Mamelchthæ. Hæc ex Perside regione cum esset sacerdos Templi Dianæ, & haberet sororem Christianam, in somnis vidit Angelum Dei Christianorum mysteria sibi ostendentem. Itaque exurgens timore correpta rem ipsam sorori narravit, quæ ad Episcopum illam duxit, & in Baptismate, ac regenerationis lavacro propria soror illam suscepit. Quare insanientes Gentiles lapidibus illam interfecerunt adhuc sancti Baptismatis indumenta ferentem, atque in profundissimum lacum dejecerunt, ex quo vix Christiani efferre potuerunt.

Eodem die Visio terribilis, atque utilis Cosmæ monachæ ostensa.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die VI.

NAtalis sancti gloriosi Apostoli Thomæ. Hic cum Medis, Parthis, Persis & Indis Dei verbum prædicasset, in custodiam injicitur à Rege Smidæo, propterea quod ejus opera crediderant, & baptizati fuerant, Vazanes filius, & uxor nomine Tertia & Migdonia & Narce. quapropter quinque militibus traditur, qui ad montem quendam ductum vulnerarunt.

Eodem die Natalis sancti patris nostri Nicetæ Patritii ex Paphlagonia, qui sanctarum imaginum confessione multas ærumnas & calamitates constanter pertulit.

Eodem die sanctæ virginis Erotidis, quæ Christi amore accensa ignis flammam contempsit.

Die VII.

NAtalis sanctorum martyr. Sergii, & Bacchi. Hi fuerunt sub Maximiano Imperatore, Sergius quidem Primicerius Scholæ Gentilium, Bacchus verò secundicerius, ab initio Christianam fidem edocti, accusati quod essent Christiani, cum cogerentur Diis sacrificare, neque id facere vellent, privati sunt zonis militaribus, & monilibus, indutique vestibus muliebribus per Urbem contumeliosè circumducti, ad Antiochum missi sunt in urbem Eufratisiam, jam verò cum propè essent, Angelica apparitione à Deo corroborati sunt, & Bacchus quidem primo loco crudis nervis per horam cæsus, in ipsis tormentis efflavit animam, post illum Sergius variè cruciatus, capite obtruncatus est.

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Juliani Presbyteri, & Cæsarii Diaconi sub Claudio Imperatore in urbe Roma. fuit autem B. Cæsarius ex regione Africana, qui cum Taracinam venisset, videns execrabilia sacrificia, exspuit in illa, & pedibus conculcavit. Quare detentus tribus diebus jejunus in carcere custoditus, traditus est Præsidi: vinctis autem manibus trahebatur à militibus ante currum Præsidis usque ad templum Apollinis, quo ingrediente martyre atque orante, templum ipsum funditus corruit, opprimens Pontificem Idolorum, & alios plurimos. quod cum vidisset Leontius (a) Proconsul, procidens ad pedes sancti martyris in Christum credens, coram omnibus baptizatus est, ad quem venit Presbyter Julianus eumque immaculati Sacramenti participem fecit, qua de causa Lexorius princeps Julianum presbyterum, & Cæsarium Diaconum sacco inclusos, in mare jussit demergi, quorum corpora Deo gubernante è mari extracta, Eusebius Presbyter & Felix divina revelatione admoniti exceperunt, quos baptizati Leontii filius, eo quod sanctorum Juliani & Felicis reliquias prope urbem sepelissent, obtruncavit, & in fluvium dejecit, quorum sancta corpora Quartus Presbyter ex urbe Capua divini Angeli ductu veniens, suscepit, & loco insigni sepelivit in laudem & gloriam Patris, Filii, & Spiritus sancti.

Eodem die, Commemoratio sancti martyris Polychronii viri sanctitate & miraculorum operatione insignis. Hic in Synodo Niceæ celebrata, ex lectore Diaconus & Presbyter ordinatus est, postea verò quam magnus Constantinus excessit, statim hæresis Arii multos perturbare cœpit. Itaque perversæ opinionis homines cum invenissent sanctum Polychronium altari assistentem, repente in eum insilientes, gladiis jugularunt, & mystico ac divino sanguini martyris sanguinem commiscuerunt.

Die VIII.

NAtalis beatæ matris nostræ Pelagiæ, quæ fuit sub Diocletiano Imperatore ex urbe Tarso Ciliciæ.

Eodem die, Commemoratio sanctæ alterius Pelagiæ, ex Antiochia Syriæ sub Numeriano Imperatore, orchestris & spectaculis deditæ. Itaque ex meretricio quæstu divitias multas collegerat, sed à Nonno Episcopo viro sanctissimo instructa, & vehementer compuncta baptizata est, omniaque abjecit, arbitrata ut stercora, vestemque asperam induta sub virili habitu latens, adiit montem Olivarum, ubi in cella quadam inclusa reliquam vitam Deo gratam agens in pace quievit.

Eodem

(a) De Leontio Proconsule & Luxurio Principe vide Acta S. Hyacinthi apud Surium undecimo Julii; ibi multa leguntur actis S. Cæsarii similia, quæ Baronium impulerunt, ut Cæsarium ad Trajani tempora referret: alii incerta tempora incertioraque multo magis Acta tum Cæsarii tum Hyacinthi percipientes, ad eos colendos autoritate Ecclesiæ tantum moventur. Qui enim sub Claudio Judices Cæsarii fuerunt, quomodo iidem Trajani temporibus eadem agere potuerunt? Fuit Ecclesia Cæsarii Romæ a Gregorio primo memorata, eumque ut Patronum venerantur Terracinenses, de fide actorum & Martyris ætate minus solliciti. BASN.

Eodem die Sanctæ Pelagiæ virginis. Natalis beatæ alterius Pelagiæ; fuit quidem hæc ex Syriæ civitate Antiochiæ, genere illustris & claris parentibus, sed Christianæ fidei confessione clarior, quod cum Præses didicisset, misit milites, qui eam detinerent. cùm igitur qui missi fuerant, ejus domum circumdedissent, ut illam caperent, hoc audiens sancta mulier, rogavit, ut paulisper expectarent, quoad induta descenderet, acquieverunt illi credentes facturam quod promiserat. stans illa Orientem spectans, quemadmodum orare consueverat, extensis manibus, & oculis erectis in cœlum, Deum ipsum precata est, ne ipsam traderet militibus, sed priusquam detenta esset, intacta ad Deum descenderet. cum hæc dixisset, honesta in veste induta, spiritum Christo Domino tradidit, quod audiens miratus est Præses.

Eodem die, Natalis sanctæ Thaisiæ, quæ fuerat meretrix. hæc ab adolescentia fuit à propria matre depravata. Itaque officinam Diaboli se constituit, sed à viro sancto Paphnutio capta est. conversa igitur & pœnitentia scelerum compuncta, & omnia sua quadringentarum pretio æstimata, pauperibus distribuit, & se ipsam in cella quadam inclusit, ubi lachrymis & gemitibus ex profundo corde emissis clamabat, Qui plasmasti me, miserere mei. In hac exercitatione annos tres transegit, unde egressa jussu Abbatis post quindecim dies excessit.

Eodem die Natalis sancti martyris Artemonis, qui fuit sub Diocletiano Imperatore Presbyter Ecclesiæ Laodicenæ, propter Christi nominis confessionem detentus, & in flammam ignis conjectus, martyrii coronam adeptus est.

Die IX.

Commemoratio sanctorum Andronici & Athanasiæ conjugis. fuit autem Andronicus ex urbe magna Antiochia, qui relictis opibus, unà cum conjuge venit Hierosolymam, ubi cum sancta loca veneratus esset, pietatis opera exercens, post plurimos labores, jejunia, vigilias, & sanctorum locorum visitationes, post admirabilem beatissimæ Athanasiæ dormitionem, ipse quoque obdormivit in Domino.

Eodem die Commemoratio sanctæ martyris Publiæ. sancta Publia Imperatore impio Apostata Juliano in urbe Antiochia, probitate morum celeberrima, viri sui consuetudine paucos annos usa peperit fructum Deo dignum, admirabilem illum Joannem cognomento Chrysostomum. cum autem præesset choro virginum, & cum illum benignum Deum collaudans, in matutino tempore illos Psalmi versus magna voce caneret: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum; similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, forte transiit Julianus, qui hæc audiens, tristatus est, jussitque silere. Poplia verò ipsum contemnens, majore voce psallere cœpit. quare iratus Imperator Popliam extrahi jussit, ejusque venerandam senectutem non est reveritus, sed cuidam ex satellitibus præcepit, ut eam in os cæderet. extracta igitur tam graviter verberata est, ut ea plaga defluente sanguine terra ipsa cruentata sit: illa verò Apostatæ impietatem redarguens, eo reversa, unde abstracta fuerat, in pace quiescens non multo postea migravit ad Dominum.

Eodem die, Sancti Patris nostri Petri, qui fuit sub Imperatore Theophilo, ex Galatarum provincia. Item sancti Patris nostri Dorothei Episcopi Tyri, Diocletiano & Licinio Imperatoribus, qui apud regionem Thraciæ detentus, à Juliani Principibus multos cruciatus perpessus, centum & septem annos natus in tormentis propter Christi confessionem beatam animam Deo reddidit.

Eodem die commemoratio justi Abraham, & ejus Nepotis Loth.

Die X.

Natalis sanctorum martyrum Eulampii & Eulampiæ, qui sub Maximiano Imperatore apud Nicomediam Præsidente Maximo pro Christianæ fidei confessione passi sunt, cum enim multi laterent in monte, miserunt sanctum Eulampium, ut in urbe panes emeret. Hic cum Imperatoris decretum propositum vidisset, & illud legeret, detentus est ab Idolorum ministris, & interrogatus se Christianum esse confessus est, atque in templum Idolorum, ut sacrificaturus inductus, jussit Martem procumbere, & statim procubuit, & contritus est; cum vero ille esset in cruciatibus, Eulampia soror in medium prodiens, precata est sanctum Eulampium, ut oraret pro ipsa, & martyrii consortem haberet. cum igitur in lebetem ferventem injecti, nihil passi essent, crediderunt viri ducenti, & una cum illis obtruncati sunt.

Eodem die Natalis ducentorum sanctorum martyrum, qui cum sancto Eulampio, & Eulampia martyrium pertulerunt.

Sæc. XI. Anno 1095. *In Apographo m. s. erat adscriptum: Hæc Matrona fuit Macedoniana.*

Eodem die Natalis sancti patris nostri Bassiani, qui ex regione Syriæ sub Imperatore religiosissimo Martiano venit Constantinopolim virtutibus & miraculis ita excellens, ut Imperator ipse sub ejus nomine templum construxerit, habuit autem discipulos circiter trecentos, ex quibus fuit & sancta Matrona, cùm vero ita vixisset, & multos ad Deum convertisset, morbos curans, & plurima edens miracula in summa senectute migravit ad Dominum.

Eodem die Natalis beati patris nostri Theophili confessoris ex regione tribus stadiis distante à Tyberiopoli. Hic à puero sacris literis operam dedit, agens vero tertium decimum annum, ad sanctissimum Stephanum se contulit, à quo monasticæ vitæ ordinem, & exercitationem didicit, in qua tantum profecit ut pro sanctarum imaginum cultu à Leone Isaurico, earum persecutore, multa tormenta pertulerit, dolens autem quod martyrii cursum non complevisset, dimissus rediit ad monasterium, læticiam adferens non mediocrem fratribus, amicis, & consanguineis; brevi autem tempore transacto, beatus vir ille, suam à terrenis ad cœlestia providens migrationem, benè disponens de monasterio, omnibus instructis, & benedictis, ad eum, quem tantopere optaverat Dominum migravit, cui gloria in sæcula sæculorum.

Die XI.

NAtalis sancti Apostoli Philippi, unius ex septem Diaconis. & sancti patris nostri Theophanis confessoris Metropolitæ Niceæ. Fuit beatus Philippus, ex urbe Cæsarea Palæstinæ. Hunc divinus Lucas Evangelistam fuisse in actibus Apostolorum commemorat, qui & quatuor filias ex conjugio suscepit, unus ex septem Diaconis, docuit autem Samariam, Simonem Magum baptizavit, ab Angelo raptus Eunuchum instructum Baptismo tinxit, postea in Azotum ab Angelo abductus, hanc quoque urbem prædicatione illuminavit, posthæc in Asiæ urbem Trallensem pervenit, in qua edens plurima miracula ædificata Ecclesia ad Dominum migravit.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Zenaidis & Philonillæ germanarum sororum. Hæ sanctæ mulieres fuerunt ex Tarso Ciliciæ, consanguineæ Pauli Apostoli. quæ relictis omnibus venerunt ad urbem Demetriadem & in quandam speluncam ingressæ vitam degebant. Illic beata Zenais omnem morbum & languorem curans, abiit ad Dominum, Philonilla verò diuturnis jejuniis & vigiliis se ipsam tradens plurima faciebat miracula, & naturæ ordini serviens à brevi ad æternam vitam migravit.

Eodem die commemoratio sanctorum Patrum, qui secundo in urbem Nicæam convenerunt in Synodo œcumenica quæ septima dicitur, habita sub Adriano Romano Pontifice regnante Constantino Imperatore & Irene matre, Tharasio Archiepiscopo Constantinopolitano, Politiano Alexandriæ, Theodoreto Antiochiæ, & Elia Hierosolymorum, fuerunt autem sancti patres illi numero trecenti sexaginta septem, qui convenerunt adversus sanctarum imaginum oppugnatores, qui omnem hæresim & eorum autores anathemate damnarunt, decernentes ut quicunque sanctas imagines non colit, alienus sit ab orthodoxa fide. His & aliis constitutionibus firmatis in suam quisque Ecclesiam redierunt, quorum intercessionibus Deus misereatur nostri.

Die XII.

CErtamen sanctorum martyrum Probi, Tharachi & Andronici, qui sub Diocletiano Imperatore Pompejopoli apud Tharsum Ciliciæ detenti sunt. primus sanctus Tharacus Maximiano Præsidi oblatus, & Christi nomen confessus, confractis maxillis in carcerem injectus est: generosus verò Probus crudis nervis verberatur, ignito ferro pedibus comburitur, in ligno suspenditur, postremò gladio concisus, beatum finem accepit. Andronicus vero in ligno suspensus, acuto ferro cruribus & lateribus laceratur, ejusque vulnera sale perfricantur, lingua & labia exciduntur, toto denique corpore concisus spiritum in manus Dei commendavit.

Eodem die Natalis S. martyris Anastasiæ virginis, quæ sub Decio & Valerio Imperatoribus ex urbe Roma, Præsidente Probo, in monasterio quodam cum aliis virginibus monasticam vitam ducebat: delata vero apud Præsidem, ducta est ferreis vinculis ligata, cumque Christi nomen professa foret, in os cæditur, denudatur, uritur, perfusa pice & cinere, postea in ligno suspenditur & abscissis ambabus mammis atque unguibus abstractis, manibus & pedibus incisis, evulsis dentibus, demum gladio consummatur.

Die

Die XIII.

NAtalis sanctorum martyrum, Carpi, Papyli, Agathodori, & Agathonicæ, qui fuerunt sub Decio Imperatore, & Valeriano Proconsule Asiæ, ex quibus Carpus erat Episcopus Thyatiræ, Papylus vero Diaconus ab ipso Carpo ordinatus: detenti vero à Præside confessi sunt omnibus audientibus Christi nomen, cumque Idolis immolare nollent, equis alligati, gradiebantur ante currum, tracti ad urbem Sardis, ubi suspensi, laniati sunt, & sanctus Agathodorus servus beatorum Carpi & Papyli ab Angelo Dei corroboratus, ipse quoque Christum confessus est: beatus vero Carpus suspensus risit. Itaque interrogatus à judice, quænam esset ridendi causa, Vidi, inquit, gloriam Domini mei & risi. Papylus vero quatuor palis alligatus in sublime tollitur & lapidatur, post hæc sancti viri simul ducti, supini super tribulos trahuntur, desuper verberati, & feris ad escam expositi, postea in ardentem caminum injecti sunt, in quem & sancti Papyli soror Agathonice Deum orans una cum illis ingressa est, cùm vero ignis demisso imbre extinctus esset, sancti martyres ense obtruncati sunt,

Eodem die Natalis sancti martyris Florentii. Hic fuit ex urbe Thessalonica, qui cum esset Christianus & boni æmulator, coram omnibus Deos gentilium redarguens irridebat, Christianos verò in Christi fide confirmabat; cum hæc faceret, detentus ab illius regionis Præside, interrogatus, confessus est Christum solum esse Deum, gentilium vero appellatos Deos, lapides esse, ligna, aurum & argentum, nihilque aliud esse Idola ipsa quam æs & ferrum inanimatum, & sensus expertem materiam: quæ dicens, in furorem commovit Præsidem. Itaque suspenditur, laniatur, in ignem traditur & consummatur.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Nicetæ Patritii, ex regione Paphlagoniæ, qui cum esset divinarum literarum & pietatis studiosus, pro cultu sanctarum imaginum, adversus eorum Impugnatores, & Imperatorem Leonem plurimum laboravit, multisque editis miraculis cum mortis suæ diem prædixisset, migravit in cœlum.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Benjamin Diaconi apud Persas, cum multos gentiles ad Dei notitiam convertisset, tanquam maleficus in carcerem injectus est, postea eductus in Christianæ fidei doctrina perseverans, omnia sustinens generosus Athleta, spiritum Deo commendavit.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Antiochi, qui propter Christi confessionem igne consummatus est.

Die XIV.

NAtalis sanctorum martyrum Nazarii, Gervasii, Prothasii, & cæteri sub Nerone Imperatore in urbe Roma post consummationem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli martyrii, certamen subierunt. & sanctus quidem Nazarius Africani & Perpetuæ filius, fuit baptizatus à sancto Apostolo Petro, Protasius vero à Lino Romano Pontifice, successore Apostoli Petri.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Cosmæ Episcopi Majumæ, viri sapientia & pietate insignis, Ecclesiam Majumæ, cujus fuit Episcopus, laudabiliter regens, ad summam senectutem pervenit & quievit in Domino.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Silvani ex urbe Gaza presbyteri, illius Ecclesiæ fide sincera, & Christianæ confessionis insignis, qui postremo pro Christo Domino obtruncatus sanguinem fudit.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Petri Anselami ex Eleutheropoli, qui cum corporis robore & animi vigore plurimum valeret, præclare admodum in pietatis certaminibus se gessit, & terrenis rebus omnibus contemptis in anno sexto Imperii Diocletiani & Maximiani, ignis certamine exacto victima Deo grata oblata est.

Die XV.

COmmemoratio sancti martyris Luciani. Hic fuit ex Antiochia Syriæ, Christianis ortus parentibus, quibus mortuis, facultates omnes pauperibus distribuit, & divinarum literarum meditationi deditus multos Judæos ac gentiles ad Christi fidem attraxit, qui & relicta domo Nicomediam venit, ubi tormentorum timore aliquot in fide ipsa torpescentes ad sustinenda certamina fulciebat. Diocletianus itaque Maximianus

Sæc. XI. Anno 1095.

nus Imperator cum martyris propositum in Christi confessione ita firmum esse cognovisset, ut mutari non posset, longa inedia illum condemnavit. Multis igitur diebus cibi & potus expers in carcere obiit, cujus corpus Præsidis jussu in mare projectum, delphinus Dei providentia sublatum, ad continentem terram detulit.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Sabini Episcopi, qui virtutem appetens, vigiliis, jejuniis, & reliquis laboribus ita profecit, ut miracula etiam faceret, multosque ad virtutis studium, & mundi hujus contemptum excitaret, cumque ita vixisset, in pace quiescens, spiritum Domino & Salvatori nostro commendavit.

Eodem die, Commemoratio sancti Patris nostri & Confessoris Barsi Episcopi urbis Edessæ, qui fuit sub Valentiniano Imperatore. Hic multis editis miraculis migravit ad Dominum.

Eodem die Certamen monachi cujusdam & martyris.

Eodem die, Commemoratio sanctorum martyrum Sarbili & Bebeæ sororis sub Trajano Imperatore.

Die XVI.

NAtalis sancti martyris Longini Centurionis, qui propter Christi confessionem apud Cappadociam cum duobus militibus obtruncatus est.

Eodem die Natalis duorum martyrum, qui cum sancto Longino pro Christi confessione interfecti sunt.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Malei. Hic relictis facultatibus cognatione, & terrenis rebus omnibus eremum habitans, vigiliis, jejuniis, & reliquis asperæ vitæ studiis deditus multis editis miraculis, migravit in cœlum.

Die XVII.

COmmemoratio sancti Prophetæ Oseæ.

Eodem die Natalis sancti martyris Andreæ, qui apud Cretam imperante Constantino Copronymo pro veneratione sanctarum Imaginum, adversus illarum impugnatores, egregiè pugnavit.

Eodem die Relatio pretiosarum reliquiarum sancti & justi Lazari, quas reliquias celeberrimus & fidelissimus Imperator Leo divino zelo commotus in templo pulcherrimo sub ejus sancti viri nomine dicato ex urbe Cytiensi Constantinopolim translatas, in argenteis loculis reposuit.

Eodem die, Sanctorum fratrum Cosmæ & Damiani, Leontii, Anthimi, & Eutropii.

Eodem die, Sanctorum martyrum Chrysanthi & Dariæ. Item sanctorum martyrum Claudii Tribuni, qui sanctos Chrysanthum & Dariam cruciavit, & sanctæ Hilariæ ejus uxoris, Item sanctorum Mauri, & Jasonis filiorum.

Die XVIII.

NAtalis sancti Apostoli & Evangelistæ Lucæ, qui fuit ex urbe Antiochiæ Syriæ. Hic octoginta annos natus, dormivit in Domino.

Eodem die, Commemoratio sancti Marini, & sancti Patris nostri Juliani, qui apud ripas fluminis Euphratis speluncam habitans, monasticam vitam exercuit.

Die XIX.

COmmemoratio sancti Prophetæ Joëlis, & B. martyris Vari, qui fuit sub Maximiano Imperatore militans apud Ægyptum, claris & piis ortus parentibus: cumque septem viri sancti multo tempore Christianæ fidei causa in carcere detinerentur, sanctus Varus quotidie illorum curam gerebat, è quorum numero cum unus obiisset, ipse pro illo numerari voluit. Itaque ad Judicem cum reliquis ductus, vectibus graviter verberatus ac laniatus, in ipsis cruciatibus ad horam quintam extensis, beatam animam Deo reddidit.

Eodem die, Natalis sancti martyris Sadoth, & centum viginti, qui sub Rege Sapore apud Persidem cum illo martyrium pertulerunt.

Die XX.

COmmemoratio sancti magni martyris Artemii, qui cùm fuisset Dux Augustalis Alexandriæ & Patritius, à Constantino Magno multis honoribus affectus, à Juliano Aposta-

Apostata in urbe Antiochia cùm impietatem illi exprobraret, multis tormentis cruciatus, plurimis per eum editis miraculis migravit ad Dominum. Sæc. XI. Anno 1095.

Die XXI.

Commemoratio sancti patris nostri Hilarionis.

Eodem die sanctorum martyrum Gaii, Dasii, & Zotici, qui apud Nicomediam libere Christi fidem prædicantes in ligno suspensi, & laniati, postremo saxis collo alligatis in mare projecti sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Socratis presbyteri, & Theodotæ. Item sancti martyris Eucratis.

Die XXII.

Natalis S. Abertii Episcopi Hierapolitani. Hic cùm esset Hierapolis Episcopus Phrygiæ Saltuariæ, Imperatore Marco Antonino, miraculorum & curationum multarum opifex vita & sanctitate illustris, migravit ad Dominum.

Eodem die Natalis sanctorum fratrum in urbe Epheso, Maximiliani, Jamblichi, Martiniani, Dionysii, Antonini, Exacustodiani, & Constantini.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Alexandri Episcopi & Heraclii, Annæ, Elisabeth, Theodotæ, & Glyceriæ.

Die XXIII.

Natalis S. martyris Apostoli Jacobi, fratris Domini.

Eodem die commemoratio patris nostri Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani. Hic fuit vir generis splendore illustris, sed vita & moribus illustrior, post multas ærumnas quas Photii opera perpessus est, quievit in Domino.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Macarii Romani.

Die XXIV.

Natalis magni martyris Aretæ & sociorum ex Æthiopia sub Justino Imperatore. Aretas vir sanctissimus sua prædicatione multos ad Christi fidem conversos martyres Christo ipse secum obtulit.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Procli Patriarchæ Constantinopolitani, qui sanctarum literarum peritia, & probitate morum insignis, cum annos duodecim & menses tres Episcopatum benè rexisset, in pace migravit ad Dominum.

Die XXV.

Natalis sanctorum martyrum Marciani & Martyrii. Cùm Paulus Patriarcha Constantinopolitanus à Constantio Imperatore Arriano in Armeniam missus exul ab Arrianis suffocatus beatum finem assecutus esset, Martianus & Martyrius propter orthodoxæ fidei observantiam gladio cæsi sunt, & sepulti in porta Melandesia Constantinopolitanæ urbis, quibus sanctus Pater Joannes Chrysostomus templum à fundamentis erexit.

Eodem die Natalis S. martyris Anastasii, qui fidei Christianæ prædicatione multos convertens, ense obtruncatus, quievit in Domino.

Die XXVI.

Commemoratio magni martyris Demetrii cognomento Myrobleti. Hic fuit sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ex urbe Thessalonica, qui jugulatus animam emisit, multis postea per eum editis miraculis. Post illum & sanctus Nestor obtruncatus dormivit in Domino.

Die XXVII.

Commemoratio sancti martyris Nestoris, & sanctarum martyrum Capitolinæ, & Eroteidis sub Diocletiano Imperatore, & Zilicinthio Præside Cappadociæ.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XXVIII.

SAnctorum martyrum Terentii, Neonillæ, & sancti patris nostri Stephani Sabaithæ, qui omnes in Christianæ fidei confessione perseverantes, post carceres & verbera feris expositi, & in lebetes pice fervente plenos projecti, cum tormenta omnia pro nihilo facerent, ense obtruncati sunt.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Africani, Terentii, Maximi, Pompeji, & aliorum triginta sex, qui sub Decio Imperatore, & Fortunato Præside in Africa pro Christi fide certantes, verbera, ignitos obeliscos, & alios cruciatus pro nihilo ducentes, gladio sunt obtruncati.

Eodem die Natalis sancti patris nostri Firmiliani Episcopi Cæsareæ & Melchionis Sophistæ, Presbyteri Antiocheni, qui deposuerunt Paulum Samosatensem.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Joannis Chozebitæ. Hic in Eremi loco dicto Chozeba eximiam virtutis exercitationem assecutus multa effecit miracula, monachorum plurimorum Dux existens sicque in eadem Eremo B. ex hac vita decessit.

Eodem die Natalis sanctæ Febroniæ filiæ Imperatoris Heraclii. Et sancti patris nostri Stephani Sabaithæ discipuli B. Sabæ, & sancti martyris Cyriaci, qui manifestavit preciosam crucem Domini sub Imperio Constantini Magni & Helenæ matris.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani, & sociorum trium fratrum.

Die XXIX.

NAtalis sanctæ magnæ martyris Anastasiæ Romanæ. Et sancti patris nostri Abrahami. Fuit autem Anastasia Decio & Valeriano Imperatoribus genere Romana, juvenilem agens ætatem, & in monasterio vitam ducens, quæ liberè Christum confessa, alapis cæditur, & super ardentes carbones extensa verberatur, aliisque variis tormentis cruciata, postremo obtruncatur.

Die XXX.

NAtalis sanctorum martyrum Zenobii, & Zenobiæ sororis, qui sub Diocletiano Imperatore piis orti sunt parentibus, Zenobius quidem comprehensus astitit Præsidi, ad cujus interrogationem soror Zenobia seipsam quoque obtulit, verberati ambo, & in lebetem picis injecti Christi gratia incolumes servati ense percussi, beatum finem assequuti sunt.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Meletinæ, & sancti Martiani Episcopi Syracusarum, discipuli sancti Apostoli Petri. sanctus Martianus Episcopus ordinatus à B. Petro Apostolo missus est Syracusas Siciliæ, qui Idolorum templis oratione subversis, multisque ad veritatem conversis, signis & prodigiis, gentilibus ipsis attonitis, filios lucis effecit, quare invidia commoti Judæi, ejus in prædicanda Christi fide libertatem non ferentes, violenta morte illum sustulerunt.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Cronionis, Juliani, Macarii, & aliorum tredecim, qui sub Decio Imperatore apud Alexandriam pro Christo cuciati in confessione permanentes martyrii coronam acceperunt.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Eutropiæ, quæ accusata apud Præsidem Appellianum, ut Christiana, & carcere inclusos sanctos visitans, primum suspensa, lampadibus combusta, asserebat se flammam illam ut aquam sentire, & terribilem quendam virum cernere ardorem refrigerantem, & tanquam rore quodam aspergentem, quem & milites ipsi cernebant. postea vehementius cruciata in tormentis ipsis spiritum Deo tradidit.

Eodem die Natalis sancti Apostoli Cleophæ. Et sancti Patris nostri Joseph Patriarchæ Constantinopolitani, & sanctorum martyrum Asterii, Claudii, Neonis & Neonillæ sororis.

Eodem die sanctorum Terentii, Marci, Justi, & Artemæ, ex numero septuaginta, qui pro pietate certantes, tentationibus non mediocribus probati in pace beatas animas Domino commendarunt.

Eodem die sanctus Aristobulus, post multos fidei prædicatione conversos, in pace quievit.

Die

Die XXXI.

NAtalis sanctorum Stachys, Ampliæ, Urbani, Aristoboli, Narcissi, & sancti martyris Epimachi, ex quibus sanctus Stachys ab Apostolo Andrea Episcopus constitutus est, qui & Ecclesiam in Argyropoli ædificavit, in quam conveniebat Christianorum multitudo innumerabilis, quam beatus Episcopus docebat, cumque ita vixisset annos septendecim, dormivit in pace. Sancti verò Amplias, & Urbanus, ab eodem Apostolo Andrea Episcopi ordinati, ille quidem Odyssopolis, hic verò Macedoniæ, propter Christianæ fidei confessionem, atque Idolorum eversionem, à Judæis & gentilibus interfecti, beatas animas Deo tradiderunt. Beatus verò Narcissus variè cruciatus ipse quoque spiritum suum Christo Domino commendavit, pro quo & sanguinem fudit.

Eodem die Sancti martyris Epimachi. Hic ex urbe Pelusio delatus apud Præsidem Apellianum, in urbe Alexandria Christianorum multitudinem cruciantem, quod altare in quo sacrificium Idolis offerri cœptum esset, subvertisset, in ligno suspensus, ferreis unguibus discerpitur, & post alios cruciatus, ense obtruncatus, ad cœlestem vitam translatus, requievit in Domino.

Eodem die Natalis S. Patris nostri Jacobi Episcopi Mygdoniæ, unius ex trecentis decem & octo sanctis Patribus, qui convenerunt in urbem Nicæam. Hic sanctus Jacobus fuit Episcopus Antiochiæ Mygdoniæ, quæ & Nesibe dicta est, admirabilium operum patrator.

Mensis Novembris die primo.

COMMEMORATIO sanctorum Cosmæ & Damiani, filiorum Theodotæ Asianæ mulieris.

Eodem die sanctorum martyrum Cyriænæ & Julianæ, quæ sub Maximiano Imperatore comprehensæ à Martiano Præside, cum Christum nollent abnegare, Cyriæna raso capite nuda per urbem à militibus inhonestis circumducitur, & ad civitatem Rossensem ducta cum sancta Juliana igni tradita, martyrii cursum complevit.

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Cæsarii, Dasii, & aliorum quinque. Hi sancti viri detenti in urbe Damasco, & diversis cruciatibus inquisiti ense obtruncati sunt.

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Joannis Episcopi & Jacobi Presbyteri, qui sub Sapore rege Persarum, Christianæ fidei doctrinam tradentes, multosque ad pietatem munientes, detenti à ministris ipsius Regis, post varia tormenta, ense obtruncati, Domino animas suas commendarunt.

Eodem die Natalis sancti martyris Hermeningildi.

Die II.

NAtalis sanctorum martyrum Acindyni, Pegasii, Aphthonii, Elpidephori & Anempodisti, qui cum essent ex Persarum regione primas habentes apud Saporem regem, pietatem summopere colebant, cujus causa cruciatus omnes contemnentes gladio percussi, martyrii cursum compleverunt.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Eudoxii, Agapii, & aliorum octo, qui apud Sebastiam, sub Licinio Imperatore, Auxone, Marcello, & Marco Agricolao Præsidibus in ignem conjecti, animas ipsas Deo commendarunt.

Eodem die Sancti Patris nostri Marciani ex urbe Cyro, viri pietate insignis, qui egregie monasticam vitam exegit.

Die III.

NAtalis sanctorum martyrum Acepsimæ, Aithalæ, & Josephi, atque Encænia templi magni martyris Georgii apud Lydam. Hi sub Sapore rege Persarum detenti, examinati sunt, ut Christiani, & Acepsimas quidem virgis cæditur, Joseph autem

SÆC. XI. ANNO 1095.

tem ita verberatur, ut carnes ipsæ usque ad ossa discissæ sint. Sanctus verò Aithalas manibus & pedibus sub genua ligatis verberum magnitudine enervatus, carcere includitur, postremo variis tormentis consummati, sanctas animas Deo tradiderunt.

Eodem die Natalis sancti Acepsimæ, qui sub Theodosio Magno, cella se inclusit, in qua sexaginta annos transegit, neminem videns aut alloquens, sed sibi ipsi, & Deo vacans omnem recreationem sentiebat, multis verò editis miraculis in pace quievit.

Eodem die commemoratio sancti Patris nostri & confessoris Theodori Episcopi Ancyrani, & sanctorum martyrum Severi, Andronæ, Theodoti & Theodotæ ense consummatorum.

Die IV.

NAtalis sancti Patris nostri Joannicii magni, & beatorum martyrum Nicandri Episcopi Myræ & Hermæi Presbyteri. Beatus Joannicius ex regione Bithyniæ ex terrena militia ad cœlestem se transferens, aspera veste se induens, in sublimibus, desertisque montibus, herbis agrestibus vescens, multos annos transegit, & ad cœlestem vitam migravit: Nicander verò Episcopus, & Hermæus Presbyter, cum multos ab Idolis ad Christum convertissent, Libanio Præsidi oblati propter Christianæ fidei confessionem, laniati & suspensi, Deo sanctas animas tradiderunt.

Eodem die Natalis sancti martyris Porphyrii, qui fuit ex urbe Ephesi sub Aureliano Imperatore Christianam fidem confessus, ense obtruncatus est.

Die V.

COmmemoratio sanctorum martyrum Galationis & Epistemes. Hi S. martyres sub Decio Imperatore pro Christiani nominis confessione manibus & pedibus mutilati, sanctus Galation annos triginta natus, sancta verò Episteme annum agens sextum decimum obtruncati sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Hermæ, Lini, Gaii, Philologi, & Patrobæ, qui Christianæ fidei confessione insignes, multa propter pietatem perpessi, ac plurimis ad Christi fidem conversis, quieverunt in Domino.

Eodem die commemoratio sancti Pamphili martyris qui sub Maximiano Imperatore & Urbano Præside Palæstinæ sapientia & virtute illustris, pro Christiani nominis confessione semel atque iterum carcere inclusus, & corpore laniatus, martyrii finem consecutus est.

Die VI.

COmmemoratio sancti patris Pauli Archiepiscopi Constantinopolitani. Hic fuit ex urbe Thessalonica post sanctum Alexandrum, Constantinopolitanæ urbis creatus Episcopus, sed à Constantio Imperatore Arriano ejectus de sede, Romam veniens, Magnum Athanasium, ipsum quoque ab eodem Imperatore de Alexandrina Ecclesia dejectum invenit.

Die VII.

EOdem die commemoratio sanctorum triginta trium martyrum Hieracis & reliquorum, qui Melitinæ sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus Christianam fidem professi, verberati per multas horas, extra urbem Melitinam obtruncati martyrium consecuti sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Melasippi, Casinæ, & Antonii, qui sub Juliano Apostata apud urbem Ancyram, Christianam fidem professi, martyrii palmam acceperunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Aucti, Taurionis, & Thessalonicæ apud Amphipolim Macedoniæ. Thessalonica filia cujusdam Cleonis sacerdotis Idolorum, Christianam fidem amplexa, cum nullis precibus & blanditiis ab ea dimoveri posset, nuda crudis nervis à quatuor satellitibus verberata, in exilium missa, cum neque illic Christum confiteri desisteret, in exilio ipso animam Deo tradidit, Auctus verò & Taurion ducti ad Præsidem Thorybium nudi cæsi, lapidati, & in caminum ardentem injecti, postremo in paludem demersi, atque illinc incolumes erepti, Præsidis jussu obtruncati, felicem sui certaminis fidem adepti sunt.

Eodem

Eodem die commemoratio ſancti martyris Athenodori, fratris B. Gregorii cognomento Thaumaturgi.

Eodem die ſancti martyris Alexandri, qui apud Theſſalonicam ſub Maximiano Imperatore martyrium complevit.

Die VIII.

CElebritas Principis militiæ cœleſtis Michaëlis, & reliquarum virtutum incorporearum.

Die IX.

NAtalis ſanctorum martyrum Oneſiphori, & Porphyrii, qui Chriſtum Dominum profitentes, ſanguinem fuderunt.

Eodem die ſanctæ matris noſtræ Matronæ, quæ ſub Leone Magno Imperatore ex Perge urbe Pamphiliæ monaſticæ virtutis exercitatione nobilis, editis per eam miraculis centeſimum propè annum agens, deceſſit in Domino.

Eodem die commemoratio ſanctæ Theoctiſtæ Lesbiæ. Hæc ex urbe Methymna, monaſticam vitam ducens, ad Dominum, cui tàm rectè ſervierat, multos poſt annos migravit.

Eodem die Natalis ſanctarum mulierum Euſtoliæ & Sopatræ. Sancta Euſtolia fuit ſub Mauritio Imperatore, piis orta parentibus, quæ à tenera ætate monaſterio dedita, vacans jejuniis, atque vigiliis divino amore accenſa, relicta urbe Roma, venit Conſtantinopolim, ubi viſitatis ſanctis & venerabilibus locis, Sopatram Mauritii Imperatoris filiam invenit, à qua rogata eſt beata Euſtolia ut liceret eam ſpiritualem matrem habere corporis, & animæ cuſtodem. Itaque relicta Regia monaſticam vitam aggreſſa eſt, cumque à patre Imperatore petiiſſet, ut locum aliquem idoneum ſibi pararet, ædificata eſt illi domus oratoria, ubi cum ſancta Euſtolia vitam degebat, quam multæ piæ ac devotæ virgines adeuntes, duram & laborioſam vitam exercitabant: Beata vero Euſtolia plurimis annis in monaſtica exercitatione tranſactis in pace migravit ad Dominum, B. Sopatram ſuo loco relinquens, quæ ſpiritalis matris exemplum ſequuta ad ſummam virtutem perveniens migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio ſancti martyris Antonii ex regione Syriæ, qui cum eſſet cæſor lapidum & videret gentiles in Idolorum templo immolantes, à vana ſuperſtitione illos dehortabatur; poſtea vero ingreſſus in eorum templum Idola ipſa contrivit: quare detentus, & graviter verberatus, dimiſſusque abiit in Apamiam Syriæ ibique à ſancto Epiſcopo obtinuit, ut liceret ei templum ædificare ſub nomine ſanctæ Trinitatis, quod cum cœpiſſet, & indigenæ cognoviſſent, nocte irruentes enſibus membratim illum conciderunt.

Die X.

NAtalis ſanctorum Olympæ, Rodionis, Soſipatri, Tertii, Eraſti, & Quarti.

Eodem die Natalis ſancti martyris Oreſtis. Hic fuit ex urbe Tyana regionis Cappadociæ, qui ſub Imperatore Diocletiano, Præſide Maximiano, ductus ad templum Idolorum cùm in Idola ipſa inſufflaſſet, ſtatim in pulverem redacta ſunt. Itaque in carcerem conjectus, & poſt ſeptem dies eductus, ſtetit ad tribunal Præſidis, renuens ſacrificare, quamvis clavis longioribus, talis ejus perforatis, feroci equo alligatus, & ad viginti ſtadia longe ab urbe Tyanenſi tractus ſpiritum Deo tradidit.

Eodem die commemoratio ſancti martyris Mili Epiſcopi & duorum diſcipulorum, qui ex Perſarum regione ad Chriſti fidem converſus ac baptizatus divinas literas edoctus, una cum duobus diſcipulis pro mortali & terrena vita immortalem, ac cœleſtem aſſequutus eſt.

Die XI.

COmmemoratio ſanctorum Menæ, Victoris, Vincentii, & beati patris noſtri confeſſoris Theodori Studitæ. ſanctus magnus martyr Menas ſub Imperatore Maximiano militans Præſide Argyriſto, cùm non pateretur videre Idolorum errorem apertè prædicari, aſcendit in montem, ubi ſe jejuniis & orationibus purgans & divino Chriſti deſiderio animam accendens deſcendit de monte, & in medio Idola colentium homi-

hominum consistens Christum prædicabat; quare laceratus, & asperis vestibus carnes confricatus, toto corpore laniato beatum martyrii finem accepit.

Eodem die commemoratio sancti martyris Victoris, sub Antonino Imperatore & Sebastiano Duce pro Christi confessione in Italia passi.

Eodem die Natalis sancti martyris Vincentii Diaconi apud Augustopolim Hispaniæ passi.

Eodem die Sanctæ martyris Stephanidis, quæ cum Christum coleret, videns sanctum Victorem admirabili fortudine, & tolerantia pro Christo tormenta perferentem, Beatum prædicavit, cumque inspexisset coronas utrique à Deo paratas, adiens Præsidem Christum Dominum æternum esse confessa est, ob idque cruciata, atque in duas partes secta, animam Deo reddidit.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Theodori cognomento Studitæ. Hic fuit sub Imperatore Constantino Copronymo divinis literis eruditus, & vitæ sanctitate insignis, post venerabilem Platonem Abbas Monasterii Studitarum, sæpe in exilium missus, sub Michaele Imperatore, revocatus paulo post, requievit in Domino.

Die XII.

COmmemoratio sancti Patris nostri Joannis Archiepiscopi Alexandrini, cognomento Eleemonis. hic fuit Cyprius genere, Epiphanii illius regionis Ducis filius, qui cum omnem diligentiam atque operam ad virtutis studium, & Dei gratiam sibi conciliandam contulisset, propter vitæ splendorem, Heraclio Imperatore petente, factus est Archiepiscopus Alexandrinus. Itaque ut lucerna in candelabro posita, eluxit, multisque annis in sacerdotio transactis, multa efficiens miracula, abunde pauperibus, & egenis vitæ necessaria suppeditans. Unde Eleemonis cognomentum accepit, omnibus & ipsis etiam infidelibus venerabilis migravit ad Dominum.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Nili. Hic fuit sub Imperatore Mauritio, sanctarum literarum eruditione, & sanctitate morum insignis, qui cum orationis facultate, & rectæ vitæ exemplo plurimos ad virtutis studium excitasset, in pace quievit.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Antonii & sociorum, qui fuerunt sub Maximiano Imperatore. Antonius ætate provectior, Nicephorus verò Zebinas & Germanus juvenili vigore florentes: comprehensi verò apud Cæsaream, & Christum liberè confessi, obtruncati sunt. Virgo autem Manatho ex Scythopoli nuda per urbem ducta, igni traditur.

Die XIII.

NAtalis sancti Patris nostri Joannis Chrysostomi, Archiepiscopi Constantinopolitani.

Die XIV.

NAtalis sancti Apostoli Philippi, qui fuit ex Galilæa, ex Bethsaide, unus è numero duodecim Apostolorum.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Hypatii Episcopi Gangrenæ. Hic fuit unus ex numero trecentorum & decem, & octo Patrum, qui adversus Arrium Hæresiarcham Constantino Magno Imperatore, in urbem Nicæam convenerunt, qui post celebratam sanctam Synodum ad Ecclesiam suam reversus, à Novatianis hæreticis insidiantibus per viam transiens lapidatus est. Itaque ex præsenti vita liberatus ad æternam illam perductus est.

Die XV.

NAtalis sanctorum martyrum Guriæ, Samonæ & Abibi. Qui apud Edessam martyrium passi sunt sub Diocletiano Imperatore, & Antonino Præside, apud quem delati, quod in carcere Christianos homines curarent, illi astiterunt. Gurias & Samonas accusati, quod hominibus persuaderent, ne Idolis sacra facerent, qua de causa ex altera manu suspensi, à tertia usque ad horam sextam in confessione persistentes, postremo ense obtruncati sunt. Beatus verò Abibus Diaconus accusatus quod oppida, & castella circumiret, & Christi fidem doceret, Imperatore Licinio jubente in ardentem caminum injectus, martyrii cursum transegit.

Eodem die Natalis sanctorum Baruch & Jacobi, fratris Joannis Theologi.

Die

Die XVI.

COmmemoratio sancti Apostoli & Evangelistæ Matthæi.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Quintiliani Episcopi Seleuci.

Eodem die, Commemoratio Sanctorum martyrum Elpidii, Marcelli, Eustochii, & sociorum; beatus Elpidius unus ex ordine Senatorum assistens Juliano Apostatæ, Christianam fidem professus, post alia tormenta equis ferocibus, & tauris simul cum Eustochio & Marcello, dilaniandus ligatur, quorum membra rusticis vectibus confracta sunt, in ignem postea injecti, beatas animas in manus Dei commendarunt.

Eodem die, Natalis sancti martyris Barlaam ex Antiochia, quem beatus Chrysostomus encomiis honoravit. Hic propter Christi confessionem, ex carcere Judici oblatus, nervis cæditur, & extirpatis unguibus ad aram ductus, aperta manu carbones cum ture accepit: sic enim placuit Judici, ut scilicet, si ardore compulsus carbones ipsos cum ture projiceret, censeretur Idolis sacrificia obtulisse; ille verò immobilis atque inflexibilis persisteret, dextram manum ære & ferro duriorem contineret, quoad caro ipsa igne consumpta, atque exesa in terram deflueret. nervis igitur divulsis, & manu consumpta, spiritum Deo reddidit.

Die XVII.

COmmemoratio sancti Patris nostri Gregorii cognomento Thaumaturgi. Hic fuit sub Aureliano Imperatore, gentilibus ortus parentibus, factus verò Christianus, tot & tanta miracula facere cœpit, ut ex ea re nomine Thaumaturgi appellatus sit.

Eodem die, Commemoratio sancti confessoris Lazari Pictoris. Hic à puero solitariam vitam amplexus, pingendi artem edoctus est, duriori vitæ, continentiæ, atque eleemosynarum largitioni deditus. Quamobrem sacerdotii gradu decoratus est. Itaque adversus omnes Hæreses certamen suscepit, totque & tantas ærumnas ab iis, qui cum Eutyche, Nestorio, & Dioscoro hæreticis sentiebant, quin etiam ab impiis sanctarum Imaginum oppugnatoribus passus est, quantas verbis explicari facile non est. ob eam causam antiquiorem Romam profectus pro patriis & Apostolicis dogmatibus pugnaturus.

Die XVIII.

COmmemoratio sancti magni martyris Platonis. Hic fuit ex urbe Ancyra Galatiæ, frater sancti martyris Antiochi, qui propter Christi confessionem oblatus Agrippino Præsidi, à duodecim militibus verberatus & super grabatum æreum accensum extensus, postremo detracta corporis pelle laniatisque carnibus, ense percussus, martyrio coronatus est.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Romani. Hic fuit sub Maximiano Imperatore, qui propter Christi fidem Asclepiadem tribunum ad Idolorum templum ingredi volentem detinebat, inquiens: Idola ipsa non sunt Dii, Christiani verò homines gentilibus excellunt, idque vel pueri norunt. Hæc cùm dixisset in os cæditur, & maxillis laniatur. Petente autem sancto Romano ductus est puer, qui interrogatus, qualem-nam Deum colere oporteret, Christianorum, inquit ille; cùm vero astante illic & ejus matre, sitiens puer aquam petiisset, mater & pia, & religiosa fœmina dixit, Ne bibas puer ex hac aqua, sed abi, & bibe ex viventi, & perenni illa aqua: Tyrannus vero rei miraculo confusus puerum illum obtruncari jussit; at sanctus Romanus, excisa lingua loquens admirabiliter, Deo gratias agebat. Tanto autem miraculo pervulgato, jussu Imperatoris suffocatus, à præsenti brevi sæculo liberatus, martyrii coronam accepit.

Eodem die sancti martyris Romani Diaconi Palæstini. Hic ex Palæstina regione genus ducens, Cæsariensis Pajotiæ Diaconus, Exorcista sub Diocletiano Imperatore apud Antiochiam martyrii certamen subiit. Itaque sponte judicem adiens, statim ignis supplicio condemnatur, quod cum cognovisset Diocletianus, ignis quidem pœnam removit, sed linguam excidi jussit. martyr igitur lingua privatus est, sed nihilominus tamen clarius loquebatur, ac liberius Christum prædicabat, injectus postea in carcerem compunctis pedibus laqueo innexus necatus est.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Micheæ, Zacchæi Diaconi Gadirensis

SÆC. XI. ANNO 1095.

rensis Ecclesiæ, & Alphei. ductus est beatus Zacchæus ad Tribunal, ferreum & grave in collo habens vinculum, atque interrogatus, gravibus & inhumanis subjicitur suppliciis, & die, ac nocte cruciatus tormenta sustinebat. Post hunc Alpheus plenus spiritu sancto adducitur, & flagris toto corpore cæditur, ac lateribus igni combustis carcere includitur: mane eductus, mortem ense illatam suscepit.

Die XIX.

COmmemoratio sancti Prophetæ Abdiæ.

Eodem die commemoratio sancti martyris Azæ. hic fuit ex regione Isaurorum militans sub Diocletiano Imperatore, qui relicta militia Eremum incolebat multasque orationes & miracula faciens; delatus verò à quibusdam venatoribus, ductus est ad Diocletianum; quo audiente Christi fidem confessus, traditus est Aquilino tribuno cum centum quinquaginta militibus, qui ad eum capiendum venerant, & ejus visis, dum reverterentur miraculis ad Christum conversi erant; Siquidem precibus aquam eduxerat, sitientes recreaverat: Tribunus autem sanctum martyrem Azen ad terrorem multorum plurimis plagis supposuit, in rota suspensum ferreis unguibus laceratum, & ad caminum ignis injectum: cùm verò flamma ipsa extincta esset, & beatus martyr incolumis permansisset, tribuni uxor & filia ad Christi fidem conversæ sunt. Tunc tribunus centum quinquaginta militum capita abscindi, cum quibus uxorem & filiam obtruncari fecit, postea sanctus martyr consummatus est.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Heliodori ex Magedo urbe Pamphyliæ, Imperatore Aureliano in urbe Roma, Præsidente Aetio in Magedo civitate Pamphyliæ. Beatus Heliodorus in illa ipsa urbe Christum prædicans delatus est apud Præsidem. Itaque adductus, cùm Idolis sacrificare non pateretur, suspenditur, & laceratur, cùmque tormentorum acerbitatem sentiret, clamabat, Domine Jesu Christe adjuva me, statimque è cœlo voce missa, audivit, Ne timeas, tecum enim sum. Hanc vocem, qui faces accensas tenebant, atque insuper quatuor videntes Angelos tormentorum vim prohibentes, in Christum crediderunt, & arguentes Præsidem in mare projecti sunt, victoriæ coronas percipientes. Tunc jussit Præses æneum bovem accendi, atque in illum martyrem injici, ut injectus est, confestim ejus precibus, ardens bos ille effectus est frigidus; ea re judex magis obstupuit, quod virum illum intus psalmos canentem sensit: accedens vero ad æream illam machinam, cùm vidisset scintillas modo emittentem, repente frigidam effectam, sanctum virum increpans, Tu ne, inquit, sceleстum caput tuis magicis artibus igni prævaluisti? Cui sanctus ille, Meæ, inquit, Magicæ artes Christus est. Præscribe mihi, inquit, trium dierum tempus ut mecum ipse cogitem, quid agere debeam. Itaque remissione accepta, clam Pantheon adiit, cumque Deum precatus esset, Idola omnia repentè decidentia contrita sunt. Cum hoc audisset Præses, Heliodorum ad se ductum furore plenus suspendi jussit, & clavos ignitos in ejus caput defigi. cum verò judex vidisset martyrem nec multitudine, nec varietate tormentorum superari, ad civitatem Atalensium illum misit, ibique constanter in confessione permanentem in ferventem sartaginem immissus est, ubi stans atque orans illæsus permansit, hortans circumstantes omnes, ut ipsi illuc introirent, promittens ipsos incolumes permansuros, ingressi sunt & ipsi, atque illæsi permanentes crediderunt in Dominum, dicentes, Verè magnus est Deus Christianorum. Ut vidit Præses multos in Heliodori Deum credidisse, timens ne forte è manibus ejus eum eriperent, jussit ad urbem Magedo reduci, quem milites orantem ac psallentem duxerunt. Rursus vir sanctus interrogatus eandem Christi confessionem repetens magis magisque asseruit, Præses jussit linguam excidi, & suspensum duabus horis cædi & camo imposito extra urbem traxerunt; quibus vir sanctus manu annuens, constitit ad precandum, qua precatione completa obtruncatus est.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Anthimi, Thalelæi, Christophori, Euphemiæ & filiorum, & sancti * Zenchrii.

* *Menæa magna: Pancharii.*

Die XX.

COmmemoratio sancti patris nostri Gregorii Decapolitæ. Hic fuit ex Decapoli Isauriæ impiorum Iconomachorum temporibus; qui clam fugiens propter prævalentem hæresim illorum, qui sanctas imagines oppugnabant, factus monachus speluncam ingressus est, in qua Dæmones multi habitabant, qui varias quidem & graves molestias viro sancto intulerunt, sed ejus oratione fugati sunt. Postea divina visione admonitus speluncam reliquit, & urbes ipsas peragrans, venit Syracusas civitatem Siciliæ,

ciliæ, ubi multa quotidie edebat miracula, postea venit Thessalonicam ad templum sancti martyris Demetrii, postea Byzantium, confessionem assequi cupiens, illinc Romam migravit, omnem Occidentalem regionem obiens, miraculis & prodigiis multos obstupescere faciens, postremo Byzantium repetit, ut Simeonem confessorem divinum hominem pro sanctarum imaginum confessione inclusum visitaret, quo viso post paucos dies Domino spiritum commendavit.

Sæc. XI. Anno 1095.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Nersæ Episcopi, & Joseph ejus discipuli, & aliorum qui cum ipso consummati sunt apud Persidem. Erat Nersas Episcopus annos natus octuaginta, ejus autem discipulus Joseph octogesimum nonum agebat annum, cum quibus alii erant Episcopi, sacerdotes, idiotæ, qui cum virginibus & mulieribus diversis modis probati, & variis tormentis inquisiti, martyrii coronam retulerunt.

Eodem die Certamen sancti martyris Dasii apud Dorostolum. Hic fuit Imperatoribus Diocletiano & Maximiano in urbe Dorostolo prope flumen Istrum, qua in urbe morem talem gentiles habebant, ut anniversarium diem festum Saturno celebrarent, atque ante triginta dies unum aliquem è numero militum speciosum eligerent, ac regali veste induerent, atque impiorum voluptatibus omnibus abuterentur, omnemque lasciviam, & carnis libidinem explerent, eorum lege hoc permittente, post verò triginta illos dies seipsum propria manu jugulatum Saturno offerret. Sorte igitur, & militibus ad Beatum Dasium convenientibus cogebant, ut illud idem ipse faceret, qui cum esset mentis compos, quoniam, inquit, moriturus sum, satius mihi erit, ut Christianum pro Christo meo mori. Itaque assistens ad tribunal Bassii multa supplicia perpessus, postea obtruncatus est.

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Eustathii, Thespesii, & Anatolii, qui fuerunt Maximiano Imperatore, patriam habentes Galatarum urbem Gangram, Philothei & Eusebiæ filii, superstitionis gentilium sectatores. Cùm verò Philotheus unà cum filio Anatolio Nicomediam iter facerent, sancto Luciano Presbytero occurrentes admonitionibus instructi, persuasi sunt, & ab eo baptizati. cum verò venissent Nicomediam, Eustathius, & Thespesius beati Anthimi oratione conversi, baptizati sunt, & pater ipsorum Philotheus Presbyter, filius verò Eustathius Diaconus ordinatus est, parvo temporis intervallo parentes è vita decesserunt, & eorum filii delati apud Præsidem ut Christiani baculis verberati sunt, & carcere inclusi, ubi divina Angeli præsentia ex vinculis erepti cibi participes facti sunt, mane verò diversis feris expositi, intacti permanserunt, quos sibi traditos Antonius Judex accipiens, Nicæam adductos, variis cruciatibus subjecit, in ligno enim suspensi, & ferreis unguibus ita lacerati, ut sanguine suo terram madefecerint, rursus in carcerem conjecti, rursus divina & Angelica præsentia plagarum dolor recreatus, & ipsorum corpora sana restituta sunt. Hæc videns sanguinarius ille Judex, lata sententia obtruncati, beatas animas in pace Deo tradiderunt.

Eodem die, Sanctorum martyrum Boithazat Eunuchi, & Susannæ, & sociorum virorum, & sanctarum mulierum. Sanctus Boithazat, cum esset Christianus, soli & igni immolare jussu regis Persarum renuens, simul cum sancta Susanna interfectus est, cum quibus sanctæ mulieres monasticæ exercitationis cultrices, Baicha, Thecla, Dinach, Mama, Malchia, Anna, & Tentis obtruncatæ sunt. Anna quidem & Aste, & Malchia, quæ perpetuam virginitatem servaverant, gladiis concisæ sunt, ubi verò earum sanguis defluxit pius, productam curationum gratiam fidelibus suppeditavit.

Die XXI.

Celebritas sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis semper virginis Mariæ, quæ consecrata, & reposita est in templo tres annos nata, à Joachimo, & Anna.

Die XXII.

Certamen sanctorum martyrum Marci & Stephani, qui sub Diocletiano Imperatore, & magno Præside ex Antiochia Pissidiæ propter Christianam confessionem ad Præsidem adducti & interrogati in Christi confessione persistentes, & plurimis tormentis probati, obtruncati sunt pro Christi nomine.

Eodem die Natalis sanctorum Philemonis, Archippi & Apphiæ discipulorum sancti Pauli Apostoli. fuerunt hi sancti viri sub Nerone Imperatore discipuli Apostoli Pauli, mar-

martyrium passi apud Colossos urbem Phrygiæ, prope Laodiceam; cum enim gentiles Dianæ in ejus templo diem festum agerent, ipsi in sanctissima Ecclesia cum reliquis Christianis, Deum glorificabant; cum verò Idololatræ in eos irruerent, aliis aliò aufugientibus, tantummodo Archippus, Philemon, & Apphias remanserunt, pro Christi confessione martyrium cupientes illos igitur detentos ad Androclem Ephesi Præsidem duxerunt, à quo verberati, & Idolis sacrificare omnino recusantes, in foveas ad renes usque dejecti, jactis lapidibus interfecti, migrarunt ad Dominum.

Eodem die Commemoratio sanctæ martyris Cæciliæ, Valeriani, & Tiburri, sub Diocletiano Imperatore in urbe Roma.

Die XXIII.

NAtalis sancti Patris nostri Amphilochii Episcopi Iconii, sub Theodosio Imperatore magno. vir divinarum literarum peritia, & sanctitate vitæ rectæ & Catholicæ fidei sinceritate insignis, Basilii magni amicitia & testimonio commendatus. Hic libros orthodoxam (*a*) fidem continentes conscripsit, & ad summam senectutem provectus in pace quievit.

Eodem die, Commemoratio sancti martyris Sisinii. Hic fuit sub Imperatore Diocletiano & Alexandro Præside, ex urbe Cyzico, qui cum multitudinem Hebræorum & gentilium Christi fidem doceret, & à patriis erroribus, Idolorum ministros ad Christum Dominum conversos baptizaret, & fideles ipsos, ne in ærumnis & cruciatibus deficerent, suis admonitionibus confirmaret, quique propter Christi nomen in carceribus detinebantur, eos visitans, ad martyrium subeundum excitaret, delatus apud Diocletianum, detentus, flagris cæsus, & suspensus ac laniatus, ense obtruncatus est.

Eodem die Commemoratio sancti Gregorii Episcopi Agrigentinæ. Hic fuit sub imperio Justiniani, ex urbe Agrigento, piis atque hospitalitatis & eleemosynarum studiosissimis parentibus ortus, annos natus decem & octo desiderio venerandi sancta loca Hierosolymam petiit, ibique à sancto Macario Diaconus factus, reversus est Byzantium, postea Romam venit, ubi Episcopus Agrigentinus creatus est, quo munere præclarè functus, multis editis miraculis in summa senectute migravit ad Dominum.

Die XXIV.

NAtalis sanctorum martyrum Clementis Romani & Petri Alexandrini.

Eodem die, Natalis sancti martyris Alexandri apud Corinthum. B. Gregorii in aurea petra. & sancti martyris Theodori Antiochiæ. vir sanctus Alexander sub Juliano Apostata à Salustino tribuno captus, cum fidei Christianæ desertore Juliano. . . . .

Hanc lacunam explere possumus ex Menæis magnis Græcorum.

Die XXV.

COmmemoratio sanctæ magnæ martyris Catherinæ, quæ fuit ex urbe Alexandria.

Eodem die commemoratio S. magni martyris Mercurii Decio & Valeriano Imperatoribus, ex regione orientali, qui propter Christianæ fidei confessionem, cùm Decio esset oblatus, gladio percussus, & quatuor palis alligatus, lacerato corpore, postea capite in terram verso suspensus, depositus, Cæsaream urbem Cappadociæ ductus, annos natus viginti quinque obtruncatus, ad cœlestem patriam migravit.

Die XXVI.

NAtalis sancti patris nostri Alypii Cionitæ. Hic fuit sub Heraclio Imperatore ex urbe Adrianopoli Paphlagoniæ, vir omnigena & exercitatione virtutis insignis & tolerantia ipsa omnes superans; quandoquidem in columna stetit annos quinquaginta tres in uno procumbens latere; ita ut in altero declinarit annos tredecim, quoad beatam

(*a*) Tributur ipsi vita Basilii magni, quam cum cæteris scriptori Amphilochio longe posteriori debet vindicari. Amphilochii opusculis vulgavit Combefisius; sed Basilii vita Basn.

beatam animam Deo commendavit, omne autem vitæ tempus fuerunt anni centum.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Styliani Paphlagonis, qui omnes facultates pauperibus distribuit, & monasticam vitam ingressus laboriosa exercitatione, & vitæ duritia omnes superans, eremum accessit, & speluncam subiens, ubi à divino Angelo nutritus est, multis denique per eum editis miraculis, mortuus in Paphlagonum regione depositus est, quo loco curationes, & miracula multa perfecit.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Jacobi Anachoretæ. Hic fuit vir miræ exercitationis; cœlum enim pro tecto habens, sub dio vivens, tanquam in alio corpore, omnia patienter perferebat. Multa quidam extiterunt hujus sancti viri egregia facta quæ verbis explicari non possunt. Cùm igitur bonum certamen certaverit, exultans migravit ad Dominum.

Eodem die natalis sancti patris nostri Niconis. Hic fuit ex regione Armeniorum, qui cùm audisset vocem illam, Omnis qui reliquerit patrem, vel matrem, & quæ deinceps sequuntur, relictis omnibus, venit ad monasterium quoddam, ubi omnem virtutis exercitationem exhibens, summa vitæ duritia superiores antecessit, aliquando autem postea illinc egressus totum orientem peragrans, clamabat, Pœnitentiam agite, ex quo & cognomen accepit, cumque regionem Pelopis, & omnes urbes obiisset, venit in urbem Laconiam, in qua varia edens miracula, templum erexit Christo Salvatori nostro, ubi ad finem usque monachi vitam exercens, coronam sanctæ exercitationis à Christo Domino accepit.

Die XXVII.

NAtalis sancti martyris Jacobi Persæ. Hic fuit sub Honorio, & Arcadio Imperatoribus Christianæ fidei cultor inde usque à majoribus in urbe * Bethabata in regione Elmzesiorum, genere illustri ortus, & à Rege Isdigerdo valde honoratus. Quamobrem ut Regalem honorem sibi conservaret, descivit à fide Christianorum, & unà cum Rege ad ruinam delapsus Christum ipsum abnegavit. Cum verò ejus mater & uxor ab ipsius communione ob eam causam se abduxissent, quod Christi ipsius charitati Regis gratiam prætulisset, & propter temporalem gloriam perpetuum dedecus, & condemnationem sibi conscivisset, cùm uxor, & mater hæc literis significassent, ille mente compunctus, à vana Regis superstitione discedens peccatum suum deflevit, quod scilicet Christum deseruisset. Quapropter ante Regem constitutus est ad inquisitionem, & condemnatus acerbissimam mortem sustinuit. Singulis enim corporis compagibus dissolutis, capite obtruncatus est.

* *Methamagna:* Bethlaba.

Die XXVIII.

CErtamen sanctorum martyrum (a) Stephani junioris, Petri & Andreæ, qui fuerunt sub Constantino filio Leonis Isaurici orthodoxa fide, & monastica vita præstantes, de quibus cum audisset impius Tyrannus quod essent orthodoxæ fidei sectatores, ejusque hæresim irridentes, multorum magistri existerent, diversis temporibus mittens comprehensos ad se adduxit, & sanctum quidem Stephanum per plateam trahi jussit, qui capite obtruncatus excessit: Petrus vero plagis plurimis interfectus migravit ad Dominum. Post hunc Andreas plurima & ipse sustinens supplicia per urbem tractus, ac dilaniatus, spiritum Domino commendavit.

Eodem die, Commemoratio sanctorum martyrum, qui unà cum sancto Stephano martyrium sustinuerunt, cum multi ex militibus propter sanctas imagines vitæ abrenunciantes, monachi facti essent, perversus Imperator Constantinus diversis modis cruciatos interfecit. Nam Basilium quendam renuentem quod heretici proposuerant, sed constanter sanctarum imaginum cultum defendentem, satellites Imperatoris ita calcibus ventrem illius conculcarunt, ut effusis visceribus mortuus fuerit. Alius quidam in Sostenio inclusus, naribus truncatus est; cum vero tyranni jussu apud Chersonesum exul interficiendus foret, fugit in Chazariam, quo loco Episcopus factus, in pace

(a) Hujus Stephani vitam, quæ nondum prodierat, a Stephano Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono 42. annos post mortem Stephani Monachi compositam, vulgarunt Benedictini; nec dissimulat author stupri suspicione laborasse Stephanum cum matrona nobilissima, quam suspicionem moverat ipsius ancilla. Vehementissimos quidem animi motus patiebatur Stephanus a protomartyre moribus plane diversus, quamquam Persecutionem a Constantino adversus tunc temporis Monachos inflictam nemo nisi ferox & inhumanus crimine carere velit. BASN.

Vita Stephani Junior. Annal. Gr. l. 1. p. 461.

pace consummatus est. Stephanus vero quidam in regionem Sugdiam relegatus, multos illic adjuvans, terrenæ vitæ finem accepit.

Eodem die Natalis beati martyris Irenarchi. Hic ex urbe Sebastia cum esset carnifex, tormentorum, quæ sanctis martyribus afferebantur, minister, inquisitis quibusdam Christianis mulieribus sub rege Diocletiano, Maximo Præside Sebastiæ mente illustratur divina Christi gratia opitulante, cùm videret mulieres pro Christo viriliter se gerentes, & tyrannum ipsum miraculis confundentes, libere Christum confessus, & se Christianum esse prædicans, in paludem quandam jussu Præsidis injicitur. Postremo in rogum ignis immissus, atque ex omnibus his admirabiliter liberatus, capite obtruncatur.

Die XXIX.

NAtalis sancti martyris (a) Paramoni & trecentorum septuaginta qui cum illo martyrii passi sunt. Hi fuerunt sub Decio Imperatore & Aquilino Præside, quos cum ad templum ISIDIS Præses ingressus execrabilia sacrificia Idolis immolaret, jussit & ipsos sanctos viros idem facere; quod cum illi renuerent præcepit omnes occidi. Itaque admirabiles Christi omnium regis divina virtute corroborati facti sunt martyres numero trecenti septuaginta Id cum vidisset sanctus PARAMONUS voce magna clamavit: Nefarium quidem atque impium facinus video, quod scelestus iste tot viros justos eosque hospites pecudum more jugulat. Hoc audiens judex, statim PARAMONUM interfici jussit. Quod cum rescissetbeatus ille martyr, in eo ipso loco in quo ambulabat, qui missi fuerant illum opprimentes, non uni alicui cædem commiserunt, sed omnes in oculis judicis, ejus sanguinem effuderunt.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Joannis Damasceni. Hic fuit sub Imperatore Leone Isaurico, & Constantino ejus filio ex urbe Damasco illustribus ortus parentibus, & orthodoxæ fidei observantia excellens. cum verò parentem haberet virtutis admodum studiosum, ejus cura & diligentia omnem Encyclopediam edoctus est, & divinitus inspiratus Scripturas didicit bene perscrutari. Itaque Christianæ fidei studio accensus relictis patriis opibus, monasticam vitam amplexus est una cum Cosma, cujus laus celeberrima est, in his melodiis, & canticis, quæ de diebus festis conscripsit, erat enim omnis eruditionis, & monasticæ institutionis particeps, quemadmodum & sanctus Joannes; qui orationis facultate, & sanctarum Scripturarum testimoniis impiam hæresim eorum, qui sacras imagines impugnabant, vehementer confutans, ac redarguens, multa eruditè & accuratè scripta reliquit, in quibus omnium ferè quæstionum solutio invenitur. cùm verò ad multam, & laudabilem senectutem pervenisset, excessit è vita beatus Joannes, antea Mansur appellatus, quo vocabulo, & ipsius parentes appellabantur.

Eodem die Natalis B. martyris Philumeni. hic sub Aureliano Imperatore, ex Lycaonia genus ducens, cum frumentum ferret in regionem Galatarum, delatus apud Felicem Præsidem, & se Christianum esse confessus, clavis ferreis primum fuit pedibus confixus, postea suspensus laceratur, & detractus de ligno, in ardentem clibanum injicitur, unde Dei potentia incolumis servatus, iterum clavis, capite, manibus & pedibus configitur, & usque ad triginta stadia impellitur, quoad deficiens, spiritum Deo tradidit.

Die XXX.

CErtamen sancti Andreæ, qui primus ad Christi fidem vocatus est. Hic cum per totam Bithyniam, Thraciam, & Schythiam, Evangelium Christi prædicavit, postea Sebastopolim profectus, atque ulterius progressus, Æthiopes Christi fidem docuit, cujus causa crucifixus est ab Ægeate Proconsule, ejusque corpus repositum est apud Patras Achaiæ, translatum verò postea fuit Constantinopolim, & cum beatis Luca Evangelista, & Matthæo Apostolo, repositum in templo sanctorum Apostolorum.

Jul. Tolet. Chronicon an. 254. 95. t. 28.

Eodem, die Commemoratio sancti Patris nostri Frumentii Episcopi Indiæ.

Mensis

(a) Hos Martyres, quantumvis incertos, laudarunt sæpius Hispani. Julianus Archipresbyter Toletanus, primus quod sciam locum passionis definivit, Paramonem scilicet civitatem ex nomine Martyris. An inde originem duxerit Paramon; an ex Martyre nomen acceperit civitas; incertum omnino: hoc unum omnibus liquet ignotam Geographis omnibus illam urbem Hispaniæ; quin imo ipsos gentis scriptores latuisse; unde fictitia nobis omnino videtur. BASN.

Mensis Decembris primo die.

COMMEMORATIO sancti Prophetæ Naum.

Eodem die Natalis sancti Philareti, qui fuit sub imperio Constantini, & eleemosynarum largitate insignis, quippe qui plurima pauperibus distribuens eo paupertatis devenit, ut necessarius etiam victus illi defuerit, sed benignus Deus illum inopia vexari non permisit; ejus enim neptem Mariam nomine, decoram & speciosam, Reginæ filio Constantino uxorem dari divinæ providentiæ dispensatione disposuit, & illum ipsum Consulis dignitate ornari, & multarum pecuniarum Dominum fieri, quas denuo pauperibus ipsis abunde suppeditabat. Cum verò tempus suæ ad Christum migrationis instare cognovisset, omnes sanguine conjunctos convocavit, eisque futura prædixit, addens & hæc: Filioli, hospitalitatis nolite oblivisci, ægrotos, & in carcere detentos visitate, viduarum & orphanorum patrocinium suscipite, res alienas nolite appetere, ab Ecclesiasticis congregationibus abesse ne patiamini, & ut summatim dicam, ut me facere vidistis, ita & vos facere ne desinatis. His dictis precibus ad Deum missis in pace quievit.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Ananiæ Persæ. Hic fuit ex Arbela civitate Persarum, qui propter Christi fidem comprehensus multa atque intolerabilia sustinuit tormenta. & dum emitteret spiritum, vidit scalam ad cœlum usque pervenientem, virosque instar ignis effulgentes se ad civitatem lucis & lætitiæ plenam invitantem, & sic consummatus est.

Eodem die Commemoratio sanctorum Antonii Junioris & Onesimi, Archiepiscopi Ephesi.

Die II.

COmmemoratio sancti Prophetæ Abacuc.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Abibi, qui sub Licinio Imperatore cum esset in ordine diaconatus, Christianæ confessionis causa comprehensus, in ignem conjectus martyrii finem assequutus est, quem Christiani sustulerunt, eumque unctum deposuerunt cum martyribus Guria & Samava in loco qui dicitur Bethelachicla.

Die III.

COmmemoratio sancti Prophetæ Sophoniæ.

Eodem die Commemoratio sanctorum eremitarum Joannis Heraclemonis, & Andreæ & Theophili. Hi sancti viri fuerunt ex urbe Oxyricho, Christanorum parentum filii, qui multos annos divinarum litterarum lectioni vacantes ad interiorem eremum secedentes, vitæ asperitate & jejuniis multis dediti sexaginta annos transegerunt, atque ita in Domino quiescentes, decesserunt.

Eodem die, Commemoratio sanctæ martyris Myropes. Hæc fuit ex urbe Epheso, quæ mortuo patre baptizata incumbens ad monumentum sanctæ Hermiones, unius ex filiabus sancti Philippi, unguentum ex sepulchro martyris suscipiebat, idque omnibus abunde tribuebat, ex quo & ipsa nomen est sortita Myrope dicta est, quæ Decio Imperatore persecutionem contra Christianos commovente, apud insulam Chium propter Christianæ fidei confessionem vectibus graviter verberata & crinibus per totam urbem tracta, Deo spiritum reddidit.

Die IV.

COmmemoratio sanctæ martyris (*a*) Barbaræ sub Maximiano Imperatore, quæ ex Oriente filia fuit Dioscori cujusdam.

Die

(*a*) Alii sub Maximino passam volunt & ab Origene edoctam; nullis prorsus argumentis cum de Barbara sileat Eusebius ubi de Origene, nec Persecutionem nisi adversus Episcopos moverit Maximinus: alii Nicomedia: alii Heliopoli, alii in Tuscia, ad superos evolasse tuentur, quisque pro libitu, ut solet in re prorsus ignota. Basn.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die V.

COmmemoratio sancti Patris nostri Sabæ. Hic fuit sub Theodosio minore ex regione Cappadocum Christianis ortus parentibus, qui ab ipsa pueritia monasticam vitam aggressus admirabili abstinentia usus, & sanctæ vitæ insignis cùm multa edidisset miracula annos nonaginta quatuor.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Joannis Episcopi Polyboti cognomento Thaumaturgi. Hic propter vitæ sanctitatem Episcopus Polyboti ordinatus, jejuniis, continentia, & reliquis virtutibus excellens, Leonem, execrabilem illum Imperatorem, sanctas imagines blasphemare ausum, vehementer reprehendit apud urbem Constantinopolim, ex qua reversus in suam Ecclesiam gregem suum rectè pascens quievit in pace.

Eodem die Natalis S. martyris Anastasii. Hic cum sanctos martyres à gentilibus inquisitos videret propter Dei confessionem membratim discerpi, & ipse esset Christianus, considerans quanta illis à Deo reposita essent bona, cupiens illa consequi, quodam die corde accensus, cruce totum corpus signavit, in stadium cucurrit, & stans in medio consessu, magna voce clamavit, Inventus sum ab iis qui me non quærebant, manifestus factus sum his qui me non interrogabant. Cùm verò omnes illum intuerentur, dixit, Audite vos omnes ministri Diaboli, audite inquam, Christianus ego sum, atque in Dominum meum Jesum Christum credo, & Idola vestra cum adoratoribus suis anathematizo atque aversor. Illi vero ita liberè prædicantem audientes obstupuerunt, statimque exuentes flagris cæsum carnifices, obtruncarunt, & in mare projecerunt.

Die VI.

NAtalis S. patris nostri Nicolai Episcopi urbis Mylaniræ miraculorum effectoris.

Die VII.

NAtalis sancti patris nostri Ambrosii Episcopi Mediol.

Eodem die Natalis sancti martyris Athenodori. Hic fuit sub Diocletiano Imperatore ex Mesopotamia Syriæ monasticam vitam à puero ingressus, delatus verò ut Christianus apud Præsidem Eleusium Christum confessus inter duas columnas extensus, accensis facibus uritur & uncinis in nares infixis cruciatur, postremo multis & variis tormentis superatis lata sententia ut ense percuteretur, qui illum percussurus erat dissoluto corpore tanquam mortuus cecidit, manu ipsa cum ense in terram excidente. cumque nullus alius ad eum accedere ausus esset, beatus martyr Deum precatus spiritum tradidit.

Eodem die S. trecenti martyres in Aphrica gladio consummati sunt Zenone Imperatore, & Hunerico Ariano Rege, propter orthodoxæ fidei confessionem, apud urbem Carthaginem obtruncati, cum Arianis sentire non passi: sacerdotibus autem majora excogitantes supplicia, duos incenderunt, sexaginta verò eloquentioribus linguas exciderunt, qui dispersi per omnem Romanorum regionem Dei ipsius vim in efficiendis miraculis maximam sine lingua prædicabant ita distinctè & apertè & articulata verba proferentes, ut hæc videntes & audientes obstupescerent: ex quibus unus quispiam post gratiam confessionis Christi lapsus in peccatum carnis, divinam gratiam à seipso fecit discedere. Hæc non pauci rerum gestarum scriptores in suis historiarum monumentis scripta reliquerunt.

Eodem die commemoratio sanctorum ex numero septuaginta, Sosthenis, Apollo, Cephæ, Tychici, Epaphroditi, Cæsaris, & Onesiphori. Ex his Sosthenes quidem, cujus sanctus Apostolus Paulus meminit, fuit Episcopus Colophonis; Apollo vero, cujus & idem Apostolus mentionem fecit, Episcopus Dyrrachii: Onesiphorus, cujus mentio ab eodem Apostolo facta est, fuit Episcopus Choroneæ. Hi omnes cum bene rexissent Ecclesias suas, multa pro Christo perpessi consummati sunt,

Die VIII.

EOdem die Commemoratio sancti patris nostri Sophronii Episcopi Cypri. Hic ejusdem Insulæ civis, Christianis ortus parentibus, ingenii acrimonia excellens, multa

multa didicit, & divinas literas edoctus in illarum meditatione assidue versabatur. Itaque tantam virtutem assequutus est, ut multa per eum edita sint miracula. quamobrem post mortem Damiani Episcopi Cypri ejusdem urbis Episcopus factus fuit, qui pauperes nutriens, orphanorum & pupillorum, viduarum patronus, eorumque adjutor quibus injuria inferebatur nudosque operiens, his harum rerum & similium studiis intentus in pace quievit.

Die IX.

COmmemoratio sanctæ Annæ matris Deiparæ virginis. Item sanctæ Annæ matris Samuelis Prophetæ.

Die X.

COmmemoratio sanctorum martyrum Sosithei, Narses, & Isaac, qui propter Christi confessionem gladio cæsi sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum Christi martyrum Menæ, Hermogenis, Calliceladi & Eugraphi. sub Maximiano Imperatore propter Christiani nominis confessionem apud Alexandriam variis tormentis cruciati sunt, quorum pretiosæ reliquiæ Byzantium translatæ plurima efficiunt miracula.

Eodem die Natalis sancti Gemelli martyris. Hic fuit sub Juliano Imperatore Apostata, qui cum per urbem Ancyram iter faceret, in ejus conspectu impietatem ipsius redarguit. Itaque jussu Imperatoris ferrea Zona igne accensa, cingitur, & apostatam ipsum sequitur. Cum verò Edessam venissent, rursus robustus ille Christi Athleta silvestribus lignis verberatur & in ferventem sartaginem adipe, resina, & oleo plenam injicitur, postea ferreis clavis ejus caput confixum est, & pellis ipsa è corpore detracta instar ovis; posthæc in cruce suspenditur, clavis manus, & pedes affixus, cujus corpus fideles homines de ligno depositum sub terra condiderunt.

Die XI.

COmmemoratio sanctorum, Danielis, & beati patris nostri Lucæ, qui Stilytæ dicti sunt, propterea quod in columna mirabiliter stantes, multos annos transegerunt.

Eodem die certamen sancti martyris Barsabæ, qui cum liberè Christum verum Deum confiteretur, à Præside Persiæ obtruncatus est.

Die XII.

COmmemoratio sancti patris nostri Spiridonis Episcopi Trimetuntis, urbis Cypri. Hic sub Constantino, & Constantio filio fuit primum pastor ovium, postea mortua uxore factus est Episcopus, tantis à Deo ipso dignatus miraculis, ut ex his cognomen acceperit: Thaumaturgus enim appellabatur. Hic cum recte sibi commissum gregem gubernasset, ex terrestri vita ad cœlestem migravit.

Eodem die Natalis sancti martyris Syneti. Hic fuit ex antiquiore urbe Roma Aureliano Imperatore, qui à puero traditus à parentibus Romano Pontifici, sacras literas edoctus à sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ beatissimo Pontifice Sixto lector constitutus est. Hic cum multos ad Christianam pietatem hortaretur, gentilium Deos irridens, eorumque errorem redarguens, accusatus apud Imperatorem Aurelianum detentus, & interrogatus libere Christum confessus est. Itaque obtruncatus migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Alexandri Archiepiscopi Hierosolymorum. Cùm Decio Imperatore adversus Christianos commota esset persecutio, missi sunt per omnes regiones, qui Christianos homines inquirerent, & diversis suppliciis cruciarent, tunc sanctissimus Alexander delatus apud Præsidem Cæsareæ, vinctus ac ductus est, & magna voce Christum omnium rerum Creatorem prædicans, Idola verò detestans, Dæmones esse affirmans, variis tormentis cruciatus, à feris devorandus condemnatur. illic igitur statim vestibus exutus, in theatrum alligatus producitur, in quem diversas feras tyrannus immisit; ille verò Deum ita precatus est, Domine si voluntas tua est, ut nunc consuminer, fiat quemadmodum tibi placuit; ferarum verò quæ in illum immissæ sunt, aliæ tanquam ipsum submissis capitibus adorantes ad sua latibula reversæ sunt, aliæ ad terram volutatæ ejus pedes deosculabantur, aliæ

Sæc. XI. Anno 1095.

aliæ carnis vulnera lambebant linguis; sanctus verò Præsul Deo gratias agens avolavit ad Dominum, corpus illæsum in terra relinquens, quod religiosi quidam viri reverenter unguentes, & velis involventes in loco insigni reposuerunt.

Die XIII.

Certamen sanctorum martyrum Eustratii, Auxentii, Eugenii, Mardarii, & Orestis. Hi verò sancti extiterunt sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus sub Duce Lysia & Agricolao, Orientis provinciam gubernante; & sanctus quidem Eustratius ex Arabracenorum urbe ortus est, * Scriniarius existens Ducalis ordinis, in quo primas gerebat, cupiens verò pietatem liberè profiteri, sed timens rei eventum, zonam per aliquem ministrum deponi jussit in Arabracensi concione. Hic ultro se obtulit Lysiæ, & Christianam fidem professus, zona militari privatus, Tyranni jussu denudatur, & flagris cæditur, postea funibus ligatus in sublime tollitur, ad hoc sale & aceto commixto ejus membra perfusa sunt, latera verò asperis testis contrita, ex quibus omnibus mirabiliter evadens incolumis, sanctum Eugenium ad Christi fidem libere prædicandam invitavit. Itaque & Eugenius ipse Christum confessus, se cum sancto Eustratio sentire asserens, eundemque Christum à se coli asseverabat, tunc ferreis crepidis affixis, sanctus Eustratius ab urbe Sebastenorum usque ad Nicopolim abigebatur, quem sanctus Mardarius cùm adduci vidisset, beatum prædicavit; quamobrem & ipse Præsidente Lysia primus Auxentius obtruncatus est, sanctus verò Mardarius perforatis talis inverso capite suspensus posterioribus corporis partibus adustis, decessit. Sanctus verò Eugenius excisa lingua, & manibus, cruribus etiam confractis præsentis vitæ finem accepit. Hæc cum vidisset beatus Orestes, se Christi servum appellans cum Eustratio vinctus uterque à Lysia ad Agricolaum missus est. cumque omnem gentilis erroris fallaciam ex eorum etiam libris redarguisset (erat enim summa eruditione præditus) & Christi dispensationem enarrasset, Tyranno stuporem attulit: Sancto autem Oreste in ferreo grabato accenso prius posito, atque in eo ipso beatæ confessionis fine expleto, postea Eustratius in caminum ardentem injectus martyrii corona donatus est.

* σκρινιάριος.

Die XIV.

Sanctorum martyrum Thyrsi & Leucii sub Decio Imperatore & Cumbritio Præside persecutionem Christianorum commovente in partibus Nicomediæ, Niceæ & Cæsareæ Bithyniæ. Cum sanctus Leucius Christum confiteretur, & Idolorum vanitatem improbaret, & in Christiana confessione constanter permaneret, obtruncatus est. Præsidi verò Hellespontum proficiscenti sanctus Thyrsus occurrens libere Deum Christum esse prædicans, & Tyrannum arguens quod temerè iis qui dii non sunt, honorem tribueret. Itaque verberatur, manibus & pedibus ligatur, ejusque palpebræ transfiguntur, aliisque multis tormentis cruciatus, cùm Christi gratia, ex omnibus his incolumis evasisset, precibusque omnia Idola subvertit, postea in vas aqua plenum capite inverso dejicitur, quo statim fracto, ex pinna muri projectus est, solo ipso in quod dejiciendus esset, acutis clavis, & ferro substrato, ex quibus Christi potentia illæsus servatus est. Cum verò Cumbritius & Silvanus vitam malè abrupissent, successit Baddus Præses, qui sanctum virum sacco inclusum in mare dejecit; sacco verò disrupto, Angelorum præsentia in continentem terram eductus, denuo verberatur, atque iterum suis precibus incolumis ereptus, tam graviter cæsus est, ut ejus carnes discerptæ in terram deciderint, quo tempore sanctum Callinicum Idolorum sacerdotem ad Christi fidem attraxit, majorem enim omnibus Deum illum esse censuit, cujus invocatione Idola ipsa deciderent. Cum enim sanctus Thyrsus esset in urbe Apollonia inanium Deorum simulacra oratione dejecit, quo facto sanctus Callinicus Idolum dejiciens, quod illi adorabant, ense percussus finem accepit. Sanctus verò Thyrsus in arcam injectus, ut serra dissecaretur, cùm carnifices ipsi manus movere non possent, illæsus permansit, & in pace quiescens, spiritum Deo reddidit.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Philemonis, Apollonii, & sociorum. Hi fuerunt sub Diocletiano Imperatore, & Arriano Præside Thebaidis apud Ægyptum, cum septem & triginta Christiani detenti, & ad Judicem ducti essent, unus ex illis, Apollonius nomine, Catholicæ Ecclesiæ lector formidans tormenta, quæ Judex minatus fuerat, quatuor aureos dedit Philemoni tibicini, ut indutus se illius vestibus,

pro

pro ipso Idolis sacrificaret. Ingressus igitur Philemon id facere omnino recusans, CHRISTUM confessus est; Cùm verò Judex ipsum non cognovisset, jussit Philemonem introire, & tibias inflare, ut melodiam audientes, Christiani ea re delectati, Idola ipsa adorarent: cognitus est Philemon, quod ipse esset lectorem Apollonium simulans. Admonente igitur Præside, ut Christianus esse desineret, additque frustra illum laborare, siquidem nisi esset baptizatus, cum Christianis numerari non posset. Cum igitur peteret baptizari, neque id facere auderet, orante illo imbrem super illum solum demisit DEUS, ita ut omnes præsentes obstupescerent, & Philemonem ipsum certiorem faceret, quod nemine audente propter metum Præsidis eum baptizare, è cœlo baptismus demissus sit. Comprehensus verò Apollonius, quippe qui causa fuerat Philemoni, ut ad CHRISTI fidem converteretur, sectis pedum nervis, per totam urbem tractus est; Philemon in arbore suspensus, sagittis petitur, sed sagittæ ipsæ illum non tangebant; una verò ex illis ipsis Præsidis oculum compunxit, quod cum vidisset sanctus Philemon, dixit: Post martyrium meum accipiens pulverem ex sepulchro, sanum efficies oculum, quod revera factum est, cum enim utriusque caput abscissum esset, Præses post aliquot dies venit, ut videret reliquias sanctorum martyrum, & sanitas exuli restituta est. quamobrem & ipse, & qui cum eo erant in Christum credentes, baptizati sunt. id cum cognovisset Diocletianus, detentum, & ferreis vinculis adstrictum, saxo collo alligato in hiatum terræ dejecit, quem admirabiliter servatum, lecto in palatio Regali astantem vidit, magumque esse suspicatus in mare dejecit. SÆC. XI. ANNO 1095.

Eodem die commemoratio sanctorum quatuor Protectorum, qui cum B. Ariano martyrii certamen sustinuerunt, postquam sanctos martyres Philemonem & Appollonium diversis tormentis cruciatos in hiatum terræ Diocletianus dejecit, B. etiam Arianum in profundam terræ foveam dejectum congesta terra operuit, ejusque sede desuper posita, jussit milites ludentes dicere, Videamus, num veniat Deus Arriani, & illum liberet à fovea? posthæc rediens ad domum regiam, venit ad lectum ut illic decumberet, & videt ferrea vincula, & saxum ante cubile ipsius suspensa & Arianum ipsum in lecto cubantem, quare perterrefactus in mare dejecit, cum quatuor Protectoribus, qui unà cum illo in Christum crediderunt.

Die XV.

CErtamen SS. martyris Eleutherii. Hic fuit ex urbe Roma matrem habens nomine Anthiam Christi fidem à beato Paulo Apostolo edoctam. Hic à Pontifice Aniceto sacras literas eruditus, clericus effectus est, deinceps ordinatus Diaconus, & presbyter, postea Episcopus Illyrici, cumque multos Christi fidem doceret, detentus ab Adriano Imperatore, quo audiente Christum prædicans vehementer cruciatus est, & * Corebori tribuni consilio in caminum ardentem injectus, in quem Spiritu sancto commotus Coreborus ipse ingressus, Christum ipsum Deum esse confessus est, & illinc egressus incolumis, ligatus ad ferocium equorum currus, atque hinc ab Angelo ereptus ductus est ad montem, quo missi sunt milites ad illum detinendum, qui ab eo baptizati, postea alii fere quingenti. ductus verò ad Imperatorem feris projectus, & incolumis servatus à duobus militibus interfectus evolavit ad Dominum.

* *Menæa magna: Coremmonis.*

Die XVI.

COmmemoratio sancti Prophetæ Aggæi.

Eodem die commemoratio sancti martyris Marini. Hic fuit sub Carino Imperatore Romanus senatorii ordinis particeps; delatus vero ut Christianus ductus, cum nollet sacrificare, suspensus est, laceratus, & in sartaginem ferventem injectus, admirabiliter liberatus est, igne ipso in rorem converso; ferisque multis in illum immissis servatur incolumis. post hæc, quasi sacrificaturus ad Aram accedens precibus Idola ipsa dejecit, comitantibusque illum patre & matre beatum prædicantibus, gladio martyris palmam consecutus est.

Die XVII.

COmmemoratio sancti Prophetæ Danielis, & trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, & Misaëlis.

Commemoratio sanctorum patrum nostrorum Abraam, Isaac & Jacob, & Danielis Prophetæ.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XVIII.

COmmemoratio sancti martyris Sebastiani, & sociorum, Zoes, Tranquillini, Nicostrati, Claudii, Castoris, Tiburtii, Castuli, Marcellini & Marci, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus.

Die XIX.

NAtalis sancti martyris Bonifacii.
Commemoratio sancti patris nostri Gregorii Grigentini.

Die XX.

NAtalis sacrosancti martyris Ignatii.
Eodem die, commemoratio sanctorum martyrum Eugenii & Macharii, qui sub Juliano Apostata detenti atque ad illum ducti, ejus impietatem arguentes in ignem traditi, serpentibus venenatis objiciuntur, à quibus illæsi permanentes vincti missi sunt in Mauritaniam in regionem Andidonem, quam Christi notitia illustrantes, plurimis editis miraculis beatas animas Deo tradiderunt.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Philologonii Episcopi Antiochiæ. Hic beatus vir, divinarum literarum scientia illustris, in tribunali diu versatus patrocinium egenorum, viduarum; & pupillorum suscepit, postea ad Christi gregem gubernandum assumptus est, quo tempore multa erat difficultas gubernandi, cùm paulò ante persecutio ipsa cessasset, & difficillimæ tempestatis reliquiæ superessent, licet hæreticorum irruptio ejus tempore incipiens, ipsius sapientia intercepta fuerit; quemadmodum & beatissimus JOANNES CHRYSOSTOMUS encomiis eum honorans latius de ejus laudibus disseruerit. Hic gregem sibi commissum disciplina DEO grata pascens Angelicam super terram vitam duxit, & sacerdotio excellens ad Dominum migravit.

Die XXI.

COmmemoratio sanctæ martyris JULIANÆ apud Nicomediam. Hæc sub Maximiano Imperatore.

Die XXII.

COmmemoratio sanctæ martyris ANASTASIÆ sub Diocletiano Imperatore in urbe Roma.

Eodem die Natalis sancti martyris Chrysogoni in urbe Roma sub Diocletiano Imperatore.

Die XXIII.

NAtalis sanctorum martyrum decem apud Cretam assorum.

Die XXIV.

CErtamen sanctæ Eugeniæ martyris, & sociorum. Hæc fuit sub Commodo Imperatore filia tribuni in urbe Roma; missus autem pater ab Imperatore in civitatem ALEXANDRIÆ, ut tribunatus magistratum gereret secum duxit uxorem & filios, quorum una fuit beata Eugenia, quæ cum literas edisceret, & in multorum librorum lectione versaretur, incidit & in Epistolas sancti Apostoli PAULI, ex quibus Christi fidem didicit. Itaque patrios tumultus & mundi fallaciam derelinquens, cum duobus eunuchis ad monasterium, quod est ante civitatem ALEXANDRIÆ *se contulit*, virili habitu induta. accepta igitur hospitio ab ELENO Episcopo causam addens quare illuc venisset, divino Baptismate cum iis quos secum duxerat, dignata est, & in ordinem monachorum aggregata, & post aliquod tempus, monasterii curam sibi creditam suscepit, ubi propter miracula quæ per illam Deus efficiebat, facta est familiaris mulieri cuidam ordinis senatorii, quæ Melanthia vocabatur; accusata postea est ab illa, quasi ad coitum illam provocasset, crimen objiciens, quod illius naturæ repugnabat: existimans enim marem esse propter speciem habitus, ejus pulchritudine vulnerata cum sæpe periculum faciens ab ea repulsa esset, detulit illam ad Philippum Tribu-

Tribunum. Cum verò Pater illam accersiri jussisset, veritas detecta est, non solum quod in habitu viri esset mulier, sed etiam quod Tribuni esset filia, quare patrem, matrem, & multos ex familia, ad Christianorum fidem attraxit; & pater quidem Tribuni dignitate deposita baptizatus est, postea & martyrii perfectionem assecutus, irruentibus in eum in templo Idolorum infidelibus, qui & illum gladiis interfecerunt; sancta verò Eugenia Romam adducta est cum matre, & fratribus Proto, & Hyacintho eunuchis, qui obtruncati sunt, ipsa verò saxo gravi alligato in Tyberim flumen projecta est, atque illinc servata gladio consummationem accepit.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Die XXV.

NAtalis secundum carnem Domini & Dei, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. Eodem die, Adoratio sanctorum Magorum.

Die XXVI.

CElebritas sanctæ Dominæ nostræ Dei Genitricis semper virginis Mariæ & sancti ac justi Josephi ejus sponsi.

Die XXVII.

CElebritas sancti Protomartyris, & Archidiaconi Stephani. Et sanctorum confessorum Theodori & Theophanis fratrum.

Eodem die, Commemoratio sancti martyris Mauritii & septuaginta sociorum, qui sub Maximiano Imperatore apud urbem Apamensem passi sunt.

Die XXVIII.

CErtamen sanctorum viginti millium martyrum sub Maximiano Imperatore apud Nicomediam combustorum.

Die XXIX.

NAtalis sanctorum Infantium ab Herode interfectorum.

Die XXX.

COmmemoratio sanctæ martyris Anysiæ, quæ sub Maximiano Imperatore ex urbe Thessalonica à milite quodam Idolis serviente, atque ad aram sacrificii offerendi causa attrahente, sanguinem effundere maluit potius, quàm Christum abnegare.

Die XXXI.

COmmemoratio sancti martyris & Presbyteri Zotici orphanorum nutritoris, qui fuit ex antiquiore urbe Roma, claris ortus parentibus à Constantino Magno in civitatem Constantinopolim, unà cum aliis quibusdam nobilibus ductus.

FINIS.

HENRICUS CANISIUS

Ad Lectorem.

THESAURUM *hunc, (ita enim Menologium hoc lectissimum opusculum semper habui) Andreæ Schotto Societatis* JESU *acceptum refero; viro de omni antiquitate optime merito. Sed non minores gratiæ habendæ Rev. & nobili Domino Antonio Velsero, Marci fratri, quos quotiescunque nomino, si eos debitis encomiis ab exquisita & admiranda eruditione repetitis non afficiam, scito causam esse, quia illa nomen ipsum præfert. Submisit ergò ille Frisinga tomos Menæorum magnorum, Græce tantum excusos, sine quibus, fateor, nunquam eluissem menda quæ erant in m. s. apographo. Non tamen cum illis solis comparavi hoc Menologium, sed & cum Typico Sabæ, cum Horologio, Euchologio, Anthologio, Triodio, & Paracletice Græcorum cumque iis Græcorum fastis quos Genebrardus præmisit commentario suo in Psalmos. Illustrissimus Baronius hoc ipsum m. s. Menologium à Sirleto habuit, quod passim tanquam pervetustum & optimæ notæ laudat, & ubi Græcorum Menæa citanda sunt, ferme hoc citat, tam in notis ad Rom. Mart. quam in Annalibus.*

Habuimus in singulos auctores hujus tomi II. paratas notas; & varias lectiones, nominatim etiam illas promissas quibus Q. Hilarion melior fieri possit, sed quod in editione tomi I. accidit, hoc multe magis hîc. Exclusit nimirum angustia temporis omnes. Et liberanda fides fuit; quam dedimus, te ad nundinas vernas habiturum tomum II. Habes illum, sed sine notis, quas tamen dabimus * *in tomo III. Nam & tertium promittimus, ea lege, si tu erudite Lector juves; juvabis autem si quæ sunt in sinu tuo & antiquario thesauro promas. Dabimus præter cætera, aureum fragmentum Annalium Francicorum ab anno* 741. *usque ad an.* 791. *quos Regino Prumiensis se in historia sequutum profitetur. Meminit horum Annalium Pithœus etiam in inscriptione Vitæ Caroli Magni, quam inter scriptores Francicos dedit, illos tamen apparet eum non vidisse.*

* *Non stetit promissis Canisius, nec enim notas ullas edidit.*

Dabimus etiam quatuor Orationes in Concilio Basileensi habitas doctissimas, longissimas; quæ nusquam unquam editæ: Tres jam m. s. possidemus beneficio admodum Reverendi & Clarissimi Domini Georgii Lautherii; quartam propediem eruendam ex abditis bibliothecæ spero. Has ubi videris, sat scio, rapies; ubi legeris, thesaurum habebis.

INDEX SANCTORUM IN MENOLOGIO.

A.

Sæc. XI. Anno 1095.

Anton.

B.

Bacchus

SÆC. XI. ANNO 1095.

C.

Catti-

SÆC. XI. ANNO 1095.

E.

Sæc. XI. Anno 1095.

F.

G.

Geor-

H.

Sæc. XI. Anno 1095.

Isaac.

Sæc. XI. Anno 1095.

Maxi-

N.

Sæc. XI. Anno 1095.

O.

P.

Paulus,

SÆC. XI. ANNO 1095.

Q.

R.

S.

T.

SÆC. XI. ANNO 1095.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Theodu-

V.

Vitalis

Sæc. XI. Anno 1095.

SÆC. XI. ANNO 1095.

Finis Partis I. Tomi III.

